DOCTORIS ANGELICI

DIVI

THOMÆ AQUINATIS

SACRI ORDINIS F. F. PRÆDICATORUM

OPERA OMNIA

PARIS. — IMPRIMERIE Vve P. LAROUSSE ET Cie
49, RUE NOTRE-DAME-DES-CHAMPS, 49

DOCTORIS ANGELICI
DIVI
THOMÆ AQUINATIS
SACRI ORDINIS F. F. PRÆDICATORUM
OPERA OMNIA

SIVE ANTEHAC EXCUSA,
SIVE ETIAM ANECDOTA; EX EDITIONIBUS VETUSTIS ET DECIMI TERTII SÆCULI CODICIBUS RELIGIOSE CASTIGATA;
PRO AUTHORITATIBUS AD FIDEM VULGATÆ VERSIONIS ACCURATIORUMQUE PATROLOGIÆ TEXTUUM,
NUNC PRIMUM REVOCATA;
NOTIS HISTORICIS, CRITICIS, PHILOSOPHICIS, THEOLOGICIS, CUNCTAS ILLUSTRANTIBUS CONTROVERSIAS
OCCASIONE DOGMATUM SANCTI AUTHORIS EXORTAS, SOLLICITE ORNATA,

STUDIO AC LABORE

STANISLAI EDUARDI FRETTÉ
Sacerdotis Scholæque Thomisticæ Alumni.

VOLUMEN VIGESIMUM

COMMENTARII SUPER JOANNEM, CONTINUATIO.
IN EPISTOLAM AD ROMANOS. — IN EPISTOLAM AD CORINTHIOS I.

PARISIIS
APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM
13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13
M DCCC LXXVI

SANCTI

THOMÆ AQUINATIS

EXPOSITIO

IN QUATUOR EVANGELIA

EVANGELIUM JOANNIS

CAPUT QUINTUM.

(CONTINUATIO)

LECTIO III.

1. Respondit itaque Jesus, et dixit eis : Amen amen dico vobis, non potest Filius a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. 2 Quæcumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit. 3. Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit.

1. Hic tradit doctrinam de potestate vivificativa [1]. Et primo ponitur ipsa doctrina; secundo confirmatio ejus, ibi, *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum*. Circa primum duo facit. Primo proponit doctrinam ejus de potestate vivificativa in communi; secundo in speciali, ibi, *Et majora his demonstrabit et opera*. Circa primum tria facit. Primo insinuat potestatis suæ originem; secundo ipsius potestatis magnitudinem, ibi, *Quæcumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit*. Tertio assignat utriusque rationem, ibi, *Pater enim diligit Filium*.

Considerandum autem circa primum, quod Ariani ex his verbis quæ hic Dominus dicit : *Non potest Filium a se facere quicquam*, etc., errorem suum confirmare nituntur, scilicet quod Filius minor sit Patre : quia [2], secundum quod Evangelista dixit, Judæi persequebantur Christum, quia faciebat se æqualem Deo. Quod videns Dominus, Judæos ex hoc moveri, volens hoc excludere, ut Ariani dicunt, talia verba subjunxit ut se æqualem Patri non esse monstraret, dicens : *Amen amen dico vobis, non potest Filius a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem fa-*

[1] Al. : « vivificata, » sic et infra.

[2] Al. : « quia enim. »

cientem; quasi dicat : Non intelligatis me per hoc quod dixi, *Pater meus operatur, et ego operor*, sic operari quasi ergo [1] sim ei æqualis : quia nihil possum facere a meipso. Quia ergo *Filius non potest facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, utique minor est Patre, ut ipsi dicunt. Sed hic intellectus falsus est et erroneus; quia si Filius non esset æqualis Patri, tunc non esset Filius idem cum Patre : quod est contra illud, infra x, 30 : *Ego et Pater unum sumus.* Nam æqualitas attenditur secundum magnitudinem, quæ in divinis est ipsa essentia. Unde si esset Patri inæqualis, differret [2] ab eo secundum essentiam.

Ad verum autem hujus intellectum, sciendum est, quod in his quæ in Filio minorationem importare videntur, posset dici ab aliquibus hæc de Christo dicta esse secundum naturam assumptam, sicut dicitur infra xiv, 28 : *Pater major me est.* Unde secundum hoc vellent dicere, quod hoc quod Dominus dicit, *Non potest Filius a se facere quicquam*, intelligendum est de Filio secundum naturam assumptam. Quod quidem stare non potest : quia secundum hoc oporteret dicere, quod omnia quæ Filius Dei facit in natura assumpta, Pater ante eum fecisset; puta quod siccis pedibus super mare ambulasset, sicut Christus ambulavit : alias non diceretur : *Nisi quod viderit Patrem facientem.* Sed si dicatur, quod quæcumque Christus in carne fecit, etiam Deus Pater fecit, inquantum in eo Pater operatur, secundum illud infra xiv, 10 : *Pater autem in me manens ipse facit opera :* ut sit sensus : *Non potest Filius a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, in seipso, scilicet Filio [3] : nec hoc [4] stare potest, quia secundum hoc ea quæ sequuntur, non possent ei adaptari, scilicet, *Quæcumque ille fecerit, hæc et Filius similiter facit.* Nunquam enim secundum naturam assumptam Filius creavit mundum, sicut Pater [5] creavit. Non ergo ad naturam assumptam referendum est quod dicitur. Secundum Augustinum autem, alius modus est intelligendi ea quæ videntur in Filio minorationem importare, licet non importent : ut scilicet referantur ad originem Filii a Patre : quia licet Filius sit æqualis Patri per omnia, tamen hoc ipsum habet a Patre [6] per æternam generationem; sed Pater a nullo habet, cum sit ingenitus. Unde secundum hoc continuatur sic. Quid scandalizati estis, quia Patrem meum dixi Deum, et quia æqualem me feci Deo? *Amen amen dico vobis, non potest Filius a seipso facere quicquam*; quasi dicat : Ita sum æqualis Patri, ut ab illo sim, non ille a me : et quicquid ergo habeo ut faciam, est mihi a Patre. Secundum hunc ergo modum in his verbis fit mentio de potestate Filii, per hoc verbum *potest*, et de ejus operatione per hoc verbum *facere.* Et ideo utrumque potest hic intelligi : ut scilicet ostendatur primo derivatio potestatis Filii a Patre; secundo vero ut ostendatur conformitas operationis Filii ad operationem Patris. Quantum ad primum, exponit Hilarius hoc modo. Supra Dominus dixit se esse æqualem Patri. Sed aliqui hæretici propter auctoritates Scripturæ, quæ dicunt unitatem et æqualitatem Filii ad Patrem, attribuunt Filio quod sit ingenitus, sicut Sabelliani, dicentes Filium esse idem cum Patre in persona. Ne ergo hoc intelligas, dicit : *Non potest Filius a se facere quicquam* : nam potentia Filii idem est quod natura ejus. Ab eo ergo Filius habet posse a quo habet esse; esse autem habet a Patre : infra xvi, 28 : *Exivi a Patre, et veni in mundum* : a quo habet naturam, quia Deus est de Deo : ergo ab eo habet posse. Sic ergo hoc quod dicit : *Non potest Filius facere quicquam, nisi quod Patrem viderit facientem*, tantum valet ac si dicatur : Filius sicut non habet esse nisi a Patre, ita nec posse facere aliquid nisi a Patre. In naturalibus enim ab eodem aliquid accipit posse operari a quo recipit esse, sicut ignis ab eo recipit quod possit ascendere sursum a quo recipit formam et esse. Nec tamen per hoc quod dicit, *Non potest Filius a se facere quicquam*, importatur inæqualitas : quia hoc pertinet ad relationem; quæstio autem æqualitatis et inæqualitatis pertinet ad quantitatem [7].

Per hoc autem quod dicit, *Nisi quod viderit Patrem facientem*, posset alicui

[1] Al. : « quod ergo sum. »
[2] Al. : « differt. »
[3] Al. omittitur : « scilicet Filio. »
[4] Al. : « sed nec hoc. »
[5] Al. : « et Pater. »
[6] Al. : « sit æqualis Patri, omnia tamen hoc ipsum habet a Patre. »
[7] Al. : « quia posse pertinet ad relationem : æqualitas autem, et inæqualitas pertinet ad quantitatem. Item : quia hoc non pertinet ad relationem etc. »

falsus intellectus subintrare, ut crederet Filium hoc modo facere, quia vidit Patrem facientem; scilicet, quod Pater primo fecit, hoc viso Filius postea inceperit facere; ad modum duorum fabrorum, magistri scilicet, et disciputi, qui arcam facit secundum modum quem viderit magistrum facere. Quod quidem non est verum de Verbo : nam supra (I, 3) dicitur : *Omnia per ipsum facta sunt.* Ergo Pater non fecit aliquid ita quod [1] Filius videret fieri, et addisceret. Sed hoc dictum est ut designetur communicatio paternitatis Filio per generationem, quæ convenienter designatur hoc verbo *viderit* : quia per visum et auditum in nos ab alio scientia transfunditur : nam per visum quidem scientiam a rebus accipimus, per auditum vero a sermonibus. Filius autem non est aliud quam sapientia, secundum illud Eccli. XXIV, 5 : *Ego ex ore Altissimi prodii primogenita ante omnem creaturam.* Et sic derivatio Filii a Patre nihil aliud est quam derivatio divinæ sapientiæ. Quia ergo visio designat derivationem cognitionis et sapientiæ ab alio, recte per visionem generatio Filii a Patre designatur, ut sic nihil aliud sit Filium videre Patrem facientem, quam procedere intelligibili processione a Patre operante. Potest autem et de hujusmodi, secundum Hilarium, alia ratio assignari : scilicet, ut per hoc quod dicit, *Viderit*, excludatur omnis imperfectio a generatione Filii vel Verbi; nam in generatione materiali illud quod generatur, paulatim per incrementa temporum ab imperfecto ad perfectum perducitur : non enim jam perfectum est aliquid quando generari incipit. Sed hoc in generatione æterna locum non habet, cum sit [2] generatio perfecti a perfecto. Et ideo dicit : *Nisi quod viderit Filius Patrem facientem.* Cum enim videre sit actus perfecti, manifestum est quod Filius statim perfectus genitus est, tamquam statim videns, et non per incrementa temporum ad perfectum perducitur. Quantum vero ad secundum exponit Chrysostomus, scilicet ad ostendendum conformitatem Patris ad Filium, quantum ad operationem, hoc modo : Dico quod licet mihi operari in sabbato, quia et Pater meus continue operatur, cui non possum operari contrarium ; et hoc quia *non potest Filius a se facere quicquam*, etc. Tunc enim quis aliquid a se facit, cum in faciendo [3] non se conformat alteri. Quicumque autem est ab alio, si discordat ab eo, peccat. Infra VII, 18 : *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit.* Quicumque ergo existens ab alio, a semetipso operatur, peccat; Filius autem est a Patre : ergo si operatur a semetipso, peccat ; quod est impossibile. Per hoc ergo quod dicit Dominus, *Filius non potest a se facere quicquam*, etc., nihil aliud insinuat, quam quod Filius non potest peccare ; quasi dicat : Injuste persequimini me de solutione sabbati, quia non possum peccare, quia non operor contraria Patri meo. Utramque autem expositionem, scilicet Hilarii et Chrysostomi, facit Augustinus, licet in diversis locis.

2. Consequenter cum dicit, *Quæcumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit*, ponitur magnitudo potestatis Christi : et excludit in his tria circa potestatem suam : scilicet particularitatem, diversitatem, et imperfectionem. Particularitatem : quia, cum sint diversa agentia in mundo, et agens primum universale virtutem habeat super omnia agentia, alia vero agentia quæ sunt ab ipso tanto particularis virtutis sint quanto sunt inferiora in ordine causalitatis : posset [4] ex hoc aliquis credere, quod cum Filius non sit a se, habeat potestatem particularem [5] respectu aliquorum existentium, et non universalem respectu omnium, sicut habet Pater. Et ideo hoc excludens dicit : *Quicumque enim ille*, idest Pater, *fecerit*, idest ad omnia ad quæ se extendit potestas Patris, extendit se etiam potestas Filii. Supra I, 3 : *Omnia per ipsum facta sunt.* Diversitatem vero, quia aliquando unum ab alio existens, potest quidem facere quæcumque ille a quo est, facit ; nihilominus tamen illa quæ facit, non sunt eadem cum illis quæ ille a quo est facit : sicut si unus ignis existens ab alio, potest facere quicumque alius facit, puta comburere, sed tamen alia comburit iste, alia ille, licet eadem sit combustio utriusque secundum speciem. Ne ergo intelligas sic operationem Filii diversam esse ab operatione Patris, dicit, *Hæc*, idest non diversa, sed eadem. Imperfectionem vero, quia quandoque contingit

[1] Al. : « antequam. »
[2] Al. : « fuerit. »
[3] Al. : « cum enim quis aliquid a se facit, tunc faciendo etc. »
[4] Al. : « posset autem. »
[5] Al. : « particulatam. »

aliquod unum et idem ex duobus agentibus fieri, sed ab uno quidem sicut a principali et perfecto, ab alio vero sicut ab instrumento, et imperfecto; sed non similiter, quia aliter agit principale agens, et aliter instrumentum, quia instrumentum imperfecte agit, utpote in virtute alterius. Ne ergo sic intelligas Filium facere quæcumque facit [1] Pater, addit, *Similiter* : idest, potestate qua Pater facit, facit et Filius; quia eadem virtus et eadem perfectio est in Patre et Filio. Prov. viii, 30 : *Cum eo eram cuncta componens*.

3. Consequenter cum dicit, *Pater enim diligit Filium*, assignat rationem utriusque; scilicet originis, et magnitudinis potestatis Filii; quæ quidem ratio assignatur ex dilectione Patris, qui diligit Filium : unde dicit : *Pater enim diligit Filium*.

Sed ad sciendum quomodo dilectio Patris ad Filium sit ratio originis seu communicationis potestatis Filii, attendendum est quod dupliciter aliquid diligitur. Cum enim bonum solum sit amabile, aliquod bonum potest se dupliciter ad amorem habere : scilicet vel ut causa amoris, vel ut ab amore causatum. In nobis autem bonum causat amorem; nam causa amoris nostri ad aliquem est bonitas ejus. Non enim ideo bonus est quia nos eum diligimus; sed ideo diligimus eum, quia bonus est : unde in nobis amor causatur a bono. Sed in Deo aliter est : quia ipse amor Dei est causa bonitatis in rebus dilectis : quia enim Deus diligit nos, ideo boni sumus : nam amare nihil est aliud quam velle bonum alicui. Cum ergo voluntas Dei sit causa rerum, quia *omnia quæcumque voluit* Dominus, *fecit*, ut dicit Psalm. cxiii; manifestum est quod amor Dei, causa est bonitatis in rebus. Unde Dionysius dicit, iv cap. *De div. nomin.*, quod divinus amor non permisit eum sine germine esse. Ergo si consideremus originem Filii, videamus utrum amor quo Pater diligit Filium, sit principium originis, vel procedat ab ea. Amor autem in divinis [2] dupliciter accipitur : scilicet essentialiter, secundum quod Pater diligit, et Filius, et Spiritus sanctus; et notionaliter, seu personaliter, secundum quod Spiritus sanctus procedit ut amor. Sed neutro horum modorum amor dictus, potest esse principium originis Filii : nam secundum quod accipitur essentialiter, sic importat actum voluntatis : si ergo esset principium originis Filii, sequeretur quod Pater genuisset Filium voluntate, non natura; quod est erroneum. Similiter etiam nec amor notionaliter sumptus, qua [3] pertinet ad Spiritum sanctum : quia tunc sequeretur quod Spiritus sanctus esset principium Filii : quod est erroneum; immo nullus hæreticus hoc dixit. Licet enim amor notionaliter sumptus sit principium omnium donorum quæ nobis donantur a Deo, non tamen est principium Filii, sed potius ipse a Patre Filioque procedit. Sic ergo dicendum quod ratio ista non sumitur ex dilectione ut ex principio, sed ut ex signo. Cum enim similitudo sit causa dilectionis (omne enim animal diligit simile sibi) : ubi invenitur perfecta similitudo Dei, ibi invenitur etiam perfecta dilectio Dei. Perfecta autem similitudo Patris in Filio est, secundum illud Coloss. i, 15 : *Qui est imago invisibilis Dei*. Heb. i, 3 : *Qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus*. Perfecte ergo Filius a Patre diligitur : et ideo quia perfecte diligit eum, signum est quod Pater omnia ostenderit ei, et communicaverit ei suam potestatem et naturam : et de hujus dilectione dicitur supra, iii, 35 : *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus*. Et Matth. v, 17 : *Hic est Filius meus dilectus*.

Circa hoc autem quod sequitur, *Et omnia demonstrat ei quæ ipse facit*, sciendum est quod dupliciter potest aliquis alicui sua opera demonstrare : vel quantum ad visum, sicut artifex ea quæ facit demonstrat discipulo; vel quantum ad auditum, sicut quando verbo instruit eum. Quocumque ergo istorum modorum accipiatur *demonstrat*, sequi potest duplex inconveniens : quod tamen non est in ista demonstratione, qua Pater demonstrat Filio. Si enim Pater dicatur demonstrare Filio quantum ad visum, primo quidem sequitur in istis inferioribus quod prius operetur aliquid quod alteri demonstrat; deinde quod seorsum ab eo cui demonstrat. Sed Pater non demonstrat Filio ea quæ prius facit, quia ipse Filius dicit, Prov. viii, 22 : *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret*. Neque etiam ea

[1] Al. : « potest. »
[2] Al. : « amor autem divinus. »
[3] Al. : « quia. »

quæ seorsum a Filio [1] facit : quia Pater omnia operatur per Filium. Supra I, 3 : *Omnia per ipsum facta sunt.* Si autem accipiatur demonstratio quantum ad auditum, duo videntur sequi : nam qui verbo docet, primo demonstrat ignoranti : deinde verbum est inter demonstrantem et cui fit demonstratio. Sed neutro modo Pater demonstrat Filio : non enim sicut ignoranti, cum Filius sit sapientia Patris : I Cor. I, 24 : *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* : nec aliquo alio verbo medio, quia ipse Filius est Verbum Patris. Supra I, *Verbum erat apud Deum.* Dicitur ergo Pater omnia quæ facit demonstrare Filio, inquantum communicat ei notitiam omnium suorum operum : sic enim [2] magister dicitur demonstrare discipulo, inquantum dat ei notitiam eorum quæ facit. Unde, secundum Augustinum, demonstrare Patrem Filio, nihil aliud est quam Patrem generare Filium. Et Filium videre quæ Pater facit, nihil aliud est quam Filium esse, et naturam a Patre recipere. Potest tamen dici demonstratio illa similis visuali, inquantum ipse Filius est splendor visionis paternæ, ut dicitur Hebr. I : nam Pater videns se et intelligens, concipit Filium, qui est conceptus hujus visionis. Potest etiam esse similis ei quæ fit per auditum, inquantum Filius procedit a Patre ut Verbum. Ut si dicatur quod *Pater omnia demonstrat Filio*, inquantum producit ipsum ut splendorem, et conceptum suæ sapientiæ, et Verbum. Hoc ergo quod dicit, *Demonstrat,* refertur ad illud quod supra dixit : *Non potest Filius a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Hoc vero quod dicit, *Omnia*, refertur ad illud quod dixit : *Quæcumque enim ille fecerit, hæc similiter et Filius facit.*

LECTIO IV.

1. Et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. 2. Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat. 3. Neque enim Pater judicat quemquam : sed omne judicium dedit Filio. 4. Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum. 5. Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam : et in judicium non venit, sed transiet a morte in vitam. 6. Amen amen dico vobis quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei ; et qui audierint, vivent.

1. Ostensa potestate Filii in communi, hic consequenter ostendit eam in speciali : et primo Dominus manifestat suam potestatem vivificativam ; secundo manifestat quædam prædicta, quæ videbantur obscura, ibi, *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit Filio vitam habere in semetipso.* Circa primum duo facit. Primo ostendit Filium habere potestatem vivificativam; secundo docet modum percipiendi vitam a Filio, ibi, *Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit* etc. Circa primum tria facit. Primo proponit potestatem vivificativam Filii ; secundo dicti rationem assignat, ibi, *Neque enim Pater judicat quemquam;* tertio ostendit effectum exinde provenientem, ibi, *Ut omnes honorificent Filium* etc. Circa primum duo facit. Primo proponit potestatem vivificativam in communi ; secundo exprimit eam, ibi, *Sicut enim Pater* etc. Quantum ad primum dicit : *Majora his demonstrabit;* quasi dicat : Miramini et turbamini de potestate Filii in sanatione languidi, sed adhuc Pater *majora his demonstrabit opera*, scilicet in suscitatione mortuorum ; *ut et vos miremini.*

Sed ex his verbis insurgit dubitatio quantum ad duo : primo quidem quantum ad hoc quod dicit [3], *Demonstrabit:* nam hoc quod supra dictum est quod Pater omnia demonstrat Filio, refertur ad æternam generationem : quomodo ergo hic dicit, *Demonstrabit,* cum Filius sit ei coæternus, et in æternitate non sit accipere futurum? Secundo vero [4] quantum ad hoc quod dicit, *Ut vos miremini:* si enim ideo demonstraturus est ut Judæi mirentur, tunc Filio demonstraturus est simul et istis ; alias non mirarentur [5], nisi viderent ; cum tamen Filius ab æterno omnia viderit apud Patrem.

Et ideo dicendum est quod exponitur

[1] Al. : « ab alio. »
[2] Al. : « sicut igitur. »
[3] Al. : « insurgit dubitatio quantum ad hoc quod dicit. »
[4] Al. : quidem. »
[5] In Edit. Nicolini desunt hæc verba : « tunc Filio demonstraturus est simul et istis, alias non mirarentur. »

tripliciter. Uno modo secundum Augustinum, ut referatur hæc demonstratio fienda discipulis. Consuetus enim modus loquendi est Christi, ut aliquando attribuat sibi fieri quod fit membris suis [1] : secundum illud Matth. xxv, 40 : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Et tunc est sensus : Vos vidistis Filium magna facientem in curationem languidi, et miramini ; sed adhuc *majora his* Pater *demonstrabit ei*, in membris, scilicet discipulis [2]. Infra xiv, 12 : *Et majora horum faciet.* Dicit ergo, *Ut vos miremini* : quia ex miraculis discipulorum Judæi intantum mirati sunt quod maxima multitudo eorum conversa est ad fidem, sicut habetur Actor. 4. Alio modo, secundum Augustinum, sic, ut scilicet referatur ad Christum secundum naturam assumptam. In Christo enim est et natura divina et natura humana ; et secundum utramque habet a Patre potestatem vivificativam ; sed aliter et aliter ; quia secundum divinitatem habet potestatem vivificandi animas [3] sed secundum naturam assumptam vivificat corpora. Unde Augustinus : « Verbum vivificat animas, sed Verbum caro factum vivificat corpora [4]. » Nam resurrectio Christi, et mysteria quæ Christus implevit in carne, sunt causa futuræ resurrectionis corporum. Ephes. ii, 5. *Convivificavit nos in Christo.* I Corinth. xv, 12 : *Si autem Christus prædicatur quod resurrexit [5] a mortuis : quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Sed primum habet ab æterno ; et hoc ostendit, cum supra dixit : *Et omnia demonstrat ei quæ ipse facit.* Quæ quidem omnia demonstrat carni : sed alia ex tempore ; et quantum ad hoc dicit : *Et majora his demonstrabit ei*, idest, demonstratur potestas ejus in hoc quod majora faciet, suscitando mortuos : quosdam quidem hic, sicut Lazarum, puellam, et unicum matris ; omnes tandem in die judicii. Tertio modo ut referatur ad Christum secundum naturam divinam secundum illum modum quo in Scriptura dici consuetum est tunc aliquid fieri quando innotescit : sicut istud Matth. ult. 18 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Cum enim Christus ab æterno habuerit potestatem plenissimam, quia *quæcumque Pater facit, similiter et Filius facit* : dicit tamen, post resurrectionem Domini potestatem datam esse : non quia tunc tantum eam recepit, sed quia per resurrectionis gloriam tunc maxime innotuit. Secundum hoc ergo dicit sibi potestatem dari, secundum quod eam exequitur in opere, ut dicatur : *Et majora demonstrabit ei opera* ; idest, sibi data per executionem ostendet : et hoc vobis mirantibus : quando scilicet qui vobis videtur ut homo tantum, apparebit virtutis divinæ, et Deus. Est autem verbum demonstrationis accipiendum ut verbum [6] visionis secundum quod supra expositum est.

2. Consequenter cum dicit. *Sicut enim Pater suscitat mortuos... sic et Filius*, explicat in speciali potestatem vivificativam Filii, ostendens quæ sunt illa majora quæ Pater Filio demonstrabit. Ubi sciendum est quod divina virtus in veteri testamento ex hoc præcipue commendatur quod Deus est auctor vitæ. I Reg. ii, 6 : *Dominus mortificat, et vivificat.* Et Deut. xxxii, 39 : *Ego occidam et ego vivere faciam.* Quam quidem virtutem sicut habet Pater, sic habet et Filius ; et ideo dicit : *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat* : quasi dicat : Hæc sunt majora quæ Pater Filio demonstrabit, scilicet ut mortuos vivificet. Plane majora sunt ista valde : quia plus est ut resurgat mortuus, quam ut convalescat ægrotus. Sic ergo *Filius quos vult vivificat*, et primam vitam viventibus dando, et mortuos suscitando : nec tamen putemus alios a patre suscitari, et alios a Filio : sed eosdem quos Pater suscitat et vivificat, Filius suscitat et vivificat : quia Pater sicut omnia operatur per Filium, qui est virtus ejus ; ita et omnes vivificat per Filium, qui est vita, ut dicit infra [7] xiv, 6 : *Ego sum via, veritas, et vita.* Non tamen per Filium suscitat et vivificat mortuos sicut per instrumentum : quia secundum hoc, Filius non esset constitutus in suæ potestatis arbitrio : et ideo ut hoc excludat, dicit : *Filius quos vult vivificat* ; idest, in suæ potestatis arbitrio est vivificare quod vult : nam non aliud vult Filius quam Pater : sicut enim est illis

[1] Al. : « membris. »
[2] Al. : « discipulis. »
[3] Al. : « potestatem vivificativam quantum ad animas. »
[4] Al. : omittitur tota hæc Augustini sententia.
[5] Al. : « si Christus resurrexit etc. »
[6] Al. : « sic autem verbum demonstrationis accipitur ut verbum etc. »
[7] Al. : « per Filium, qui est vita unde dicit infra etc. »

una substantia, sic est illis una voluntas : unde Matth. xx, 15, dicit : *An non licet mihi quod volo facere?*

3. Consequenter cum dicit, *Neque enim Pater judicat quemquam*, assignat rationem dicti, manifestans suam potestatem. Sed attendendum est quod ex hoc loco usque ad finem sunt duæ expositiones : una est Augustini, alia Hilarii et Chrysostomi. Secundum Augustinum quidem exponitur sic. Dixerat Dominus supra, quod sicut Pater suscitat mortuos, ita et Filius. Sed ne intelligeres illam mortuorum resuscitationem tantum qua aliquos ad hanc vitam resuscitavit ad miraculi ostensionem, et non illam qua resuscitat ad vitam æternam ; ideo ducit eos ad altiorem considerationem alterius, scilicet resurrectionis quæ erit in futuro judicio. Unde et specialiter de judicio mentionem facit, dicens : *Neque Pater judicat quemquam.* Potest et aliter, secundum eumdem, sub eodem sensu continuari : ut secundum hoc quod dixit, *Sicut Pater resuscitat mortuos, sic et Filius*, etc., referatur ad resurrectionem animarum, quam facit Filius inquantum est Verbum : hoc vero quod dicit, *Neque enim Pater judicat quemquam*, referatur ad resurrectionem corporum, quam facit inquantum Verbum caro factum est. Resurrectio enim animarum fit per personam Patris et Filii ; unde et simul nominat Patrem et Filium, dicens : *Sicut Pater suscitat... sic et Filius.* Resurrectio vero corporum per dispensationem humanitatis Patri non coæternam : et ideo soli Filio judicium attribuit.

Sed attende mirabilem varietatem verborum : nam primo proponitur nobis Pater operans et Filius vacans, scilicet cum dicitur : *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* ; hic vero e converso proponitur Filius operans, et Pater vacans : *Neque enim Patrem judicat quemquam : sed omne judicium dedit Filio*, etc. In quo datur intelligi quod alio modo loquitur hic et alio modo ibi : nam ibi loquitur de operatione quæ est Patris et Filii : unde dicit quod *a se non facit quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem* ; hic vero loquitur de operatione qua Filius secundum quod homo judicat, et non Pater : unde dicit quod *omne judicium dedit Filio :* nam Pater in judicio non apparebit ; quia secundum justitiam Deus in propria natura judicandis omnibus apparere non potest : quia cum visio divina sit beatitudo nostra, si mali Deum in propria natura viderent, jam essent beati. Apparebit ergo solus Filius, qui solus habet naturam assumptam. Ipse ergo solus judicat qui solus omnibus apparebit ; sed tamen auctoritate Patris. Actor. x, 42 : *Hic est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum.* Et in Psol. LXXI, 1 : *Deus judicium tuum Regi da.*

4. Consequenter cum dicit, *Ut omnes honorificent Filium*, ponit effectum qui provenit ex potestate Filii : et primo ponit fructum consequentiæ ; secundo excludit contradictionem, ibi: *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.* Dicit ergo : ideo Pater omne judicium dedit Filio, secundum humanam naturam, quia in incarnatione se Filius exinanivit, formam servi accipiens, in qua inhonoratus est ab hominibus, secundum illud infra VIII, 49 : *Ego honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me.* Ideo ergo in ipsa natura assumpta datum est ei judicium, *ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Tunc enim videbunt Filium hominis venientem cum potestate magna et majestate* : Luc. XXI, 27. Et Apoc. VII, 11 : *Ceciderunt in facies suas, et adoraverunt, dicentes : Benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio, honor, virtus et fortitudo Deo nostro.* Sed posset aliquis dicere : Volo honorificare Patrem, et non curare de Filio. Sed hoc non potest esse, quia *qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Aliud enim est honorare Deum ratione qua Deus est, aliud honorare Patrem. Nam bene potest aliquis honorare Deum inquantum creator, omnipotens et incommutabilis, absque hoc quod honoret et Filium. Sed honorare Deum ut Patrem nullus potest quin honorificet Filium : nam Pater dici non potest, si Filium non habet. Sed si inhonoras Filium dividendo ejus virtutem, inhonoras et Patrem : ibi enim tollis virtutem Patri, ubi minorem das Filio. Vel aliter, secundum eumdem, Christo debetur duplex honor : scilicet secundum divinitatem, secundum quam debetur ei honor æqualis Patri ; et quantum ad hoc dicit : *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*: alius debetur ei secundum humanitatem, sed non æqualis Patri ; et de isto dicit : *Qui non honorificat Filium, non honorificat Pa*

trem qui misit illum. Unde ibi signanter dicitur *sicut*; hic autem non dicit *sicut*, sed simpliciter dicit Filium esse honorandum. Luc. x, 16 : *Qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me*.

Secundum autem Hilarium et Chrysostomum, exponitur magis ad litteram, quamvis parum mutetur, hoc modo. Dominus supra dicit : *Filius quos vult vivificat*. Quicumque aliquid facit pro libero voluntatis arbitrio, agit ex proprio judicio. Supra vero dictum est quod *omnia quæcumque facit Pater, hæc et Filius similiter facit*. Ergo Filius de omnibus habet liberum voluntatis arbitrium, quia ex proprio judicio procedit. Et ideo statim facit mentionem de judicio, dicens : *Neque Pater judicat quemquam*, seorsum scilicet a Filio. Et hoc modo loquendi usus est Dominus infra xii, 47 : *Ego non judico vos* (scilicet solum) ; *sed sermo quem locutus sum, ille*[1] *judicabit vos in novissimo. Sed omne judicium dedit Filio*, sicut et dedit ei omnia : sicut enim dedit ei vitam, et genuit eum viventem, ita dedit ei omne judicium ; idest, genuit eum judicem. Infra ibid., 30 : *Sicut audio judico* ; idest, sicut habeo esse a Patre, ita et judicium. Ratio hujus est, quia Filius nihil aliud est ut dictum est supra, quam conceptus paternæ sapientiæ : unusquisque autem per conceptum suæ sapientiæ judicat : unde sicut Pater omnia per Filium facit, ita et omnia per ipsum judicat. Et fructus hujus est : *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* ; idest, exhibeant ei cultum latriæ, sicut Patri. Cetera vero non mutantur.

Sed attendenda est secundum Hilarium, mirabilis connexio verborum, ut errores contra æternam generationem confutentur. Duæ namque hæreses contra ipsam generationem æternam exortæ fuerunt. Una Arii dicentis Filium minorem Patre ; quod est contra æqualitatem, et unitatem : alia Sabellii dicentis non esse distinctionem personarum in divinis ; quod est contra originem. Et ideo ubicumque facit mentionem de unitate et æqualitate, statim addit et distinctionem personarum secundum originem, et e converso. Unde, quia innuit originem personarum, dicens : *Non potest Filius a seipso facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem* : ne crederes inæqualitatem, statim subjungit : *Quæcumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit*. Et e converso cum innuit æqualitatem, dicens, *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, ita et Filius quos vult vivificat* : ne discredas[2] originem et Filium genitum, subjungit : *Neque enim Pater judicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio*. Eodem cum insinuat æqualitatem personarum, dicens : *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* ; statim subjungit de missione, in qua demonstratur origo, dicens : *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum*, non per separationem a seipso. Missionem audi, infra, viii, 29 : *Qui misit me, mecum est, et non reliquit me solum*.

5. *Amen, amen, dico vobis*, etc., supra ostendit Dominus se habere virtutem vivificativam ; hic ostendit modum quo aliquis ab ipso vitam participare potest : et primo ponit modum, quomodo aliquis per ipsum vitam participet[3]; secundo hujusmodi adimpletionem prænuntiat, ibi, *Amen amen dico vobis, quia venit hora*. Circa primum considerandum est quod sunt quatuor gradus vitæ. Unus quidem invenitur in plantis, quæ nutriuntur, augentur et generantur et generant : alius in animalibus, quæ tantum sentiunt : alius vero in his quæ moventur, quæ sunt animalia perfecta : ulterius vero est aliud genus vitæ in his quæ intelligunt. Tot ergo existentibus gradibus vitæ, impossibile est vel vitam quæ est in plantis, vel eam quæ est in sensu, aut eam quæ est ex motu, esse primam vitam : nam prima vita debet esse per se vita, non participata ; nulla autem vita potest esse talis, nisi sola vita intellectualis ; aliæ autem tres communes[4] sunt corporali et spirituali creaturæ ; corpus autem quod vivit, non est ipsa vita ; sed vitam participans : et ideo vita intellectualis est prima vita, quæ est vita spiritualis[5], quæ immediate percipitur a primo vitæ principio ; unde dicitur vita sapientiæ ; et propter hoc in Scripturis vita attribuitur sapientiæ. Prov. viii, 35 : *Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino*. Sic ergo vitam a

[1] Al. : « sed secundum quem locutus, ille etc. »
[2] Al. : « ne ut discernas. »
[3] Al. : « participaret. »
[4] Al. : « rationes. »
[5] Al. : « spiritus. »

Christo, qui est Dei sapientia, participamus, inquantum anima nostra ab ipso sapientiam percipit. Hæc autem vita intellectualis perficitur in vera cognitione divinæ sapientiæ, quæ est vita æterna. Infra XVII, 3 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Sed ad nullam sapientiam potest homo pervenire nisi per fidem : unde in scientiis nullus ad sapientiam pervenit, nisi prius fidem adhibeat dictis a magistro. Si ergo nos volumus ad illam vitam sapientiæ pervenire, oportet nos per fidem credere ea quæ ab illa nobis proponuntur. Hebr. XI, 6 : *Oportet accedentem ad Deum credere quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Isa. XXVIII, 16, secundum aliam litteram : *Nisi credideritis, non intelligetis.* Et ideo Dominus congrue modum perveniendi ad vitam ostendit esse per fidem, dicens : *Qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam.* Et primo ponit meritum fidei ; secundo subdit præmium ejus, ibi, *Habet vitam æternam.* Circa meritum fidei primo ponit illud per quod fides [1] introducitur ; secundo illud cui fides innititur. Introducitur quidem fides per verbum hominis. Rom, X, 17 : *Fides ex auditu;* auditus « autem per verbum Christi [2]. » Innititur autem fides non verbo hominis, sed ipsi Deo. Genes. XV, 6 : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam.* Eccl. II, 8 : *Qui timetis Deum, credite illi.* Sic nos introducit per verbum hominis ad credendum, non ipsi homini qui loquitur, sed Deo cujus verba loquitur. I Thess. II, 13 : *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei* [3], *accepistis illud non sicut verbum hominum, sed (sicut vere est) verbum Dei.* Et hæc duo Dominus ponit. Primo illud per quod fides introducitur : unde dicit : *Qui verbum meum audit*, quod introducit ad finem. Secundo illud cui innititur, cum dicit : *Et credit ei qui misit me*, non mihi, sed illi in cujus virtute loquar. Quæ quidem verba possunt competere Christo secundum quod homo, inquantum per verbum ejus humanum homines conversi sunt ad fidem ; et secundum quod Deus, inquantum Christus est Verbum Dei. Cum enim Christus sit Verbum Dei, manifestum est quod audientes Christum audiebant Verbum Dei ; et per consequens credebant Deo : et hoc est quod dicit : *Qui audit verbum meum*, idest me Verbum Dei, *et credit ei*, idest Patri cujus sum Verbum. Præmium autem fidei ponit cum subdit : *Habet vitam æternam* : et ponit tria quæ nos habebimus in gloria ; sed ordine retrogrado. Primo enim consequemur resurrectionem ex mortuis ; secundo liberationem a futuro judicio ; tertio vitam æternam : quia, ut dicitur Matth. XXV, post judicium ibunt justi in vitam æternam. Et hæc tria ponit ad fidei præmium pertinere : et primo tertium tamquam magis desideratum : unde dicit : *Qui credit*, scilicet per fidem, *habet vitam æternam*, quæ consistit in plena Dei visione. Et dignum est ut qui credit propter Deum his quæ non videt, perducatur ad plenam eorum visionem. Infra XX, 31 : *Hæc scripta sunt ut credatis... et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Secundo ponit secundum, cum dicit : *Et in judicium non veniet.*

Sed contra hoc est quod Apostolus dicit II Corinth. V, 10 : *Omnes nos astare oportet ante tribunal Christi :* etiam ipsos Apostolos : ergo qui credit, in judicium veniet. Sed dicendum, quod duplex est judicium. Scilicet condemnationis, et in isto non venient qui fide formata in Deum credunt : de quo dicebat Psalm. CXLII, 2 : *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Supra III, 18 : *Qui credit non judicatur.* Est etiam judicium discretionis, vel discussionis : et ad istud oportet nos omnes ante tribunal Christi exhibere, ut dicit Apostolus ; et de isto dicitur in Psalm. XLII, *Judica me Deus, et discerne causam meam.*

Tertio ponit præmium, cum dicit : *Sed transit a morte in vitam* vel *transiet*, secundum aliam litteram. Quod quidem potest exponi dupliciter. Primo ut referatur ad resurrectionem animæ ; et sic planus est sensus ; quasi dicat : Non solum per fidem adipiscitur vitam æternam et liberatur a judicio, sed etiam remissionem peccatorum consequitur : unde dicit, *Sed transit* de infidelitate ad fidem, de injustitia ad justitiam, I Joan. III, 14 : *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam.* Secundo ut referatur ad resurrectionem corporum : et tunc est

[1] Al. : « quod per fidem. »
[2] Al. : « Dei. »
[3] Al. : « ei. »

expositivum hujus quod dicit, *Habet vitam æternam*. Posset enim ex hoc aliquis credere quod qui credit in Deum, nunquam moreretur, sed viveret in æternum; quod esse non potest, quia omnes homines solvere oportet debitum primæ prævaricationis, secundum illud Psal. LXXXVIII : *Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem?* Et ideo non est intelligendum, eum qui credit sic habere vitam æternam, quasi nunquam moriturus; sed quia de hac vita transiet per mortem in vitam, idest per mortem corporis reparabitur in vitam æternam. Vel *transiet*, quantum ad causam : quia quando homo credit, jam habet meritum gloriosæ resurrectionis. Isa. XXVI, 19 : *Vivent mortui tui, interfecti tui resurgent*. Et tunc soluti a morte veteris hominis suscipiemus vitam novi hominis, scilicet Christi.

6. *Amen amen dico vobis*, etc. Quia possent aliqui dubitare utrum aliqui de morte ad vitam transirent; ideo Dominus prænuntiat hujusmodi adimpletionem, dicens : Dico quod *transiet de morte in vitam*, et hoc jam ante impletur. Et hoc est quod dicit : *Amen amen dico vobis, quia venit hora*, non fatali necessitate subjecta, sed a Deo præordinata. I Joan. II, 18 : *Novissima hora est*. Et ne credatur distare, subjungit : *Et nunc est* (Rom. XIII, 11 : *Hora est jam nos de somno surgere*), hora scilicet nunc est, *quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent*. Quod potest dupliciter exponi. Uno modo ut referatur ad resurrectionem corporis; et dicatur : *Venit hora, et nunc est*, quasi dicat : Verum est quod omnes finaliter resurgent; sed etiam nunc est hora, quando aliqui quos resuscitaturus erat Dominus, audient vocem ejus. Sic audivit Lazarus quando dictum est ei, *Veni foras*, ut dicitur infra XI, 43 : sic audivit filia Archisynagogi, ut dicitur Matth. IX, et filius viduæ, ut habetur Luc. VII. Et ideo dicit signanter, *Et nunc est*, quia per me jam incipiunt mortui resuscitari. Alio modo secundum Augustinum, ut hoc quod dicit, *Nunc est*, referatur ad resurrectionem animæ : nam, sicut dictum est supra, duplex est resurrectio : scilicet corporum, quæ erit; et hoc nondum est, sed erit in judicio futuro : alia est animarum, de morte infidelitatis ad vitam fidei, et injustitiæ ad justitiam; et hoc jam *nunc est*. Et ideo dicit : *Venit hora, et nunc est, quando mortui*, scilicet infideles et peccatores, *audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent*, secundum veram fidem.

Sed duo mirabilia in his verbis implicari videntur. Unum, cum dicit mortuos audire; aliud cum subdit eos per auditum reviviscere : quasi prior sit auditus quam vita, cum tamen auditus sit quidam actus vitæ. Sed si hoc referamus ad resurrectionem, verum est quod mortui audient, idest obedient voci Filii Dei. Vox enim expressiva est interioris conceptus. Tota autem natura ad nutum obedit voluntati divinæ. Rom. IV, 17 : *Vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt*. Secundum hoc ergo ligna, lapides et omnia, non solum ossa arida, sed et cineres corporum mortuorum, *audient vocem Filii Dei*, inquantum ad nutum ei obedient : et hoc non convenit Christo inquantum est Filius hominis, sed inquantum est Filius Dei : quia Verbo Dei omnia obediunt. Et ideo signanter dicit, *Filii Dei*. Matth. VIII, 27 : *Qualis est hic, quia mare et venti obediunt ei?* Si vero referatur ad resurrectionem animarum, rationem habet quod dicitur : nam vox Filii Dei qua interius per inspirationem, vel exterius per prædicationem suam et aliorum, corda fidelium movet, habet vim vivificativam : infra VI, 64 : *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* : et sic vivificat mortuos, dum justificat impios. Et quia auditus est via ad vitam, vel naturæ per obedientiam, ad reparationem scilicet naturæ, vel auditus fidei ad reparationem vitæ et justitiæ; ideo dicit : *Et qui audierint*, per obedientiam quantum ad resurrectionem corporum, vel per fidem quantum ad resurrectionem animarum, *vivent*, in corpore in æterna vita et in justitia in vita gratiæ, etc.

LECTIO V.

1. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso. 2. Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc : quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei. 3. Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. 4. Non possum ego a meipso facere quic-

quam ; sed sicut audio, judico. 5. Et judicium meum justum est : quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.

1. Supra ostendit Dominus se habere potestatem vivificativam, et judiciariam, et explicavit utramque per effectum ; hic manifestat quomodo utraque potestas sibi competat : et primo ostendit hoc de potestate vivificativa, secundo de potestate judiciaria ibi, *Et potestatem dedit ei judicium facere.* Dicit ergo primo : Dico quod sicut Pater suscitat mortuos, ita et ego ; et qui audit verbum meum, habet vitam æternam : et hoc ideo habeo, quia *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic et Filio dedit habere vitam in semetipso.*

Circa quod sciendum est, quod aliqui vivunt, sed non habent vitam in semetipsis : sicut Paulus Gal. II, 20 : *Quod autem nunc vivo, in fide Filii Dei vivo.* Et iterum : *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.* Vivebat ergo, sed non in semetipso, sed in alio per quem vivebat ; sicut et corpus vivit, sed non habet vitam in semetipso, sed in anima per quam vivit. Illud ergo in semetipso vitam habet, quod habet vitam essentialem, non participatam, idest quod ipsum est vita. In quolibet autem genere rerum, quod est per essentiam, est causa eorum quæ sunt per participationem, sicut ignis est causa omnium ignitorum. Quod ergo est per essentiam vita, est causa et principium omnis vitæ in viventibus : et ideo ad hoc quod aliquod sit principium vitæ requiritur quod sit per essentiam vita : et ideo congrue manifestat Dominus se esse totius vitæ principium, dicens se habere vitam in semetipso, idest per essentiam, cum dicit : *Sicut Pater habet vitam in semetipso*, idest sicut est vivens per essentiam, ita et Filius : ideo sicut Pater est causa vitæ, ita Filius suus. Ostendit autem æqualitatem Filii ad Patrem, cum dicit : *Sicut Pater habet vitam in semetipso* ; et distinctionem, cum dicit, *Dedit Filio :* sunt enim æquales [1] in vita Pater et Filius ; sed distinguuntur, quia Pater dat, Filius accipit. Nec est [2] intelligendum, quod Filius a Patre dante accipiat vitam, quasi præexistat eam non habens, sicut in istis inferioribus materia prima existens accipit formam, et subjectum subjicitur accidenti ; quia nihil in Filio præexistens est acceptioni vitæ : nam, sicut Hilarius dicit. *Filius nihil habet nisi natum*, idest [3] quod per nativitatem accepit. Et cum sit ipsa vita, ideo intelligendum est *Dedit Filio vitam* ; idest, produxit Filium vitam : sicut si dicatur : Mens dat verbo vitam, non quasi verbum præexistat, et postea vitam recipiat : sed quia produxit verbum in eadem vita qua ipsa vivit.

Destruuntur autem per hæc verba tres errores, secundum Hilarium. Primo Arianorum, qui dicentes Filium minorem Patre, coacti sunt per hoc quod supra dictum est, *Quæcumque Pater fecerit, hæc et Filius fecit*, dicere, quod Filius sit æqualis Patri in virtute ; sed tamen adhuc negant eum esse æqualem sibi in natura. Sed ecce quod etiam in hoc confutantur, per hoc quod dicitur : *Sicut Pater habet vitam in semetipso sic dedit et Filio vitam habere in semetipso.* Nam cum vita pertineat ad naturam, si Filius habet vitam in semetipso sicut et Pater, manifestum est quod tenet in se originis suæ indivisibilem et æqualem cum Patre naturam. Secundus error eorum, quantum ad hoc quod negabant Filii coæternitatem ad Patrem, dicentes, Filium ex tempore incepisse : quod destruitur inquantum dicit : *Filius vitam habet in semetipso.* Nam in omnibus viventibus quorum generatio est in tempore, semper est invenire aliquid quod aliquando fuit non vivens ; sed in Filio quidquid est, est ipsa vita : et ideo sic accepit ipsam vitam quod vitam habet in semetipso, ut semper fuerit vivens. Tertio per hoc quod dicit, *Dedit*, destruitur error Sabellii negantis distinctionem personarum. Si enim Pater vitam dedit Filio, manifestum est quod alius est Pater qui dedit, et alius Filius qui accepit.

2. Consequenter cum dicit, *Et potestatem dedit ei judicium facere*, manifestat se habere judiciariam potestatem : et primo manifestat suam potestatem judiciariam ; secundo rationem dictorum assignat, ibi, *Non possum ego a me facere quicquam.* Circa primum duo facit. Primo ponit potestatis judiciariæ originem ; secundo ostendit judicii æquitatem, ibi, *Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ.*

Circa primum notandum est, quod hoc quod dicit, *Potestatem dedit ei*, potest legi dupliciter. Uno modo secundum

[1] Al. : « sicut æquales. »
[2] Al. : « hoc est. »
[3] Al. : omittitur : « idest. »

Chrysostomum, alio modo secundum Augustinum. Si autem legatur secundum Chysostomum, tunc hæc pars dividitur in duas. Primo proponit judiciariæ potestatis derivationem; secundo excludit dubitationem, ibi, *Quia Filius hominis est*. Sciendum est autem, quod hæc littera sic punctatur secundum Chysostomum. *Potestatem dedit ei judicium facere*: postea resumitur *quia Filius hominis est, nolite mirari hoc*. Et hujus punctationis ratio est, quia Paulos Samosatenus, quidam antiquus hæreticus, qui sicut et Photinus dicebat Christum purum hominem esse, et initium sumpsisse ex Virgine, punctabat sic : *Potestatem dedit ei judicium facere quia Filius hominis est :* et postea resumitur : *Nolite mirari hoc*, *quia venit hora* etc., quasi intelligens per hoc quod ideo necesse fuit dari potestatem judiciariam Christo, quia Filius hominis est, idest purus homo, cui ex se non convenit judicare homines. Et ideo oportet quod si judicat alios [1], sibi detur potestas judicandi. Sed hoc, secundum Chrysostomum, non potest stare, quia nullam convenientiam habet quod dicitur. Si enim ideo suscepit potestatem judiciariam, quia homo est ; tunc pari ratione, cum cuilibet homini conveniat judiciaria potestas per humanam naturam, non plus competet Christo quam aliis hominibus. Non ergo sic legendum est ; sed dicendum, quod quia est ineffabilis Dei Filius, propterea et judex est. Et hoc est quod dicit : Non solum dedit ei Pater quod vivificat ; sed etiam *potestatem dedit ei*, per æternam generationem, *judicium facere,* sicut per eam dedit ei vitam habere in semetipso. Act. x, 42 : *Hic est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum.* Dubitationem excludit cum dicit : *Nolite mirari hoc* : et primo movet eam ; secundo excludit, ibi, *quia venit hora* etc. Dubitatio autem oriebatur in cordibus Judæorum, quia æstimantes Christum nihil plus esse quam purum hominem, ea vero quæ dicebantur de eo, erant supra hominem, et etiam supra Angelum, mirabantur cum audirent. Et ideo dicit : *Nolite mirari hoc*, scilicet quod dixi, quod Filius vivificat mortuos, et habet judiciariam potestatem, propter hoc *quia Filius hominis est*. Et de hoc mirabantur, quia purum hominem æstimantes, videbant in eo facta divina. Matth. VIII, 27 : *Mirabantur omnes dicentes: Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?* Et subdit causam quare non mirentur : quia scilicet ipse idem qui est Filius hominis, est Filius Dei. Et licet, secundum Chrysostomum, non exprimatur ista propositio, scilicet quod idem est Filius hominis qui est Filius Dei, ponit tamen Dominus illud ex quo propositio illa de necessitate sequitur : sicut videmus, quod syllogizantes in doctrinis frequenter non proponunt intentum principaliter, sed illud ex quo de necessitate sequitur. Et ideo Dominus non dicit quod ipse est Filius Dei ; sed quod Filius hominis talis est quod ad vocem ejus suscitantur omnes mortui : ex quo necessario sequitur quod sit Filius Dei : nam suscitare mortuos est opus proprium Dei: et ideo dicit : *Nolite mirari*, *quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt*, *audient vocem Filii Dei.* Sed non dicit, *Et nunc est*, ut supra dixit; neque quia ista hora nunc non est. Similiter hic dicit, *Omnes*, quod non dixerat supra : quia in prima resurrectione aliquos tantum resuscitavit, scilicet Lazarum, filium viduæ, et puellam ; sed tunc in futura resurrectione, quæ erit tempore judicii, *omnes audient vocem Fili Dei*, et resurgent. Ezech. XXXVII, 12 : *Aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris.*

Secundum autem Augustinum, loquitur sic punctando : *Potestatem dedit ei judicium facere*, *quia Filius hominis est ;* et postea subditur : *Nolite mirari hoc :* et secundum hoc dividitur in duas partes. In prima enim tangitur collatio judiciariæ potestatis facta Filio hominis ; secundo manifestatur per majoris potestatis collationem, ibi, *Nolite mirari hoc*. Circa primum sciendum est, secundum Augustinum, quod supra locutus est de resurrectione animarum, quæ fit per Filium Dei : hic vero loquitur de resurrectione corporum, quæ fit per Filium hominis. Et quia universalis resurrectio corporum futura est tempore judicii, ideo hic præmittit de judicio, dicens : *Potestatem dedit ei*, scilicet Christo, *judicium facere :* et hoc quia *Filius hominis est,* idest secundum humanam naturam. Unde et post resurrectionem dicit, Matth. ult. 18 : *Data est mihi homnis potestas in cœlo et in terra.* Est autem data judiciaria

[1] Al. : « aliud. »

potestas Christo secundum quod homo, propter tria. Primo ut ab omnibus videretur : necesse est enim judicem a judicandis videri. Judicabuntur autem boni et mali : et boni quidem Christum videbunt secundum divinitatem et humanitatem ; mali autem eum secundum divinitatem videre non poterunt, quia hæc visio est beatitudo sanctorum, nec videtur nisi a mundis corde, ut dicitur Matth. v, 8 : *Beati mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt.* Et ideo ut videatur in judicio non solum a bonis, sed etiam a malis, judicabit in forma humana. Apoc. i, 7 : *Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Secundo, quia per humilitatem passionis promeruit [1] gloriam exaltationis : unde sicut ille qui mortuus est, resurrexit, ita forma illa judicabit quæ judicata est, et sedebit judex in judicio hominum qui stetit sub judice homine ; damnabit vere reos qui factus est falso reus, ut dicit Augustinus libro *de Verbis Domini.* Job. xxxvi, 17 : *Causa tua quasi impii judicata est ; sed judicium causamque recipies.* Tertio ad insinuandum judicis clementiam. Quod homo judicetur a Deo, videtur valde terribile. *Horrendum est enim incidere in manus Dei viventis*, ut dicitur Heb. x, 31 : sed quod homo judicem habeat hominem, confidentiam præbet : et ideo ut judicis experiaris clementiam, hominem habebis judicem. Heb. iv, 15 : *Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris.* Sic ergo *dedit potestatem* Christo *judicium facere, quia Filius hominis est.* Sed hoc quidem *nolite mirari* : quia majorem potestatem contulit ei, scilicet resuscitandi mortuos ; unde dicit : *Quia venit hora*, scilicet novissima, quæ erit in fine mundi : Ezech. vii, 7 : *Venit tempus, prope est dies occisionis. In qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei.* Supra autem non dixit *omnes*, quia ibi loquebatur de resurrectione spirituali, secundum quam non omnes in primo adventu resurrexerunt : quia II Thess. iii, 2, dicitur : *Non enim omnium est fides* : hic vero loquitur de resurrectione corporum, secundum quam omnes resurgemus, I Cor. xv. Sed addit, *Qui in monumentis sunt*, quod supra non dixerat : quia animæ non sunt in monumentis, sed corpora, quorum tunc resurrectio erit. *Omnes* ergo *qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei.* Vox ista erit sensibile signum Filii Dei, ad quam omnes suscitabuntur. I Thessal. iv, 15 : *Dominus veniet in jussu Archangeli, et in tuba Dei.* Et simile habetur I Cor. xv. Matth. xxv, 6 : *Media nocte clamor factus est.* Quæ quidem vox habebit virtutem ex divinitate Christi. Psal. lxvii, 34 : *Dabit voci suæ vocem virtutis.*

Quia vero Augustinus dicit, quod resurrectio corporum fit per Verbum carnem factum [2], resurrectio animarum per Verbum, ut dictum est supra ; ideo quærendum est quomodo hoc intelligatur : aut enim subintelligitur de causa prima, aut de causa meritoria. Si quidem de causa prima, constat quod divinitas Christi est causa corporalis et spiritualis resurrectionis, idest [3] corporum et animarum, secundum illud Deut. xxxii, 39 : *Ego occidam, et ego vivere faciam.* Si vero de causa meritoria, tunc humanitas Christi est causa utriusque resurrectionis : quia per mysteria quæ in carne Christi completa sunt, reparamur non solum quantum ad corpora ad vitam incorruptibilem, sed etiam quantum ad animas ad vitam spiritualem. Rom. iv, 25 : *Traditus est propter nostras iniquitates, et resurrexit propter justificationem nostram.* Non ergo videtur verum quod dicit Augustinus.

Sed dicendum quod Augustinus loquitur de causa exemplari, et de causa qua illud quod vivificatur, conformatur vivificatori : nam omne illud quod per aliud vivit, conformatur ei per quod vivit. Resurrectio autem animarum non est per hoc quod animæ conformantur humanitati Christi, sed Verbo, quia vita animæ est per solum Verbum ; et ideo dicit animarum resurrectionem fieri per Verbum. Resurrectio vero corporum erit per hoc quod corpora nostra conformabuntur corpori Christi per vitam gloriæ, videlicet per claritatem corporum : secundum illud Philip. iii, 21 : *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Et secundum hoc dicit resurrectionem corporum fieri per Verbum carnem factum.

3. Consequenter cum dicit, *Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ*, ostendit æqualitatem judicii : quia boni præmiabuntur : unde dicit : *Proce-*

[1] Al. : « promoverunt. »
[2] Al. : « Verbum caro factum est. »
[3] Al. omittitur : « idest. »

dent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, idest ad hoc quod vivant in æterna gloria ; mali autem damnabuntur ; unde dicit : *Qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* ; idest resurgent in condemnationem. Matth. xxv, 46 : *Ibunt hi in supplicium æternum* (scilicet mali), *justi autem in vitam æternam*. Dan. xii, 2 : *Multi ex his qui in terræ pulvere dormierant, resurgent : quidam quidem ad vitam, alii autem ad opprobrium sempiternum, ut videant semper.*

Et nota, quod supra loquens de resurrectione animarum, dicit : *Qui audierint, vivent* : hic vero dicit quod *procedent* ; et hoc propter malos, qui vadunt in condemnationem : nam vita eorum non est dicenda vita, sed potius mors æterna. Similiter etiam supra fecit mentionem de fide tantum, dicens : *Qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit* ; hic ne credas solam fidem sine operibus ad salutem sufficere, facit mentionem de omnibus operibus, dicens : *Qui bona fecerunt, procedent in resurrectionem vitæ*; quasi dicat : Non qui credit tantum, sed qui cum fide bona operatur, *procedit in resurrectionem vitæ*. Jac. ii, 26 : *Fides sine operibus mortua est.*

4. Consequenter cum dicit. *Non possum ego a me ipso facere quicquam*, assignat rationem præmissorum. Duo autem præmiserat, scilicet originem potestatis, et æquitatem judicii : et ideo utriusque causam assignat. Primo de primo ; secundo de secundo, ibi, *Et judicium meum justum est.*

Sciendum est autem circa primum, quod hoc quod dicit, *Non possum ego a meipso facere quidquam*, potest dupliciter legi, etiam secundum Augustinum. Primo ut referatur ad Filium hominis hoc modo. Tu dicis quod habes potestatem resuscitandi mortuos, quia Filius hominis es : sed numquid hoc est tibi inquantum tu es Filius hominis ? Non, quia *non possum ego a meipso facere quidquam; sed sicut audio, judico*. Non dicit, sicut video, secundum quod supra dixerat : *Filius non potest a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem* : sed dicit, *Sicut audio* : nam audire idem est in hoc loco quod obedire. Obedire autem pertinet ad illum cui fit imperium. Imperare autem pertinet ad superiorem. Et ideo, quia Christus inquantum homo minor est Patre, dicit, *Sicut audio* ; idest, secundum quod inspiratur a Deo in anima mea. De isto auditu dicit Psal. lxxxiv, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*. Supra autem, quia loquebatur de se secundum quod est Verbum Dei, dixit *Viderit* [1].

5. Consequenter cum dicit, *Et judicium meum justum est*, manifestat æquitatem judicii : dixerat enim. *Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ*. Sed posset aliquis dicere : Numquid faciet gratiam aliquibus minus puniendo, et plus remunerando ? Ideo respondet quod non dicens : Quia *judicium meum verum est*. Cujus ratio est : *quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*. In Domino enim Jesu Christo sunt duæ voluntates. Una divina quam habet eamdem cum Patre ; alia humana, quæ est sibi propria, sicut est proprium ejus esse hominem. Voluntas humana fertur in bonum proprium ; sed in Christo per rectitudinem [2] rationis regebatur et regulabatur, ut semper in omnibus voluntati divinæ conformaretur ; et ideo dicit : Non quæro implere *voluntatem meam* propriam, quæ, quantum in se est, inclinatur ad bonum proprium, *sed voluntatem ejus qui misit me*, Patris, Psal. xxxix, 9 : *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui*. Matth. xxvi, 29 : *Non quod ego volo, sed quod tu vis*. Et si quidem diligenter attenditur, Dominus veram rationem assignat justi judicii, dicens : *Quia non quæro voluntatem meam* : non enim judicium alicujus est injustum quando procedit ab eo secundum regulam legis ; voluntas autem divina regula est et lex voluntatis creatæ : et ideo voluntas creata, et ratio quæ regulatur secundum regulam divinæ voluntatis, justa est, et judicium ejus justum.

Secundo vero exponitur ut referatur ad Filium Dei : et manet eadem divisio quæ prius posita est. Dixit ergo Christus inquantum Verbum manifestans originem suæ potestatis : *Non possum ego a me facere quicquam*, eo modo sicut supra dixit : *Non potest Filius a se facere quicquam* : nam suum facere, et suum posse, est suum esse ; esse autem est ei ab alio, scilicet a Patre : et ideo, sicut non est a

[1] Al. : « videte. »
[2] Al. : « In bonum proprium in Christo, sed per rectitudinem etc. »

se, ita a se non potest facere quidquam. Infra VIII, 28 : *A meipso facio nihil.* Hoc autem quod dicit, *Sed sicut audio, judico,* eodem modo exponendum est sicut illud supra, *Nisi quod viderit Patrem facientem.* Nos enim scientiam seu cognitionem aliquam accipimus per visum et per auditum (isti enim [1] duo sensus maxime serviunt disciplinæ) : sed quia in nobis alius est visus, alius auditus ; ideo aliter accipimus scientiam per visum, quia inveniendo ; aliter per auditum, quia addiscendo. In Filio vero Dei idem est auditus et visus : et ideo sive dicatur : Audit, sive : Vidit, idem significat secundum acceptionem scientiæ. Et quia judicium in qualibet natura intellectuali ex scientia procedit, signanter dicit : *Sicut audio judico;* idest, sicut cognitionem simul cum esse a Patre accepi, sic judico. Infra XV, 15 : *Omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis.*

Manifestans vero judicii æquitatem, dicit : *Et judicium meum verum est.* Cujus ratio est, *quia non quæro voluntatem meam.*

Sed numquid non est eadem voluntas Patris et Filii ? Sed dicendum quod eadem quidem voluntas est utriusque ; sed tamen Pater non habet voluntatem ab alio, Filius vero habet ab alio, scilicet a Patre. Sic ergo Filius implet voluntatem suam ut alterius, idest ab alio habens ; Pater vero ut suam, idest non habens ab alio : et ideo dicit : *Non quæro voluntatem meam*, quæ sit mihi originaliter a me ipso, sed quæ est mihi ab alio, scilicet a Patre.

LECTIO VI.

1. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. 2. Alius est qui testimonium perhibet de me. 3. Et scio quia verum est testimonium ejus quod perhibet de me. 4. Vos misistis ad Joannem ; et testimonium perhibuit veritati. 5. Ego autem non ab homine testimonium accipio. 6. Sed hæc dico, ut vos salvi sitis. Ille erat lucerna ardens et lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce ejus. 7. Ego autem habeo testimonium majus Joanne. 8. Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. 9. Et qui misit me Pater, ipsi testimonium perhibuit de me : neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem ejus vidistis : et verbum ejus non habetis in vobis manens ; quia quem misit ille, huic vos non creditis, 10. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere ; et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.

1. Posita doctrina circa potestatem Filii vivificativam, hic consequenter confirmat eam : et primo confirmat quæ de excellentia potestatis suæ dixerat, per multiplex testimonium; secundo redarguit eorum tarditatem ad credendum, ibi, *Claritatem ab hominibus non accipio*, etc. Circa primum duo facit. Primo ponit necessitatem inducendi testimonium ; secundo inducit ipsa testimonia, ibi, *Alius est qui testimonium perhibet de me.* Necessitas testimonii inducendi erat ex parte Judæorum qui ei non credebant ; et propter hoc dicit : *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.*

Sed admirationis præbet materiam quod dicitur : nam sicut Dominus de se, infra X, dicit, ipse est veritas : quomodo ergo testimonium ejus non est verum ? Si veritas est, cui [2] credetur, si veritati non creditur ? Et ideo dicendum, secundum Chrysostomum, quod Dominus hic de se loquitur secundum aliorum opinionem, ut sit sensus : *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum*, quantum ad vestram reputationem, qui non accipitis illud quod de me dico, nisi per aliud testimonium confirmetur. Infra VIII, 13 : *Tu de teipso testimonium dicis : testimonium tuum non est verum.*

2. Consequenter cum dicit, *Alius est qui testimonium perhibet de me*, inducit testimonia : et primo testimonium humanum ; secundo testimonium divinum, ibi, *Ego autem habeo testimonium majus Joanne.* Circa primum duo facit. Primo inducit testimonium Joannis ; secundo rationem testimonii assignat, ibi, *Ego autem non ab homine testimonium accipio.* Circa primum duo facit. Primo inducit testimonium ; secundo commendat ejus testimonium, ibi, *Scio quia verum est testimonium ejus.* Testem inducit dicens : *Alius est qui testimoninm perhibet de me.* Iste alius, secundum Chrysostomum, est

[1] Al. deest : « enim. »

[2] Al. : « vel. »

Joannes Baptista, de quo dicitur supra i, 6 : *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes : hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine.*

3. Testificationem autem [1] commendat cum dicit : *Et scio quia verum est testimonium ejus.* Et hoc a duobus. Primo a veritate ; secundo ab auctoritate : quia fuit ab eis requisitum, ibi, *Vos misistis ad Joannem.* A veritate quidem commendat ejus testimonium, dicens, *Et scio*, idest pro certo experior, *quia verum est testimonium ejus*, scilicet Joannis, *quod perhibet de me.* Sic enim pater ejus Zacharias prophetavit de eo, Luc. i. 6 : *Præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus.* Constat autem quod testimonium mendax non est salutiferum : quia mendacium est causa mortis. Sap. i, 11 : *Os quod mentitur occidit animam.* Si ergo testimonium Joannis est ad dandam scientiam salutis plebi ejus, verum est testimonium ejus. Sed secundum Glossam aliter : *Si testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* Supra Christus locutus est de se secundum quod Deus ; hic vero loquitur secundum quod homo : et est sensus : *Si ego*, homo scilicet, *testimonium de me perhibeo* [2], scilicet absque Deo, idest quod Deus Pater non perhibeat ; tunc sequitur quod *testimonium meum non est verum :* nam verbum humanum nisi a Deo fulciatur, nihil veritatis habet : secundum illud Rom. iii, 4 : *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Unde si intelligamus Christum ut hominem a deitate separatum, et ei non conformem ; et in essentia ejus mendacium invenitur, et in verbis. Infra viii, 14 : *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum testimonium meum.* Infra (ibid. 16). *Quia solus non sum ; sed ego, et qui misit me Pater.* Et ideo quia non erat solus, sed cum Patre, verum est testimonium ejus. Unde ut ostendat testimonium ejus veritatem non habere ex ejus humanitate secundum se, sed inquantum est conjuncta divinitati et Verbo Dei, dicit : *Sed alius est qui testimonium perhibet de me* : non Joannes, sed Pater, secundum istam expositionem : quia si testimonium Christi hominis de se non est verum et efficax, multo minus esset efficax testimonium Joannis. Non ergo certificatur testimonio Joannis, sed testimonio Patris : unde iste alius qui testimonium perhibet, intelligitur Pater. *Et scio quia verum est testimonium ejus* : nam ipse veritas est. I Joan, i, 5 : *Deus lux est* (idest veritas), *et tenebræ* (mendacii) *in eo non sunt ullæ.* Sed prima expositio, quæ Chrysostomi est, magis est litteralis.

4. Commendat etiam testimonium Joannis ab auctoritate, quia fuit requisitum a Judæis, cum dicit : *Vos misistis ad Joannem ;* quasi diceret : Scio quia verum est testimonium ejus : nec vos debetis illud repudiare, quia propter magnam auctoritatem qua erat apud vos Joannes, requisivistis ab eo testimonium de me ; quod non fecissetis, si eum dignum fide non opinaremini ; Supra i, 19 : *Miserunt Judæi ab Hierosolymis sacerdotes et levitas ad Joannem.* Et Joannes tunc *testimonium perhibuit*, non sibi, sed *veritati*, idest mihi. Sicut amicus veritatis Christo testimonium perhibuit. Supra i, 20 : *Confessus est, et non negavit : confessus est, quia non sum ego Christus.*

5. Consequenter cum dicit, *Ego autem non ab homine testimonium accipio*, assignat rationem testimonii Joannis inducti : et primo excludit rationem opinatam ; secundo asserit veram, ibi, *Sed hoc dico ut vos salvi sitis.* Ratio autem inducti testimonii posset ab aliquo credi esse certificatio de Christo, propter ejus insufficientiam ; et ideo hanc [3] excludit dicens : *Ego autem non ab homine testimonium accipio.* Ubi sciendum est quod in scientiis aliquando probatur aliquid per minus notum secundum se, sed magis notum quo ad nos ; aliquando per aliquid magis notum secundum se et simpliciter. Sicut in hoc loco debebat quidem probari quod Christus est Deus : et licet veritas Christi esset magis nota secundum se et simpliciter, nihilominus tamen probatur testimonio Joannis quod quantum ad Judæos magis notum erat. Et ideo Christus secundum se testimonio Joannis non indigebat : et hoc est quod dicit : *Testimonium ab homine non accipio.*

Sed contra hoc videtur : quia Isa. xl, 10 : *Vos testes mei, dicit Dominus.* Act. i, 8 : *Eritis mihi testes in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Quomodo

[1] Al. : « enim. »
[2] Al. : « si ergo homo scilicet testimonium de me perhibet, scilicet absque Deo. »
[3] Al. omittitur : « hanc. »

ergo dicit hic[1] : *Testimonium ab homine non accipio?* Sed dicendum quod hoc dupliciter potest intelligi. Uno modo ut sit sensus : *Non accipio ab homine testimonium*, quasi sim illo tantum contentus; sed habeo majus testimonium, scilicet divinum. I Cor. IV, 3 : *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer*. Hier. XVII, 10 : *Diem hominis* (idest claritatem humanam) *non desideravi* : *tu scis*. Alio modo. *Testimonium ab homine non accipio*, inquantum scilicet testificans est homo, sed inquantum est illustratus a Deo ad testificandum. Supra I, 6 : *Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Joannes.* I Thes. II, 6 : *Non quærentes ab hominibus gloriam.* Infra VIII, 50 : *Ego gloriam meam non quæro.* Sic ergo accipio testimonium Joannis, non inquantum fuit homo, sed inquantum missus et illustratus a Deo ad testificandum. Tertio modo : et melius , *Ego testimonium non accipio ab homine*; idest, testimonio humano; quantum ex me[2] est, auctoritatem non accipio ab aliquo; sed a Deo, qui demonstrat me clarum.

6. Consequenter cum dicit, *Sed hæc dico ut vos salvi sitis*, asserit rationem veram, quæ erat ipsorum salus : et primo ponit rationem; secundo exponit eam. Ratio vero inducti testimonii erat, ut Judæi credentes Christo, testimonio Joannis salvarentur : et ideo dicit : Non accipio testimonium Joannis proper me, *sed hæc dico ut salvi sitis.* I Tim. II, 4 ; *Vult omnes homines salvos fieri.* Et ibid. I, 15 : *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Et exponit quod dicit, *Salvi sitis :* quia scilicet induco testimonium a vobis acceptatum. Et ideo cum[3] dicit, *Ille erat lucerna ardens et lucens*, ponit Joannis acceptationem : et primo ponit quod Joannes fuit testis secundum se acceptus; secundo quomodo fuit acceptatus apud eos, ibi, *Vos autem voluistis ad horam exultare in luce ejus.* Quod autem Joannes fuerit secundum se acceptus testis, ostendit per tria quæ eum perficiebant. Primum pertinet ad conditionem naturæ; et hoc cum dicit, *Ille erat lucerna*; secundum pertinet ad perfectionem affectus, quia *ardens;* tertium ad perfectionem intellectus, quia *lucens.* Erat ergo in natura perfectus, quia *lucerna;* idest, illustratus gratia, et illustratus luce Verbi Dei. Differt enim lucerna a luce : nam lux est quæ per seipsam lucet; lucerna vero quæ non per se lucet, sed per participationem lucet. Lux autem vera Christus est, ut dicitur supra I, 9 : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem.* Joannes autem lux non erat ut ibidem dicitur, sed lucerna, quia illustratus erat, *ut testimonium perhiberet de lumine*, ducendo ad Christum : de qua lucerna dicitur in Psalm. CXXXI, 17 : *Paravi lucernam Christo meo.* Sed erat in eo affectus ardens et fervens : unde dicit, *Ardens* : nam aliqui sunt lucernæ solum quantum ad officium, sed quantum ad affectum sunt extinctæ : nam sicut lucerna lucere non potest nisi igne accendatur, ita lucerna spiritualis non lucet nisi prius ardeat et inflammetur igne caritatis. Et ideo ardor præmittitur illustrationi, quia per ardorem caritatis datur cognitio veritatis. Infra XIV, 23 : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit* : *et Pater meus diliget eum*; *et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Infra XV, 15 : *Vos autem dixi amicos*, *quia omnia quæ audivi a Patre meo nota feci vobis.* Eccl. II, 20 ; *Qui timetis Deum*, *diligite illum*, *et illuminabuntur corda vestra.* Nam ignis duo habet : scilicet quod ardet et splendet. Ardor autem ignis significat dilectionem propter tria. Primo quidem, quia ignis inter omnia corpora est magis activus : sic et ardor caritatis, intantum quod nihil ejus impetum ferre potest, secundum illud II Cor. V, 14 : *Caritas Christi urget nos.* Secundo, quia sicut ignis per hoc quod est maxime sensitivus, facit multum æstuare, ita et caritas æstum causat quousque homo consequatur intentum. Cant. ult. 6, *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum.* Tertio sicut ignis est sursum ductivus, ita et caritas, intantum quod conjungit nos Deo. I Joan IV, 16 : *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.* Erat etiam intellectus lucens. Primo quidem per veritatis cognitionem interius. Isa. LVIII, 11 : *Implebit splendoribus* ; idest, splendere faciet. Secundo per prædicationem exterius. Phil. II, 15 : *Inter quos lucetis tamquam luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.* Tertio per bonorum manifestationem. Matth. V, 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut*

[1] Al. : « hoc. »
[2] Al. : « ad me. »
[3] Al. deest : « cum. »

videant opera vestra bona. Quia ergo sic Joannes acceptabilis erat secundum se, quia erat lucerna non extincta, sed ardens, non tenebrosa, sed lucens; dignus est quod et apud vos acceptaretur : quod quidem ita fuit, quia *vos voluistis exultare ad horam in luce ejus.* Et congrue exultationem luci adjungit : quia in illo homo exultat in quo maxime delectatur; nihil autem est in rebus corporalibus delectabilius luce, secundum illud Eccl. XI, 27 : *Delectabile est oculis videre solem.* Dicit autem, *Voluistis exultare*, quiescendo et ponendo in eo finem, credendo eum Christum; sed tamen ad horam, quia in hoc fuistis instabiles : nam videntes Joannem homines ad alium, non ad se, ducere, aversi estis ab eo. Unde dicitur Matth. XXI quod Judæi non crediderunt in Joannem : sunt enim de illis de quibus dicitur Matth. XIII, quia ad tempus credunt.

7. Consequenter cum dicit, *Ego autem habeo testimonium majus Joanne*, ponit testimonium divinum : et primo inducit ejus magnitudinem; secundo prosequitur de ipso, ibi, *Opera quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea* etc. Dicit ergo primo : Dico quod ego quantum est ex me [1], non accipio ab homine testimonium, sed propter vos : nam *Ego habeo testimonium majus Joanne*, scilicet Dei, quod est majus testimonium quam Joannis. I Joan. ult. 9 : *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.* Majus, inquam, propter majorem auctoritatem, majorem cognitionem, et infallibiliorem veritatem : nam Deus mentiri non potest. *Non est Deus ut homo, ut mentiatur* [2] : Num. XXIII, 19.

8. Testimonium autem prosequitur cum dicit : *Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea*, etc. Tripliciter autem testificatus est Deus de Christo : scilicet per opera, per seipsum, et per Scripturas : et ideo primo ponit modum testificandi quantum ad opera miraculorum; secundo modum testificandi per seipsum, ibi, *Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit*; tertio per Scripturas, ibi, *Scrutamini Scripturas* etc. Dixit ergo primo : Habeo aliud testimonium majus Joanne : et hoc quantum ad opera, quia opera miraculorum *quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea.* Sciendum est enim quod naturale est homini virtutem et naturas rerum ex earum actionibus cognoscere : et ideo convenienter Dominus per opera quæ ipse facit, dicit se posse cognosci qualis sit. Cum ergo ipse propria virtute divina faceret, credendum erat in eo esse virtutem divinam. Infra XV, 24 : *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, scilicet infidelitatis. Et ideo ad sui cognitionem per opera sua ducit, dicens : *Opera quæ dedit mihi*, in Verbo *Pater*, per æternam generationem dando mihi virtutem sibi æqualem. Vel *dedit mihi*, in conceptione, dando ut sim una persona Dei et hominis, *ut perficiam ea*; idest, ut propria virtute faciam : quod dicit ad differentiam aliorum qui miracula faciunt non propria virtute, sed impetrando a Deo. Unde Petrus dicebat Act. III, 6 : *In nomine Jesu Christi Nazareni surge.* Et ideo ipsi non perficiunt, sed Deus. Christus vero propria virtute ea perficiebat. Infra XI, 43 : *Lazare, veni foras.* Et ideo *opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Infra X, *Si mihi non creditis, saltem operibus credite.* Quod autem opera miraculorum sint testimonia Dei, dicitur Marc. ult. 20 : *Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.*

9. Consequenter cum dicit : *Et qui misit me Pater, ipse testimomium perhibuit de me*, ponit secundum modum testificandi per ipsum Deum : et primo ponit ipsum modum; secundo ostendit eos hujusmodi non esse capaces, ibi, *Neque vocem ejus unquam auditis* etc. Dicit ergo : Non solum opera quæ dedit mihi Pater, testimonium perhibent de me, sed ipse *qui misit me Pater, testimonium perhibuit* [3] *de me*, in Jordane, quando fuit baptizatus, ut habetur Matth. IV, 5 : et in monte quando transfiguratus est, ut dicitur Matth. XVII : utrobique enim vox Patris audita est : *Hic est Filius meus dilectus.* Et ideo credendum est ei, sicut vero et naturali Filio Dei. I Joan. ult. 9 : *Hoc testimonium Dei, quod majus est : quia testificatus est de Filio suo.* Et sic, qui non credit eum esse Filium Dei, non credit Dei testimonio.

Sed posset aliquis dicere quod Deus etiam aliis testimonium perhibuit per seipsum, sicut Moysi in monte, cum quo locutus est, cunctis audientibus; testimonium vero nunquam audivimus; et

[1] Al. : « de me. »
[2] Al. : « ut homo mentiatur. »

[3] Al. : perhibet.

ideo dicit Dominus, quod *neque vocem ejus unquam audistis* etc. Sed contra Deut. IV, 33, dicitur : *Si factum est aliquando res hujuscemodi, ut audiret populus vocem Domini Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti et vidisti.* Quid est ergo quod nunc dicit Christus : *Neque vocem ejus unquam audistis?*

Respondeo, secundum Chrysostomum, quod Dominus eos in philosophica consideratione constituens, vult ostendere, quod Deus testificatur alicui dupliciter, scilicet sensibiliter et intelligibiliter. Sensibiliter quidem, sicut per vocem sensibilem tantum ; et hoc modo testificatus fuit Moysi in monte Sinai. Deuteron. IV, 12 : *Vocem ejus audistis, et formam penitus non vidistis.* Item per sensibilem speciem, sicut apparuit Abrahæ Gen. XXVI, et Isa. VI, 1 : *Vidi Dominum sedentem supra solium excelsum et elevatum.* Sed tamen in istis visionibus nec vox corporalis nec figura Dei est sicut cujusdam animalis : sed effective, inquantum a Deo formatur : nam cum Deus sit spiritus, neque vocem sensibilem de se emittit, nec figurari potest. Intelligibiliter autem testificatur inspirando in cordibus aliquorum quod credere debeant et tenere. Psal. LXXXIV, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Oseæ II, 14 : *Ducam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor ejus.* Primo ergo testificationis capaces fuistis : nec mirum, quia non fuerunt Dei nisi effective, ut dictum est, voces illæ et species. Sed non [1] intelligibilis illius vocis : *Neque vocem ejus unquam audistis* etc., idest participes ejus non fuistis. Infra VI, 45 : *Omnis qui audit a Patre et didicit, venit ad me* ; sed vos non venistis ad me : ergo *non audistis vocem ejus, nec vidistis speciem ejus ;* idest, non habuistis istud testimonium intelligibile ; et ideo subdit : *Et verbum ejus non habetis in vobis manens* ; idest non habetis verbum interius inspiratum. Et hæc ratio est, *quia quem misit ille*, idest Pater, *huic vos non creditis.* Verbum enim Dei ducit ad Christum : nam ipse Christus est naturale Dei Verbum. Omne autem verbum a Deo inspiratum, est quædam participata similitudo illius. Cum ergo omnis similitudo participata ducat in suum principium, manifestum est quod omne verbum inspiratum a Deo ducit ad Christum. Et ideo, quia vos non ducimini ad me, non *habetis verbum* Dei, inspiratum, *in vobis manens.* Infra ult. : *Qui non credit in Filium Dei, non habet vitam in se manentem* [2]. Et dicit, *Manens*, quia cum nullus sit quin aliquam veritatem habeat a Deo, illi tantum habent veritatem et verbum in ipsis manens, quibus intantum cognitio proficit ut perducantur ad veri et naturalis Verbi cognitionem. Vel per hoc quod dicit, *Neque vocem ejus unquam audistis* ; ostenditur triplex modus quo a Deo aliquid revelatur alicui. Quia vel per vocem sensibilem, et sic testificatus est Christo in Jordane et in monte, ut dictum est II Pet. I, 16 : *Speculatores facti illius magnitudinis, voce lapsa de cœlo a magnifica gloria.* Et hanc Judæi non audierunt. Vel per visionem suæ essentiæ, et hanc revelat beatis ; et hanc speciem ipsi non viderunt : quia II Corinth. V, 6 : *Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino* etc. Vel per interius verbum inspirando ; et hoc etiam ipsi non habebant.

11. Consequenter cum dicit, *Scrutamini Scripturas*, ponit tertium modum quo Deus testificatus est Christo per Scripturas : et primo inducit Scripturarum testimonium ; secundo ostendit eos fructu hujus testimonii non esse capaces, ibi, *Et non vultis venire ad me* etc. Dicit ergo : *Scrutamini Scripturas* ; quasi dicat : Vos non habetis verbum Dei in cordibus vestris, sed in Scripturis ; et ideo oportet vos illud alibi quærere : et ideo *scrutamini Scripturas*, scilicet veteris testamenti : nam fides Christi in veteri testamento continebatur, sed non in superficie, quia in profundo obumbrata figura latebat. II Corinth. III, 15 : *Usque in hodiernum diem ipsum velamen habentes.* Et ideo signanter dicit, *Scrutamini ;* quasi, in profundum quæratis. Prov. XXXI, 4 : *Si quæsieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies.* Psal. CXVIII, 69 : *Da mihi intellectum, et scrutabor mandata tua.* Ratio autem scrutinii ex vestra [3] opinione sumitur : *Quia putatis in eis*, scilicet Scripturis, *vitam æternam habere* ; ex hoc quod dicitur Ezech. XVIII, 19 : *Qui fecerit judicia mea, vita vivet.* Sed estis decepti : quia licet præcepta veteris legis vitalia sint,

[1] Al. omittitur : « non. »

[2] Joan. VI, 47 : *Qui credit in me, habet vitam æternam*

[3] Al. « nostra »

non tamen vitam habent in seipsis; sed intantum dicuntur vitalia inquantum ducunt ad me Christum; cum tamen vos utamini eis tamquam in se vitam habentibus: quod decipit vos: nam *illæ*, scilicet Scripturæ, *sunt quæ testimonium perhibent de me*; idest, intantum vitalia sunt inquantum ad meam cognitionem ducunt, vel [1] apertis Prophetiis, sicut Isa. VII, 14: *Ecce virgo concipiet*; et iterum Deut. XVIII, 15: *Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus* etc. Unde dicitur Actor. X, 43: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent*: vel operationibus Prophetarum mysticis: unde dicitur Oseæ XII, 10: *In manibus Prophetarum assimilatus sum*: vel in sacramentis et figuris; sicut est immolatio agni, et alia figuralia sacramenta legis. Hebr. X, 1: *Umbram habens lex futurorum bonorum* etc. Et ideo, quia Scripturæ veteris testamenti multipliciter testimonium perhibent de Christo, dicit Apostolus, Rom. I, 2: *Quod ante promiserat per Prophetas in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Sed fructum quem in Scripturis putatis habere, scilicet vitam æternam, consequi non poteritis, quia testimoniis Scripturæ de me non credentes, *non vultis venire ad me;* idest, non vultis credere mihi, in quem est fructus illarum Scripturarum, ut in me [2] *vitam habeatis*, quam ego do credentibus in me. Infra X, 28: *Ego vitam æternam do eis*. Eccli. IV, 12: *Sapientia filiis suis vitam inspirat*. Prov. VIII, 35: *Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino*.

LECTIO VI.

1. Claritatem ab hominibus non accipio sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis. 2. Ego veni in nomine Patris mei, et non accepistis me. 3. Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. 4. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est non quæritis? 5. Nolite putare quia ego accusaturus sum vos apud Patrem; est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. 6. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit. 7. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?

1. Postquam Deus excellentiam suæ potestatis confirmavit testimoniis hominum, Dei et Scripturarum, hic consequenter eorum tarditatem ad credendum redarguit. Duplici autem occasione Judæi persequebantur Christum; propter solutionem sabbati, in quo videbatur contrarius legi: et quia dicebat se Dei Filium, in quo videbatur contrarius Deo; unde propter reverentiam quam habebant ad Deum, et propter zelum quem habebant ad legem Moysi, persequebantur [3]. Et ideo Dominus intendit ostendere quod non propter hoc eum persequebantur, sed propter contrarium. Unde primo ostendit irreverentiam ipsorum ad Deum esse causam incredulitatis ipsorum; secundo quod irreverentia, quam habebant ad Moysen, fuit causa incredulitatis ipsorum, ibi, *Nolite putare quia ego accusaturus sum vos apud Patrem*. Circa primum duo facit. Primo ponit irreverentiam ipsorum ad Deum; secundo ostendit quod hoc sit causa incredulitatis ipsorum, ibi, *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?* Circa primum duo facit. Primo proponit eorum indevotionem ad Deum; secundo manifestat eam per signum, ibi, *Ego veni in nomine Patris mei*. Circa primum duo facit. Primo excludit intentionem opinatam [4], quæ ex verbis præmissis accipi posset; secundo asserit veram [5], ibi, *Sed cognovi* etc. Intentio opinata est, quod quia Dominus supra commemoraverat [6] tot testimonia de seipso, scilicet Joannis, Dei, et operum suorum, et Scripturarum, posset opinari a Judæis quod hoc fecerit quasi quærens humanam gloriam. Contra hoc dicit: *Claritatem ab hominibus non accipio*; idest, laudem humanam non quæro. Non enim veni ut exemplum darem quærendi gloriam hominum [7]. I Thess. II, 6: *Neque quærentes ab hominibus gloriam*: *Deus testis est*. Vel *claritatem ab hominibus non accipio;* idest, claritate humana

[1] Al. « ut vel. »
[2] Al. « in quem est fructus illarum Scripturarum, et in quem, ut in me etc. »
[3] Al. deest: « persequebantur. »
[4] Al.: « oppositam; » et sic infra.
[5] Al.: « naturam. »
[6] Al.: « commemorabat. »
[7] Al.: « homini. »

non indigeo : quia ab æterno claritatem habeo apud Patrem. Infra XVII, 5 : *Clarifica me Pater, claritate quam habui antequam mundus fieret.* Non enim veni clarificari ab hominibus ; sed potius eos clarificare, cum a me omnis claritas procedat. Sap. VII. Habebo per hanc sapientiam claritatem. Dicitur autem Deus clarificari et glorificari ab hominibus, secundum illud Eccli. XLIII, 32 : *Glorificantes Deum quantumcumque potestis, prævalebit adhuc* : non ut ipse propter hoc gloriosior fiat, sed inquantum gloriosus apparet in nobis. Non est ergo hæc causa propositorum testimoniorum ; sed alia est : quia *cognovi*, idest cognoscere feci, *quia non habetis dilectionem Dei in vobis*, quam habere vos fingitis : unde non propter Dei amorem me persequimini : nam tunc propter Deum me persequeremini [1], si Deus et Scriptura non mihi [2] testimonium perhiberent : sed ipse Deus mihi testatur et per opera [3], et per Scripturas, et per seipsum, ut dictum est, et et ideo si Deum amaretis, oporteret ut sicut me abjicitis, ita ad me veniretis. Non ergo diligitis Deum. Vel aliter. *Sed cognovi vos* ; quasi dicat : Non induxi hujusmodi testimonia, indigens vestra clarificatione ; sed scio et condoleo vobis errantibus, qui non diligitis Deum, et volo vos reducere ad viam veritatis. Infra XV, 24 : *Nunc autem et viderunt, et oderunt et me et Patrem.* Psal. LXXXIII, 23 : *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.*

Sed sciendum, quod Deus in seipso a nullo potest haberi odio, nec secundum omnes effectus suos ; cum omne bonum quod est in rebus sit a Deo, et impossibile sit quod aliquis habeat odium omnis boni, quin ad minus esse et vivere diligat. Sed tamen aliquem effectum [4] Dei odio aliquis habet, inquantum suo appetitui contrariatur, ut pœnam, vel aliquid hujusmodi. Et secundum hoc, dicitur habere Deum odio.

2. Signum autem quod dilectionem Dei non habent, ponit cum dicit : *Ego veni in nomine Patris mei, et non accepistis me* : et primo ponit unum signum de præsenti ; secundo aliud de futuro, ibi, *Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Signum de præsenti sumitur ex ejus adventu ; et ideo dicit : *Ego veni in nomine Patris mei* ; quasi diceret : Manifeste apparet quod dico : nam si aliquis diligit Dominum suum, manifestum est quod honorat et recipit eum qui venit ex parte sua, et honorem ejus quærit : sed *ego veni in nomine Patris mei*, manifestando nomen ejus mundo ; infra XVII, 6 : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi* : *et vos non accepistis me* ; ergo non diligitis eum. Dicitur autem Filius manifestare Patrem suum hominibus : quia licet Pater inquantum Deus, notus esset, secundum illud Psal. LXXV, 1 : *Notus in Judæa Deus ;* tamen inquantum est naturalis Pater Filii, non erat notus ante adventum Christi : et ideo Salomon quærebat, Prov. XXX, 4 : *Quod nomen ejus, et quod nomen Filii ejus nosti ?*

3. Signum de futuro sumitur ex adventu Antichristi. Possent autem Judæi dicere : Licet tu venias in nomine ejus, ideo tamen non te recepimus, quia nullum volumus recipere nisi ipsum Deum Patrem. Sed contra hoc dicit Dominus, quod hoc non potest esse, quia vos recipietis alium, qui non veniet in nomine Patris, sed in nomine sui ipsius ; et, quod plus est, veniet *in nomine*, non Patris, sed *suo* : quia non quæret gloriam Patris, sed suam propriam ; nec Patri attribuet quæ faciet, sed sibi. II Thess. II, 4 : *Qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur aut quod colitur Deus.* Et *illum accipietis* : unde ibidem subditur (vers. 2) : *Mittet Deus illis operationem erroris, ut credant mendacio.* Et hoc ideo, quia doctrinam veritatis non receperunt, ut salvi fierent : unde dicit *Glossa :* « Quia Judæi noluerunt accipere Christum, pœna peccati hujus congrue erit ut recipiant Antichristum : ut qui noluerunt credere veritati, credant mendacio. » Sed secundum Augustinum, potest hoc intelligi de hæreticis et falsis doctoribus, qui doctrinam ex corde suo proferunt, et non ex ore Dei ; qui nomen suum laudant, et nomen Dei contemnunt : de quibus dicitur I Joan. II, 18 : *Audistis quia Antichristus venit ; et nunc Antichristi multi facti sunt.* Manifestum est ergo quod persecutio qua me persequimini, non est ex dilectione Dei, sed ex odio et livore ad eum procedit : et ex hoc eorum incredulitas causabatur.

[1] Al. : « persequi videmini. »
[2] Al. omittitur : « mihi. »
[3] Al : « et opera. »
[4] Al. : defectum. »

4. Et ideo concludit : *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?* idest gloriam humanam, et eam *quæ a solo Deo est, non quæritis?* quæ est vera gloria. Ideo autem credere non poterant in Christum, quia cum superba mens eorum gloriam et laudem appeteret [1], se super alios efferri reputabant in gloriam, et dedecus in Christum credere qui abjectus videbatur et pauper ; et ideo ei credere non poterant. Sed ille in eum credere potest qui cor habens humile, solius Dei gloriam quærit, et ei placere appetit. Et ideo, sicut infra XII, 42, dicitur, *Multi ex principibus crediderunt in eum ; sed propter Pharisæos non confitebantur, ut de synagoga non ejicerentur.* Ex quo apparet quod multum periculosa est inanis gloria. Unde dicit Tullius : « Cavenda est homini gloria, quæ aufert omnem libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio. » Et ideo dicit *Glossa* : « Magnum vitium est jactantia et humanæ laudis ambitio, quæ de se vult æstimari quæ de se non habet. »

5. Consequenter cum dicit, *Nolite putare quia ego accusaturus sum vos*, ostendit quod non habent zelum ad Moysen: et primo ostendit quomodo Moyses erat eis contrarius ; secundo rationem contrarietatis assignat, ibi, *Si enim crederetis* [2] *Moysi, crederetis forsitan et mihi.* Circa primum duo facit. Primo removet opinatum zelum ; secundo asserit verum, ibi, *Est qui accusat vos Moyses.* Quantum ad primum dicit : *Nolite putare quia ego accusaturus sum vos apud Patrem.* Cujus quidem dicti est triplex ratio. Una, quod Filius Dei non venit in mundum ut condemnet mundum, sed ut salvet ; et ideo dicit : *Nolite putare* quod venerim ad condemnandum, sed ad liberandum. Supra III, 17 : *Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum*, idest ut condemnet mundum ; *sed ut salvetur mundus per ipsum.* Et ideo sanguis Christi non clamat accusationem, sed remissionem. Hebr. XII, 24 : *Habemus sanguinem Christi melius clamantem quam Abel*, qui clamat accusando. Rom. VIII, 33 : *Quis accusabit adversus electos Dei? Christus est qui justificat, quis est qui condemnet?* Secundo modo. *Nolite putare quod ego accusaturus sum vos apud Patrem :* quia non ero accusator, sed judex. Supra eodem ; *Pater omne judicium dedit Filio.* Tertio modo. *Nolite putare quod ego*, tantum scilicet, *accusaturus sim vos apud Patrem* de hoc quod facitis mihi; sed etiam Moyses accusabit vos de hoc quod non creditis ei in his quæ de me dixit : et ideo subdit : *Est qui accusat vos Moyses, in quo speratis* : quia creditis per præcepta ejus salvari. Accusat autem eos Moyses dupliciter. Materialiter, quia ex hoc quod prætergressi sunt mandata ejus, sunt accusandi. Rom. II, 12 : *Quicumque in lege peccaverunt per legem judicabuntur.* Item accusat eos, quia Moyses et alii sancti potestatem habebunt in judicio. Psal. XLIX, 6 : *Gladii ancipites in manibus eorum* etc.

6. Rationem contrarietatis ponit dicens : *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi* : ut patet Deut. XVIII, 15: *Prophetam suscitabit Deus de gente tua et de fratribus tuis sicut me ; ipsum audies* : et in omnibus sacrificiis, quæ erant figura Christi. Et dicit, *Forsitan*, ad designandum voluntatem liberi arbitrii : non quod in Deo sit aliquod dubium.

7. Consequenter cum dicit, *Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis ?* ponit signum hujus contrarietatis sumptum a majori, negando per comparationem ad duo. Primo personæ ad personam : licet enim Christus simpliciter major esset Moyse, tamen in reputatione Judæorum Moyses erat major : et ideo dicit : Si non creditis Moysi, nec mihi credetis. Secundo per comparationem ad modum tradendi : quia Moyses præcepta dedit in scriptis, quæ possunt diutius meditari, nec tradi oblivioni de facili : et ideo magis obligant ad credendum. Christus vero tradidit verbis ; et quantum ad hoc dicit : *Si non creditis litteris illius*, quarum libros apud vos habetis, *quomodo credetis verbis meis ?*

[1] Al. : « apparent. Item : appeterent, idest se super alios etc. »

[2] Al. : « credideritis. »

CAPUT SEXTUM

LECTIO I.

1. Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis. Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. 2. Subiit ergo in montem Jesus, et ibi sedebat cum discipulis suis. 3. Erat autem proximum pascha, dies festus Judæorum. 4. Cum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum : Unde ememus panes, ut manducent hi ? Hoc autem dicebat tentans eum : ipse enim sciebat quid esset facturus. 5. Respondit ei Philippus : Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Dixit ei unus ex discipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri : Est puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces : sed hæc quid sunt inter tantos ? 6. Dixit ergo Jesus : Facite homines discumbere. Erat autem fenum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. 7. Accepit ergo Jesus panes, et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus : similiter et ex piscibus quantum volebant. 8. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis : Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. 9. Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, et duobus piscibus, quæ superfuerunt his qui manducaverant.

1. Posita doctrina de vita spirituali qua Christus regeneratos vivificat, consequenter Evangelista agit de spirituali nutrimento quo Christus vivificatos sustentat : et primo ponit visibile miraculum, quod fecit Christus exhibendo nutrimentum corporale ; secundo agit de nutrimento spirituali, ibi, *Respondit eis Jesus, et dixit : Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis*. Circa primum duo facit. Primo ponit miraculum visibile de nutrimento corporali ; secundo ostendit effectum miraculi, ibi, *Illi ergo homines cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant, quia hic est vere Propheta.* Circa miraculum duo ponit : scilicet ejus circumstantias, et ejus patrationem, ibi, *Et cum sublevasset oculos Jesus.* Circa primum tria facit, Primo describit multitudinem quam pavit ; secundo determinat locum ubi pavit [1], ibi, *Subiit ergo in montem Jesus* ; tertio tempus quando pavit, ibi, *Erat autem proximum pascha* etc. Circa primum tria facit. Primo determinat locum quo multitudo eum sequitur ; secundo turbam sequentem ; tertio causam sequelæ assignat. Quo autem turba Dominum sequeretur, insinuat Evangelista cum dicit : *Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ* ; idest, post mystica verba quæ Dominus de sua potestate dixerat. Mare autem istud Galilææ frequenter in Scriptura et in diversis locis nominatur. Quia autem istud [2] mare non est salsum, sed est quædam congregatio aquarum ex influxu Jordanis, ideo a Luca dicitur stagnum, ut habetur Luc. v : quia vero secundum proprietatem Hebraici idiomatis, omnes congregationes aquarum vocantur maria, secundum illud Gen. I, 10 : *Congregationesque aquarum appellavit maria* : ideo dicitur mare. Sed Genesareth cognominatur a natura loci : nam multum fluctuat ex reverberatione ventorum, qui ex ipsis aquæ resolutionibus generantur : unde [3] Genesareth in græco, idem est quod auram generans. Denominatur etiam Galilææ a Galilæa provincia, in qua est. Tiberiadis vero a civitate sic dicta, quæ erat ex una parte ipsius maris, ex opposito habens civitatem Capharnaum ex alia parte, quæ prius vocabatur Zenereth, sed postea ab Herode Tetrarcha instaurata in honorem Tiberii Cæsaris, Tiberias appellata fuit.

Ratio autem litteralis quare Jesus abiit trans mare, assignatur a Chrysostomo, ut Christus cederet furori et turbationi Judæorum, quam conceperant contra Christum propter ea quæ de se supra dixerat : unde, ut ipse dicit, sicut jacula cum in durum aliquod incidunt, gravius

[1] Al. : « paravit : » sic etiam infra.
[2] Al. : « Quia enim istud. » item : « Quia istud. »
[3] Al. deest : « unde. »

feriunt; quæ autem non habuerunt aliquod obvians [1], dissolvuntur cito immissa, et quiescunt : ita et cum audacibus hominibus impetuose et resistendo incesserimus, sæviunt magis ; si autem eis cesserimus, facile mollimus eorum insaniam. Propterea Christus furorem Judæorum ex præmissis sermonibus natum, secedendo trans mare, mitigavit ; dans nobis in hoc exemplum simile faciendi. Eccli. VIII, 14 : *Ne stes contra faciem contumeliosi.* Mystice autem per mare, præsens sæculum turbidum designatur. Psal. CIII, 25 : *Hoc mare magnum et spatiosum manibus.* Hoc mare transit Dominus quando mare mortalitatis et pœnalitatis assumpsit nascendo, calcavit moriendo, et transiens resurgendo in gloriam resurrectionis pervenit. De isto transitu [2] dicitur infra XIII, 1 : *Sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Eum transeuntem secutæ sunt, credendo et imitando, turbæ multæ, ex utroque populo collectæ. Isa. LX, 5 : *Tunc mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris.* Psal. VII, 7 : *Exurge, Domine, in præcepto quod mandasti, et synagoga populorum circumdabit te.* Describitur ergo turba sequens copiosa : quia *sequebatur eum multitudo magna.* Causa autem propter quam sequebatur, est operatio miraculorum : unde dicit : *Quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur.* Sciendum est quod quidam sequebantur eum propter doctrinam ejus, qui scilicet melius erant dispositi ; alii vero imperfectiores sequebantur eum propter admirationem signorum visibilium, grossioris mentis existentes. *Signa enim* (ut dicitur I Cor. XIV, 22), *non sunt data fidelibus, sed infidelibus.* Aliqui etiam propter devotionem et fidem eum sequebantur, scilicet illi quos corpore sanaverat : sic enim a Domino sanabantur in corpore ut etiam perfecte sanarentur in anima. Deut. XXXII, 4 : *Dei perfecta sunt opera.* Et hoc patet, quia paralytico (supra VIII, 11), signanter dixit : *Vade, et amplius noli peccare* : et Matth. IX, 2 : *Fili, remittuntur tibi peccata* : quæ magis ad sanitatem animæ pertinent quam corporis.

Notandum autem quod cum Evangelista non fecerit mentionem nisi de tribus miraculis, scilicet de nuptiis, de filio reguli, et paralytico, hic tamen indeterminate dicit, *Signa quæ faciebat*, ut det intelligere, quia Christus multa alia signa fecit, ut dicitur infra ult., de quibus in hoc libro mentionem non facit. Intendebat enim specialiter ad manifestandum Christi doctrinam.

2. Consequenter determinat locum miraculi, qui est mons : unde dicit : *Subiit ergo in montem*, idest latenter ascendit, *Jesus, et ibi sedebat cum discipulis suis.* Et quidem mons satis est congruus locus refectioni : per montem enim signatur perfectio justitiæ, secundum illud Psal. XXXV, 7 : *Justitia tua sicut montes Dei.* Quia ergo hæc terrena non satiant ; immo *qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum*, ut dicitur supra II, 13, spiritualia vero satiant ; ideo Dominus ad altiora cum discipulis ascendit, ut ostendat in spiritualibus satietatem et perfectionem justitiæ inveniri : de quo monte dicitur in Psal. LXVII, 16 : *Mons Dei, mons pinguis.* Unde et ibi doctoris exercebat officium, sedens cum discipulis suis : ipse enim est qui docet omnem hominem scientiam.

3. Consequenter describitur tempus, cum dicit : *Erat autem proximum pascha* ; quod quidem tempus congruit refectioni : pascha enim interpretatur transitus : Exod. XII, 11 : *Est enim phase, idest transitus Domini* : ut det intelligere quod quisquis pane divini verbi et corpore et sanguine Domini desiderat refici, debet transire de vitiis ad virtutes. I Corinth. V, 7 : *Pascha nostrum immolatus est Christus* : *itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.* Eccli. XXIV, 16, dicit divina Sapientia : *Transite ad me omnes qui concupiscitis me.* Hoc autem est secundum pascha, de quo Evangelista mentionem facit : ad quod quidem, juxta legis præceptum, quod habetur Exod. XXIII, Dominus non ascendit in Hierusalem. Cujus ratio est, quia Christus Deus erat et homo : et inquantum homo suberat quidem legi ; inquantum Deus supra legem erat. Ut ergo se hominem ostenderet, servabat aliquando legem ; ut vero Deus, legem solvebat. Unde et per hoc quod non ivit, dedit intelligere quod paulatim et in brevi legalia cessarent.

4. Consequenter agit de patratione miraculi, cum dicit : *Cum sublevasset ergo oculos Jesus et vidisset* etc. Et primo

[1] Al. : « obviam. »

[2] Al. : « transire. »

ostenditur necessitas patrandi miraculi; secundo subditur ipsa patratio, ibi, *Dicit ergo Jesus* : *Facite homines discumbere* etc. Necessitas autem miraculi fiendi sumitur ex interrogatione Domini, et responsione discipulorum : et ideo primo ponitur Domini interrogatio; secundo discipulorum responsio, ibi, *Respondit ei Philippus* etc. Circa primum tria facit. Primo ponitur interrogandi occasio; secundo subditur Christi interrogatio; et tertio aperitur interrogantis intentio. Occasio autem interrogandi fuit visio multitudinis ad Christum venientis; et ideo dicit : *Cum sublevasset oculos Jesus*, existens in monte cum discipulis quasi perfectioribus, *et vidisset* etc. In quo duo circa Dominum sunt consideranda. Unum, ut discamus Christi maturitatem oculos non erigentis huc atque illuc, sed pudice sedentis et attente cum discipulis suis : contra quod dicitur Prov. XXX, 13 : *Generatio cujus sublimes sunt oculi, et palpebræ ejus in alta surrectæ* : et Eccli. XIX, 26 : *Ex visu cognoscitur vir*. Secundum, ut discamus, quod neque otiose sedebat cum discipulis suis; sed attente eos docens, et ad seipsum corda eorum convertens, discipulos quos docebat intuebatur. Luc. VI, 20 : *Et ipse elevatis oculis in discipulos suos, dicebat* etc. Et ideo dicitur : *Cum sublevasset oculos Jesus* etc. Mystice autem oculi Domini sunt dona spiritualia, quæ cum electis suis misericorditer concedit, tunc in eos oculos suos sublevat, idest respectum pietatis impendit. Hoc petebat Psal. LXXXV, 16, dicens : *Respice in me Domine, et miserere mei*. Interrogatio vero est de refectione multitudinis : unde *dixit ad Philippum* : *Unde ememus panes, ut manducent hi*? Unum supponit, et aliud quærit. Supponit quidem penuriam, quia non habebant unde tantæ multitudini cibum præberent; quærit autem modum inveniendi, cum dicit : *Unde ememus panes, ut manducent hi*?

Ubi notandum, quod omnis doctor necesse habet spiritualiter pascere turbam ad se venientem. Et quia nullus homo habet ex se unde pascat eam, ideo oportet quod aliunde emat labore, studio, assiduitate orationum, Isa. LV, 1 : *Qui non habetis argentum, properate, et emite absque ulla commutatione vinum et lac*. Et iterum : *Quare appenditis argentum vestrum* (idest eloquentiam) *et non in panibus* (idest, non in vera sapientia [1], quæ reficit; Eccli. XV, 3 : *Cibavit illum pane vitæ et intellectus* : *et laborem vestrum non in saturitate* : addiscendo ea quæ non satiant, sed magis evacuant?

Intentio autem interrogantis aperitur cum dicit : *Hoc autem dicebat tentans eum* etc. Ubi Evangelista unam dubitationem excludens, ducit in aliam. Potuisset enim dubitari quod Dominus Philippum quasi ignorans interrogasset, sed hoc excludit dicens : *Ipse enim sciebat quid esset facturus*. Sed cum tentare videatur etiam ignorantis esse, cum idem sit quod experimentum sumere; videtur quod Evangelista in aliam dubitationem inducat, cum dicit, *Tentans eum*.

Sed dicendum, quod diversimode aliquis tentat aliquem, ut experimentum de eo sumat : aliter enim tentat homo, quia ut addiscat; aliter diabolus, quia ut decipiat. I Petr. V, 8 : *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret*. Deus vero et Christus tentat quidem non ut addiscat, quia ipse est qui scrutatur corda et renes; non ut decipiat, *quia ipse neminem tentat*, ut dicitur Jac. I, 13 : sed tentat ut aliis experimentum de tentato tribuat. Sic tentavit Deus Abraham. Genes. XXII, 1 : *Tentavit Deus Abraham* etc. Et sequitur : *Nunc cognovi quod timeas Dominum*; idest, cognoscere feci quod timeas Dominum. Ita ex hoc Philippum tentat ut insinuaret aliis suam responsionem, inducens per hoc eos in certissimam futuri signi cognitionem.

5. Consequenter ponitur responsio discipulorum, cum dicit : *Respondit ei Philippus* : et primo responsio Philippi; secundo responsio Andreæ, ibi, *Dicit ei unus ex discipulis ejus* etc. Sciendum est autem circa primum, quod Philippus inter alios magis tardus et rudis erat; et ideo inter alios frequentius Dominus interrogabat. Infra XIV, 8 : *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis*. Sed in interrogatione istorum duorum, quantum ad litteram pertinet, Andreas melius dispositus erat quam Philippus qui nullam intentionem et dispositionem habere videtur ad miraculum fiendum, et ideo illum modum inducit quo omnes homines illos pascere possent, scilicet per pecuniam, dicens : *Ducentorum denario*

[1] Al. : « in veram sapientiam. »

rum panes non sufficiunt eis : quos nos non habemus, et ideo non possumus eis dare ad manducandum. In quo Christi paupertas insinuatur, qui nec ducentos denarios habebat. Andreas vero videtur habere respectum ad miraculum fiendum. Fortassis enim in memoria habebat signum quod Eliseus de panibus hordeaceis fecerat, quando pavit de viginti panibus centum viros, ut legitur IV, Reg. IV : et ideo dicit : *Est puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos*. Sed tamen opinatus est quod Christus non esset facturus majus miraculum quam Eliseus. Æstimabat enim quod de paucioribus panibus pauciora, et de pluribus plura miraculose fierent (quamvis ei qui subjecta materia non indiget, similiter facile sit de pluribus et de paucioribus pascere turbas) : et ideo subdit : *Sed hæc quid sunt inter tantos* ? quasi dicat : Si etiam multiplicentur sicut Eliseus multiplicavit, non sufficit.

Mystice refectio spiritualis per sapientiam significatur. Una autem sapientia est quam docuit Christus, qui est vera sapientia. I Corinth. I, 24 : *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam*. Sed ante adventum Christi duplex doctrina erat. Una humana quam habebant philosophi, alia legis scriptæ. De prima ergo mentionem facit Philippus : et ideo utitur nomine emptionis, dicens : *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis*. Nam sapientia humana per acquisitionem habetur. Centenarius numerus perfectionem importat. Unde ducenti duplicem perfectionem insinuant necessariam hic sapientiæ : nam ad ejus perfectionem duplici via pervenitur : scilicet per experimentum, et per contemplationem. Dicit ergo : *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis* : quia quicquid humana ratio potest experiri et cogitare de veritate, non sufficit ad perfectam satietatem sapientiæ. Hier. IX, 23 : *Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis* ; *sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me*. Nam nullius philosophi tanta fuit sapientia ut per eam homines ab errore revocari possent ; quin potius multos ad errorem inducunt. De secunda vero mentionem facit Andreas : et ideo noluit quod alii panes emerentur [1] sed de habitis turba reficeretur, scilicet de his quæ lex continebat : unde melius dispositus erat quam Philippus ; et ideo dicit : *Est puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos*. Puer iste potest dici Moyses propter imperfectionem status legis : Hebr. VII, 19 : *Neminem ad perfectum adduxit lex* : vel populus Judæorum, qui sub elementis mundi serviebat, ut dicitur Galat. IV. Puer ergo iste quinque panes habet, idest doctrinam legis : vel quia in quinque libris Moysi contenta est : supra I, 17 : *Lex per Moysen data est* : vel quia data est hominibus vacantibus sensibilibus, quæ per quinque sensus exprimuntur : qui sunt hordeacei : quia lex ipsa data erat ut in ea vitale alimentum corporalibus sacramentis obtegeretur : hordei enim medulla, tenacissima palea tegitur : vel quia populus Judæorum nondum expoliatus erat carnali desiderio, sed tamquam palea cordi ejus inhærebat : nam in veteri testamento exterius duritiam experiebantur, propter cæremoniales observantias. Actor. XV, 10 : *Hoc est onus quod nec nos patres nostri portare potuerunt*. Et ipsi Judæi corporalibus dediti, spiritualem sensum legis non capiebant. II Corinth. III, 15 : *Velamen positum est supra corda ipsorum*. Per pisces autem duos qui saporem suavem pani dabant, intelligitur doctrina Psalmorum et Prophetarum : et sic vetus lex non solum habebat panes, scilicet libros quinque Moysi ; sed etiam duos pisces, scilicet Prophetas et Psalmos. Unde et Scriptura veteris testamenti per hæc tria dividitur. Luc. ult. 44 : *Quæ scripta sunt in Lege et Prophetis et Psalmis ad me*. Vel per duos pisces, secundum Augustinum, duæ personæ significantur : scilicet regia, et sacerdotalis, quibus populus ille regebatur ; quæ tamen duæ personæ Christum præfigurabant, qui fuit verus rex et sacerdos. *Sed hæc quid sunt inter tantos?* quia per ea non potuit humanum genus ad cognitionem veritatis perfecte duci : licet enim Deus in Judæa notus esset, gentes tamen eum ignorabant.

6. Consequenter cum dicitur, *Dixit ergo Jesus* ; agitur de patratione miraculi : et primo ponitur hominum dispositio ; secundo eorum refectio, ibi, *Accepit ergo Jesus panes* etc. ; tertio fragmentorum collectio, ibi, *Ut autem impleti sunt* etc. Circa primum duo facit. Primo ponitur

[1] Al. : « emerent. »

mandatum de dispositione turbarum; secundo opportunitas dispositionis; et tertio numerus dispositorum. Mandatum autem fuit Domini ad discipulos, ut disponerent turbam ad comedendum : unde dicit Jesus : *Facite homines discumbere*, idest sedere ad comedendum : nam, sicut dictum est supra II, antiquitus homines lectis accumbentes prandebant : unde inolevit consuetudo, ut qui sedent ad manducandum, dicantur discumbere. Per quod mystice significatur quies, quæ necessaria est ad perfectionem sapientiæ. Eccli. XXXVIII, 15 : *Qui minoratur actu, perficiet* [1] *sapientiam*. Quæ dispositio fit per discipulos, quia per eos ad nos cognitio veritatis derivata est. Psal. LXXI, 3 : *Suscipiant montes pacem populo*. Opportunitas autem dispositionis captatur ex loco : *Erat autem fenum multum in loco* : quod ad litteram commodum est discumbentibus. Mystice autem per fenum caro significatur. Isa. XL, 6 : *Omnis caro fenum* : et secundum hoc potest ad duo referri. Competit doctrinæ vestris testamenti, quæ dabatur quiescenti in carnalibus, et populo carnaliter sapienti. Isa. I, 19 : *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis*. Deuter. XXXIII, 28 : *Oculus Jacob in terra frumenti vini et olei*. Vel competit percipienti [2] veram sapientiam, ad quam veniri non potest nisi calcatis carnalibus. Rom. XII, 2 : *Nolite conformari huic sæculo*. Numerus autem erat magnus : unde dicit : *Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia*. Viros tantum Evangelista enumerat, legalem consuetudinem sequens, in qua Moyses a viginti [3] annis et supra, populum numeravit, nulla mentione de mulieribus facta, ut dicitur Num. I. Quod ideo Evangelista fecit, quia isti soli sunt capaces doctrinæ perfectæ. I Corinth. II, 6 : *Sapientiam loquimur inter perfectos*. Hebr. V, 14 : *Perfectorum est solidus cibus*.

7. Consequenter cum dicit, *Accepit ergo Jesus panes*, agit de refectione : et primo insinuatur reficientis affectus; secundo materia refectionis; et tertio perfecta satietas. In affectu autem Jesu reficientis primo quidem attenditur humilitas; secundo vero gratiarum actio. Humilitas : quia accepit panes, et distribuit. Et quidem Christus facturus miraculum poterat panibus ex nihilo creatis pascere turbas. Sed dispensatione panes præexistentes multiplicavit ad refectionem turbarum. Primo quidem ut ostenderet sensibilia a diabolo non esse, sicut Manichæi errantes dicunt : nam si hoc verum esset, Dominus non uteretur rebus sensibilibus ad opus divinæ laudis, et præcipue cum *ipse venerit, ut dissolvat opera diaboli* : ut dicitur I Joan. III, 8. Secundo ut ostendat falsum esse quod ipsi dicunt, scilicet doctrinam veteris testamenti non esse a Deo, sed a diabolo. Ut ergo ostenderet non esse doctrinam aliam novi testamenti quam quæ præfigurabatur et continebatur in doctrina veteris testamenti, præexistentes panes multiplicavit, innuens quod ipse est qui legem perfecit et implevit. Matth. V, 17 : *Non veni solvere legem*. Gratiarum autem actio : quia *gratias egit*, ut ostendat se ab alio habere, scilicet a Patre quicquid habet : in quo ostendit nobis exemplum simile faciendi. Specialiter tamen gratias egit, ut det nobis exemplum, cum comestionem incipimus, gratias debere agere Deo. I Tim. IV, 4 : *Nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur*. Psal. XXI, 2 : *Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum*. Item ut ostendat quod non propter se orabat, sed propter turbam, quæ præsens erat, et oportebat ei suadere [4] quod a Deo venerat. Et ideo cum coram multis miraculum facit, orat, ut ostendat se Deo non esse contrarium, sed secundum voluntatem ejus operari.

Dicitur tamen in Marco quod Christus per Apostolos distribuit panes turbis. Sed hic dicitur quod ipse distribuit, quia ipse videtur fecisse quod per alios fecit. Sed utrumque, secundum mysterium, verum est : quia ipse solus interius reficit, et alii exterius et ut ministri reficiunt.

Materia autem refectionis fuit et panes et pisces [5], de quibus satis dictum est supra. Satietas vero refectionis perfecta fuit, quia *quantum volebant*. Solus enim Christus est qui pascit animam inanem, et animam esurientem replet bonis. Psal. XVI, 15 : *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Alii vero, quasi ex mensura habentes gratiam, miracula faciunt; Christus vero

[1] Ibi : « percipiet. »
[2] Al. : « accipienti. »
[3] Al. : « a triginta. »

[4] Al. : « et oportet suaderi. »
[5] Parm. : « panis et piscis. »

absoluta virtute, cum multa superabundantia omnia operabatur : unde dicitur, quod *impleti sunt*.

8. Consequenter cum dicit, *Ut autem impleti sunt dixit discipulis suis* etc., agitur de fragmentorum collectione : et primo ponitur mandatum Domini ; secundo executio discipulorum, ibi, *Collegerunt* etc. Dicit ergo : *Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis : Colligite quæ superaverunt fragmenta.* Quod quidem Dominus non ad superfluam ostentationem fecit : sed ut ostenderet factum miraculum non esse phantasticum, per hoc quod collectæ reliquiæ diu servatæ sunt, et aliis in cibum fuerunt. Voluit etiam per hoc, miraculum illud firmius discipulorum cordibus inhærere, quibus et fragmenta portanda præcepit ; quoniam eos maxime erudire volebat qui orbis terrarum debebant esse magistri.

9. Sed discipuli fideliter exequuntur : unde sequitur : *Collegerunt ergo* etc. Ubi notandum est quod non quantæcumque reliquiæ supersunt, neque ad casum, sed secundum certitudinem : quia neque plus neque minus, sed quantum voluit fecit superfluum esse. Cujus signum est quod cophinus cujuslibet Apostoli plenus fuit : cophinus autem vas est rusticano officio deputatum. Duodecim ergo cophini significant duodecim Apostolos, et eorum imitatores : qui licet in præsenti sint contemptibiles, spiritualium tamen sacramentorum divitiis sunt interius [1] referti : qui duodecim esse dicuntur, quia fides sanctæ Trinitatis per eos prædicanda erat in quatuor partibus mundi.

LECTIO II.

1. Illi ergo homines, cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant, quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum. 2. Jesus ergo cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. 3. Cum autem sero factum esset, descenderunt discipuli ejus ad mare : et cum ascendissent navim, venerunt trans mare in Capharnaum. 4. Et tenebræ jam factæ erant, et non venerat ad eos Jesus. 5. Mare autem, vento magno flante, exurgebat. 6. Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta, vident Jesum ambulantem supra mare, et proximum navi fieri. 7. Et timuerunt. Ille autem dixit eis : Ego sum, nolite timere. Voluerunt ergo accipere eum in navim : et statim navis fuit ad terram in quam ibant.

1. Posito signo visibili de nutrimento corporali, hic ponitur effectus signi in turbis triplex. Primo quantum ad fidei confessionem ; secundo quantum ad intentatam honoris exhibitionem, ibi ; *Jesus ergo cum cognovisset* etc. ; tertio quantum ad diligentem inquisitionem, ibi, *Ut autem sero factum est* etc. Sciendum est circa primum, quod quasi ex ore Judæorum dictum est in Psal. LXXIII, 9 : *Signa nostra non vidimus, jam non est Propheta.* Erat autem olim consuetudo ut Prophetæ multa signa facerent : unde deficientibus signis, videbatur prophetia cessasse. Cum vero signa vident, redditam sibi prophetiam confitentur. Unde jam tantum de viso miraculo profecerant quod Dominum [2] Prophetam dicebant. Dicitur ergo : *Illi homines,* qui satiati fuerant ex quinque panibus, *cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant, quia hic est vere Propheta.* Sed tamen nondum ad perfectam fidem pervenerant : quia eum Prophetam credebant qui etiam est Dominus Prophetarum. Nec tamen ex toto falluntur : quia etiam ipse Dominus se Prophetarum nominat.

Sciendum est autem, quod Propheta dicitur Videns. I Reg. IX, 9 : *Qui nunc dicitur Propheta, olim vocabatur Videns.* Visio autem ad vim cognoscitivam pertinet. In Christo autem fuit triplex cognitio. Scilicet sensitiva ; et secundum hanc habuit aliquam similitudinem cum Prophetis, inquantum in imaginatione Christi formari poterant aliquæ species sensibiles, quibus futura vel occulta præsentarentur, præcipue propter passibilitatem, quæ sibi conveniebat propter statum viatoris. Item cognitio intellectiva : et quantum ad hanc non habet similitudinem cum Prophetis ; sed etiam est supra Angelos : quia erat comprehensor excellentius quam aliqua creatura. Item cognitio divina : et quantum ad hanc [3] fuit Prophetarum et Angelorum inspirator ; cum omnis cognitio causetur per participationem Verbi divini.

[1] Al. : « refecti. »
[2] Al. : « Deum. »
[3] « Al.: ad hoc. »

Videntur tamen in Christo excellentiam prophetiæ cognoscere in hoc quod dicunt, *Vere Propheta*. Licet enim multi Prophetæ inter Judæos fuerint, unus tamen expectabatur in eis præcipuus, secundum illud Deut. XVIII, 15 : *Prophetam suscitabit vobis Dominus :* et de hoc loquuntur : unde signanter dicit : *Qui venturus est in mundum.*

2. Deinde cum dicit, *Jesus ergo cum cognovisset* etc., ponitur secundus effectus quantum ad intentatam honoris exhibitionem, quam tamen Christus refugit. Et ideo primo ponitur conatus plebis ; secundo fuga Christi. Conatus quidem, cum dicit : *Ut raperent eum, et facerent eum Regem* : illud enim rapi dicitur quod præter voluntatem et opportunitatem accipitur. Verum autem erat quod dispositio Dei Patris ab æterno fuerat de regno Christi manifestando ; sed manifestatio hæc nondum opportuna erat secundum tempus : nam venerat tunc, sed non regnare, quomodo regnans est in eo quod dicimus (Matth. VI, 10) : *Adveniat regnum tuum* : ubi regnabit etiam secundum illud quod homo factus est Christus [1]. Et ideo huic manifestationi aliud tempus est ordinatum : quando scilicet erit aperta claritas sanctorum ejus, post judicium ab eo factum. De ista manifestatione quærebant discipuli, Act. I, 6 : *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Credentes ergo turbæ eum regnaturum venisse, volebant eum facere regem. Cujus ratio est, quia homines frequenter talem in dominum volunt qui eos in temporalibus pascat. Unde quia Christus paverat eos, eum regem facere voluerunt. Isa. III, 6 : *Vestimentum tibi est : esto princeps noster*. Unde Chrysostomus dicit : « Vide quanta est gulæ virtus : non eis ultra cura est sabbati transgressionis, nec ultra zelant pro Deo, sed omnia remota sunt, ventre repleto : sed et Propheta jam erat apud eos, et Regem eum inthronizare volebant. »

Fuga autem Christi ponitur, cum dicit : *Fugit iterum in montem ipse solus*. Ubi datur intelligi, quod Dominus videns turbas, de monte descenderat, et circa inferiora loca paverat turbas : nisi enim de monte descendisset, non diceretur iterum fugere in montem.

Sed cum ipse sit vere rex, quare fugit? Ad quod triplex ratio assignatur. Una, quia derogasset dignitati ejus, si regnum ab homine recepisset, qui sic rex erat ut ejus participatione reges omnes essent. Prover. VIII, 15 : *Per me reges regnant*. Alia ratio, quia præjudicasset suæ doctrinæ, si claritatem aut [2] robur ab hominibus accepisset. Sic enim operabatur et docebat ut totum virtuti divinæ ascriberetur, et non favori humano. Supra V, 41 : *Claritatem ab hominibus non accipio*. Tertia ratio est, ut erudiret nos mandans dignitates contemnere. Infra XIII, 15 : *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis*. Eccli. VII, 4 : *Noli quærere ab homine ducatum*. Sic ergo gloriam mundi recusavit ut tamen pœnam sponte subiret : secundum illud Hebr. XII, 2 : *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta*.

Sed huic videtur contrarium quod dicitur Matth. XIV, 23 ; scilicet quod *ascendit solus in montem orare*. Sed, secundum Augustinum, hæc non sunt contraria : quia causa fugiendi conjuncta est causæ orandi : tunc enim docet nos Dominus magnam causam esse orandi, cum imminet causa fugiendi.

Mystice autem tunc ascendit in montem quando turbæ refectæ paratæ erant ei subjici : quia tunc ascendit in cælum, quando populi parati erant se veritati fidei subjicere : secundum illud Psal. VII, 8 : *Synagoga populorum circumdabit te; et propter hanc in altum regredere :* idest, ut circumdet te Synagoga populorum, regredere in altum. Sed dictum est, *Fugit*, ut signaret quod non potuit intelligi altitudo ejus : quod enim non intelligimus, dicimus a nobis fugere.

3. *Ut autem sero factum*, etc. Hic agitur de tertio effectu, scilicet de diligenti inquisitione : et primo quantum ad discipulos, secundo vero quantum ad turbas, ibi, *Altera autem die* etc. Circa primum duo facit. Primo ponit studium discipulorum ; secundo explicat, ibi, *Et tenebræ jam factæ erant* etc. Circa primum duo facit. Primo describit descensum discipulorum ad mare ; secundo transitum maris, ibi. *Et cum ascendissent navim* etc. Sciendum ergo circa primum, quod Christus ascendit montem nescientibus discipulis : unde expectaverunt usque ad vesperam, eum venturum esse putantes ad se. Facta autem vespera, non ultra sustinent eum

[1] Parm. omittit : « Christus. »

[2] Al. : « etiam. »

non inquirere : tantus eos detinebat amor. Et ideo dicit : *Ut autem sero factum est, descenderunt discipuli ejus ad mare, requirentes eum.*

Mystice autem per sero, dominica passio seu ascensio designatur : quamdiu enim Christus præsentia corporali cum discipulis fuit, nulla eos deprimebat turbatio, amaritudo nulla vexabat. Matth. IX, 15 : *Non possunt filii sponsi lugere quamdiu sponsus est cum illis* : sed Christo recedente ab eis, descendunt ad mare, idest ad turbationes sæculi. Psal. CIII, 25 : *Hoc mare magnum.*

Sed quia amor quo igniti erant, non sinebat eos diutius Domini præsentia carere, ideo subdit eorum transitum, cum dicit : *Et cum ascendissent navim, venerunt trans mare in Capharnaum.*

4. Consequenter cum dicit, *Et tenebræ jam factæ erant* etc., explicat quod summatim posuerat : et primo de perventione ad mare ; secundo de transitu, ibi, *Mare autem, vento magno flante, exurgebat.* Quantum ad primum dicit : *Tenebræ jam factæ erant, et non venerat* [1] *ad eos Jesus* : quod non sine causa Evangelista exprimit, ut per hoc ferventem eorum ostendat amorem : non enim vespera nec nox eos detinuit.

Mystice autem tenebræ, caritatis defectum designant : lux enim caritas est, secundum illud I Joan. II, 10 : *Qui diligit fratrem suum, in lumine est.* Tenebræ ergo in nobis sunt quando non venit ad nos Jesus lux vera, ut dicitur supra I, in cujus præsentia omnes tenebræ propulsantur.

Subtraxit autem Christus se tamdiu discipulis, primo quidem ut sentirent quid esset ejus absentia ; quod quidem experti sunt in tempestate maris. Hier. II, 19 : *Scito, et vide quia malum et amarum est dereliquisse te Dominum.* Secundo ut diligentius quærerent. Cant. V, 17 : *Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum?... et quæremus eum tecum.*

5. Quantum ad transitum dicit : *Mare autem, vento magno flante, exurgebat.* Et primo ponitur maris tempestas ; secundo Christi apparitio, et tempus apparitionis, ibi, *Et cum remigassent.... vident Jesum ;* tertio apparitionis effectus, ibi, *Et timuerunt* etc. Tempestas autem in mari causabatur a flatu exorti venti ; et ideo dicit : *Mare autem, vento magno flante, exurgebat* in altum. Per ventum illum figuratur tentatio et persecutio quæ futura est Ecclesiæ propter defectum caritatis : nam, sicut Augustinus dicit, unde caritas refrigescit, inde fluctus augentur, et turbatur navis : nec tamen venti illi et tempestas et fluctus et tenebræ id agebant ut vel navis non promoveretur, vel soluta frangeretur : *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit :* Matth. XXIII, 13, et ibid. VII, 27 : *Flaverunt venti, et irruerunt flumina ; et non cecidit domus.*

6. Apparitio autem Christi non fuit statim a principio tempestatis, sed post aliquod spatium : et ideo dicit : *Cum remigassent ergo quasi stadia vigintiquinque aut triginta vident Jesum* : et hoc ideo ut daretur intelligi, quia Dominus patitur nos ad tempus tribulari, ut virtus nostra probetur ; finaliter tamen in necessitate non deserit, sed nobis proximus fit. I Cor. X, 13 : *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentare supra id quod potestis ; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Secundum Augustinum, vigintiquinque stadia, quæ remigant, sunt quinque libri Moysi : nam hujusmodi numerus est quadratus, de hoc numero quinque consurgens in multiplicatione sui in seipsum : quinquies enim quinque sunt vigintiquinque ; numerus autem multiplicatus retinet significationem suæ radicis : unde sicut per quinque signatur vetus lex, ita per vigintiquinque signatur perfectio novi testamenti. Per triginta autem signatur perfectio novi testamenti, quæ deerat legi : nam si ipsa quinque multiplicentur per sex qui est numerus perfectus, consurgit numerus terdenarius. Ad eos ergo qui remigant vigintiquinque aut triginta stadia, idest qui implent legem vel perfectionem evangelicam, venit Jesus, calcans omnes tumores [2] mundi [3], omnes altitudines sæculi premens Ps. LXXXVIII, 10 : *Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas.* Et tunc videbimus Christum proximum navi, quia divinum auxilium approximat. Psal. CXLIV, 18 : *Prope est Dominus omnibus timentibus eum.* Apparet ergo quod qui recte Christum quærunt, eum habent præsentem. Isti autem ferventissime Christum desiderabant : quod patet ex temporis tenebrosi-

[1] Al. : « venit. »
[2] Al. : « rumores. »

[3] Parm. : « mundi, altitudines sæculi præsentis. »

tate, ex maris tempestate, et ex distantia portus, quibus non obstantibus ad eum ire conabantur. Et ideo Christus adfuit eis.

7. Effectus autem apparitionis ponit cum dicit : *Et timuerunt. Ille autem dixit eis : Ego sum, nolite timere.* Et primo ponitur effectus interior; secundo exterior, ibi, *Et statim navis fuit ad terram.* Effectus autem interior fuit timor; et ideo ponitur discipulorum timor conceptus ex subita Christi apparitione, cum dicit. *Et timuerunt*, bono timore, qui causatur ex humilitate. Rom. xi, 30 : *Noli altum sapere, sed time.* Vel malo timore, quia ut dicitur Matth. xiv, 26 : *æstimabant eum phantasma esse.* Psal. xiii, 5 : *Trepidaverunt timore ubi non erat timor.* Quoniam timor præcipue carnalibus competit, qui spiritualia expavescunt. Secundo ponitur Christi confortatio contra duplex periculum. Scilicet contra periculum fidei in intellectu, et quantum ad hoc dicit, *Ego sum*, quasi dubitationem omnem repellens. Luc. ult. 39 : *Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum.* Secundo contra periculum timoris in affectu ; et quantum ad hoc dicit, *Nolite timere.* Hier. i, 8 : *Ne timeas a facie eorum.* Psal. xxvi, 1 : *Dominus illuminatio mea et salus mea* : *quem timebo?* Tertio ponitur discipulorum assecutio : quia *voluerunt eum accipere in navim* : quo [1] significatur quod quando timor servilis excluditur a cordibus nostris, tunc recipimus Christum, amando et contemplando. Apoc. iii, 20 : *Ego sto ad ostium et pulso : si quis aperuerit mihi, intrabo*, Effectus autem exterior fuit quantum ad duo. Primo, quia sedata est tempestas [2] ; secundo, quia statim navis fuit ad terram, cum multum ab ea distaret : non enim fallacem, sed tranquillam præbuit eis navigationem ; et volens majus miraculum operari, navem non ascendit. Sic ergo triplex hic concurrit miraculum : scilicet ambulatio supra mare, subita tempestatis cessatio, et distantis navis ad portum deductio : ut discamus, quod fideles in quibus est Christus, tumorem [3] mundi premunt, fluctus tribulationum calcant, et velociter ad terram viventium transeunt, secundum illud Psal. cxlii, 10 : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram.*

Sed hic est multiplex quæstio. Una est circa litteram, in qua videtur Matthæi contrarium dicere : nam Matth. xiv, dicitur, quod discipuli venerunt ad mare de mandato Domini : hic autem, quod descenderunt quærentes eum. Alia quæstio est, quod Matthæus ibidem dicit, quod discipuli mare transfretantes venerunt in terram Genesareth, hic autem dicitur, quod venerunt Capharnaum. Tertia quæstio est, quod Matthæus dicit quod Christus intravit navem ; hic autem, quod non.

Sed de his tribus breviter expediens se Chrysostomus dicit, istud non fuisse idem miraculum cum illo Matthæi : nam, ut ipse dicit, Christus frequenter hujusmodi miraculum fecit ambulans supra mare, non tamen coram turbis, sed coram discipulis suis, ne turbæ crederent eum non verum corpus habere. Secundum Augustinum autem dicitur, et verius, idem miraculum fuisse quod hic Joannes narrat, et ibi Matthæus. Et ideo ad primam quæstionem respondens dicit, quod non refert quod dicit Matthæus eos præcepto Christi ad mare descendisse. Potuit enim esse quod Dominus hoc eis mandasset, et ipsi descenderint credentes Christum cum eis navigaturum : unde expectarent eum usque ad noctem. Et quia Christus non venit, tunc ipsi transierunt mare. Ad secundam quæstionem est duplex responsio. Una est, quia Capharnaum et Genesareth ex eodem littore sunt, et vicinæ. Et forte discipuli pervenerunt trans mare in confinio utriusque ; ideo Matthæus nominat unam, et Joannes aliam. Vel potest dici, quod Matthæus non dicit quod statim venerunt in Genesareth ; et ideo forte primo venerunt Capharnaum, et postea in Genesareth etc.

LECTIO III.

1. Altera die, turba quæ stabat trans mare, vidit quia navicula alia non erat ibi, nisi una ; et quia non introisset cum discipulis suis Jesus in navim, sed soli discipuli ejus abiissent. 2. Aliæ vero supervenerunt naves a Tiberiade juxta locum ubi manducaverunt panem, gratias agentes Deo. 3. Cum ergo vidisset turba quia Jesus non esset ibi neque discipuli ejus, ascenderunt in naviculas, et venerunt Capharnaum,

[1] Al. : « quod. »
[2] Al. : « sedata tempestate. »
[3] Al. : « timorem. »

quærentes Jesum. Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei : Rabbi, quando huc venisti? 26. Respondit eis Jesus, et dixit : Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus et saturati estis. 27. Operamini non cibum qui perit, sed qui manet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis : hunc enim Pater signavit Deus. 28. Dixerunt ergo ad eum : Quid faciemus, ut operemur opera Dei? Respondit Jesus, et dixit eis : Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. 30. Dixerunt ergo ei : Quod ergo tu facis signum ut videamus et credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est : Panem de cælo dedit eis manducare.

1. Postquam Evangelista posuit quomodo discipuli inquisierunt Christum, hic consequenter agit de turbis eum quærentibus. Et primo ponitur motivum ad inquirendum; secundo inquirendi opportunitas, ibi, *Aliæ vero supervenerunt naves*, etc. ; tertio ponitur ipsa inquisitio, ibi, *Cum ergo vidisset turba*, etc. Movit autem ad inquirendum Christum turbas miraculum præcedens, scilicet quod absque vehiculo mare transierit. Quod quidem innotuit eis, eo quod de sero non erat in littore quod erat juxta locum ubi fecerat miraculum de panibus, ubi una navis tantum erat, quæ quidem navis cum discipulis ad aliam partem transfretavit absque Christo. Unde cum de mane non invenissent Christum ex eadem parte ex qua fuerat præcedenti die, sed jam erat ex alia parte, nec habuisset aliquam aliam navem in qua transiret, suspicati sunt quod supra mare ambulans transivisset : et hoc est quod dicit : *Altera die*, ab ea qua fecerat miraculum de panibus, *turba quæ stabat trans mare*, ubi miraculum fecerat, *vidit quod navicula alia non erat ibi nisi una*, quia in præcedenti die non fuerat nisi illa tantum, et vidit *quia non introisset cum discipulis suis Jesus in navim*, etc. Per hanc unam navem significatur Ecclesia, quæ est una, unitate fidei, et sacramentorum. Ephes. IV, 5 : *Una fides, unum baptisma*. Per hoc autem quod Jesus non est cum discipulis, significatur corporalis separatio Christi ab eis in Ascensione. Marc. ult. 19 : *Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum*.

2. Opportunitas autem inquirendi datur ex adventu aliarum navium ab alia parte maris, cum quibus poterant transire ad quærendum Christum : et ideo dicit : *Aliæ vero naves supervenerunt*, ex alia parte, scilicet *a Tiberiade, juxta locum ubi manducaverunt panes*, etc. Per istas alias naves quæ supervenerunt, significantur conventicula hæreticorum, et eos[1] qui quæ sua sunt quærunt, et non quæ Jesu Christi : infra (hoc cap.). *Quæritis me, quia manducastis ex panibus meis*[2] : et qui sunt separati vel fide quantum ad hæreticos, vel caritate quantum ad carnales, ab Ecclesia [3] sed tamen sunt juxta eam, inquantum simulatam fidem prætendunt, et speciem sanctitatis habent : secundum illud II Timoth. III, 5 : *Habentes quidem speciem pietatis* [4], *virtutem autem ejus abnegantes*. Et II Corinth. XI, 14 : *Non est mirum si ministri satanæ transformant se*,

3. Sed inquisitio fuit studiosa : unde dicit : *Cum ergo vidisset turba*, etc. Et primo ostendit quomodo inquirit turba Christum; secundo quomodo inventum interrogat. Dicit ergo primo quod *cum vidisset turba quod Jesus non erat ibi*, *nec discipuli ejus*, *ascenderunt in naviculas*, quæ venerant a Tiberiade, *quærentes eum* : quod est laudabile. Isa. LV, 6 : *Quærite Dominum dum inveniri potest*. Et Psal. LXVIII, 33 : *Quærite Dominum, et vivet anima vestra*. Sed inventum interrogant : unde dixit : *Et cum* turbæ *invenissent eum*, scilicet Christum, *trans mare, dixerunt ei* : *Rabbi, quando huc venisti?* Sed hæc quæstio dupliciter potest intelligi. Uno modo ut quærant tantum de tempore; et tunc, secundum Chrysostomum, exprobranda est eorum ruditas, qui post tantum miraculum non quærunt de modo transeundi, qualiter scilicet sine navi transisset; sed tantum de tempore transitus. Vel potest dici quod per hoc quod dicunt. *Quando,* non solum quærunt de tempore, sed etiam de aliis circumstantiis quæ concurrerunt ad transitum miraculosum.

Sed attende quod supra post refectionem volebant eum facere regem; nunc vero cum præsentem habent, nec eum regem facere volunt. Cujus ratio est, quia ipsi volebant eum facere regem concitati a passione lætitiæ causatæ a refectione; passiones autem hujusmodi cito transeunt : et ideo ea quæ secundum ipsas passiones disponuntur, transitoria sunt : quæ vero ratione disponuntur, magis permanent. Eccl. XXVII, 12 : *Homo sapiens in sapientia sua permanet sicut sol*; *stultus*

[1] Parm. : « eorum. »
[2] Parm. omittit : « et. »

[3] Parm. : « quia non sunt proprie in Ecclesia. »
[4] Al. : « sanctitatis. »

autem ut luna mutatur. Prov. XI, 18 : *Impius facit opus instabile.*

4. Consequenter cum dicit, *Respondit eis Jesus*, etc., agit Dominus de cibo spirituali : et primo proponit veritatem de spirituali ; secundo contradictionem excludit [1], ibi, *Murmurabant ergo Judæi de illo.* Circa primum tria facit. Primo proponit veritatem spiritualis cibi ; secundo insinuat ejus originem, ibi, *Dixerunt ergo ei : Quod ergo tu facis signum?* etc. ; tertio docet modum capiendi ipsum cibum, ibi, *Dixerunt ergo ad eum : Domine, semper da nobis panem hunc.* Circa primum duo facit. Primo ostendit cibum spiritualem, et ejus virtutem ; secundo manifestat eum quis sit, ibi, *Dixerunt ergo ad eum : Quid faciemus ut operemur opera Dei?* Circa primum duo facit. Primo arguit perversam eorum cupiditatem ; secundo hortatur ad veritatem, ibi, *Operamini*, etc. Dicit ergo : *Amen amen dico vobis*, licet ostendatis vos quasi devotos, tamen *quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis ;* quasi dicat : Propter carnem me quæritis, non propter spiritum, quia scilicet ut iterum pascamini. Et, sicut Augustinus dicit, locum istorum tenent qui quærunt Jesum, non propter seipsum, sed ut aliqua commoda sæcularia consequantur : sicut sunt illi qui negotia habentes, ad prælatos et clericos accedunt, non propter Christum, sed ut eorum intercessione promoveantur apud magnates : sicut sunt illi qui ad Ecclesias confugiunt, non propter Jesum, sed quia a potentioribus premuntur : sicut etiam sunt illi qui per sacros ordines ad Dominum appropinquantes, non eisdem merita virtutum, sed subsidia vitæ præsentis inquirunt, scilicet divitias et honores, ut Gregorius dicit XXXIII *Moral.* Et hoc patet : nam facere signa, virtutis divinæ est ; sed manducare panem multiplicatum, est temporale. Qui ergo non veniunt ad Christum propter virtutem quam in eo vident, sed propter hoc quod ex panibus manducant, non Christo serviunt, sed suo ventri, ut dicitur Phil. III : et Psal. XLVIII, 19 : *Confitebitur tibi cum benefeceris ei.*

5. Ad veritatem eos reducit proponendo eis spiritualem cibum, dicens : *Operamini non cibum qui petit, sed qui manet in vitam æternam.* Et primo proponit ejus virtutem ; secundo ejus auctoritatem, ibi, *Quem Filius hominis dedit vobis.* Virtus illius cibi consideratur in hoc quod non perit. Unde sciendum est circa hoc quod corporalia sunt quædam similitudines spiritualium, utpote ab eis causata et derivata ; et ideo imitantur ipsa spiritualia aliquo modo : unde [2] sicut corpus sustentatur cibo, ita illud quo sustentatur spiritus, dicitur ejus cibus, quicquid sit illud. Illud autem quo sustentatur corpus, cum transeat in corporis naturam, corruptibile est ; sed cibus quo sustentatur spiritus, est incorruptibilis, quia non mutatur in ipsum spiritum, sed potius e converso spiritus in cibum. Unde dictum est Augustino [3] : « Cibus sum grandium : cresce [4], et manducabis me : nec tu me mutabis in te, ut cibum carnis tuæ, sed mutaberis in me : » ut dicitur lib. *Confess.* Et ideo dicit Dominus, *Operamini ;* idest, operando quærite, seu operibus mereamini, *non cibum qui perit*, scilicet corporalem : I Cor. VI, 13 : *Esca ventri, et venter escis, Deus autem et hunc et hanc destruet* : quia non semper erit usus ciborum : *sed* illum cibum *operamini*, scilicet spiritualem, *qui manet in vitam æternam* : qui quidem cibus est ipse Deus, inquantum est veritas contemplanda, et bonitas amanda, quibus reficitur spiritus. Prov. IX, 5 ; *Comedite panem meum.* Eccl. XIII, 3 : *Cibavit illum pane vitæ et intellectus.* Item ipsa obedientia divinorum mandatorum. Supra IV, 34 : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me.* Item ipse etiam Christus. Infra eodem : *Ego sum panis vitæ.* Item : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Et hoc inquantum est conjuncta Verbo Dei quod est cibus quo Angeli vivunt. Similem autem differentiam assignavit supra IV, 13, de potu corporali et potu spirituali, cum dixit : *Qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum : qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum* : quam hic assignat inter cibum corporalem et spiritualem. Cujus ratio est, quia corporalia sunt corruptibilia, spiritualia vero, et maxime Deus, sunt æterna.

Sed sciendum est, secundum Augustinum lib. *De operibus Monachorum*, quod ex hoc verbo, scilicet *Operamini non cibum qui perit*, quidam monachi erroris

[1] Al. deest : « excludit. » — [2] Al. deest : « unde. » — [3] Al. : « dictum est ab Augustino. » — [4] Al. : « crede. »

causam sumpserunt, dicentes, spirituales viros non debere aliquid corporaliter operari. Sed hic intellectus est falsus, quia Paulus, qui maxime spirituale fuit, propriis manibus laboravit, ut habetur Ephes. IV, 28, ubi [1] ipse dicit : *Qui furabatur, jam non furetur; magis autem laboret manibus suis*. Ergo est verus intellectus, ut opus nostrum, idest principale studium et intentionem nostram dirigamus ad quærendum cibum qui ducit ad vitam æternam, scilicet bona spiritualia. Ad temporalia autem non debemus principaliter attendere, sed accessorie, idest solum ea procurare ratione corporis corruptibilis quod sustentari oportet quamdiu in hac vita vivimus. Unde contra hoc signanter dicit Apostolus, II Thess. III, 10 : *Qui non laborat non manducet* : quasi diceret : Qui dicunt quod nihil corporale est operandum; quia comestio est quid corporale, tales non debent comedere.

6. Consequenter cum dicit, *Quem Filius hominis dabit vobis*, ponit spiritualis cibi datorem : et primo ponit auctorem hujus [2] cibi; secundo manifestat unde habeat auctoritatem cibandi. Auctor autem et dator cibi spiritualis est Christus; et ideo dicit : *Quem*, scilicet cibum qui non perit, *Filius hominis dabit vobis*. Si dixisset, Filius Dei, non fuisset visum mirum; sed hoc quod Filius hominis dat eum, magis elevat ad attentionem. Spiritualiter tamen ideo Filius hominis dat, quia natura humana infirma per peccatum fastidiebat spiritualem cibum, nec poterat ipsum in sua spiritualitate sumere : unde oportuit quod Filius Dei carnem sumeret, et per eam nos reficeret. Psal. XXII, 2 : *Parasti in conspectu meo mensam*. Unde autem habeat auctoritatem dandi, subdit cum dicit : *Hunc enim Pater signavit Deus;* quasi dicat : Quod Filius hominis dabit, hoc non habet nisi inquantum [3] singularitate et eminentia plenitudinis gratiæ præcellit omnes filios hominum; unde dicit : *Hunc*, scilicet Filium hominis, *Pater signavit;* idest, signanter distinxit a ceteris. Psal. XLIV, 8 : *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. Vel, secundum Hilarium, *signavit*, idest sigillavit. Quando autem sigillum in cera imprimitur, cera retinet totam figuram sigilli, sicut et Filius totam figuram Patris accepit. Est autem duplex receptio quam Filius recepit a Patre. Una æterna; et de hac non intelligitur quod hic dicitur, *Signavit*, quia in sigillatione aliud est natura recipiens, et aliud imprimens [4]. Sed hoc intelligitur de mysterio incarnationis, quia in natura humana Deus Pater impressit Verbum, qui « *est splendor et figura substantiæ ejus* : » ut dicitur Hebr. I, 3 : Vel, secundum Chrysostomum, *signavit;* idest, ad hoc specialiter eum Deus Pater instituit ut daret vitam æternam mundo. Infra X, 10 : *Ego veni ut vitam habeant*, etc. Sic enim quando aliquis eligitur ad aliquod magnum officium. Luc. X, 1 : *Post hæc designavit Dominus* [5] *et alios septuaginta discipulos*, etc. Vel *signavit*, idest manifestavit per vocem in baptismo, et per opera, ut dictum est supra, V.

7. Consequenter cum dicit, *Dixerunt ergo ad eum : Quid faciemus ut operemur opera Dei*? manifestat quid sit cibus spiritualis. Et primo ponitur quæstio Judæorum; secundo subditur responsio Jesu Christi, ibi, *Respondit Jesus* etc. Circa primum sciendum est, quod Judæi instructi ex lege, credebant nihil æternum esse nisi Deum. Unde, cum dixisset quod cibus spiritualis permanet in vitam æternam, intellexerunt cibum illum esse aliquid divinum. Et ideo quærentes, non de cibo, sed de opere Dei mentionem faciunt, cum dicunt : *Quid faciemus ut operemur opera Dei ?* In quo non longe erant a veritate, cum nihil aliud sit cibus spiritualis quam operari opera Dei. Luc. XVIII, 18 : *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* Responsio Domini ponitur, cum dicit : *Hoc est opus Dei ut credatis in illum* etc.

Ubi considerandum est, quod Apostolus Rom. IV, distinguit fidem ab operibus, dicens quod Abraham non est justificatus ex operibus, sed ex fide. Quid est ergo quod hic Dominus dicit, ipsam fidem, seu credere, esse opus Dei? Sed ad hoc est duplex responsio. Una, quod Apostolus non distinguit fidem ab operibus simpliciter, sed ab exterioribus. Sunt enim quædam opera exteriora, quæ exercentur corporalibus membris, quæ quia magis nota sunt, secundum commu-

[1] Al. omittitur : « ibi. » — [2] Al. : « unius. » — [3] Al. : « Filius hominis dabit, cum hoc non habeat inquantum, etc. » — [4] Al. : « quia sigillatio est aliud cum natura recipiens, aliud imprimens. » — [5] Al. : « Deus. »

nem usum opera dicuntur : alia vero sunt interiora, quæ exercentur in ipsa anima, quæ non sunt nota nisi sapientibus, et quæ convertuntur ad cor. Alio modo dicitur, quod ipsum credere potest computari inter opera exteriora, non quod fides sit ipsa opera, sed eorum principium : unde et signanter dicit : *Ut credatis in illum.* Differt enim dicere credere Deum, sic enim designo objectum; et credere Deo, quia sic designo testem; et credere in Deum, quia sic designo finem : ut sic Deus possit haberi ut objectum fidei, ut testis, et ut finis, sed aliter et aliter : quia objectum fidei potest esse creatura, credo enim cœlum esse creatum; similiter et creatura potest esse testis fidei, credo enim Paulo, seu cuicumque sanctorum : sed fidei finis non potest esse nisi Deus : nam mens nostra solum in Deum fertur sicut in finem. Finis autem cum habeat rationem boni, est objectum amoris; et ideo credere in Deum ut in finem, est proprium fidei formatæ per caritatem : quæ quidem fides sic formata est principium omnium bonorum operum; et intantum ipsum credere dicitur opus Dei.

Sed si fides est opus Dei, quomodo homines faciunt opera Dei? Sed hoc solvitur per Isa. XXVI, 12, cum dicit : *Omnia opera nostra operatus est in nobis.* Nam hoc idem quod credimus, et quicquid operamur boni, est in nobis a Deo. Philip. II, 13 : *Ipse est qui operatur in nobis et velle, et perficere.* Et ideo signanter dicit, credere esse opus Dei, ut ostendat fidem esse donum Dei, ut dicitur Ephes. II.

8. Consequenter cum dicit, *Dixerunt ergo ei : Quod ergo tu facis signum?* agitur de origine cibi : et primo ponitur quæstio Judæorum : secundo responsio Christi [1], ibid, *Amen amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cælo.* Circa primum tria faciunt. Primo petunt signum; secundo determinant ipsum; tertio inducunt Scripturæ testimonium. Signum autem petunt proponendo quæstionem : unde *dixerunt illi : Quod tu facis signum, ut videamus, et credamus tibi?* Hæc autem quæstio aliter inducitur ab Augustino, et aliter a Chrysostomo. Chrysostomus enim dicit, quod Dominus invitaverat eos ad fidem. Argumenta autem ad fidem inducentia sunt miracula. I Cor. XIV, 22 : *Signa data sunt infidelibus.* Et ideo ad hoc quærunt signum quo credant : mos enim est Judæis signa petere. I Cor. I, 22 : *Quoniam Judæi signa quærunt.* Unde dicit : *Quod ergo signum tu facis?*

Sed hoc ridiculosum videtur, quod propter hoc quærant aliqua miracula, quia statim fecerat aliqua multiplicando panes, et ambulando supra mare, quæ in præsentia extiterant, quibus credere possent. Sed hoc ideo dicunt, ut provocent Dominum, et inducant ut semper eos pasceret. Quod patet, quia nullam mentionem faciunt de alio signo, nisi de eo quod factum est in eorum parentibus per Moysen quadraginta annis, ut quasi per hoc petant quod semper eos pascat : unde dicunt : *Patres nostri manducaverunt manna in deserto.* Nec dicunt : Deus pavit patres nostros manna, ne videantur velle æquare eum Deo. Similiter non dicitur, Moyses pavit eos, ne videantur Moysen præferre Christo, quasi in hoc eum allicere volentes, ut continue eos pascat. De cibo illo dicitur Exod. XVI, et in Psal. LXXVII, 25 : *Panem Angelorum manducavit homo.* Augustinus autem dicit, quod Dominus dixit se daturum eis cibum qui permanet in vitam æternam : unde quasi videtur se Moysi præferre. Judæi autem Moysen reputabant majorem Christo : unde dicebant infra IX, 29 : *Nos scimus quia Moysi locutus est Deus; hunc autem nescimus unde sit.* Unde requirebant quod Christus faceret aliqua majora quam Moyses fecerit : et ideo reducunt in memoriam ea quæ Moyses fecit, dicentes : *Patres nostri manducaverunt manna in deserto*; quasi dicerent : Hoc quod dicis de te majus est quam illud quod fecit Moyses : quia promittis cibum qui non perit; sed manna quod dabat Moyses, si servabatur in alium diem, vermibus scaturiebat. Si ergo vis ut credamus tibi, facias aliquid majus Moyse : nam quod fecisti non est majus, quia satiasti quinque millia hominum, sed quinque panibus [2] hordeaceis, et semel tantum; ille vero totum populum satiavit manna de cælo annis quadraginta, et hoc in deserto, sicut scriptum est in Psal. LXXVII, 24 : *Panem de cælo dedit eis manducare.*

[1] Al. deest : « Christi. » — [2] Al. : « quinque millia hominum quinque panibus, etc. » Item : « quinque millia hominum, sed panibus, etc. »

LECTIO IV.

1. Dixit ergo eis Jesus : Amen amen dico vobis,
non Moyses dedit vobis panem de cælo ; sed Pater
meus dat vobis panem de cælo verum. 2. Panis enim
verus est qui de cælo descendit, et dat vitam mundo.
3. Dixerunt ergo ad eum : Domine, semper da nobis
panem hunc. 4. Dixit autem eis Jesus : Ego sum pa-
nis vitæ. 5. Qui venit ad me, non sitiet in æternum.
6. Sed dixit vobis, quia et vidistis me, et non credi-
distis. 7. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet.
8. Et eum qui venit ad me, non ejiciam foras. 9. Quia
descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam,
sed voluntatem ejus qui misit me. 10. Hæc est enim
voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod de-
dit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in
novissimo die. 11. Hæc est autem voluntas Patris
mei qui misit me, ut omnis qui videt Filium et credit
in eum, habeat vitam æternam. 12. Et ego resuscitabo
eum in novissimo die.

1. Posita Judæorum interrogatione, hic ponitur responsio Christi. Et primo ostendit originem cibi spiritualis ; secundo probat eam, ibi, *Panis enim verus est qui de cœlo descendit*. Circa primum sciendum est, quod Judæi duo proposuerant Christo circa originem cibi corporalis, quem patres eorum habuerunt ; scilicet datorem, qui fuit Moyses, et locum, quia de cœlo ; et ideo Dominus [1] circa originem cibi spiritualis hæc duo removens, ponit alium esse datorem cibi spiritualis, et alium locum : unde dicit, removendo prædicta : *Amen amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo*. Alius est qui dat, quia Pater meus, non panem corporalem, sed panem verum de cœlo.

Sed contra. Numquid non vere panis fuit quem habuerunt patres in deserto? Respondeo : Si accipiatur verum secundum quod dividitur contra falsum, sic panis ille verus fuit, non enim falsum erat miraculum de manna : si autem accipiatur verum prout veritas dividitur contra figuram, sic panis ille non fuit verus, sed figura panis spiritualis : scilicet Domini nostri Jesu Christi, quem ipsum manna significabat, ut dicit Apostolus, I Corinth. x, 3 : *Omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt*.

Item contra hoc quod dicit, *Non dedit vobis panem de cœlo*, est quod dicitur in Psalm. LXXVII, 24 : *Panem cœli dedit eis*. Respondeo : Cœlum accipitur tripliciter. Quandoque pro aere. Matth. XIII, 4 : *Volucres cœli comederunt illud*. Et in Psal. XVII, 14 : *Intonuit de cœlo Dominus*. Quandoque pro cœlo sidereo, secundum illud Psal. CXIII, 16 : *Cœlum cœli Domino*. Et Matth. XXIV, 19 : *Stellæ cadent de cœlo*. Quandoque vero pro ipsis spiritualibus bonis. Matth. V, 12 : *Gaudete, et exultate, quia merces vestra multa est in cœlo*. Manna ergo de cœlo fuit non sidereo seu spirituali, sed aereo. Vel dicitur de cœlo inquantum erat figura veri panis cœlestis Domini nostri Jesu Christi.

2. Consequenter cum dicit, *Panis enim verus est qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo*, probat quod sit de cœlo : et per effectum ejus : verum enim cœlum est spiritualis naturæ, cui per se convenit vita, et ideo per se vivificat. Infra (hoc cap.) : *Spiritus est qui vivificat*. Ipse autem Deus est auctor vitæ. Ex hoc ergo cognoscitur quod panis iste spiritualis est de cœlo, cum faciat proprium effectum, si dat vitam : nam panis ille corporalis vitam non dabat, quia omnes qui manna manducaverunt, mortui sunt ; iste autem dat vitam ; et ideo dicit : *Panis verus est*, et non figuralis, *qui de cœlo descendit*. Et hoc patet, quia *dat vitam mundo* : nam Christus, qui est verus panis, quos vult vivificat. Infra X : *Ego veni ut vitam habeant* etc. Ipse etiam de cœlo descendit : supra III, 13 : *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo*. Sic ergo Christus verus panis, vitam dat mundo ratione suæ divinitatis, et descendit de cœlo ratione humanæ naturæ. Nam, ut supra III, dictum est, descendisse de cœlo dicitur assumendo humanam naturam. Phil. II, 7 : *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*.

3. *Dixerunt ergo ad eum*, etc. Hic agitur de adeptione cibi spiritualis : et primo ponitur petitio ipsius cibi ; secundo ponitur expositio, ibi, *Dixit eis Jesus : Ego sum panis vitæ* ubi ostendit modum adeptionis. Sciendum est autem circa primum, quod Judæi verba Domini carnaliter intelligebant ; et ideo quia in desiderio carnalium erant, cibum carnalem petunt a Christo : unde dixerunt ad eum : *Domine, semper da nobis hunc panem*, qui reficiat hoc modo. Et Samaritana ver-

[1] Al. : « quia Dominus. »

bum de aqua spirituali carnaliter intelligebat, et indigentia carere volens dixit (supra IV, 15) : *Domine, da mihi hanc aquam.* Et licet isti verba Domini carnaliter de cibo intelligant, et carnaliter petant ; tamen eorum petitio spiritualiter intellecta, nobis competit. Matth. VI, 2 : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* : quia non possumus sine hoc pane vivere.

4. Consequenter cum dicit, *Dixit autem eis Jesus* : *Ego sum panis vitæ,* ostendit modum adeptionis : ostendens primo quid sit iste panis ; secundo quomodo acquiratur, ibi, *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet.* Circa primum tria facit. Primo ponit expositionem panis prædicti ; secundo expositionis rationem assignat, ibi, *Qui venit ad me, non esuriet*; tertio exponendi necessitatem manifestat, ibi, *Sed dixi vobis* etc. Dixit ergo eis Jesus : *Ego sum panis vitæ :* nam, sicut supra dictum est, verbum sapientiæ est specialis cibus mentis, quia eo mens sustentatur. Eccl. XIV, 3 : *Cibavit illum pane vitæ et intellectus.* Dicitur autem panis sapientiæ esse panis vitæ, ad differentiam panis corporalis, qui est panis mortis, qui non competit nisi ad restaurandum defectum mortalitatis ; unde et solum in hac vita mortali necessarius est ; sed panis sapientiæ divinæ est per se vivificativus, nec habet mortem contrariam. Item panis corporalis non dat vitam, sed tantum præexistentem sustentat ad tempus ; sed panis spiritualis ita vivificat quod dat vitam : nam anima incipit vivere per hoc quod adhæret verbo Dei. Ps. XXXV, 10 : *Apud te est fons vitæ.* Quia ergo omne verbum sapientiæ derivatur a Verbo Dei unigenito : Eccl. I, 5 : *Fons sapientiæ Unigenitus Dei, residens in excelso* : ideo ipsum Dei Verbum principaliter dicitur panis vitæ : et ideo Christus dicit : *Ego sum panis vitæ.* Et quia caro Christi ipsi Verbo Dei unita est, habet etiam quod sit vivificativa : unde et corpus sacramentaliter sumptum vivificativum est : nam per mysteria quæ Christus in carne sua complevit, dat vitam mundo ; et sic caro Christi, propter Domini verbum, panis est, non consuetæ vitæ, sed illius quæ morte non reseratur : et ideo caro Christi dicitur panis. Genes. penul. 20 : *Asser, pinguis panis ejus.* Significatur etiam per manna, I Cor. 11, Manna interpretatur : Quid est hoc? quia Judæi illud videntes admirabantur, dicentes unus ad alium, Quid est hoc? Sed nihil est admirabilius quam Filius Dei homo factus, ita ut cuilibet contingat quærere, Quid est hoc? idest, quomodo Filius Dei, Filius hominis est ; quomodo ex duabus naturis fit una persona Christi? Isa. IX, 6 : *Vocabitur nomen ejus Admirabilis.* Est etiam mirabile quomodo Christus sit sub sacramento.

5. Consequenter cum dicit : *Qui venit ad me, non esuriet,* assignat rationem expositionis, et hoc ex effectu istius panis. Panis enim corporalis comestus non in perpetuum famem aufert, cum corrumpatur et deficiat ; et ideo exigitur ad nutrimentum ; panis autem spiritualis dans per se vitam nunquam corrumpitur ; et ideo homo semel comedens, nunquam esurit ; et ideo dicit : *Qui venit ad me, non esuriet ; et qui credit in me, non sitiet in æternum.* Hoc autem quod dicit, scilicet, *Qui venit et qui credit, non esuriet nec sitiet,* non differunt, secundum Augustinum : quia idem est venire ad eum, et credere in eum : quia ad Deum venimus non passibus corporis, sed mentis, quorum primus est fides. Idem est etiam comedere et bibere : utroque enim significatur æterna satietas, ubi nulla est egestas. Matth. V, 6 : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* : ut sit idem cibus sustentans, et potus refrigerans. Causa autem quare temporalia non auferunt sitim in perpetuum, una quidem est, quia non simul sumuntur, sed paulatim, et quasi cum motu, et ideo semper restat aliquid sumendum ; et propter hoc, sicut congruit delectatio et satietas ex jam sumpto, ita et desiderium restat ex sumendo. Alia vero est, quia corrumpuntur, unde remanet memoria ex corrupto, et generatur iterato desiderium eorum. Spiritualia vero et simul sumuntur, et non corrumpuntur nec deficiunt ; et ideo eorum satietas manet in perpetuum. Apoc. VII, 16 : *Non esurient neque sitient.* Psal. XXXV, 10 : *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua* (idest in spiritualibus bonis) *usque in finem.*

6. Consequenter cum dicit : *Sed dixi vobis* etc., ponitur exponendi necessitas : posset enim aliquis dicere : Nos quæsivimus panem ; sed tu non respondes, Dabo vobis illum : vel, Non dabo ; sed potius dicis : *Ego sum panis vitæ* ; et ideo non videtur bona responsio tua. Sed quod bona sit, ostendit Dominus di-

cens : *Dixi vobis quia et vidistis me, et non credidistis* : quod idem est ac si aliquis haberet panem coram se, ignorans illum ; et dicatur ei : Ecce panis coram te est. Et ideo dicit : *Dixi vobis* (*Ego sum panis vivus*) *et vidistis me, et non credidistis ;* idest, desideratis panem, et habetis illum coram vobis ; et tamen non sumitis, quia non creditis. In quo eorum incredulitatem improperat eis. Infra xv, 24 : *Sed viderunt, et oderunt me et Patrem meum.*

7. Consequenter cum dicit, *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet*, ostendit quomodo acquiratur : et primo ponit modum acquirendi ; secundo fidem perventionis, ibi, *Et eum qui venit ad me, non ejiciam foras ;* tertio manifestat quod dicit, ibi, *Quia descendi de cœlo* etc. Sciendum est circa primum, quod ipsum credere nostrum est nobis ex dono Dei. Eph. II, 8 : *Gratia salvati estis, et non ex vobis, Dei enim donum est.* Philip. I, 26 : *Vobis datum est ut non solum in illum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Dicitur autem quandoque Deus Pater dare Filio homines credentes, sicut hic : *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet.* Quandoque Filius dat Patri, sicut illud I Corinth. xv, 24 : *Cum tradiderit regnum Deo et Patri.* Ex quo intelligimus quod sicut Pater dans non adimit sibi regnum, ita nec Filius. Pater autem Filio dat, inquantum facit hominem verbo suo adhærere. I Corinth. I, 9 : *Per quem* (scilicet Patrem) *vocati estis in societatem Filii ejus.* Filius vero tradit Patri, inquantum Verbum est manifestativum ipsius Patris. Infra xvii, 6 : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus.* Sic ergo dicit : *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet ;* idest, qui in me credunt, quos Pater mihi facit adhærere ex dono suo.

Sed diceret forte aliquis, quod non necessarium est quod aliquis dono Dei utatur : multi enim recipiunt [1] donum Dei, qui non utuntur eo. Quomodo ergo dicit, *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet?* Ad quod dicendum est, quod in datione ista non solum intelligitur habitus, qui est fides et hujusmodi, sed etiam interior instinctus ad credendum. Quicquid autem facit ad salutem, totum est ex dono Dei.

Sed restat quæstio : quia si omne quod dat Pater Christo, ad eum vadit, ut ipse dicit ; illi soli ad Deum vadunt quos Pater dat ei : non ergo debet imputari illis qui non vadunt, cum non dentur ei. Ad quod dicendum, quod non imputatur eis, si absque auxilio Dei ad fidem venire non possunt ; sed hoc ei imputatur qui non venit, quia impedimentum præstat quod non veniat, avertens se a salute, cujus via, quantum in se est, omnibus est aperta.

8. Finis autem perventionis ponitur cum dicit : *Et eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Posset enim aliquis dicere: Veniemus ad te ; sed tu non recipies nos. Et ideo dicit, hoc excludens : *Eum qui venit ad me*, passibus fidei, et bonis operationibus, *non ejiciam foras* : in quo dat intelligere, esse [2] se intus : illud est enim intus unde exitur foras. Attendamus ergo quid sit istud intrinsecum, et quomodo inde ejiciantur.

Sciendum quidem igitur est, quod omnia visibilia cum dicantur esse quasi quædam exteriora respectu spiritualium ; quanto aliquid est magis spirituale, tanto magis est intrinsecum. Ergo duplex est intrinsecum. Unum est profundissimum, scilicet gaudium vitæ æternæ, quod, secundum Augustinum, est magis penetrale et dulce secretum sine tædio, sine amaritudine malarum cogitationum, sine interpellatione tentationum et dolorum : de quo dicitur Matth. xxv, 21 : *Intra in gaudium domini tui.* Et Psal. xxx, 21 : *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ ;* idest, in plena visione tuæ essentiæ. Et ab hoc intrinseco nullus ejicietur. Apoc. III, 12 : *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei vivi, et foras non egredietur amplius* : quia, ut dicitur Matth. xxv, 36, *ibunt justi in vitam æternam.* Aliud intrinsecum est rectitudo conscientiæ, quæ est spirituale gaudium ; et de hoc dicitur Sap. VIII, 16 : *Intrans in domum meam, conquiescam.* Et Canticorum I, 3 : *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Et de isto aliqui ejiciuntur. Et ideo quod Dominus dicit, *Non ejiciam foras*, potest dupliciter intelligi. Uno modo, ut illi dicantur ad ipsum venire qui sunt dati ei a Patre per æternam prædestinationem : et de illis dicit : *Eum qui venit ad me*, prædestinatus a Patre, *non ejiciam foras.* Rom. XI, 2 : *Non repulit Deus plebem suam quam elegit.* Alio modo, quia illi qui egrediuntur, non tamquam a Christo ejecti egrediantur ; sed causa ejectionis sit ex parte ipsorum, qui per infidelitatem et peccata a secreto rectæ conscientiæ recedunt. Et sic dicitur:

[1] Al. : « respiciunt. » — [2] Al. deest : « esse. »

Non ejiciam ego foras; sed ipsi se ejiciunt. Hier. xxxiii, 33 : *Vos estis onus, projiciam vos dicit Dominus.* Et hoc modo ejectus est foras qui ad nuptias intraverat non habens vestem nuptialem, ut dicitur Matth. xxii.

9. Rationem autem præmissorum assignat, cum dicit : *Quia descendi de cœlo* etc. Et primo ponit propositum de implenda voluntate Patris ; secundo manifestat quæ sit voluntas Patris, ibi, *Hæc est voluntas ejus qui misit me Patris* ; tertio ostendit finalem voluntatis impletionem, ibi, *Et ego resuscitabo eum in novissimo die.*

Circa primum sciendum est quod littera ista potest legi dupliciter. Uno modo secundum Augustinum, alio modo secundum Chrysostomum. Secundum Augustinum quidem sic. *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras ;* et hoc ideo, quia ille venit ad me qui meam humilitatem imitatur. Matth. xii, 28, cum diceret Dominus : *Venite ad me omnes qui laboratis* : consequenter subdit : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Vera autem Filii Dei mititas in hoc est, quia voluntatem suam supposuit voluntati Patris. Et ideo dicit : *Non ejiciam, quia descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Propterea anima a Deo exiit [1], quia superba erat ; et ideo necesse est humilitate regredi veniendo ad Christum per imitationem suæ humilitatis, quæ in hoc est quod non facit voluntatem suam solum, sed Dei Patris.

Sciendum est autem quod in Christo fuit duplex voluntas. Una secundum humanam naturam, quæ est sibi propria, et natura, et voluntate Patris ; alia secundum naturam divinam, quæ est eadem cum voluntate Patris. Voluntatem ergo suam, scilicet humanam, ordinavit sub voluntate divina, quia obedientiam suam sub effectu paternæ voluntatis ostendit ipse, volens voluntatem Patris explere. Psal. xxxix, 9 : *Ut faciam voluntatem tuam, Deus meus, volui.* Hanc voluntatem fieri in nobis petimus cum dicimus, Matth. vi, 10 : *Fiat voluntas tua.* Illi ergo non ejiciuntur foras, qui non faciunt voluntatem suam, sed voluntatem Dei. Nam diabolus [2] volens facere voluntatem suam, quod est superbiæ, ejectus est de cœlo, et primus homo de paradiso.

Secundum Chysostomum vero sic. Ideo non ejicio foras eum qui venit ad me, quia ad hoc veni, ut impleam voluntatem Patris de salute hominum. Si ergo pro salute hominum incarnatus sum, quomodo debeo eos ejicere ? Et hoc est quod dicit : Ideo non ejicio, *quia descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam*, scilicet humanam, ut proprium mihi acquiram ; *sed voluntatem ejus qui misit me,* Patris : *qui vult omnes homines salvos fieri* : ut dicitur I Timoth. ii, 4. Et ideo, quantum est ex me, nullum ejicio. Rom. v, 10 : *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.*

10. Quæ autem sit voluntas Patris, exponit primo, cum dicit : *Hæc est enim voluntas ejus qui misit me Patris* etc. ; secundo rationem assignat, ibi, *Hæc est enim voluntas Patris mei* etc. Dixit ergo : Non ejiciam foras eos qui ad me veniunt. quia carnem assumpsi ut faciam voluntatem Patris. *Voluntas autem ejus qui misit me Patris, hæc est,* scilicet *ut non ejiciam foras,* et ideo non ejiciam. I Thessal, iv, 3 : *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Et ideo dicit : *Ut omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo ;* idest, ut nihil perdam, quousque perveniat ad resurrectionem futuram, in qua aliqui perdentur ; non tamen de illis qui dati sunt ei per æternam prædestinationem, sed impii. Psal. i, 7 : *Iter impiorum peribit.* Illi vero qui usque tunc conservantur, non perdentur. Per hoc autem quod dicit, *Non perdam*, non est intelligendum quod indigeat eorum, aut quod detrimentum sit ei, si pereunt. Sed dicit hoc propter affectum suum ad salutem illorum, et bonum illorum, quod reputat suum.

Sed contra est quod dicitur infra xvii, 12 : *Nemo ex eis*, scilicet quos dedisti mihi, *periit, nisi filius perditionis.* Ergo aliqui eorum qui dati sunt ei per æternam prædestinationem, perduntur. Non est ergo verum hoc quod dicit, *Non perdam ex eo.* Sed dicendum est, quod ex illis qui dati sunt ei per præsentem justitiam, perduntur ; non autem de illis qui dati sunt per æternam prædestinationem.

11. Rationem autem divinæ voluntatis ponit cum dicit : *Hæc est autem voluntas Patris mei* etc. Ratio quare Pater vult

[1] Al. : « propter animam a Deo exiit. » — [2] Al. : « cum diabolus. »

quod non perdam ex eo quod dedit mihi, est quia voluntas Patris est vivificare spiritualiter homines : quia ipse est fons vitæ : et, quia æternus est, quantum est de se, voluntatis ejus est, ut omnis qui venit ad me habeat vitam æternam. Et hoc est quod dicit : *Hæc est voluntas Patris qui misit me, ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam.* Sed attendendum est quod supra v, 24, dixit : *Qui videt Filium, et credit ei*[1] *qui misit me, habet vitam æternam* : hic vero dicit : *Qui credit in eum* : ut det intelligere eamdem divinitatem Patris et Filii : cujus visio per essentiam est ultimus finis noster, et objectum fidei. Quod vero dicit, *Videt*, non intelligitur de visione per essentiam, quam præcedit fides, sed de visione corporali Christi, quæ inducit ad fidem. Et ideo signanter dicit : *Qui videt Filium, et credit in eum.* Supra v, 24 : *Qui credit in eum... non judicatur, sed transiet a morte in vitam.* Infra xx, 31 : *Hæc autem scripta sunt, ut credatis quoniam Jesus Christus est Filius Dei, ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.*

12. Hæc autem Patris voluntas similiter implebitur : et ideo subdit : *Et ego resuscitabo eum in novissimo die* : quia ita vult[2] ut non solum in anima, sed etiam in corpore habeat vitam æternam, (Dan. xii, 2 : *De his qui in pulvere dormiunt evigilabunt alii in vitam æternam alii vero in opprobrium*) sicut et Christus resurrexit. Rom. vi, 6 : *Christus resurgens ex mortuis jam*[3] *non moritur* etc.

LECTIO V.

1. Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi : et dicebant: 2. Nonne hic est filius Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem ? Quomodo ergo dicit hic, quia de cælo descendi ? 3. Respondit ergo Jesus, et dixit eis : Nolite murmurare in invicem. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. 4. Et ego resuscitabo eum in novissimo die. 5. Est scriptum in Prophetis : Erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quisquam : nisi is qui est a Deo, hic vidit Patrem.

1. Posita doctrina Christi, hic excluditur contradictio prædictæ doctrinæ : et primo quantum ad turbas murmurantes ; secundo quantum ad discipulos dubitantes, ibi, *Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt* etc. Circa primum duo facit. Primo exprimit murmur turbarum de origine spiritualis cibi ; secundo mitigat eorum litigium de cibi spiritualis manducatione, ibi, *Litigabant ergo Judæi.* Circa primum duo facit. Primo ponitur murmur turbarum ; secundo repressio murmuris, ibi, *Respondit ergo Jesus, et dixit eis.* Circa primum duo facit. Primo ponitur occasio murmuris ; secundo ponuntur murmurantium verba, ibi, *Nonne iste est filius Joseph* ? Concludit ergo ex præmissis verbis Christi, quod quidam de quodam dictorum verborum murmurabant, quia scilicet dixerat : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*, quem quidem spiritualem panem non capiebant nec desiderabant ; et ideo murmurabant, quia in spiritualibus mentem fundatam non habebant, et hujus rei antiquam consuetudinem habebant, secundum illud Psal. cv, 25 : *Murmuraverunt in tabernaculis.* Et I Corinth. x, 10 : *Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt.* Ideo autem, ut Chrysostomus dicit, usque huc non murmurabant, quia semper sperabant se consecuturos corporalem escam : qua spe subtracta, statim murmurare incipiunt, licet aliam causam prætendant. Non autem manifeste contradicunt propter reverentiam quam adhuc habebant ad ipsum, ex memoria præcedentis miraculi.

2. Verba autem murmurantium ponit cum dicit : *Nonne hic est filius Joseph* ? Quia enim carnales erant, carnalem Christi generationem solam considerabant, ex qua impediebantur ne cognoscerent spiritualem et æternam ; et ideo de sola carnali loquuntur, secundum illud supra iii, 31, *Qui de terra est, de terra loquitur* : et spiritualem non capiunt : unde subdunt : *Quomodo ergo dicit hic, quia de cœlo descendi* ? Vocant autem eum filium Joseph propter reputationem : quia nutritius ejus erat, secundum illud Luc. iii, 23 : *Ut putabatur, filius Joseph.*

3. Murmurationis autem repressio po-

[1] Ibi : « Qui verbum meum audit, et credit ei, etc. » — [2] Al. : « et ideo subdit : et quia ita vult, etc. » — [3] Al. omittitur : « jam. »

nitur cum dicit : *Respondit ergo Jesus, et dixit eis.* Et primo reprimit ipsorum murmur; secundo satisfacit dubitationi, ibi, *Amen amen dico vobis : qui credit in me, habet vitam æternam.* Circa primum duo facit. Primo cohibet eorum murmur ; secundo assignat causam murmuris eorum, ibi, *Nemo potest venire ad me* etc. Cognoscens ergo Jesus eorum murmur, respondit ; et comprimens ipsum murmur eorum, dixit, eis, *Nolite murmurare* etc. Hoc namque est salubre documentum : qui enim murmurat, ostendit mentem suam in Deo non esse firmatam ; et ideo dicitur Sap. I, 11 : *Custodite vos a murmuratione, quia nihil prodest.* Causa autem murmuris est infidelitas eorum ; et ideo hanc ostendit dicens : *Nemo potest venire ad me* etc. : ubi primo ostendit necessariam esse Patris attractionem ad hoc ut veniatur ad Christum ; secundo ostendit modum attrahendi, ibi, *Est scriptum in Prophetis* etc. Circa primum tria facit. Primo ponit humanæ facultatis defectum; secundo divini auxilii subsidium ; tertio auxilii finem, seu fructum. Est ergo humana facultas deficiens ad veniendum ad Christum per fidem : et ideo dicit : *Nemo potest venire ad me.* Secundo divinum auxilium est efficax ad subveniendum : unde subdit : *Nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Sed finis, seu fructus, est optimus : unde sequitur : *Et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Dicit ergo primo : Non est mirum si murmuratis, quia nondum estis tracti a Patre ad me : nam *nemo potest ad me venire*, in me credendo, *nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.*

Sed hic est triplex quæstio. Prima est pe hoc quod dicit : *Nisi pater traxerit eum.* Cum enim ad Christum veniamus credendo, sicut supra, eodem, dictum est, venire ad Christum est credere in eum ; credere autem nullus potest nisi volens. Cum ergo tractio importet violentiam quamdam : ergo qui tractus venit ad Christum, cogitur. Respondeo dicendum, quod hoc quod hic dicitur de hac tractione Patris, non importat coactionem, cum non omne trahens faciat violentiam. Sic ergo multipliciter Pater trahit ad Filium, secundum multiplicem modum trahendi absque violentia in hominibus. Nam aliquis homo trahit aliquem persuadendo ratione ; et hoc modo Pater trahit homines ad Filium, demonstrando eum esse Filium suum ; et hoc dupliciter : vel per internam revelationem : Matth. XVI, 17 : *Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi* (scilicet Christum esse Filium Dei vivi) *sed Pater meus* : vel per miraculorum operationem, quam habet a Patre. Supra V, 36 : *Opera quæ dedit mihi Pater, ipsa testimonium perhibent de me.* Item aliquis trahit alium alliciendo. Prov. VII, 21 : *Blanditiis labiorum suorum protraxit eum.* Et hoc modo illi qui attendunt ad Jesum propter auctoritatem paternæ majestatis, trahuntur a Patre. Quicumque enim credit in Christum propter hoc quod credit eum Filium Dei, hunc Pater trahit ad Filium, idest Paterna majestas. Hoc modo non trahitur [1] Arius, qui Christum non verum Dei Filium, nec de substantia Patris genitum credebat. Non sic tractus est Photinus, Christum purum hominem dogmatizans. Sic ergo trahuntur a Patre, sua majestate allecti ; sed trahuntur etiam a Filio admirabili delectatione et amore veritatis, quæ est ipse Filius Dei [2]. Si enim, ut dicit Augustinus, trahit sua quemque voluptas, quanto fortius debet homo trahi ad Christum, si delectatur veritate, beatitudine, justitia, sempiterna vita, quod totum est Christus? Ab isto ergo si trahendi sumus, trahamur per dilectionem veritatis : secundum illud Psal. XXXVI, 4 : *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.* Hinc sponsa dicebat, Cant. I, 3 : *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Sed quia non solum revelatio exterior, vel objectum [3], virtutem attrahendi habet, sed etiam interior instinctus impellens et movens ad credendum ; ideo trahit multos Pater ad Filium per instinctum divinæ operationis moventis interius cor hominis ad credendum. Phil. II, 13 : *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere.* Oseæ II, 4 : *In funiculis Adam traham eos in vinculis caritatis*, Prov. XXI, 1 : *Cor regis in manu Domini : quocumque voluerit inclinabit illud.*

Secunda quæstio est : quia cum dicatur quod Filius trahit ad Patrem : Matth. XI, 27 : *Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* : infra XVII, 6 : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi* : quomodo hic dicitur, quod Pater trahit ad Filium. Sed dicen-

[1] Al. : « trahit. » — [2] Al. : « ipse est Filius Dei. » — [3] Al. : « nec objectum. »

dum, quod ad hoc potest dupliciter responderi : nam de Christo possumus loqui aut secundum quod est homo, aut secundum quod est Deus. Secundum autem quod homo, Christus est via : infra XIV, 6 : *Ego sum via* : et secundum quod est Christus, ducit ad Patrem, sicut via ad terminum seu finem. Pater vero trahit ad Christum hominem inquantum dat nobis suam virtutem, ut credamus in Christum. Eph. II, 8 : *Gratia salvati estis, et hoc non ex vobis* [1], *Dei enim donum est.* Inquantum est Christus, est Verbum Dei, et manifestativum Patris. Sic Filius trahit ad Patrem. Pater autem trahit ad Filium inquantum manifestat ipsum.

Tertia quæstio est de hoc quod dicit, quod nemo venire potest nisi tractus a Patre : quia secundum hoc, si nullus veniat ad Christum, non imputatur ei, sed ei qui non trahit eos. Respondeo dicendum, quod vere nullus venire potest nisi tractus a Patre : nam sicut grave per naturam non potest per se sursum ferri nisi trahatur ab alio, ita cor humanum ex se ad inferiora tendens, non potest sursum elevari nisi tractus. Si vero non elevatur, non est defectus ex parte trahentis, qui quantum in se est, nulli deficit ; sed est propter impedimentum ejus qui non trahitur. Aliter autem, quantum ad hoc pertinet, possumus loqui de hominibus in statu naturæ integræ, et aliter in statu naturæ corruptæ ; nam in natura integra non erat aliquod impedimentum prohibens ab hac tractione : unde tunc omnes homines hujus tractionis poterant esse participes ; sed in natura corrupta omnes per impedimentum peccati æqualiter prohibentur ab hac tractione ; et ideo omnes indigent trahi. Deus autem omnibus ad trahendum manum porrigit quantum in se est ; et quod plus est, non solum attrahit manum recipientis, sed etiam aversos a se convertit, secundum illud Thren. ult. 21, *Converte nos Domine et convertemur* : et in Psalm. LXXXIV, 7, secundum aliam litteram. *Deus, tu convertens* [2] *vivificabis nos.* Ex quo ergo Deus paratus est dare omnibus gratiam, et ad se trahere, nom imputatur ei, si aliquis non accipiat, sed ei qui non accipit.

Quare autem non omnes aversos trahit, sed aliquos, licet sint omnes æqualiter aversi ; ratio quidem in generali potest assignari, ut scilicet in illis qui non trahuntur, appareat et refulgeat ordo divinæ justitiæ : in illis autem qui trahuntur, immensitas divinæ misericordiæ. Quare autem in speciali trahat hunc, et illum non trahat non est ratio aliqua, nisi beneplacitum voluntatis divinæ : unde dicit Augustinus : « Quem trahat et quem non trahat, quare illum trahat et illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare. Sed [3] accipe, et intellige : nondum traheris, ora ut traharis. » Hoc etiam ostendi potest per exemplum : nam assignari potest ratio quare artifex [4] ponit aliquos lapides inferius, et aliquos superius, et aliquos ex lateribus, ex dispositione domus, cujus complementum hoc exigit. Sed quare hos lapides hic ponat et hos ibi, dependet a sua simplici voluntate. Et inde est quod prima ratio dispositionis refertur ad voluntatem artificis. Sic ergo Deus ad complementum universi quosdam quidem trahit, ut in eis appareat sua misericordia : quosdam vero non trahit, ut ostendatur in eis sua justitia. Sed hos trahit, illos non trahit secundum suum beneplacitum voluntatis. Similiter etiam quare in Ecclesia aliquos fecit Apostolos, alios Confessores, alios Martyres : ratio est propter Ecclesiæ decorem et complementum. Sed quare Petrum fecit Apostolum, Stephanum Martyrem et Nicolaum Confessorem : non est alio ratio nisi voluntas sua. Sic ergo patet humanæ facultatis defectus, et auxilii divini subsidium.

4. Sequitur auxilii finis et fructus, cum dicit : *Et ego resuscitabo eum in novissimo die*, etiam inquantum homo : nam per ea quæ Christus in carne sua gessit, consequimur [5] resurrectionis fructum. I Corinth. XV, 21 : *Sicut per hominem mors ita et per hominem resurrectio mortuorum. Ego* ergo, secundum quod homo, *resuscitabo eum*, non solum ad vitam naturæ, sed etiam ad vitam gloriæ ; et hoc *in novissimo die.* Tenet enim fides catholica, quod status mundi innovabitur. Apoc. XXI, 1, : *Vidi cœlum novum et terram novam.* Et inter alia quæ ad hanc innovationem concurrent, credimus cœli motum cessare, et per consequens tempus. Apoc. X. 5 : *Et Angelus quem vidi stantem super mare et super terram, levavit manum suam ad cœlum.* Et infra

[1] Al. : « et non ex vobis. » — [2] Al. : « conversus. » — [3] Al. : « semel. » — [4] Al. deest : « artifex. » — [5] Al. : « consequitur. »

(ibid, 6) : *Quia tempus non erit amplius.* Quia ergo cessante tempore in resurrectione, cessabit etiam nox et dies, secundum illud Zachar. XIX, 7 : *Erit dies una, quæ nota est Domino, non dies neque nox;* ideo dicit : *Resuscitabo eum in novissimo die.*

Quare autem usque tunc cœli motus duret, et tempus, non minus vel amplius, sciendum est, quia illud quod est propter aliud, diversimode disponitur secundum diversam dispositionem ejus propter quod est. Omnia autem corporalia propter hominem facta sunt ; et ideo secundum diversam dispositionem hominis diversimode ea disponi oportet. Quia ergo in hominibus quando resurgent, inchoabitur status incorruptionis, secundum illud I Cor. XV, 54 : *Mortale hoc induet incorruptionem* ; ideo cessabit tunc etiam corruptio in rebus ; unde cessabit motus cœli, qui est causa generationis et corruptionis in rebus corporalibus. Rom. VIII, 21 : *Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem filiorum Dei.* Sic ergo patet quod ad fidem necessaria est nobis attractio Patris.

5. Consequenter cum dicit, *Est scriptum in Prophetis* etc., determinat modum attrahendi : et primo ponit attrahendi modum ; secundo attractionis efficaciam, ibi, *Omnis qui audivit a Patre, et didicit venit ad me* ; tertio excludit opinatum modum attractionis, ibi, *Non quia Patrem vidit quisquam.* Modus autem attrahendi est congruus, quia trahit revelando et docendo ; et hoc est quod dicit : *Scriptum est in Prophetis : Erunt omnes docibiles Dei* etc. Beda dicit hoc esse scriptum in Joel ; sed non videtur expresse ibi esse, licet aliquid consonum dicitur et Joel. II, 1 : *Filii Sion exultate in Domino Deo vestro*[1], *quia dabit vobis doctorem justitiæ.* Ideo autem, secundum Bedam, dicit, *In Prophetis*, ut det intelligere quod sensus iste potest colligi ex diversis dictis Prophetarum. Sed expressius videtur hoc dici Isa. LIV, 13 : *Ponam filios tuos universos doctos a Domino.* Dicitur etiam Hierem. III, 15 : *Dabo vobis pastores juxta cor meum, qui pascent vos scientia et doctrina.*

Hoc autem quod dicit[2], *Erunt omnes*, potest tripliciter intelligi. Uno modo ut ly *omnes* supponat pro omnibus hominibus mundi ; alio modo, ut supponat pro omnibus qui sunt in Ecclesia Christi ; tertio modo pro omnibus qui erunt in regno cœlorum.

Si autem dicatur primo modo, videtur non esse verum : nam statim subdit : *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* Si ergo omnes de mundo erunt docibiles, ergo omnes venient ad Christum. Sed hoc est falsum, quia non omnium est fides. Sed ad hoc tripliciter respondetur. Nam, secundum Chrysostomum, primo modo dicendum, hoc dictum esse de pluribus : *Erunt*, inquit, *omnes*, idest plurimi ; secundum quem modum dicitur Matth. VIII, 11 : *Multi venient ab oriente et occidente*, etc. Secundo, quod *omnes*, quantum est ex Deo, *erunt docibiles* ; sed quod aliqui non doceantur, est ex parte eorum. Sol enim quantum est de se, omnes illuminat ; potest autem ab aliquibus non videri, si claudant oculos, vel si sint cæci. Et hoc modo dicit Apostolus, II Tim. II, 4 : *Vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Tertio modo, secundum Augustinum, quod hæc est accommoda[3] distributio, ut dicatur : *Omnes erunt docibiles Dei* ; idest, omnes qui docentur, a Deo docentur : sicut loquimur de aliquo litterarum magistro : dicimus enim, si est in civitate : Solus iste docet omnes pueros de civitate, quia nullus docetur[4] in ea nisi ab illo. Et hoc modo dicitur supra I, 9 : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Si autem exponatur de illis qui sunt in Ecclesia congregati, dicitur : *Erunt omnes*, scilicet qui sunt in Ecclesia, *docibiles Deo* : nam Isa. LIV, 13, dicitur : *Ponam universos filios doctos a Domino.* In quo quidem ostenditur sublimitas fidei christianæ, quæ non inhæret doctrinæ humanæ, sed doctrinæ Dei. Doctrina enim veteris testamenti data fuit per Prophetas ; sed doctrina novi testamenti est per ipsum Filium Dei. Heb. I, 1 : *Multifarie multisque modis* (idest, in veteri testamento) *Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Et ibid. II, 3 : *Quæ cum initium accepisset enarrari*[5] *per Domi-*

[1] Al. : « nostro. » — [2] Al. : « hoc autem est quod dicit. » — [3] Al. : « accommodata. » — [4] Al. : « dicimus enim, sicut in civitate solus docet, quia nullus docetur, etc. » — [5] Al. : « enarravit. »

num, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est. Sic ergo omnes qui sunt in Ecclesia, sunt docti non ab Apostolis, non a Prophetis, sed ab ipso Deo ; et, secundum Augustinum, hoc ipsum quod ab homine docemur, est ex Deo, qui docet interius. Matth, xxiii, 10 : *Unus est magister vester*[1] *Christus.* Nam intelligentia, quæ necessaria est præcipue ad doctrinam, est nobis a Deo.

Si autem exponatur de his qui sunt in regno cœlorum etc., tunc *omnes erunt docibiles Deo*, quia ejus essentiam immediate videbunt. I Joan, iii, 2 : *Videbimus eum sicuti est.*

Attractio autem Patris efficacissima est : quia *omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me.* Ubi duo ponit ; unum scilicet quod pertinet ad donum Dei, cum dicit, *Audivit*, scilicet Deo revelante ; aliud quod pertinet ad liberum arbitrium, cum dicit, *Et didicit*, scilicet per assensum ; et ista duo necessaria sunt in omni doctrina fidei. *Omnis qui audivit a Patre*, docente et manifestante, *et didicit*, præbendo assensum, *venit ad me* ; venit, inquam, tripliciter : per cognitionem veritatis, per amoris affectum, et per operis imitationem. Et in quolibet oportet quod audiat et discat ; nam qui venit per cognitionem veritatis, oportet eum audire, Deo inspirante, secundum illud Psal. lxxxiv, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus :* et addiscere per effectum, ut dictum est : qui vero venit per amorem et desiderium, ut dicitur infra vii, 37 : *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat* ; et hunc oportet audire verbum Patris, et capere illud, ad hoc ut addiscat[2], et afficiatur. Ille enim discit verbum qui capit illud secundum rationem dicentis[3] ; Verbum autem Dei Patris est spirans amorem : qui ergo capit illud cum fervore amoris, discit. Sap. vii, 27 : *In animas sanctas se transfert, Prophetas et amicos Dei constituit.* Per operis autem imitationem itur ad Christum, secundum illud Matth. xi, 8 : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis ; et ego reficiam vos.* Et hoc etiam modo quicumque discit, venit ad Christum : nam sicut conclusio se habet in scibilibus, ita et operatio in operabilibus. In scientiis autem quicumque perfecte discit, venit ad conclusionem : ergo in operabilibus qui perfecte verba discit, venit ad rectam operationem. Isa. l, 5 : *Dominus aperuit mihi aurem ; ego autem non contradico.*

Sed quia aliqui possent[4] opinari quod omnes homines visibiliter a Patre audirent et addiscerent ; ideo ut hoc Dominus excludat, subdit : *Non quia Patrem vidit quisquam*, idest, aliquis homo vivens in hac vita non vidit Patrem in sua essentia, secundum illud Exod. xxiii, 20 : *Non videbit me homo et vivet* : *nisi is*, scilicet Filius, *qui est a Deo*, *hic vidit Patrem* suum per essentiam. Vel *quisquam non vidit Patrem*, visione comprehensionis : qua visione nec homo nec angelus vidit unquam, nec videre potest, *nisi is qui est ex Deo*, idest Filius. Matth. xi, 27 : *Nemo novit Patrem nisi Filius.* Cujus quidem ratio est : quia cum omnis visio sive cognitio fiat per aliquam similitudinem ; secundum modum similitudinis, quem habent creaturæ ad Deum, secundum hoc habent cognitionem ipsius : unde et philosophi dicunt, quod intelligentiæ cognoscunt primam causam, secundum hanc quam habent similitudinem ejus. Omnis autem creatura participat quidem aliquam similitudinem Dei, sed in infinitum distantem a similitudine suæ naturæ : et ideo nulla creatura potest ipsum cognoscere perfecte et totaliter, prout est in sua natura. Filius autem, quia perfecte totam naturam Patris accepit per æternam generationem, ideo totaliter videt et comprehendit.

Sed attendendum ad[5] congruum ordinem loquendi : nam supra cum loqueretur de cognitione aliorum, usus est verbo auditus ; hic vero cum loquitur de cognitione Filii, utitur verbo visionis : nam cognitio quæ est per visum, est immediata et aperta ; ea vero quæ est per auditum, fit mediante eo qui vidit : sic et nos cognitionem quam habemus de Patre, accepimus a Filio, qui vidit : ut sic nullus Patrem cognoscat nisi per Christum[6], qui eum manifestat ; et nullus ad Filium veniat, nisi a Patre manifestante audierit.

[1] Al. : « videtur. » — [2] Al. : « addiscatur. » — [3] Al. : « qui capit secundum rationem dicentis. » — [4] Al. : « potuerunt : » item : « poterunt. » — [5] Al. deest : « ad. » — [6] Al. : « et sic nullus autem cognoscat nisi Christum. »

LECTIO VI.

1. Amen amen dico vobis : qui credit in me, habet vitam æteraam. 2. Ego sum panis vitæ. 3. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. 4. Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. 5. Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. 6. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. 7. Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

1. Represso Judæorum murmure, consequenter Dominus satisfacit dubitationi quæ orta erat in cordibus Judæorum de verbo quod dixerat, scilicet : *Ego sum panis qui de cœlo descendi :* ubi [1] intendit probare hoc verum esse de se : et argumentatur sic. Ille panis descendit de cœlo qui dat vitam mundo ; sed ego sum panis dans vitam mundo : ergo ego sum panis qui de cœlo descendi etc. Circa hoc tria facit. Primo ponit quasi minorem suæ rationis, scilicet, *Ego sum panis vitæ* ; secundo ponit majorem, scilicet quod panis qui de cœlo descendit, debet dare vitam, ibi, *Patres vestri manducaverunt manna in deserto*, *et mortui sunt*; tertio ponit conclusionem, *Ego sum panis vivus*. Circa primum duo facit. Primo manifestat suum propositum ; secundo intentum quasi probatum inducit ibi, *Ego sum panis vitæ.* Propositum suum est ostendere quod sit panis vitæ. Panis autem vivificat inquantum sumitur. Constat autem quod qui credit in Christum, sumit eum intra seipsum, secundum illud Ephes. III, 17 : *Habitare Christum per fidem in* [2] *cordibus nostris.* Si ergo ille qui credit in Christum habet vitam, manifestum est quod manducando hunc panem vivificatur : ergo iste panis est panis vitæ : et hoc est quod dicit : *Amen amen dico vobis, qui credit in me*, fide scilicet formata, quæ non solum perficit intellectum, sed etiam affectum (non enim tenditur in rem creditam nisi ametur) *habet vitam æternam.* Christus autem est in nobis dupliciter : scilicet in intellectu per fidem, inquantum fides est ; et in affectu [3] per caritatem, quæ informat fidem. I Joan. IV, 16 : *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.* Qui ergo credit sic in Christum ut in eum tendat, habet ipsum in affectu et in intellectu : et si addamus, quod Christus est vita æterna, ut dicitur I Joan. ult. 20 : *Ut simus in vero Filio ejus Jesu Christo* : *hic est verus Deus et vita æterna :* et supra I, 4, *In ipso vita erat* : possumus inferre, quod quicumque credit in Christum, habet vitam æternam. Habet, inquam, in causa et in spe, quod quandoque habiturus in re.

2. Manifestato proposito, inducit intentum, cum dicit : *Ego sum panis vitæ*, idest dans vitam, ut evidenter sequitur ex præmissis. De isto pane Genes. penult. 20 : *Aser, pinguis panis ejus ; præbebit delicias* (scilicet vitæ æternæ) *regibus.*

3. Consequenter cum dicit, *Patres vestri manducaverunt mann ain deserto*, *et mortui sunt*, ponit majorem : scilicet quod dare vitam sit effectus panis de cœlo descendentis. Et primo præmittit manifestationem propositi ; secundo ponit intentum, ibi, *Hic est panis de cœlo descendens.* Propositum autem suum manifestat per contrarium. Dictum est enim supra, quod Moyses non dedit Judæis panem de cœlo nisi aereo [4] ; omnis autem panis qui non est de vero cœlo, non potest vitam sufficientem dare : ergo hoc est proprium panis cœlestis quod det vitam : et ideo panis Moysi, unde vos superbitis, non dat vitam : et hoc probat cum dicit : *Patres vestri manducaverunt manna in deserto*, *et mortui sunt.* Ubi primo exprobrat eorum vitium, cum dicit : *Patres vestri* etc. : quorum scilicet estis filii non solum secundum carnis originem, sed etiam secundum operum imitationem, quia estis murmuratores, sicut [5] et ipsi murmuraverunt in tabernaculis suis : ut dicitur in Psalm. XV, 25 : et ideo dicebat eis. Matth. XXIII, 32 : *Implete mensuram patrum vestrorum.* Unde, sicut Augustinus dicit, de nulla re magis Deum offendisse populus dictus est [6], quam contra Deum murmurando. Secundo insinuat breve temporis spatium, cum dicit, *In deserto* : non enim longum tempus fuit,

[1] Al. : « qui. » — [2] Al. omittitur : « in. » — [3] Al. : « et affectu. » — [4] Al. : « de cœlo in aereo. » — [5] Al. : « sic. » — [6] Al. : « offendisse pro prædictis est. »

neque simul cum eis venit [1] in terram promissionis, sed tantum in deserto, ut dicitur Josue v. Iste autem panis in perpetuum conservat et reficit. Tertio manifestat cibi defectum, quia non conservabat vitam indeficientem : unde dicit, *Et mortui sunt.* Nam, sicut habetur Josue v, omnes qui murmuraverunt, præter Josue et Caleb, mortui sunt in deserto. Unde, et hæc fuit causa secundæ circumcisionis, scilicet quod omnis populus qui egressus est ex Ægypto mortui sunt in deserto, ut ibidem dicitur.

Sed quæritur de qua morte Deus hic loquitur. Nam si loquitur de morte corporali, nulla differentia erit inter panem illum qui fuit in deserto, et panem nostrum qui de cœlo descendit : quia [2], etiam Christiani qui sumunt istum, corporaliter moriuntur. Si vero loquitur de morte spirituali, manifestum est quod hic et ibi [3] quidam spiritualiter moriuntur, et quidam non. Nam Moyses, et multi qui Deo placuerunt, mortui non sunt, licet alii mortui sint. Similiter et qui istum panem indigne sumunt, moriuntur spiritualiter. I Cor. xi, 29 : *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.*

Ad quod dicendum est quod cibus ille cum cibo nostro spirituali convenit. Conveniunt quidem quantum ad hoc quod uterque idem significat : nam et ille et iste Christum signat : propter quod dicitur idem cibus. I Cor. x, 3 : *Omnes eamdem escam manducaverunt.* Eamdem dicit, quia utraque est figura spiritualis escæ. Sed differunt, quia ille figurabat tantum, sed panis iste continet quod figurat [4], scilicet ipsum Christum. Dicendum [5] ergo, quod uterque ciborum istorum potest dupliciter sumi : vel quantum ad signum tantum, idest quod sumatur ut cibus tantum, non intellecto significato [6] ; et per hoc non tollitur mors spiritualis, seu corporalis : vel quod sumatur quantum ad utrumque [7], idest quod ita sumatur cibus visibilis ut intelligatur cibus spiritualis, et spiritualiter gustetur, ut spiritualiter satiet : et hoc modo illi qui spiritualiter manducaverunt manna, mortui non sunt spiritualiter. Sed et qui Eucharistiam spiritualiter manducant, et absque peccato spiritualiter vivunt nunc, et corporaliter vivent in æternum [8]. Habet ergo plus cibus noster cibo illorum, quia in se continet quod figurat.

4. Manifestato ergo proposito, inducit intentum : unde dicit : *Hic est panis de cœlo descendens.* Et secundum Glossam, *Hic* dicit demonstrando seipsum. Sed hic non [9] est intellectus Domini : quia cum statim subdat : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi,* esset verborum inculcatio. Dicendum est ergo quod Dominus hoc intendit, ut scilicet dicat illum panem de cœlo descendere qui hoc potest facere, scilicet dare vitam ; sed ego sum talis : ergo ego sum panis de cœlo descendens. Ideo autem panis de cœlo descendens dat vitam indeficientem, quia omnis cibus nutrit secundum proprietatem suæ naturæ ; cælestia autem incorruptibilia sunt : et ideo quia cibus ille cælestis est, non corrumpitur, quod quamdiu manet vivificat. Qui ergo manducaverit ex ipso, non morietur. Sicut si aliquis cibus corporalis nunquam corrumperetur, dans nutrimentum, semper vivificaret : et ideo panis iste significatus [10] est per lignum vitæ quod erat in medio paradisi, quodammodo dans vitam in perpetuum, secundum illud Gen. iii, 22 : *Nunc ergo ne forte mittat manum suam, et sumat de ligno vitæ, et comedat, et vivat in æternum.* Si ergo iste sit effectus hujus panis, ut scilicet qui manducat ex eo non moriatur ; et ego sum talis : ergo etc.

5. Circa hoc ergo duo facit. Primo loquitur de seipso communiter ; secundo specialiter, ibi, *Et panis quem ego dabo, caro mea est.* Circa primum duo facit. Primo concludit originem sui ipsius. Secundo ostendit ejus virtutem, ibi, *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Dixit ergo : *Ego sum panis vivus*, et ideo possum vitam dare. Panis enim corporalis non in perpetuum vivificat, quia non habet in se vitam ; sed vivificat alteratus et conversus in nutrimentum virtute viventis. *Qui de cœlo descendi* : hoc expositum est supra iii, quomodo scilicet descenderit. Et per [11] hoc excluduntur hæreses dicentium Christum purum hominem, quia secundum hoc non descendisset de cœlo.

6. Virtus autem ejus est dare vitam æternam : et ideo dicit : *Si quis mandu-*

[1] Al. : « neque simul venit. » — [2] Al. : « quare. » — [3] Al. : « nullum est, quia etiam hic et ibi, etc. » — [4] Al. : « figurabat. » — [5] Al. : « dicit. » — [6] Al. : « signato. » — [7] Al. : « utraque. » — [8] Al. : « spiritualiter vivunt, nunc corporaliter, et vivent in æternum. » — [9] Al. deest : « non. » — [10] Al. : « signatus » — [11] Al. : « propter. »

caverit ex hoc pane, spiritualiter scilicet, *vivet*, non tantum in præsenti per fidem et justitiam, sed *in æternum*. Infra XI, 26. *Omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum.*

7. Consequenter loquitur de corpore, cum dicit : *Et panis quem ego dabo caro mea est.* Dixerat enim, quod erat panis vivus; et ne intelligatur quod hoc ei esset inquantum est Verbum, vel secundum animam tantum, ideo ostendit quod etiam caro sua vivificativa [1] est : est enim organum divinitatis suæ : unde, cum instrumentum agat virtute agentis, sicut divinitas Christi vivificativa est, ita [2] (ut Damascenus dicit) et caro virtute Verbi adjuncti vivificat : unde Christus tactu suo sanabat infirmos. Sic ergo quod dixit supra, *Ego sum panis vivus*, pertinet ad virtutem Verbi; hic vero quod subdit pertinet ad communionem sui corporis, scilicet ad eucharistiæ sacramentum.

Ubi possumus [3] quatuor considerare circa ipsum sacramentum : scilicet speciem, instituentis auctoritatem, sacramenti veritatem [4], et ejus utilitatem. Species quidem sacramenti : *Hic est panis.* Prover. IX, 5 : *Venite, et comedite panem meum.* Cujus ratio est, quia hoc est sacramentum corporis Christi; corpus autem Christi est Ecclesia, quæ consurgit in unitatem corporis ex multis fidelibus : unde istud est sacramentum unitatis Ecclesiæ. Rom. XII, 5 : *Omnes unum corpus sumus.* Quia ergo panis ex diversis granis conficitur, ideo est conveniens species sacramenti hujus : ideo dicit : *Et panis quem ego dabo, caro mea est.* Auctor hujus sacramenti Christus est : nam licet sacerdos conferat, tamen ipse Christus dat virtutem sacramento, quia etiam ipse sacerdos consecrat in persona Christi : unde in aliis sacramentis [5] utitur sacerdos verbis suis, seu Ecclesiæ; sed in isto utitur verbis Christi : quia sicut Christus corpus suum propria voluntate dedit in mortem, ita sua virtute dat se in cibum [6]. Matth. XXVI, 26 : *Accipiens panem, benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite : hoc est corpus meum* : et ideo dicit : *Quem ego dabo* : et dicit, *Dabo*, quia nondum institutum erat hoc sacramentum. Veritas autem hujus sacramenti insinuatur cum dicit, *Caro mea est.* Non dicit autem, Carnem meam significat, sed *Caro mea est* : quia secundum rei veritatem hoc quod sumitur, vere est corpus Christi. Job XXXI, 31 : *Si non dixerunt viri tabernaculi mei : Quis det de* [7] *carnibus ejus ut saturemur?*

Sed cum in isto sacramento contineatur totus Christus, quare dixit tantum : *Caro mea est?* Ad quod respondendo, sciendum est [8], quod in illo mystico sacramento totus Christus continetur secundum veritatem ; sed corpus est ibi ex vi conversionis; divinitas vero et anima per naturalem concomitantiam. Dato enim per impossibile, quod divinitas separaretur [9] a corpore Christi, jam non esset in sacramento divinitas. Similiter etiam si in triduo mortis suæ aliquis consecrasset, non fuisset ibi anima Christi, sed tale corpus quale erat in cruce, seu in sepulcro. Ideo autem potius dicit, *Caro* : quia cum hoc sacramentum sit dominicæ passionis rememorativum, secundum illud I Corinth. XI, 26 : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis* : passio autem Christi [10] fuit ex infirmitate, secundum illud II Corinth. ult. 4, *Mortuus est ex infirmitate* etc. : ut ergo insinuetur infirmitas ex qua mortuus est, potius dicit, *Caro mea est* : nam hoc nomen infirmitatem significat.

Utilitas autem hujus sacramenti magna est, et universalis. Magna quidem, quia efficit in nobis nunc vitam spiritualem, tandem æternam, ut dictum est. Nam, ut ex supradictis apparet, cum hoc sacramentum sit dominicæ passionis, continet in se Christum passum : unde quicquid est effectus dominicæ passionis, totum [11] etiam est effectus hujus sacramenti. Nihil enim aliud est hoc sacramentum quam applicatio dominicæ passionis ad nos. Non enim decebat Christum secundum præsentiam suam semper esse nobiscum ; et ideo voluit hoc supplere per hoc sacramentum. Unde manifestum est quod destructio mortis, quam Christus moriendo destruxit, et reparatio vitæ, quam resurgendo effecit, est effectus [12] hujus sacramenti. Universalis autem, quia vita quam confert, non solum est vita unius homi-

[1] Al : « vivificata. » — [2] Al. : « est vita. » — [3] Al. : « vel possumus. » — [4] Al. : « virtutem. » — [5] Al. : « quia sacerdos in consecratione tenet personam Christi. In aliis autem sacramentis, etc. » — [6] Al. : « dat se cibum. » — [7] Al. omittitur : « de. » — [8] Al. : « ad quod sciendum est. » — [9] Al. : « separetur. » — [10] Al. : « christiani. » — [11] Al. : « totus. » — [12] Al. : « et hoc est effectus. »

nis, sed quantum in se est, totius mundi : ad quam sufficiens est mors Christi. I Joan. II, 2 : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, et non pro nostris tantum, sed etiam totius mundi.*

Notandum autem est, quod aliter est in isto sacramento, aliter in aliis : nam alia sacramenta habent singulares effectus, sicut in baptismo solus baptizatus suscipit gratiam; sed in immolatione hujus sacramenti est universalis effectus : quia non solum sacerdos effectum consequitur, sed etiam illi pro quibus orat, et Ecclesia tota, tam vivorum, quam mortuorum. Cujus ratio est, quia continetur in ipso ipsa causa universalis omnium sacramentorum, scilicet Christus. Nec tamen si laicus sumat hoc sacramentum, prodest aliis quantum est ex opere operato, inquantum consideratur ut perceptio, quamvis ex intentione operantis et percipientis possit communicari omnibus ad quos dirigit suam intentionem. Ex quo patet quod laici sumentes Eucharistiam pro his qui sunt in purgatorio, errant.

LECTIO VII.

1. Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes : Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? 2. Dixit ergo eis Jesus : Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. 3. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam : 4. Et ego resuscitabo eum in novissimo die. 5. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. 6. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. 7. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me. 8. Hic est panis qui de cælo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. 9. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. 10. Hæc dixit in synagoga, docens in Capharnaum.

1. Supra repressit Dominus murmur Judæorum, quod ortum habuit de origine cibi spiritualis : hic reprimit eorum litigium, quod erat inter eos de sumptione hujus cibi. Et primo ponit eorum litigium; secundo Dominus comprimit illud, ibi, *Dixit ergo eis Jesus* etc. ; tertio Evangelista designat locum, ibi, *Hæc dixit in Synagoga, docens in Capharnaum.* Circa primum sciendum est, quod Evangelista Judæorum litigium inducit per modum conclusionis, cum dicit : *Litigabant ergo Judæi* etc. Et quidem satis congrue : nam, secundum Augustinum, Dominus locutus fuerat eis de cibo unitatis, quo qui reficiuntur, efficiuntur unanimes, secundum illud Psal. LXVII, 4 : *Justi epulentur, et exultent in conspectu Dei, et lætentur in lætitia.* Et sequitur, secundum aliam litteram : *Qui habitare facit unanimes in domo.* Quia igitur Judæi cibum concordiæ non sumpserant, ideo ad invicem litigabant. Isa. LVIII, 4 : *Ecce ad lites et contentiones jejunatis.* Ex hoc autem quod litigabant cum aliis, se esse carnales ostendebant. I Cor. III, 3 : *Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis?* Et ideo hæc verba Domini carnaliter intelligebant, scilicet quod caro Christi manducaretur sicut cibus carnalis : unde dicunt : *Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum?* quasi dicant : Hoc est impossibile; sicut et patres eorum locuti sunt contra Dominum, Num. XXI, 5 : *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo.*

2. Sed hoc eorum litigium comprimitur a Domino : unde *Dixit ergo eis Jesus* etc. Ubi primo ponit virtutem sumptionis hujus cibi; secundo manifestat eam, ibi, *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Circa primum tria facit. Primo ponit carnis manducandæ necessitatem; secundo ejus utilitatem, ibi, *Qui manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam;* tertio subdit ejus veritatem, ibi, *Caro enim mea vere est cibus.* Dixit ergo Jesus : *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* quasi dicat : Vos reputatis impossibile et incongruum quod carnem meam manducetis; sed [1] non solum non est impossibile, sed etiam est valde necessarium, intantum quod *nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis* idest non poteritis habere *in vobis vitam,* scilicet spiritualem. Nam sicut cibus corporalis ita est necessarius ad vitam cor-

— [1] Al. deest : « sed. »

poralem quod sine eo esse non possit (Thren. I, 2 : *Dederunt pretiosa quæque pro cibo :* et in Psal. CIII, 5 : *Panis cor hominis confirmet*) : ita cibus spiritualis necessarius est ad vitam spiritualem, adeo quod sine ipso vita spiritualis sustentari non possit. Deut. VIII, 3 : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.*

Notandum autem quod hæc sententia potest referri vel ad spiritualem manducationem, vel ad sacramentalem. Sed si referatur ad spiritualem, nullam dubitationem habet sententia. Ille enim [1] spiritualiter carnem Christi manducat et sanguinem bibit qui particeps fit ecclesiasticæ unitatis, quæ fit per caritatem. Rom. XII, 5 : *Omnes unum corpus estis in Christo.* Qui ergo non sic manducat, est extra Ecclesiam, et per consequens extra caritatem; ideo non habet vitam in semetipso. I Joan. III, 4 : *Qui non diligit, manet in morte.* Si vero referatur ad sacramentalem, dubium habet quod dicitur : nam supra III, 5, dicitur : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum cœlorum.* Sed sicut [2] proposita fuit illa sententia, ita et ista, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis* etc. Cum ergo baptismus sit sacramentum necessitatis, videtur etiam quod eucharistia. Sed hoc quidem [3] græci concedunt : unde et pueris baptizatis dant Eucharistiam : et in hoc habent pro eis ritum Dionysii, qui dicit quod perceptio cujuslibet sacramenti debet consummari in communione eucharistiæ, quæ est consummatio omnium sacramentorum. Sed hoc verum est in adultis, non autem in pueris : cum in sumente eucharistiam exigatur actualis reverentia et devotio, quam illi qui [4] non habent usum liberi arbitrii, sicut sunt pueri et amentes, habere non possunt; et ideo nullo modo eis est danda.

Dicendum ergo quod sacramentum baptismatis est necessarium quantum ad omnes, ut realiter accipiatur, quia sine eo nullus regeneratur ad vitam : et ideo oportet quod ipsum habeatur in re vel in voto, quantum ad præoccupatos : nam si contemptus in aliquo baptismum aquæ excludat, neque baptismus flaminis nec sanguinis prodest ei ad vitam æternam. Sacramentum vero eucharistiæ est necessitatis quantum ad adultos tantum, ita quod recipiatur re vel voto secundum Ecclesiæ instituta.

Sed secundum hoc etiam dubitatur : quia per hæc verba Domini, non solum manducatio corporis, sed etiam sumptio sanguinis est de necessitate salutis : præsertim cum perfecta refectio cibi non sit sine potu. Cum ergo consuetudo aliquarum Ecclesiarum sit quod solus sacerdos communicet de sanguine, alii vero communicant corpori tantum, videtur huic sententiæ contrariari.

Respondeo dicendum quod, secundum antiquæ Ecclesiæ consuetudinem, omnes sicut communicabant corpori, ita communicabant et sanguini; quod etiam adhuc in quibusdam Ecclesiis servatur, ubi etiam ministri altaris continue et corpori et sanguini [5] communicant. Sed propter periculum effusionis, in aliquibus Ecclesiis servatur ut solus sacerdos communicet sanguini, reliqui vero corpori [6]. Nec tamen est contra sententiam Domini : quia qui communicat corpori, communicat etiam sanguini, cum sub utraque specie totus Christus contineatur, etiam quantum ad corpus et sanguinem. Sed sub speciebus panis continetur corpus Christi ex vi conversionis, sanguis vero ex naturali concomitantia : sub speciebus vero vini continetur sanguis Christi ex vi conversionis, corpus vero ex concomitantia naturali. Sic ergo apparet necessitas sumendi hunc cibum spiritualem.

3. Utilitas ejus ostenditur cum dicit : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam* : et primo quantum ad spiritum seu animam; secundo quantum ad corpus, ibi, *Et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Est ergo utilitas hujus manducationis magna, quia dat vitam æternam : unde dicit : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Nam cibus iste spiritualis est similis quidem corporali in hoc quod sine ipso vita spiritualis esse non potest, sicut nec sine corporali cibo vita corporalis, ut dictum est supra; sed amplius habet ab eo, quia [7] causat indeficientem vitam in sumente, quam cibus corporalis non ef-

[1] Al. : « ille vero. » — [2] Al. : « est sicut. » — [3] Al. : « quidam. » — [4] Al. : deest : « qui » — [5] Al. : « corpore, et sanguine. » — [6] Al.: « communicatur sanguine, reliqui vero corpore. » — [7] Al. : « qui. »

ficit : non enim qui eum sumpserit, vivet. Potest enim fieri, ut Augustinus dicit, ut senio vel morbo, et aliquo casu plurimi qui eum sumpserunt, moriantur : qui vero hunc cibum et potum corporis et sanguinis Domini sumpserit, *habet vitam æternam* : et ideo comparatur ligno vitæ : Prov. III, 8 : *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam* : unde dicitur panis vitæ : Eccli. XIII, 3 : *Cibavit illum pane vitæ et intellectus*. Et ideo dicit, *Vitam æternam* : et hoc, quia qui manducat hunc panem, habet in se Christum, qui est verus Deus, *et vita æterna* : ut dicitur I Joan. ult. 20. Sed ille habet vitam æternam, qui manducat et bibit, ut dicitur, non solum sacramentaliter, sed etiam spiritualiter. Ille vero sacramentaliter manducat et bibit, qui sumit ipsum sacramentum ; spiritualiter vero, qui pertingit ad rem sacramenti : quæ est duplex : una contenta et signata, quæ est Christus integer, qui continetur sub speciebus panis et vini ; alia res est signata et non contenta, et hoc est corpus Christi mysticum quod est in prædestinatis, vocatis et justificatis. Sic ergo spiritualiter manducat carnem et bibit sanguinem per comparationem ad Christum contentum et signatum, qui conjungitur ei per fidem et caritatem, ita quod transformatur in ipsum, et efficitur ejus membrum : non enim cibus iste convertitur in eum qui sumit, sed manducantem convertit in se, secundum Augustinum, cum dicit : « Cibus sum grandium : cresce et manducabis me : nec tu me mutabis in te ; sed tu mutaberis in me. » Et ideo est cibus hominem divinum [1] facere valens, et divinitate inebrians. Item per comparationem ad corpus mysticum signatum tantum, si fiat particeps unitatis ecclesiasticæ. Qui ergo sic manducat, *habet vitam æternam*. Et de primo per comparationem ad Christum satis jam patet. Similiter per comparationem ad corpus mysticum, de necessitate habebit vitam æternam, si perseverat : nam unitas Ecclesiæ fit per Spiritum sanctum. Ephes. IV, 4 : *Unus spiritus et unum corpus... qui est pignus hereditatis æternæ* : ut dicitur Ephes. I, 14. Est ergo magna utilitas hujus cibi, quia dat vitam æternam animæ ; sed etiam magna est, quia dat vitam æternam corpori.

4. Et ideo subdit : *Et ego resuscitabo eum in novissimo die*. Sicut enim dictum est, ille [2] qui spiritualiter manducat et bibit, fit particeps Spiritus sancti, per quem unimur Christo unione fidei et caritatis, et per quem efficimur membra Ecclesiæ. Resurrectionem autem facit mereri Spiritus sanctus. Rom. IV, 24 : *Qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum a mortuis, resuscitabit et mortalia corpora nostra propter inhabitantem Spiritum ejus in nobis*. Et ideo dicit Dominus quod eum qui manducat et bibit, resuscitabit ad gloriam, non ad condemnationem : quia hæc resuscitatio non prodesset. Et quidem satis congrue hujusmodi effectus sacramento eucharistiæ attribuitur : quia, ut dicit Augustinus, et dictum est supra, « Verbum resuscitat animas ; sed Verbum caro factum vivificat corpora. » In hoc autem sacramento non solum est Verbum, secundum suam divinitatem, sed etiam secundum veritatem carnis : et ideo non est solum causa resurrectionis animarum, sed etiam corporum. I Cor. XV, 21 : *Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum*. Patet ergo utilitas hujus manducationis.

5. Veritas autem ejus ostenditur cum dicit : *Caro enim mea vere est cibus*. Posset enim aliquis credere quod ea quæ de carne dicta sunt, et sanguine, ænigma et parabola esset ; et ideo hoc Dominus excludens, dicit : *Caro mea vere est cibus* ; quasi dicat : Non intelligatis quod figuraliter loquar ; sed secundum veritatem caro mea continetur in cibo fidelium, et sanguis meus vere continetur in sacramento altaris. Matth. XXVI, 26 : *Hoc est corpus meum... et hic est sanguis meus novi testamenti*. Vel aliter, secundum Chrysostomum, quia cibus et potus sumitur ad resurrectionem hominis. In homine autem sunt duæ partes ; principalis quæ est anima, et secundaria quæ est corpus. Illud autem quod est homo, est per animam, non per corpus : illud ergo est vere cibus hominis [3], qui est cibus animæ ; et hoc est quod Dominus dicit : *Caro enim mea vere est cibus* : quia non solum est cibus corporis, sed etiam animæ. Similiter et sanguis. Psalm. XXII, 2 : *super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit*. Quasi diceret : Hæc refectio specialiter ad animam ordi-

[1] Al. omittitur : « divinum. » — [2] Al. : « quod ille. » — [3] Al. : « sunt duæ partes principales : una quæ est anima, et secundaria quæ est corpus : illud est vere cibus hominis, etc. »

natur. Vel aliter, secundum Augustinum, illud vere dicitur esse aliquid quod facit effectum ejus; effectus autem cibi est ut satiet : quod ergo vere facit satietatem, vere est cibus et potus : hoc autem facit caro et sanguis Christi, qui ducit ad statum gloriæ, ubi non est esuries neque sitis : Apoc. VII, 16 : *Non esurient nec sitient amplius* : et ideo dicit : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.*

6. *Qui manducat meam carnem*, etc. Hic probat Dominus cibi spiritualis virtutem supra positam, scilicet quod det vitam æternam : et utitur tali argumento. Quicumque manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, conjungitur mihi; sed qui conjungitur mihi, habet vitam æternam : ergo qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Secundum hoc ergo tria facit. Primo ponit majorem; secundo minorem, et probat eam, ibi, *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem;* tertio infert conclusionem, ibi, *Hic est panis qui de cœlo descendit.* Sciendum est ergo quantum ad primum, quod si hoc quod dicit, *Qui manducat carnem meam* etc., referatur ad carnem et sanguinem mystice; nulla dubitatio est in verbo : nam, sicut dictum est, ille manducat spiritualiter per comparationem ad rem signatam tantum, qui corpori mystico incorporatur per unionem fidei et caritatis : caritas autem facit Deum esse in homine, et e converso. I Joan. IV, 16 : *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.* Et hoc est quod facit Spiritus sanctus : unde ibid. 13 : *In hoc cognoscimus quoniam in Deo manemus, et Deus in nobis, quia de Spiritu suo dedit nobis.* Si vero referatur ad sumptionem sacramentalem; tunc quicumque manducat carnem et bibit sanguinem, manet in Deo : quia, sicut dicit Augustinus, est quidam modus manducandi illam carnem et bibendi illum sanguinem, quo qui manducat et bibit, in Christo manet, et Christus in eo. Sed hic est ille qui non sacramentaliter tantum, sed revera corpus Christi manducat, et sanguinem bibit. Est et alius modus, quo qui manducant, non manent in Christo, nec Christus in eis; hoc est qui in corde ficto ad illud accedunt : nullum enim effectum habet sacramentum in ficto. Fictus enim est, cum non respondet interius quod signatur exterius. In sacramento autem eucharistiæ exterius quidem signatur quod Christus incorporetur in eo qui percipit illud, et ipse in Christo. Qui ergo non habet in corde desiderium hujus unionis, nec conatur ad removendum omne impedimentum ad hoc, est fictus : et ideo Christus in eo non manet, nec ipse in Christo.

8. Hic ponit minorem : scilicet quod qui conjungitur Christo, habet vitam; et inducit hoc in manifestatione cujusdam similitudinis, quæ talis est. Filius propter unitatem quam habet ad Patrem, recipit vitam a Patre : ergo qui unitur Christo, recipit vitam a Christo : et hoc est quod dicit : *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem :* quæ quidem verba possunt dupliciter exponi de Christo, scilicet secundum humanam naturam, et secundum divinam. Si enim exponantur de Christo Filio Dei, tunc ly *sicut* importat similitudinem Christi ad creaturam quantum ad aliquid, sed non quantum ad omnia; sed quantum ad hoc quod est esse ab alio : nam hoc est commune Christo Filio Dei, et creaturæ, quod sunt ab alio : sed quantum ad aliud est dissimile : quia Filius habet aliquid proprium, quia scilicet sic est a Patre quod tamen recipit totam plenitudinem divinæ naturæ, intantum quod quidquid est naturale Patri, sit etiam naturale Filio. Creatura vero accipit aliquam perfectionem et naturam particularem. Supra V, 26 : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso.* Et hoc ostendit, quia non ait : Sicut manduco Patrem, et ego vivo propter Patrem; cum loquatur de processione sua a Patre : sicut dixit : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me :* cum loquitur de participatione corporis et sanguinis ejus, qua nos efficimur meliores : nam manducatio quamdam participationem dicit. Sed Christus dicit se vivere propter Patrem, non quidem manducatum, sed generantem, sine æqualitatis detrimento. Si vero exponatur de Christo homine; sic quantum ad aliquid ly *sicut* importat similitudinem inter [1] Christum hominem et nos : in hoc scilicet quod sicut Christus homo accipit spiritualem vitam per unionem ad Deum, ita et nos accipimus spiritualem vitam in communione sacramenti. Sed tamen est dis-

[1] Al. : « in ly. »

simile : quia Christus homo accepit vitam per unionem Verbi, cui in persona unitur [1] ; sed nos unimur Christo per sacramentum fidei : et ideo duo dicit : *Misit me*, et *Pater*. Si ergo referatur ad Filium Dei, tunc dicit : *Vivo ego propter Patrem :* quia ipse Pater vivens est. Si vero referatur ad Filium hominis; tunc dicit : *Vivo ego propter Patrem :* quia *misit me*; idest, fecit me incarnari : missio enim Filii Dei est ejus incarnatio. Gal. IV, 4 : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.*

Per hoc ergo, secundum Hilarium, excluditur error Arii; nam si nos propter Christum vivimus, quia aliquid de natura sua habemus, ut ipse dicit : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam* : ergo et Christus vivit propter Patrem, quia habet in se naturam Patris : non autem partem, quia simplex est, et indivisibilis : ergo habet totam naturam Patris. Propter Patrem ergo vivit Filius, dum nativitas non alienam ei intulit diversamque naturam.

8. Consequenter cum dicit : *Hic est panis qui de cœlo descendit*, ponit duas conclusiones : nam de duobus litigabant : scilicet de origine spiritualis cibi, et de ejus virtute. Prima ergo conclusio est de origine; secunda est de virtute; et hanc principaliter intendit, ibi, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Sciendum est circa primum quod Judæi turbati fuerant, quia dixerat : *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi* : et ideo contra eos hoc [2] iterum concludit ex hoc quod dicit, *Vivo propter Patrem,* cum dicit : *Hic est panis :* nam descendere de cœlo, est de cœlo originem habere; sed Filius habet originem de cœlo, quia vivit propter Patrem : ergo Christus est qui de cœlo descendit : et ideo dicit : *Hic est panis qui de Cœlo*, idest de vita paterna, *descendit*; et hoc quantum ad divinitatem : vel *descendit* etiam quantum ad corpus : inquantum scilicet virtus formativa ejus, quæ fuit Spiritus sanctus, de cœlo fuit, ut virtus cœlestis. Unde qui manducant hunc panem non moriuntur, quo modo mortui sunt patres nostri, qui manducaverunt manna non de cœlo : nec erat panis vivus, ut dictum est supra. Quomodo autem mortui sint qui manna manducaverunt, ex præmissis manifestum est.

9. Secunda conclusio de virtute panis ponitur cum dicit : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum :* quæ sequitur ex hoc, *Qui manducat meum carnem.* Qui enim manducat hunc panem manet in me, et ego in illo; sed ego sum vita æterna : ergo *qui manducat hunc panem*, ut debet, *vivet in æternum.*

10. Locus autem ubi hoc dixit Jesus, fuit *in synagoga*, in qua Christus docebat in Capharnaum. Volens enim multitudinem attrahere, in templo et in synagoga docebat, et ut ex multis saltem proficiant aliqui. Ps. XXXIX, 10 : *Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna.*

LECTIO VIII.

1. Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt : Durus est hic sermo ; et quis potest eum audire ? 2. Sciens autem Jesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dicit eis : Hoc vos scandalizat ? 3. Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius ? 4. Spiritus est qui vivificat ; caro non prodest quicquam. 5. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. 6. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jesus qui essent credentes, et quis traditurus esset eum ; et dicebat : Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. 7. Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro. 8. Et jam non cum illo ambulabant. 9. Dixit ergo Jesus ad duodecim : Numquid et vos vultis abire ? 10 Respondit ergo ei Simon Petrus : Domine, ad quem ibimus ? Verba vitæ æternæ habes : et nos credimus, et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei. 11. Respondit ei Jesus : Nonne ego vos duodecim elegi : et ex vobis unus diabolus est ? 12. Dicebat autem de Juda Simonis Iscariote : hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim.

1. Postquam compressit litigium Judæorum, et murmur, consequenter Dominus sedat scandalum discipulorum. Et primo agitur de scandalo discipulorum recedentium; secundo examinatur devotio remanentium, ibi, *Dixit ergo Jesus ad duodecim : Numquid et vos vultis abire?* Circa primum tria facit. Primo ponitur scandalum discipulorum; secundo benignitas Christi ad reprimendum ipsum, ibi, *Sciens autem Jesus apud semetipsum quia de hoc murmurarent discipuli ejus, dicit eis*, etc.; tertio ponitur pertinacia et incredulitas recedentium, ibi, *Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro.* Sciendum est ergo circa primum quod multi erant in populo Judæorum qui adhærebant Christo, credentes ei, et seque-

[1] Al. : « unitus. » — [2] Al. : « hic. »

bantur eum; non tamen relictis omnibus, sicut duodecim, qui omnes dicebantur discipuli. Et de istis dicit quod *multi*, scilicet in populo, qui ei credebant, *audientes*, quæ supra dixit, *dixerunt : Durus est hic sermo*. De istis dicitur Luc. VIII, 13 : *Ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt*. Dicitur autem, *Multi*, quia, ut dicitur Eccle. I, 15, *stultorum infinitus est numerus*. Et Matth. XX, 16 : *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Isti ergo dixerunt : *Durus est hic sermo*. Durum dicitur quod non facile dividitur, et resistentiam habet. Est ergo aliquis sermo durus, aut quia resistit intellectui, aut quia resistit voluntati; cum scilicet illum intellectu capere non possumus, aut voluntati non placet; et utroque modo erat istis durus sermo. Durus quidem intellectu, quia superexcedebat imbecillitatem intellectus eorum : cum enim carnales essent, non poterant capere quod dicebat, se carnem suam daturum eis ad manducandum. Voluntati autem, quia multa dixit de potentia suæ divinitatis : et licet isti crederent ei sicut Prophetæ, non tamen credebant eum Deum : et ideo videbatur eis quod loqueretur majora seipso. II Corinth. X, 10 : *Epistolæ graves sunt*. Eccli. VI, 21 : *Aspera est nimium indoctis hominibus sapientia*. Et ideo sequitur : *Quis potest eum audire?* Hæc dicunt ad excusationem suam : nam ex quo dederant se ei, debebant eum audire : sed quia non docebat eos placentia, vellent aliquam occasionem quærere recedendi. Prov. XVIII, 2 : *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde suo*.

2. Consequenter cum dicit, *Sciens autem Jesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dicit eis : Hoc vos scandalizat?* ponitur benignitas Christi ad sedandum scandalum. Et primo denuntiat et manifestat scandalum; secundo removet causam scandali, ibi, *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* tertio innuit ipsam causam, ibi, *Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt*. Scandalum autem denuntiat, quia dixerant occulte, *Durus est hic sermo*, ut ab illo non audirentur. Sed ille qui virtute suæ divinitatis noverat quid dicebant, hoc manifestat : et hoc est quod dicit : *Sciens autem Jesus apud semetipsum* quod ipsi in semetipsis dicebant, scilicet *quia murmurarent de hoc discipuli ejus* (supra II, 25 : *Non erat ei opus ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine* : Psal. VII, 10 : *Scrutans corda et renes Deus*) dixit eis : *Hoc vos scandalizat?* quasi dicat : De hoc non debetis scandalizari. Vel potest legi remissive; quasi dicat : Scio quod de hoc scandalizamini. Isa. VIII, 4 : *Erit nobis* (scilicet in Christo credentibus) *quidem in sanctificationem; in lapidem autem offensionis duabus domibus Israel*, idest discipulis murmurantibus, et turbis.

Sed cum doctores debeant vitare scandalum audientium, quare eis Dominus talia dogmata proponit, ut scandalizarentur et recederent? Respondeo dicendum quod necessitas doctrinæ exigebat ut Dominus eis talia proponeret. Institerant enim apud eum pro cibo corporali qui venerat ut duceret in appetitum cibi spiritualis; et ideo necesse erat ut eis proponeret doctrinam de cibo spirituali. Nec tamen scandalum eorum causabatur ex vitio doctrinæ Christi, sed ex eorum infidelitate. Si enim verba Domini non intelligebant propter eorum carnalitatem, poterant Dominum interrogare, sicut Apostoli alias fecerunt. Hoc autem, secundum Augustinum, Dominus dispensative permisit, ut bene docentibus causam patientiæ et consolationis contra malignantes eorum dicta præberet, cum discipuli etiam verbis Christi detrahere præsumerent.

3. Consequenter cum dicit, *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* tollit occasionem scandali, quæ quidem erat et de persona dicentis, et de verbis dictis, ut dicit Chrysostomus : et ideo primo removet occasionem scandali quantum ad personam dicentis; secundo quantum ad verba dicta, ibi, *Spiritus est qui vivificat*. Occasio autem istorum fuit, quia audierant Dominum loqui de se divina : unde, quia ipsi credebant eum esse filium Joseph, scandalizabantur ex hoc quod de se dicit : et ideo hanc occasionem removens, ostendit eis Deus apertius suam divinitatem : unde dicit : Vos turbamini de his quæ de me dixi : *si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius*; supple, quid dicetis? quasi dicat : Nunquam potestis negare quin de cœlo descenderim, quin sim dator vel doctor vitæ æternæ [1].

[1] Al.: « quin sim dator vitæ æternæ. »

Simile fecit in Nathanæle : cum enim diceret (supra I, 49) : *Tu es rex Israel,* voluit eum ad perfectiorem cognitionem elevare : unde dixit ei : *Majora his videbitis.* Et ideo istis aliquid majus futurum de se manifestat, dicens : *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* Ascendit autem in cœlum videntibus discipulis, ut dicitur Actor. I. Si ergo ascendit ubi prius fuit, ergo prius fuit in cœlo. Supra III, 13 : *Nemo ascendit in cœlum nisi qui de cœlo descendit.* Sed attende quod, etsi sit eadem persona Filii Dei et Filii hominis in Christo ; quia tamen natura est alia, ideo aliquid convenit ratione humanitatis, scilicet ascendere quod non convenit ei ratione divinitatis, secundum quam non habet quo ascendat, cum æternaliter sit in summo rerum vertice, scilicet in Patre ; sed secundum eam convenit ei ascendere *ubi erat prius*, scilicet in cœlo, ubi non fuit secundum humanam naturam ; quod est contra errorem Valentini dicentis, Christum attulisse corpus cœleste. Sic ergo ubi prius fuit secundum divinitatem ascendit videntibus Apostolis et propria virtute secundum humanitatem. Infra XVI, 28 : *Exivi a Patre, et veni in mundum* : *iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Sed secundum Augustinum, aliter hæc verba introducuntur : dicit enim quod isti scandalizati sunt de hoc quod Dominus dixit quod daret eis carnem suam ad manducandum : quod intelligentes carnaliter, ac si eum ad litteram deberent comedere, ut carnes animalium, scandalizati sunt : et hunc intellectum removens dicit : *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem*, integro corpore, *ubi erat prius* ; supple, numquid dicetis quod sic daturus eram vobis carnem meam ad manducandum ut carnes animalium?

4. Consequenter cum dicit, *Spiritus est qui vivificat,* removet occasionem scandali ex parte verborum prolatorum : et secundum Chrysostomum, primo distinguit duplicem intellectum ipsorum verborum ; secundo ostendit quis eorum congruat ipsis verbis, ibi, *Verba quæ ego loquor, spiritus et vita sunt* : Sciendum est ergo quantum ad primum quod verba Christi secundum duplicem sensum intelligi possunt, scilicet secundum spiritualem et secundum corporalem ; et ideo dicit : *Spiritus est qui vivificat;* idest, si ea verba quæ dixi, intelligatis secundum spiritum, idest secundum spiritualem sensum, vivificabunt : *caro non prodest quidquam;* idest, si secundum carnalem sensum, ea intelligatis, nihil vobis prosunt, immo nocent : quia, ut dicitur Rom. VIII, 13, *si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Tunc autem verba Domini [1] de carne sua manducanda, carnaliter intelliguntur, quando accipiuntur secundum quod verba exterius sonant, et ut natura carnis habet ; et hoc modo ipsi intelligebant, ut dictum est. Sed Dominus dicebat daturum se eis sicut spiritualem cibum, non quin sit in sacramento altaris vera caro Christi, sed quia quodam spirituali et divino modo manducatur. Sic ergo dictorum verborum congruus sensus est non carnalis, sed spiritualis.

5. Unde subdit : *Verba quæ ego locutus sum vobis*, scilicet de carne mea manducanda, *spiritus et vita sunt;* idest, spiritualem sensum habent, et sic intellecta vitam dant. Nec mirum si habent spiritualem sensum, quia sunt a Spiritu sancto. I Corinth. XIV, 2 : *Spiritus est qui loquitur mysteria.* Et ideo mysteria Christi vivificant. Psal. CXVIII, 93 : *In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me.* Secundum Augustinum vero aliter exponitur : nam hoc quod dixit : *Caro non prodest quidquam,* intelligitur de carne Christi : manifestum est enim quod caro Christi : ut [2] conjuncta Verbo et spiritui, multum prodest per omnem modum : alioquin frustra Verbum caro factum esset, frustra ipsum Pater manifestasset in carne, ut dicitur I Tim. IV. Et ideo dicendum est, quod caro Christi in se considerata non prodest quicquam, et non habet effectum proficuum, nisi sicut alia caro. Si enim per intellectum separetur a divinitate et Spiritu sancto, non habet aliam virtutem quam alia caro ; sed si adveniat Spiritus et divinitas, multis prodest, quia facit sumentes manere in Christo : est enim spiritus caritatis per quem homo [3] in Deo manet. I Joan. IV, 13 : *In hoc cognoscimus, quia in Deo manemus et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Et ideo dicit Dominus : Hunc effectum, scilicet vitæ æternæ, quem ego promitto vobis, non debetis attribuere carni in se

[1] Al. : « sunt ibi verba Domini. » — [2] Al. deest : « ut. » — [3] Al. : « est ergo causa spiritus caritatis per quam homo, etc. »

consideratæ, quia *caro* sic *non prodest quidquam;* sed si spiritui attribuatis, et divinitati conjunctæ carni, sic præstat vitam æternam. Galat. v, 25 : *Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus.* Et ideo subdit : *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt;* idest, referenda sunt ad spiritum carni conjunctum; et sic intellecta, vita sunt, scilicet animæ : nam sicut corpus vivit vita corporali per spiritum corporalem, ita et anima vivit vita spirituali per Spiritum sanctum. Psal. CIII, 30 : *Emitte spiritum tuum, et creabuntur.*

6. Consequenter cum dicit, *Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt,* demonstrat causam scandali, quæ erat infidelitas eorum : quasi dicat : Causa scandali vestri non est duritia sermonis quem ego locutus sum vobis, sed infidelitas vestra. Et ideo primo ostendit eorum infidelitatem; secundo excludit falsam opinionem; tertio manifestat causam infidelitatis eorum. Infidelitatem quidem eorum ostendit Dominus cum dicit : *Sunt quidem ex vobis qui non credunt.* Non autem dixit, Qui non intelligunt; sed, quod plus est, causam quare non intelligunt insinuat : ex hoc enim non intelligebant, quia non credebant. Isa. VII, 9, secundum aliam litteram : *Nisi credideritis, non intelligetis.* Et dixit, *Quidam,* ut excipiat discipulos. II Thessal. III, 2 : *Non omnium est fides.* Rom, x, 16 : *Non omnes obediunt Evangelio.* Psal. CV, 25 : *Non crediderunt verbis ejus.* Falsam suspicionem excludit Evangelista, cum subdit, *Sciebat enim;* quasi dicat : Non ideo dixit Jesus, *Sunt quidam ex vobis qui non credunt,* quasi de novo hoc ei innotuisset, sed quia *sciebat ab initio,* mundi scilicet, *qui essent credentes, et quis esset traditurus eum.* Heb. IV, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.* Et Eccli. XXIII, 29 : *Domino Deo nostro nota sunt omnia antequam fiant.* Causam autem infidelitatis eorum assignat Dominus consequenter, quæ est ex remotione gratiæ attrahentis : unde dicebat : *Propterea ego dixi vobis;* quasi dicat : ideo necessarium fuit ut vobis prædicta dicerem : *quia nemo potest venire ad me,* scilicet per fidem, *nisi fuerit ei datum a Patre meo.* Ex quo sequitur, secundum Augustinum, quod etiam ipsum credere datur nobis a Deo. Cur autem non omnibus datur, ostensum est supra, eodem, ubi quasi eadem verba Dominus dixit. Repetit tamen ea hic propter duo : ut ostendat quod hoc quod recepit eos ad fidem, magis erat eis ad beneficium et utilitatem quam Christo. Phil. I, 29 : *Vobis datum est ut in ipsum credatis,* quasi dicat : Bonum vestrum est quod credatis : et ideo dicit Augustinus : « Magnum quidem est credere : gaude quia credidisti. » Secundo, ut ostendat se non esse filium Joseph, ut ipsi putabant, sed Dei : nam Deus Pater est qui attrahit homines ad Filium, sicut ex præmissis apparet.

7. Consequenter cum dicit, *Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro,* ponitur ipsorum discipulorum pertinacia : nam licet Dominus reprehenderit eos, et causam scandali, quantum est ex parte sua, removerit, nihilominus tamen perseverant in infidelitate : et ideo dicit, quod *multi discipuli ejus abierunt retro.* Non dixit, Recesserunt; sed, *abierunt retro,* a fide, quam secundum virtutem habebant, et præcisi a corpore Christi vitam perdiderunt, quia forte nec in corpore fuerunt, ut dicit Augustinus. Sunt enim aliqui qui simpliciter vadunt retro : illi scilicet qui sequuntur diabolum, cui dictum est, Matth. IV, 10 : *Vade retro satana.* Et de quibusdam feminis dicitur I Timoth. v, 15 : *Quædam conversæ sunt retro post satanam.* Non sic vadit retro Petrus, sed post Christum. Matth. XVI, 23 : *Vade retro me satana.* Isti autem abierunt post satanam.

8. Unde sequitur : *Et jam non cum illo ambulabant* : scilicet [1] quamvis a nobis requiratur ut cum Jesu ambulemus. Michææ VI, 8 : *Indicabo tibi, homo, quid sit bonum* : et sequitur : *sollicite ambulare cum Deo tuo.*

9. Consequenter cum subditur : *Dixit ergo Jesus ad duodecim* : *Numquid et vos vultis abire?* examinat Dominus discipulos remanentes. Et primo ponitur examinatio discipulorum ex interrogatione Christi; secundo subditur devotio remanentium ex responsione Petri, ibi, *Respondit ergo Simon Petrus;* tertio corrigitur Petri responsio, ibi, *Respondit ei Jesus.* Examinat autem Dominus duodecim qui remanserant an velint persistere; et ideo dixit ad duodecim, scilicet Apostolos : *Numquid et vos vultis abire?* et hoc propter duo. Primo ne hoc quod isti aliis re-

[1] Al. : « sed. »

cedentibus remanserant, propriæ justitiæ ascribentes, superbirent, existimantes se gratiam fecisse Christo, eum non relinquendo : et ideo, ostendens se non indigere eorum sequela, magis eos detinet et confirmat. Job xxxv, 7 : *Porro si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Secundo, quia contingit quod aliquando aliquis habet voluntatem recedendi ab aliquo, et tamen verecundia retinetur ; ei ideo nolens eos verecundia coarctatos apud eum remanere (quia idem est invite servire quod penitus non servire), aufert etiam verecundiam, et necessitatem remanendi, ponens in eorum arbitrio, an vellent remanere, an abire, quia *hilarem datorem diligit Deus* : ut dicitur II Corinth. ix, 7.

10. Sequitur devotio remanentium ex responsione Petri : nam ipse fratrum amator, et amici conservator, et specialem affectum gerens ad Christum, respondet pro toto collegio, dicens : *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, et nos credimus.* Ubi tria facit. Primo extollit Christi excellentiam ; secundo commendat ejus doctrinam, et tertio profitetur fidem. Excellentiam quidem extollit cum dicit : *Domine, ad quem ibimus?* quasi dicat : Repellis nos a te, da nobis alium meliorem te, ad quem eamus. Sed certe nullus *similis tui in fortibus, Domine* : Exod. xv, 11 : et in Psal. lxxxviii, 7 : *Quis similis Deo?* et ideo non dimittemus te. Psal. cxxxviii, 7 : *Quo ibo a spiritu tuo?* Et, secundum Chrysostomum, verbum Petri multum amicitiæ est ostensivum : jam enim Christus eis erat honorabilior quam patres et matres. Doctrinam vero commendat cum dicit : *Verba vitæ æternæ habes.* Moyses autem habuit verba Dei, similiter et Prophetæ : sed raro verba vitæ æternæ ; tu vero promittis vitam æternam : quid ergo aliud majus quærimus? Supra (hoc cap.) : *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Et supra iii, 39 : *Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam.* Fidem autem confitetur cum subdit : *Et nos credimus et cognovimus quia tu es Christus Filius Dei.* In fide enim nostra duo principaliter credenda sunt : scilicet mysterium Trinitatis et incarnationis : quæ duo hic Petrus confitetur. Mysterium quidem Trinitatis, cum dicit : *Tu es Filius Dei* : in hoc enim quod dicit eum Filium Dei, facit mentionem de persona Patris et Filii, simul etiam et Spiritus sancti, qui est amor Patris et Filii, et nexus utriusque : mysterium vero incarnationis, cum dicit : *Tu es Christus* : Christus enim græce, latine unctus dicitur, oleo scilicet invisibili Spiritus sancti ; sed non secundum divinam naturam : quia qui ungitur Spiritu sancto ipsa unctione melior efficitur ; sed secundum quod Deus, Christus non efficitur melior : ergo est unctus secundum quod homo. Dicit autem, *Credimus, et cognovimus,* quia prius est credere quam cognoscere : et ideo « si prius cognoscere quam credere vellemus, non cognosceremus, nec credere valeremus, » ut dicit Augustinus. Isa. vii, 9, secundum aliam litteram : « Nisi credideritis, non intelligetis. »

11. Responsionem antem Petri Dominus corrigit cum dicit : *Nonne ego vos duodecim elegi ; et ex vobis unus diabolus est?* Et primo ponitur responsio Domini ; secundo expositio Evangelistæ, ibi, *Dicebat autem de Juda.* Quia Petrus largus fuit in responsione sua omnes includendo, sic dicens : *Et nos credimus, et cognovimus quia tu es Christus Filius Dei* : per quod videbatur quod omnes perventuri essent ad vitam æternam : ideo Dominus de collegio credentium excepit Judam. Sed hæc [1] quidem in Petro commendabilis erat confidentia, quod nullum de socio malum suspicabatur ; sed in Domino admiranda est sapientia, qui occulta videbat : et ideo dicit : *Nonne ego vos duodecim elegi : et unus ex vobis diabolus est?* non per naturam, sed per imitationem diabolicæ malitiæ. Sap. ii, 24 : *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum : imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.* Infra xiii, 27 : *Post buccellam introivit in eum satanas :* quia scilicet factus est conformis malitiæ ejus.

Sed si Christus elegit Judam, et ipse factus est malus, videtur quod erraverit in electione. Ad quod respondetur primo, secundum Chrysostomum, quia hoc non dicitur de electione prædestinationis, sed ad aliquod officium, et ad statum præsentis justitiæ, ad quem aliquando aliquis eligitur non secundum futurum, sed secundum quod nunc est in re : quia per hanc electionem non aufert arbitrii liber-

[1] Al. : « hic. »

tatem, nec aufert possibilitatem peccandi : unde dicitur I Corinth. x, 12 : *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Sic ergo Dominus elegit Judam non tamquam malum tunc, nec tamen per electionem ablata est ei possibilitas peccandi. Secundo respondetur, secundum Augustinum, quod Dominus elegit Judam malum : et quia boni est ut malo utatur in bonum, licet sciret eum malum, malo ejus bene est usus Deus, dum tradi se pertulit ut nos redimeret. Vel dicendum, quod electio duodecim Apostolorum non refertur hic ad personas, sed ad numerum; quasi dicat : Ego elegi in vobis duodenarium numerum : hic enim numerus congrue consecratur eis qui fidem sanctæ Trinitatis per quatuor mundi cardines prædicaturi erant : qui quidem numerus non periit, quia in locum pereuntis proditoris surrogatus est Matthias. Vel, secundum Ambrosium, ideo elegit Judam malum, ut consolaretur infirmitatem nostram, si aliquando contigerit nos ab amicis prodi, cum legimus a discipulo proditum Dominum et Magistrum.

Sed quæritur hic, quare cum dicit Dominus, *Unus ex vobis diabolus est*, nihil dicunt disciples et postea cum dicit, infra xiii, 21 : *Unus ex vobis me tradet*, dixerunt, *Numquid ego sum, Domine?* Respondeo dicendum quod hujus ratio est, quia hic Dominus generaliter locutus est, dicens, unum ex eis esse diabolum : quod potest referri ad quamcumque malitiam : et ideo non sunt commoti : ibi vero tantum facinus audientes, proditionem scilicet magistri, se continere non valent. Vel dicendum ad hoc, quod cum Dominus hæc verba dixit, quilibet eorum de sua virtute confidebat, et ideo non timebant de se : sed quando Petrus audivit (Matth. xvi, 23) : *Vade post me, satana* : territi sunt, et infirmiora de se senserunt : et ideo vacillantes dicebant : *Numquid ego sum, Domine?*

12. Hanc autem responsionem, quam Dominus occulte fecerat, Evangelista exponit, dicens : *Dicebat autem de Juda*, ut rei probavit eventus, ut patet infra, cap. xiii.

CAPUT SEPTIMUM

LECTIO I.

1. Post hæc autem ambulabat Jesus in Galilæam: non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere. Erat autem in proximo dies festus Judæorum scenopegia. 2. Dixerunt autem ad eum fratres ejus: Transi hinc, et vade in Judæam: 3. Ut et discipuli tui videant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, et quærit ipse in palam esse. Si hæc facis manifesta teipsum mundo. 4. Neque enim fratres ejus credebant in eum. 5. Dixit ergo eis Jesus: Tempus meum nondum advenit; tempus autem vestrum semper est paratum. 6. Non potest mundus odisse vos; me autem odit; quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera ejus mala sunt. 7. Vos ascendite ad diem festum hunc; ego autem non ascendam ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est.

1. Postquam Dominus egit de vita spirituali, et nutrimento, hic consequenter agit de instructione seu doctrina: quæ est necessaria spiritualiter regeneratis, ut dictum est supra: et primo ostendit originem suæ doctrinæ; secundo manifestat ejus utilitatem ab octavo capitulo, et deinceps. Circa primum tria facit. Primo ponitur locus ubi originem suæ doctrinæ manifestavit: secundo ponuntur occasiones eam manifestandi, ibi, *Judæi ego quærebant eum* etc. tertio ponitur ipsa manifestatio, ibi, *Respondit eis Jesus*; *et dixit*: *Mea doctrina non est mea* etc. Circa primum tria facit. Primo ponitur incitatio Christi ad eundum ad locum, ubi publicavit [1] originem suæ doctrinæ secundo ponitur recusatio Domini, ibi, *Dicit ergo eis Jesus* etc.; tertio subditur quomodo Christus ad locum illum pervenit, ibi, *Hæc cum dixisset*, *ipse mansit in Galilæa.* Circa primum duo facit. Primo ponit occasiones quare Christum incitabant ad eundum; secundo subdit ipsam incitationem, ibi, *Dixerunt autem ad eum fratres ejus.* Ex tribus autem movebantur ut incitarent Christum ad eundum in Judæam: primo quidem ex mora ejus; secundo ex proposito; tertio ex congruitate temporis. Ex mora quidem ejus in Galilæa, in qua ostendebat Christus se velle morari: et ideo dicit: *Post hæc*, verba scilicet quæ dicta sunt in Capharnaum, *ambulabat Jesus in Galilæam*; scilicet [2], acceperat iter de Capharnaum, quæ erat metropolis Galilææ, ut discurreret per Galilæam. Ideo autem Dominus in Galilæa frequentius moratur, ut ostendat nobis transmigrandum esse de vitiis ad virtutes. Ezech. XII, 3: *Tu ergo*, *fili hominis*, *fac tibi vasa transmigrationis et transmigrabis per diem coram eis.* Ex proposito autem Christi, qui forte eis per [3] verba innotuit; et ideo dicit: *Non enim volebat in Judæam ambulare.* Cujus ratio est, *quia quærebant eum Judæi interficere.* Supra V, 18, *Quærebant eum Judæi interficere: quia non solum solvebat sabbatum*, *sed et patrem suum dicebat Deum*, *æqualem se faciens Deo.*

Sed numquid non poterat illuc ire, et ambulare inter Judeaos, et ab eis non occidi, sicut fecit infra VIII. Respondeo dicendum quod ad hoc triplex ratio assignatur. Prima ab Augustino: quia futurum erat ut aliquis fidelis Christi absconderet se ne a persecutoribus inveniretur. Ne ergo illi fuga objiceretur pro crimine, voluit Dominus ad consolationem nostram hoc in se præcessisse ostendere: quod etiam et verbo docuit. Matth. X, 23: *Si vos persecuti fuerint in una civitate*, *fugite in aliam.* Alia quidem ratio est, quia scilicet Christus Deus erat et homo; et ideo virtute divinitatis poterat non lædi a persecutoribus; sed hoc noluit continue facere: quia sic fuisset declarata ejus divinitas, quod tamen humanitas ejus venisset in dubium. Et ideo fugiens quandoque persecutores, ut homo asserit [4] suam humanitatem, ut confundat omnes eum non verum hominem fuisse dicentes. Quandoque autem transiens illæsus per eos, ostendit suam divinitatem, confundens omnes eum hominem purum esse dicentes. Et ideo

[1] Al.: « publicant. » — [2] Al. deest: « scilicet. »

[3] Al. omittitur: « per. » — [4] Al.: « affirmat. »

Chrysostomus habet aliam litteram : scilicet, *Non enim habebat potestatem, si vellet, in Judæam ambulare* : quod dicitur secundum modum humanum ; sicut si dicatur : Aliquis non potest aliquo ire, si vellet, propter insidias. Tertia ratio est, quia nondum passionis aderat tempus ; futurum enim erat ut pateretur in pascha, quando immolabatur agnus, ut sic victima succederet victimæ. Infra XIII, 1 : *Sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.*

Ex congruitate vero temporis, quia erat tempus congruum ad eundum in Hierusalem : et hoc est quod dicit : *Erat autem in proximo die festus Judæorum scenopegia.* Scenopegia autem græcum est, compositum ex scenos, quod est umbra, et phagim quod est comedere ; quasi dicat : Erat tempus in quo comedebant in tabernaculis. Dominus enim mandavit filiis Israel. Lev. XXIII, 41, quod mense septimo per septem dies habitarent in tabernaculis, in memoriam quod quadraginta annis habitaverunt in tabernaculis in deserto. Et hoc festum tunc celebrabant Judæi. Commemorat autem hoc Evangelista, ut ostendat quod multum tempus prætermisit ab eo tempore quo præmissa de cibo spirituali dicta fuerunt usque ad istud tempus. Nam quando fecit miraculum de panibus, erat prope dies paschæ ; hoc autem festum scenopegiæ est multo post pascha ; et sic nihil eorum quæ in quinque mensibus intermediis per Dominum facta sunt, recitat hic Evangelista : ut detur intelligi quod indeficienter signa faceret, ut patet infra ultimo, illa præcipue studuerunt Evangelistæ dicere pro [1] quibus aut querela aut contradictio a Judæis subsequebatur.

2. Consequenter cum dicit, *Dixerunt autem ad eum fratres ejus,* ponitur incitatio fratrum Domini ; et primo ponitur eorum admonitio ; secundo assignatur admonitionis ratio, ibi, *Ut discipuli tui videant opera tua* ; tertio ab Evangelista assignatur causa talis rationis, ibi, *Neque enim fratres ejus credebant in eum.* Circa primum primo ponuntur incitantes ; unde dicit : *Dixerunt autem ad eum fratres ejus*, non carnales et uterini, ut Elvidius blasphemavit, quod abhorret fides catholica, quod sanctissimus ille virgineus uterus qui Deum protulit et hominem, protulisset postmodum alium hominem mortalem. Fratres ergo ejus erant cognatione, quia erant consanguinei [2] Beatæ Mariæ Virginis ; hæc enim est consuetudo Scripturæ, consanguineos appellare fratres, secundum illud Gen. XIII, 8 : *Non sit, quæso, jurgium inter me et te... fratres enim sumus ;* cum tamen Lot nepos esset Abrahæ. Et, ut Augustinus dicit, sicut in sepulcro ubi positum fuerat corpus Domini, nec ante nec postea jacuit corpus ; sic uterus Mariæ nec ante nec postea quicquam mortale concepit. Sed quia aliqui de consanguineis Beatæ Virginis erant Apostoli, sicut filii Zebedæi, et Jacobi Alphæi, et alii ; ideo non est intelligendum quod fuerunt de illis qui incitaverunt Christum ; sed illi fuerunt alii propinqui ejus, qui Christum non diligebant. Secundo ponitur monitio eorum, cum dicunt : *Transi hinc*, scilicet de Galilæa, *et vade in Judæam :* ubi est Hierusalem locus solemnis, doctoribus conveniens. Amos VII, 12 : *Qui vides, gradere in terram Juda, et ibi comedes panem tuum, et prophetabis ibi.*

3 ℣. Rationem autem subdunt, dicentes : *Ut et discipuli tui videant opera tua.* Ubi ostendunt se primo inanis gloriæ cupidos, secundo suspiciosos ; et tertio incredulos. Cupidos quidem inanis gloriæ ostendunt se, se, cum dicunt : *Ut et discipuli tui videant opera tua.* Patiebantur enim aliquid humani ad Christum, et volebant captare gloriam de honore humano, qui Christo exhiberetur a turbis ; et ideo inducebant eum ut faceret opera sua in publico : est enim proprium inanis gloriæ cupidi ut quicquid gloriosum sui vel suorum fuerit, ostendatur in publico. Matth. VI, 5 : *Amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus* : de quibus dicitur infra XII, 43 : *Dilexerunt magis gloriam hominum quam Dei.* Suspiciosos autem ostendunt se ; et primo de formidine [3] Christum notant : unde dicunt ei : *Nemo quippe in occulto aliquid facit ;* quasi dicant : Tu dicis te facere miracula ; sed facis in occulto, et hoc ex timore : alioquin in Hierusalem, et faceres ea ibi coram multitudine. Sed tamen Dominus dicit, infra XVIII, 20 : *In occulto locutus sum nihil.* Secundo notant eum de amore gloriæ : unde dicunt : *Et quærit ipse in palam esse ;* quasi dicant : Tu quæris glo-

[1] Al. omittitur : « pro. » — [2] Al. : « quia ante consanguinei. » — [3] Al. : « de fortitudine. »

riam de his quæ facis, et tamen propter timorem abscondis te. Hoc est proprium malorum, ut credant alios similes eis animi passiones habere. Vide quam irreverenter prudentia carnis Verbum carnem [1] factum arguebat contra quos dicit Job IV, 3 : *Arguis eum qui non est similis tibi, et loqueris quod tibi non expedit.* Incredulos ostendunt se esse, cum dicunt : *Si hæc facis, manifesta teipsum mundo;* quasi sub dubio ponunt an ipse miracula faciat. Isa XXI, 2 : *Qui incredulus est, infideliter agit.*

4. Causam autem quare sic loquebantur, subdit Evangelista cum dicit : *Neque enim fratres ejus credebant in eum.* Contingit enim quod carnales consanguinei maxime adversantur suis, et invident de bonis spiritualibus. Et contemnunt eum : unde dicit Augustinus : « Christum consanguineum habere potuerunt, credere autem in eum in ipsa propinquitate fastidierunt. » Mich. VII, 6 : *Inimici hominis domestici ejus* Job XIX, 13 : *Fratres meos longe fecit a me, et noti mei quasi alieni dereliquerunt me proximi mei, et qui me noverant, obliti sunt mei.*

5. Consequenter cum dicit, *Dixit ergo ergo eis Jesu* : *Tempus meum nondum advenit* etc. ponitur Christi responsio ; et primo designat temporis ad ascendendum indispositionem [2] ; secundo assignat dictorum rationem, ibi, *Non potest mundus odisse vos* ; tertio ponit ascendendi recusationem, ibi, *Vos ascendite ad diem festum hunc* etc.

Sciendum est autem quod tota sequens littera aliter exponitur secundum Augustinum, et aliter secundum Chrysostomum. Nam secundum Augustinum, fratres Domini invitabant eum ad humanam gloriam. Est autem tempus quo sancti perveniunt ad gloriam, scilicet tempus futurum : ad quam perveniunt per passiones et tribulationes. Sap. III, 6 : *Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum.* Aliud vero est tempus quo mundani gloriam suam acquirunt , scilicet tempus præsens : II, 7 : *Non prætereat nos flos temporis : coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra* etc. Voluit ergo Dominus ostendere quod non quærebat gloriam hujus temporis ; sed ad celsitudinem gloriæ cœlestis per [3] passionem et humilitatem suam volebat pervenire. Luc. ult. 26 : *Oportuit Christum pati, et ita [4] intrare in gloriam suam.* Et ideo dicit eis, scilicet fratribus : *Tempus meum,* idest tempus gloriæ meæ, *nondum venit* : quia oportet quod tristitia convertatur in gaudium. Rom. VIII, 18 : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Sed tempus vestrum*, idest mundi gloria, *semper est paratum.*

6. Rationem hujus diversitatis temporis assignat cum dicit : *Non potest mundus odisse vos; me autem odit.* Ideo enim mundani habent tempus gloriæ paratum, quia eadem amant quæ mundus amat, et mundo consentiunt. Sancti vero qui quærunt gloriam spiritualem, non habent hoc tempus paratum, quia quærunt quæ mundo displicent, scilicet paupertatem, luctum, esuriem, et hujusmodi. Vituperant etiam quæ mundus amat ; immo ipsum mundum contemnunt [5]. Gal. ult. 14 : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Et ideo dicit : *Non potest mundus odisse vos;* quasi diceret : Ideo paratum est tempus gloriæ vestræ, quia mundus non odit vos, qui convenitis cum eo : et omne animal diligit sibi simile. *Sed me odit*; et ideo tempus meum non semper est paratum. Et ratio odii est, *quia ego testimonium perhibeo de illo*, scilicet mundo, *quia opera ejus mala sunt*; idest, non prætermitto mundanos homines redarguere, licet sciam ex hoc odium incurrere, et mortem intentari. Amos V, 10 : *Odio habuerunt corripientem in porta*, illi scilicet qui amant malitiam. Et Prov, IX, 8 : *Noli arguere derisorem.*

Sed numquid non mundani aliqui odio habèntur a mundo ; idest ab alio mundano? Responsio. Dicendum, quod in particulari mundanus quidem unus habetur odio ab alio, inquantum habet ea quæ ipse vellet habere, vel impedit eum in his quæ sunt de gloria mundi ; sed inquantum mundanus, nullus oditur a mundo. Sancti vero universaliter odiuntur a mundo, quia contrariantur ei : et si aliquis de mundo eos diligat, hoc non est inquantum est de mundo, sed inquantum est in eo aliquid spirituale.

7. Recusat autem Dominus ascendere,

[1] Al. : « caro. » — [2] Al. : « et primo assignatio temporis ad eum de indispositione. » — [3] Al. deest : « per. » — [4] Al. omittitur : « ita. » — [5] Al. deest : « contemnunt. »

cum dicit, *Vos ascendite ad diem festum hunc; ego autem non ascendam.* Sicut enim sunt duæ gloriæ, ita duo diversa festa [1]. Mundani enim habent festa temporalia, scilicet gaudere et epulari, et hujusmodi exteriores delicias. Isa. XXII, 12 : *Vocavit Dominus ad lamentum et ad planctum, ad calvitium, et ad cingulum sacci : et ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos, et jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum.* Ibid. I. 14 : *Solemnitates vestras odivit anima mea.* Sancti vero habent festa spiritualia, quæ in delectationibus spiritus consistunt. Isa. XXXIII, 20 : *Respicite Sion civitatem solemnitatis vestræ.* Et ideo dicit : *Vos* qui gloriam mundi quæritis, *ascendite ad diem festum hunc*, idest ad festa lætitiæ temporalis ; *ego autem non ascendam ad diem festum istum*, sed ad diem festum solemnitatis æternæ ; et hoc, *quia meum tempus*, scilicet gloriæ veræ [2] quod erit permanens in æternum gaudium sine fine, æternitas sine labore, claritas sine nube, *nondum impletum est.*

Secundum Chrysostomum, servata eadem divisione, exponitur sic : scilicet quod fratres Domini conspiraverant in mortem Christi cum Judæis : unde inducebant eum ad eundum, volentes cum prodere, et tradere Judæis : et ideo dicit: *Tempus meum,* scilicet crucis et mortis, *nondum advenit*, ut vadam in Judæam, et occidar ; *tempus autem vestrum semper est paratum* : quia sine periculo conversari poteritis cum eis. Et hujus ratio est, quia non possunt odire vos, zelantes eadem et amantes cum eis : *Me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera ejus mala sunt.* Per quod patet quod Judæi non propter solutionem sabbati, sed propter publicam redargutionem me odiunt. *Vos ergo ascendite ad diem festum hunc*, scilicet ad principium festi (nam septem diebus celebrabatur, ut dictum est) *ego autem non ascendam ad diem festum istum*, scilicet vobiscum, scilicet ad principium festi : *quia nondum tempus meum est impletum*, in quo patiar : nam in futuro pascha crucifigendus erat. Ideo autem non ascendit cum eis, ut posset magis latere etc.

LECTIO II.

1. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto. 2. Judæi ergo quærebant eum in die festo, et dicebant : Ubi est ille ? Et murmur multus erat in turba de eo : quidam enim dicebant, quia bonus est, alii autem dicebant : Non, sed seducit turbas. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Judæorum. 3. Jam autem die festo mediante, ascendit Jesus in templum, et docebat. Et mirabantur Judæi dicentes : Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit ? 4. Respondit autem Jesus, et dixit : Mea doctrina non est mea, sed ejus qni misit me. 5. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar. 6. Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. Qui autem quærit gloriam ejus qui misit eum, hic verax est, et injustitia in illo non est. 7. Nonne Moyses dedit vobis legem ? Et nemo ex vobis facit legem. Quid me quæritis interficere ? 8. Respondit turba, et dixit : Dæmonium habes : quis te quærit interficere ? 9. Respondit Jesus, et dixit eis : Unum opus feci, et omnes miramini. 10. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus. Et in sabbato circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi : mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato ? 11. Nolite judicare secundum faciem ; sed justum judicium judicate.

1. Postquam egit Evangelista de incitatione qua cognati Domini inducebant Christum ut ascenderet in Judæam, et posuit Christi responsionem, hic consequenter agit de ascensu ejus. Et primo ponitur dilatio ascensus Christi ; secundo ordo ejus [3] ; tertio ascensionis modus. Dilatio quidem ponitur cum dicit : *Hæc cum dixisset*, scilicet quæ respondit ; *mansit ipse in Galilæa*, non ascendens cum cognatis ad diem festum, ut verificaretur verbum suum, quod dixerat : *Ego non ascendam ad diem festum istum.* Num. XXIII, 19 : *Non est Deus ut homo, ut mentiatur, neque ut filius hominis, ut mutetur.* Ordo vero ejus ponitur cum dicit : *Ut autem ascenderunt fratres ejus*, idest cognati, *tunc et ipse ascendit* etc.

Sed hoc videtur contra illud quod supra dixit : *Ego autem non ascendam* : cum Apostolus dicat II Cor. I, 19 : *Christus Jesus qui in vobis prædicatus est per nos... non fuit in illo Est et Non, sed Est in illo fuit.* Respondeo dicendum primo, quod festum scenopegiæ septem diebus agebatur, ut dictum est. Dominus autem dixit supra : *Ego autem non ascendam ad*

[1] Al. : « ita duo festa. » — [2] Al. : « suæ. » —

[3] Al. : « secundo ascensionis modus. »

diem festum hunc, idest ad principium festi. Hoc autem quod hic dicitur, *Ad diem festum*, intelligendum est quantum ad intermedios dies : unde et sequitur : *Jam autem die festo mediante*. Et sic patet quod factum Christi non contrariatur ejus dicto. Secundo vero, ut Augustinus dicit, isti volebant quod Christus ascenderet in Judæam, ut quæsiturus gloriam temporalem : et sic dixit eis : *Non ascendam ad diem festum hunc,* hoc modo sicut vos vultis. Sed ipse ascendit ad diem festum, quasi docturus turbas, et instructurus de gloria sempiterna. Tertio, secundum Chrysostomum, quia supra dixit : *Non ascendam ad diem festum hunc*, passurus et moriturus, ut ipsi volebant ; et tamen ipse ascendit ad diem festum non ut pateretur, sed ut alios erudiret [1].

Modus ascensus ostenditur : *Non in manifesto, sed quasi in occulto.* Et hujus ratio triplex est. Una secundum Chrysostomum, ne magis suam divinitatem denudans, incarnatio ejus minus certa esset, ut dictum est supra : et ut auferat verecundiam latendi justis hominibus, quando non possunt persecutores suos publice detinere ; et ideo dicit, *Quasi in occulto*, ut ostendat hoc esse dispensatione factum. Isa. XLV, 15 : *Vere tu es Deus absconditus.* Alia, secundum Augustinum, ut scilicet daretur intelligi quod Christus occultus est in figuris veteris testamenti. Isa. VIII, 17 : *Expectavi Dominum, qui abscondit faciem* (idest manifestam notitiam) *suam a domo Jacob* : *unde et usque in hodiernum diem velamen habent positum semper cor eorum* : ut dicitur II Cor. III, 15. Ideo omnia quæ dicta sunt antiquo populo illi, *umbræ* fuerunt *futurorum bonorum*, ut dicitur Hebr. X. Ut ergo ostendat quod etiam ipsum festum esset figura, ideo ascendit in occulto. Scenopegia, ut dictum est, erat festum tabernaculorum. Ille ergo hoc festum celebrat qui se in mundo isto intelligit peregrinum. Alia ratio est, ut doceat nos bona quæ facimus occultare debere, non quærentes favorem hominum, nec pompas stipantium turbarum desiderantes, secundum illud Matth. VI, 1 : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.*

2. Consequenter cum dicit, *Judæi ergo quærebant in die festo,* ponit occasionem manifestandi originem doctrinæ spiritualis : et ponit duas occasiones : unam causatam ex dissensione turbarum, aliam ex admiratione earum, ibi, *Jam autem die festo mediante, ascendit Jesus in templum* etc. Dissensio turbarum erat circa opinionem de Christo : unde circa hoc tria facit. Primo proponit id in quo omnes conveniebant ; secundo illud in quo differebant, ibi, *Et murmur multus erat in turba de eo* ; tertio quorum opinio inter eos prævalebat, ibi, *Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Judæorum.* Conveniebant autem omnes in hoc quod *quærebant eum in die festo*, *et dicebant* : *Ubi est ille?* Patet quod ex multo odio et inimicitia neque eum nominare volebant. Gen. XXXVII, 4 : *Oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui.* Differebant autem, quia quidam quærebant desiderio addiscendi, secundum illud Psal. LXVIII, 33 : *Quærite eum, et vivet anima vestra* : alii quærebant eum desiderio malignandi, secundum illud Psalm. XXXIX, 15 : *Quærunt* [2] *animam meam ut auferant eam.* Et ideo *murmur erat multus in turba*, de contentione quæ erat *de eo* in turba. Et licet murmur sit generis neutri, tamen Hieronymus ponit in masculino, quia hoc habebat antiqua grammatica : vel ut ostendat divinam Scripturam, non subjacere regulis Prisciani. Et dissensio : quia *quidam*, de turba, illi scilicet qui habebant rectum cor, *dicebant*, de Christo, *quia bonus est.* Psalm. LXXII, 1 : *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde!* Thren. II, 25 : *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Alii*, scilicet qui erant male dispositi, *dicebant*, *non*, scilicet non est bonus. Datur autem per hoc intelligi, quod multitudo opinabatur eum bonum ; sed principes sacerdotum opinabantur eum malum ; et ideo dicunt : *sed seducit turbas.* Luc. XXIII, 2 : *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram.* Matth. XXVII, 63 : *Recordati sumus, quod seductor ille dixit* etc.

Sciendum est autem, quod seducere est seorsum ducere : potest autem homo duci seorsum vel a veritate, vel a falsitate ; et utroque modo potest dici aliquis seductor : vel in quantum seorsum ducit a veritate ; et hoc modo non competit Christo, quia ipse est veritas etc., infra VIII : vel a falsitate ; et hoc modo Christus seductor dicitur, Hier. XX, 7 : *Seduxisti me, Domine, et seductus sum* : *fortior me*

[1] Al. : « erudiat. » — [2] Al.: « quærebant. »

fuisti, et invaluisti. Et utinam sic omnes seductores vocemur et simus, ut dicit Augustinus. Magis autem seductor dicitur qui a veritate seducit et decipit : quia ille dicitur seorsum duci, qui trahitur a via communi : veritas autem communis via est ; hæresis vero et via malorum, diverticula quædam sunt.

Prævalet autem opinio malorum, scilicet principum sacerdotum : unde sequitur : *Nemo tamen palam loquebatur.* Et hoc, quia turbæ comprimebantur propter metum principum sacerdotum : quia, ut dicitur infra IX, 22 : *si quis confiteretur ipsum esse Christum, extra synagogam fiebat.* Ex quo patet eorum qui principabantur malitia, qua Christo insidiabantur, et eorum qui subjicebantur [1], scilicet plebis, quia non habebant libertatem dicendi quod sentiunt.

3. Consequenter cum dicit, *Jam autem die festo mediante, ascendit Jesus in templum*, ponitur secunda occasio manifestandi doctrinam, quæ sumitur ex admiratione turbarum : et primo ponitur admirationis materia ; secundo ipsa admiratio; et tertio admirationis ratio. Materia quidem admirationis est doctrina Christi : unde et circa hanc ponitur et tempus et locus. Tempus cum dicit : *Jam autem die festo mediante;* idest, cum illius festi tot dies remansissent [2] quot effluxerant : unde cum septem diebus ageretur festum, dicitur hoc fuisse quarto die. Et quidem in hoc quod se occultavit, humanitatis Christi est indicium, et nostræ virtutis documentum, ut dictum est ; hoc autem quod se propalavit, nec eum tenere potuerunt, divinitatis est ostensivum. Ideo autem in medio festivitatis tempore ascendit, quia in principio festi omnes magis attenti sunt his quæ festi sunt. Boni quidem ad cultum Dei, alii vero ad vanitates, et lucra. Sed circa medium temporis, his quæ festi sunt expeditis, magis parati sunt ad doctrinam. Ut ergo eos attentiores et paratiores ad doctrinam inveniret, non in primus diebus ascendit. Similiter etiam quia hoc congruit ordini doctrinæ Christi : quia non in fine mundi, nec in principio, sed in medio tempore venit instruere homines de regno Dei : secundum illud Habac. [3] III, 2 : *In medio annorum notum facies.* Locus autem doctrinæ ostenditur cum dicit, *In templum* : ubi docebat propter duo : scilicet ut ostenderet se docere veritatem quam calumniari non poterant, et quæ erat omnibus necessaria : infra XVIII, 20 : *Ego in occulto locutus sum nihil* : secundo vero quia templum, cum sit locus sacer, conveniens [4] est doctrinæ Christi sanctissimæ. Isa. II, 3 : *Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob ; et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus.* Quid autem doceret Christus, prætermittit Evangelista ; quia, ut dictum est, non omnia facta et verba Domini exprimunt Evangelistæ ; sed ea quæ commotionem et contradictionem in populo faciebant : et ideo hic mentionem facit de commotione populi ex ipsa doctrina : quia scilicet qui ante dixerant, *Seducit turbas*, postea ex ipsa doctrina admiratione moventur. Et ideo consequenter cum dicit, *Et mirabantur Judæi*, ponitur ipsorum admiratio. Nec mirum, quia hoc dicitur in Psalm. CXVIII, 129 : *Mirabilia testimonia tua.* Verba enim Christi verba sunt sapientiæ divinæ. Ratio autem admirationis subditur cum dicit : *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit ?* Sciebant enim Jesum filium esse pauperis mulieris ; et putabatur filius fabri, qui de labore suo vivens, non insisteret studio litterarum, sed potius operi manuali; secundum illud Psal. LXXXVII, 26 : *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea.* Et ideo cum audiunt eum docere et disputare, mirantur dicentes : *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Simile habetur Matth. XIII, 54 : *Unde huic sapientia et virtutes* [5] *? Nonne hic est filius fabri ?*

4. Posito loco et occasionibus manifestandi doctrinæ spiritualis originem, hic consequenter ipsius doctrinæ originem manifestat : et primo ostendit originem spiritualis doctrinæ esse a Deo ; secundo invitat ad susceptionem ejus, ibi, *In novissimo magnæ festivitatis die stabat Jesus et clamabat.* Circa primum duo facit. Primo ostendit originem doctrinæ ; secundo originem docentis, ibi, *Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis* etc. Circa primum duo facit. Primo ostendit originem doctrinæ : secundo excludit objectionem, ibi, *Nonne Moyses*

[1] Al. : « subjiciuntur. » — [2] Al. : « idest, in illis diebus festis tot dies remansissent. » — [3] Al. : « secundum Habac. » — [4] Al. : « cum sit locus satis conveniens, etc. » — [5] Al. : « unde sapientia hæc et virtutes. »

dedit vobis legem? Circa primum duo facit. Primo ostendit originem doctrinæ; secundo probat, ibi, *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina.* Dicit ergo : *Respondit ei Jesus et dixit*; quasi dicat : Vos admiramini unde habeam scientiam; sed ego dico, quod *mea doctrina non est mea.*

Si dixisset, Doctrina quam ego dico, non est mea, nulla esset quæstio; sed quod dicit, *Mea non est mea*, videtur contradictionem implicare. Sed hoc solvitur, quia hoc dici potest multipliciter [1]. Unde sua doctrina aliquo modo potest dici sua, et aliquo modo non sua. Si enim intelligatur de Christo Filio Dei, sic cum doctrina uniuscujusque nihil aliud sit quam verbum ejus [2]; Filius autem Dei sit Verbum ejus : sequitur ergo quod doctrina Patris sit ipse Filius. Idem autem Verbum est sui ipsius per identitatem substantiæ. Quid enim tuum est nisi tu ipse? Est autem non suum per originem. Quid enim non tuum quam tu, si alicujus es, quod es? » ut Augustinus dicit. Hoc ergo breviter videtur dixisse : *Mea doctrina non est mea*; ac si diceret : Ego non sum a meipso. In quo hæresis Sabelliana confunditur, qui dicere ausi sunt ipsum esse Filium qui est Pater. Vel *mea doctrina*, quam ego pronuntio verbo creato, *non est mea, sed ejus qui misit me, Patris*; idest, non est mihi a me ipso, sed a Patre, quia etiam cognitionem Filius per æternam generationem habet a Patre. Matth. II, 27 : *Omnia tradita sunt mihi a Patre meo.* Si vero intelligatur de Christo filio hominis, tunc dicit : *Mea doctrina*, quam ego habeo secundum animam creatam, et profero corporis ore, *non est mea*, idest, non est mihi a meipso, sed a Deo : quia omne verum, a quocumque dicatur, a Spiritu sancto est. Sic ergo, secundum Augustinum I *De Trin.*, secundum aliquid suam dixit doctrinam, et secundum aliquid non suam : secundum formam Dei suam, secundum formam servi non suam. Ex quo habemus exemplum, quod omnem cognitionem nostram cum gratiarum actione recognoscamus a Deo. I Cor. IV, 7 : *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

5. Consequenter cum dicit, *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina*, etc. probat suam doctrinam esse a Deo : et hoc dupliciter. Primo ex judicio recte sentientium; secundo ex sua intentione, ibi, *Qui a semetipso loquitur gloriam propriam quærit.* Circa primum sciendum est, quod judicio illius standum est, utrum aliquis bene operetur in aliqua arte, qui est expertus in arte illa : sicut an aliquis bene loquitur gallice, standum est judicio ejus qui est peritus in lingua gallica. Secundum hoc ergo dicit Dominus : illius judicio standum est, an doctrina mea sit a Deo, qui est expertus in rebus divinis : talis enim recte potest de his judicare. I Corinth. II, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, spiritualis autem judicat omnia.* Et ideo dicit : Quia vos alienati estis a Deo, ideo [3] non cognoscitis de doctrina utrum ex Deo sit. Sed *si quis voluerit voluntatem ejus*, idest Dei, *facere*, iste potest cognoscere utrum doctrina hæc sit a Deo, *an ego a meipso loquar.* Ille quidem a seipso loquitur qui falsum dicit; quia, sicut dicitur infra VIII, 44, *cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur.* Vel aliter secundum Chrysostomum. Voluntas enim Dei est pax, caritas, et humilitas nostra : unde Matth. V, 9, dicitur : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Studium autem contentionis frequenter pervertit mentem hominis, intantum ut verum æstimet falsum. Unde deposito contentionis spiritu, rectius habetur certitudo veritatis. Job. VI, 29 : *Respondete, obsecro, absque contentione, et loquentes id quod justum est, judicate.* Et ideo dicit Dominus : Si quis vult recte de doctrina mea judicare, faciat voluntatem ejus; idest, deponat iram, invidiam et odium, quod sine causa in me habet; et nihil est quod prohibeat eum cognoscere, *utrum ex Deo sit an ego a meipso loquar*; idest, quod Dei verba sunt quæ loquor [4]. Vel aliter, secundum Augustinum, voluntas Dei est ut sciamus opera ejus sicut voluntas patrisfamilias est ut operarii faciant opus ejus. Opus autem Dei est ut credamus in eum quem ipse misit. Supra VI, 29 : *Hoc est opus Dei ut credatis in eum quem ille misit.* Ideo dicit : *Si quis voluerit facere voluntatem ejus*, scilicet Dei, idest credere in me, iste *cognoscet*

[1] Al. : « sed non solvit, quia hoc dicit esse hujusmodi multipliciter. » — [2] Al. omittitur : « ejus. » — [3] Al. : « vos alienati estis a Deo, et ideo, etc. » — [4] Al. deest : « idest quod Dei verba loquor. »

an doctrina mea sit ex Deo Isa. vii, 9, secundum aliam litteram : *Nisi credideritis, non intelligetis.*

6. Consequenter cum dicit, *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit*, probat idem ex sua intentione. Et ponit duplicem intentionem per quam intelligitur duplex origo doctrinæ. Dictum est autem aliquos loqui a se, aliquos vero loqui non a se. Loquitur autem non a se quicumque studet loqui veritatem. Omnis veritatis cognitio ab alio est : vel per modum quidem disciplinæ, ut a magistro; vel per modum revelationis, ut a Deo; vel per inventionem, ut ab ipsis rebus. Quia, ut dicitur Rom. i, 20, *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Sic ergo quocumque istorum modorum cognitio aliqua habeatur, non est homini a se. A se autem loquitur qui ea quæ dicit nec a rebus nec ex doctrina humana accepit, sed de corde suo. Hierem. xxiii, 10 : *Visionem cordis sui loquuntur.* Ezech. xiii, 3 : *Væ Prophetis insipientibus qui vaticinantur de corde suo.* Sic ergo confingere aliquid a se ipso, est propter humanam gloriam : quia, sicut Chrysostomus dicit, qui aliquam propriam vult instruere doctrinam, propter nihil aliud hoc vult [1] quam ut gloriam acquirat. Et hoc est quod Dominus dicit probans doctrinam suam a Deo esse : *Qui a semetipso loquitur*, de certa cognitione veritatis quæ est ab alio, iste *quærit gloriam propriam* : propter quam, propter superbiam [2] hæreses et falsæ opiniones introducuntur. Et hoc competit Antichristo. II Thess. ii, 4 : *Qui adversatur, et extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur.* Sed *qui quærit gloriam ejus qui misit illum*, sicut ego quæro : infra viii, 50 : *Ego gloriam meam non quæro* : *hic verax est, et injustitia in illo non est.* Verax sum, quia doctrina mea continet veritatem; injustitia in me non est, quia alterius gloriam non usurpo. Et, ut dicit Augustinus, « magnum nobis præbuit humilitatis exemplum, dum habitu inventus ut homo, quærit gloriam Patris, non suam : quod tu homo facere debes. Quando aliquid boni facis, gloriam tuam, [3] quæris; quando aliquid mali facis, Deo calumniam meditaris. » Patet autem quod gloriam suam non quærebat : quia si non fuisset adversarius principibus sacerdotum, non fuissent eum persecuti. Sic ergo Christus, et quicumque gloriam Dei quærit, habet quidem in intellectu cognitionem : Matth. xxii, 16 : *Magister, scimus quia verax es* : et ideo dicit : *Hic verax est* : in affectu autem rectam intentionem : unde dicit : *Et injustitia in illo non est.* Injustitia enim est quod homo usurpet sibi alienum; gloria autem est propria solius Dei : qui ergo sibi quærit gloriam, injustus est.

7. Consequenter cum dicit. *Nonne Moyses dedit vobis legem ?* excludit objectionem. Posset enim aliquis dicere Christo, quod ideo doctrina sua non esset a Deo, quia sabbatum solvit, secundum illud infra ix, 16 : *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.* Et hoc intendit excludere : unde circa hoc tria facit. Primo excusat se, arguendo ex parte accusantium; secundo ostenditur eorum iniqua responsio, ibi, *Respondit turba* etc.; tertio excusat se per rationem, ibi, *Respondit Jesus et dixit eis : Unum opus feci, et omnes miramini.* Dicit ergo : Dato, ut vos dicitis, quod doctrina mea non sit a Deo, quia legem non servo, sabbatum solvens; tamen vos non habetis causam accusandi, cum sitis in simili delicto. Unde dicit : *Nonne Moyses dedit vobis*, idest populo vestro *legem? Et* tamen *nemo ex vobis facit*, idest servat, *legem.* Act. vii, 43 : *Accepistis legem in dispositione Angelorum, et non custoditis* [4]. Unde et Petrus, Act. xv, 10 : *Hoc est onus quod neque nos, neque patres nostri portare potuerunt.* Si ergo non servatis legem, quare propter transgressionem ejus vultis me interficere? Non enim propter hoc facitis, sed propter odium : alioquin si propter zelum legis faceretis, ipsi vos servaretis eam. Sap. ii, 12 : *Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis.* Et sequitur vers. 20 : *Morte turpissima condemnemus eum.* Vel dicendum, quod non servatis legem quam Moyses dedit vobis : et hoc patet in eo quod me vultis interficere, quod est contra legem. Exod. xx, 13 : *Non occides.* Vel aliter, secundum Augustinum. Non facitis legem, quia in lege ipse contineor : supra v, 46 : *Si crede-*

[1] Al. : « propter se, nihil aliud hic vult, etc. » — [2] Al. : « et propter superbiam. » — [3] Al. : « tunc. » — [4] Al. : « et non custoditis æque. »

tis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit. Sed vos vultis me interficere.

8. Consequenter ponitur iniqua responsio turbæ, cum dicit : *Respondit turba, et dixit : Dæmonium habes.* Vero autem turba respondet [1] non pertinentia ad ordinem, sed ad perturbationem [2], ut dicit Augustinus : cum enim dicunt dæmonium habere qui dæmones expellit, Matth. XII.

9. Et ideo consequenter cum dicit, *Unum opus feci, et omnes miramini*, Dominus in sua veritate tranquillus confutat eos, excusans se per rationem. Et primo commemorat eis factum propter quod turbantur : secundo ostendit eos non debere turbari, ibi, *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem;* tertio inducit eos ad justum judicium, ibi, *Nolite judicare secundum faciem* etc. *Respondit* ergo *Jesus, et dixit eis* : *Unum opus feci, et omnes miramini.* Non reddit convicio convicium, nec repulit : quia (I Pet. II, 23) : *cum malediceretur, non maledicebat* : sed eis opus commemorat [3] de curatione paralytici, de quo omnes admirabantur : non admiratione devotionis, secundum illud Isa. LX, 5 : *Videbis, et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum;* sed admiratione turbationis, secundum illud Sap. V. 2 : *Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis.* Si ergo propter unum opus miramini, idest cum turbatione turbamini ; quid faceretis si omnia opera mea videretis? Nam, ut dicit Augustinus, ipsius opera erant quæ in mundo videbant : omnes etiam infirmi per eum sanantur. Psalm. CVI, 20 : *Misit verbum suum, et sanavit eos.* Sap. XVI, 12 : *Nec herba, nec malagma sanavit eos*; *sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.* Ideo ergo turbamini, quia unum tantum opus videtis, et non omnia.

10. Consequenter cum dicit, *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem*, convincit eos de injusta turbatione : et primo ponit mandatum eis datum a Moyse ; secundo opus eorum ; et tertio arguit ex utroque. Mandatum autem Moysi est de circumcisione ; et ideo dicit : *Propterea,* idest ad significandum mea opera *Moyses dedit vobis circumcisionem.* Nam circumcisio in signum data est, ut habetur Gen. XVII, 2 : *Erit vobis in signum fœderis inter me et vos* : significabat enim Christum ; et ideo semper data est in membro generationis, quia ex Abraham secundum carnem descensurus erat Christus, qui spiritualem circumcisionem, idest mentis et corporis, facit. Vel ideo in [4] ipso membro fiebat, quia data est contra peccatum originale. Quod autem Moyses dedit circumcisionem, expresse non habetur, nisi Exod. XVII, 44 : *Omnis servus emptitius circumcidetur.* Et licet Moyses dederit circumcisionem, non tamen quasi [5] eam instituens : quia non ipse primus accepit circumcisionis mandatum, sed Abraham, ut habetur Genes. XVII. Factum autem Judæorum est quia in sabbato circumcidebant ; et hoc est quod dicit : *Et in sabbato circumciditis* etc. Et hoc ideo, quia Abrahæ mandatum est, ut octavo die circumcideretur puer. Gen. XVI, 4 : *Circumcidit eum die octavo sicut præceperat ei Deus.* A Moyse autem præceptum erat eis quod nihil operis facerent in die sabbati. Contingebat autem aliquando quod octavus dies necessitatis veniret in die sabbati ; et sic circumcidentes puerum ipso die, mandatum Moysi solvebant, propter mandatum patrum. Et ideo ex his arguit Dominus cum dicit : *Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi; mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato?*

Ubi notandum est, quod hoc argumentum efficaciam habet ex his tribus considerationibus, quarum duæ sunt expressæ, sed tertia subintelligitur. Videmus enim primo, quod quamvis mandatum Abrahæ prius fuerit, tamen mandatum Moysi de observatione sabbati non præjudicabat priori, scilicet mandato de circumcisione. Galat. III, 17 : *Dico autem, testamentum* [6] *confirmatum a Deo, quæ post quadringentos et triginta annos facta est lex, non irritum facit.* Et ideo ex hoc arguit ; quia licet in humanis legibus posteriora præjudicent prioribus ; tamen in divinis priora sunt majoris auctoritatis. Et ideo præcepto facto Abrahæ de circumcisione non præjudicat præceptum Moysi de observatione sabbati. Multo ergo minus præjudicat mihi, qui facio quod disposi-

[1] Al. : « vere turbata turba respondet. » — [2] Al. : « ad pertinaciam. » — [3] Al. : « sed potius ejus opus commemorat. » — [4] Al. deest. : « in. » — [5] Al. omittitur : « quasi. » — [6] Al. : « testimonium. »

tum est a Deo ante mundi constitutionem de salute hominum in sabbato figurata. Alia consideratio est, quia Judæi mandatum habebant ut non operarentur in sabbato; et tamen Judæi operabantur quæ ad salutem particularem erant. Dicit ergo : Si vos, quibus mandatum est ut nihil operemini in sabbato, circumcisionem accipitis ipso die, quæ est quædam particularis salus (unde et in membro particulari fiebat) et hoc facitis, *ut non solvatur lex Moysi* (ex quo patet, ea quæ ad salutem pertinent in sabbato prætermittenda non esse); ergo multo magis debet homo facere ipso die ea quæ sunt ad universalem salutem. Non ergo debetis mihi indignari, *quia totum hominem sanum feci in sabbato.* Tertia consideratio est, quia utrumque mandatum fuit figura : nam *omnia in figura contingebant illis* : I Corinth. x, 2. Si ergo figura, scilicet mandatum de observatione sabbati, non præjudicat figuræ, scilicet mandato circumcisionis, multo minus præjudicat veritati. Nam circumcisio ipsum Dominum figurabat, ut dicit Augustinus. Ideo autem dicit, *Totum hominem*, quia, cum Dei perfecta sint opera, curatus est ut sanus esset in corpore, et credidit ut sanus esset in anima.

11. Consequenter cum dicit, *Nolite judicare secundum faciem* etc., reducit eos ad justum examen sui : ut scilicet non secundum faciem judicent, sed justum judicium. Dicitur autem quis judicare secundum faciem dupliciter. Nam judex judicat secundum allegata. I Reg. xv, 7 : *Homines vident ea quæ apparent.* Sed in hoc potest esse deceptio; ideo dicit : *Nolite judicare secundum faciem*, idest secundum illud quod statim apparet; sed diligenter inquirite. Job xxix, 16 : *Causam quam nesciebam, diligenter investigabam.* Isa. xi, 3 : *Non secundum visionem oculorum judicabit.* Vel aliter : *Nolite judicare secundum faciem*; idest, nolite accipere personam in judicio : hoc enim est prohibitum omnibus judicantibus. Exod. xxiii, 6 : *Non accipies personam pauperis in judicio.* Mal. ii, 9 : *Faciem accipitis in judicio.* Accipere autem personam in judicio, est prætermittere justum judicium propter amorem, seu reverentiam, seu timorem, seu conditionem personæ, quæ non faciunt [1] ad causam. Dicit ergo, *Nolite judicare*; quasi dicat : Non [2], quia Moyses apud vos habet majorem gloriam quam ego, ex personarum dignitate feratis sententiam, sed a rerum natura : quia ea quæ ego facio, majora sunt quam ea quæ fecit Moyses.

Sed notandum, secundum Augustinum, quod ille non judicat partialiter, qui æqualiter diligit. Non enim cum homines diverso modo pro suis gradibus honoramus, timendum est ne personam accipiamus.

LECTIO III.

1. Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis : Nonne hic est quem quærunt interficere ? 2. Ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt. 3. Numquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus ? 4. Sed hunc scimus unde sit ; Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit. 5. Clamabat ergo Jesus in templo, docens, et dicens : Et me scitis, et unde sim scitis. 6. Et a me ipso non veni ; sed est verus qui misit me, quem vos nescitis. 7. Ego scio eum (et si dixero quia nescio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum) quia ab ipso sum, et ipse me misit. 8 Quærebant ergo eum apprehendere ; et nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus. 9. De turba autem multi crediderunt in eum, et dicebant : Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam quæ hic facit ? 10. Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc ; et miserunt principes et Pharisæi ministros ut apprehenderent Jesum.

1. Postquam egit de origine doctrinæ, consequenter agit de origine docentis. Et primo Christus ostendit suum principium a quo procedit; secundo suum finem ad quem vadit, ibi, *Adhuc modicum tempus vobiscum sum.* Circa primum tria facit. Primo proponitur dubitatio turbarum de origine; secundo ponitur doctrina ipsius originis, ibi, *Clamabat ergo Jesus in templo*; tertio ponitur effectus doctrinæ, ibi, *Quærebant ergo eum apprehendere.* Circa primum tria facit. Primo ponitur admiratio turbæ; secundo eorum suspicio, ibi, *Numquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus?* Admiratio autem turbarum consurgit ex duobus. Primo ex iniquo proposito principum; secundo ex publica doctrina Christi, ibi, *Ecce palam loquitur.* Dictum est autem supra, quod Christus ut ostenderet infirmitatem humanæ naturæ, latenter ascendit ad diem festum; sed ut

[1] Al. :« fuerunt. » — [2] Al. deest : « non. »

ostenderet suæ divinitatis personam, publice docet in templo, et a persequentibus teneri non potest. Et sic, ut ait Augustinus, apparet potestas quæ putabatur timiditas. Et ideo *dicebant quidam ex Hierosolymis*, quasi admirantes, nam ipsi sciebant qua sævitia quærebatur a principibus, utpote ejus familiares, et Hierosolymis existentes. Unde Chrysostomus dicit : « Omnibus miserabiliores [1] erant, qui divinitatis signum videntes maximum, omnia judicio corruptorum principum permittentes, Christum minus reverebantur [2] : » secundum illud Eccli. x, 2 : *Qualis rector civitatis, tales et inhabitantes in ea.* Sed tamen mirabantur qua potentia non tenebatur : unde et dicebant : *Nonne hic est quem Judæi quærunt*, idest principes : secundum illud supra v, 16, *Propterea persequebantur eum Judæi* (idest principes) *quia hæc faciebat in sabbato.* Daniel. xiii, 5 : *Egressa est iniquitas a senioribus populi, qui videbantur regere populum.* Apparet autem per hoc veritas sermonum Christi, et falsitas principum. Supra enim (hoc cap.) cum Dominus diceret eis, *Quid me quæritis interficere*? negaverunt, dicentes : *Dæmonium habes : quis te quærit interficere*? Sed ecce quod principes negabant, isti confitentur cum dicunt : *Quem Judæi quærunt interficere.* Sic ergo admirantur ex iniquo proposito principum.

2. Similiter etiam ex publica doctrina Christi : unde dicunt : *Ecce palam loquitur*, docens scilicet Christus, quod est indicium securæ veritatis : infra xviii, 20 : *Ego palam locutus sum : et* tamen *nihil ei dicunt*, quasi repressi virtute divina. Hæc est enim propria Dei virtus quod malorum corda ab impetu suæ malitiæ reprimit. Proverb. xvi, 7 : *Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos ejus quoque convertet ad pacem.* Et alibi (xxi, 1) : *Cor regum in manu Dei : quocumque voluerit inclinabit illud.*

3. Suspicio eorum ponitur cum dicit : *Numquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus*? quasi dicant : Ante quærebant eum interficere, modo invenerunt, et tamen nihil ei dicunt; non tamen mutati a propria sententia : quia, ut dicitur I Cor. ii, 8 : *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* : sed repressi a virtute divina.

4. Objectio autem eorum contra suspicionem subditur : *Sed hunc scimus unde sit;* quasi hoc modo arguentes : Christus debet habere occultam originem ; sed iste habet originem manifestam : ergo non est Christus. In quo apparet eorum amentia : quia supposito quod quidam etiam principes crederent Christo, non tamen eorum sententiam sequuntur, sed aliam corruptam proferunt. Ezech. v, 5 : *Ista est Hierusalem, in medio gentium posui eam.* Sciebant enim Christum esse ex Maria secundum originem, sed tamen ejus modum ignorabant. Matth. xiii, 55 : *Nonne pater ejus est Joseph, et mater ejus dicitur Maria*?

Sed cum dicatur Mich. v, 2 : *Ex te exiet dux, qui regat populum meum Israel :* quare dicunt : *Christus cum venerit, nemo scit unde sit*? Respondeo dicendum, quod hoc habent ex verbo Isa. liii, 8 : *Generationem ejus qui enarrabit*? Sic ergo et ex Prophetis habent ut sciant unde sit, secundum humanam originem; et ex eis habent quod nesciant, secundum divinam generationem.

5. Consequenter cum dicit, *Clamabat ergo Jesus in templo*, manifestat suam originem : et primo ostendit secundum quid sua origo sit nota, et secundum quid sit ignota; secundo docet quomodo ad ejus notitiam possumus pervenire, ibi, *Ego scio eum* etc. Circa primum duo facit. Primo ostendit quid de origine ejus sciebant; secundo quid circa ipsum ignorabant, ibi, *Et a meipso non veni.* Noverant autem de Jesu originem suam : et ideo dicit : *Clamabat Jesus.* Clamor autem ex magnitudine affectus procedit. Et ideo quandoque importat turbulentiam animi interius concitati : et hoc modo non competit [3] Christo, de quo scriptum est Isa. xlii, 2 : *Non clamabit, nec accipiet personam, nec audietur vox ejus foris.* Eccli. vi, 17 : *Verba sapientium audiuntur in silentio.* Quandoque importat magnitudinem devotionis, secundum illud Psal. cxix, 1 : *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi.* Quandoque vero cum hoc magnitudinem dicendorum, secundum illud Isa. vi, 3 : *Seraphim clamabant alter ad alterum, et dicebant : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exerci-*

[1] Al. : « mirabiliores. » — [2] Al. : « omnino judicio corruptorum principum prætermittentes Christum, minus reverebantur. » — [3] Al. : « et hoc non competit. »

tuum. Prov. VIII, 1 : *Numquid non sapientia foris clamitat, et prudentia dat vocem suam?* Et sic prædicatores clamare monentur Isa. XXVIII, 1 : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* [1]. Et sic clamabat hic Dominus, *docens in templo, et dicens,* hoc scilicet, *Me scitis*, secundum faciem noscitis, *et unde scim scitis*, scilicet corporaliter. Baruch III, 38 : *Post hæc in terris visus est*. Sciebant enim, quod ex Maria natus erat in Bethleem, et nutritus in Nazareth; sed nesciebant Virginis partum, et quod per Spiritum sanctum conceptus esset, ut dicit Augustinus. Excepto Virginis partu, totum noverant in Jesu, quod ad hominem pertinet.

6. Nesciebant autem de ipso originem occultam : unde dicit : *Et a me ipso non veni* : et primo insinuat suam originem; secundo ostendit eam eis esse occultam. Origo autem sua est a Patre ab æterno : unde dicit : *A me ipso non veni*; quasi dicat; Ante fui secundum divinitatem, quam in mundo venirem per humanitatem. Infra VIII, 58 : *Antequam Abraham fieret, ego sum*. Alias non conveniret ei venire, nisi ante fuisset; et tamen hoc ipsum quod veni, *non veni a me ipso* : quia Filius non est a se, sed a Patre. Infra XVI, 28 : *Exivi a Patre, et veni in mundum*. Prænuntiata autem fuit ejus origo a Patre, qui eum promisit mittere. Exod. IV, 13 : *Obsecro Domine, mitte quem missurus es*. Isa. XIX, 20 : *Mittam eis Salvatorem et propugnatorem qui liberet eos*. Et ideo dicit : *Sed est verus qui misit me;* quasi dicat : Non aliunde veni, sed ab eo qui promisit et promissum adimplevit, quia *verus est* : Rom. III, 4 : *Est autem Deus verax* : et ideo docet me veritatem loqui, quia a vero missus sum. Est autem eis occulta, quia nesciunt eum qui misit me : unde dicit : *Quem vos nescitis*.

Sed cum omnis homo, licet in carne natus, sit a Deo, videtur quod possit dicere, Ergo sum a Deo, et per consequens : Me scitis unde sim. Responsio. Dicendum, secundum Hilarium, quod Filius aliter est a Deo quam alii homines : quia sic est a Deo quod etiam est Deus : unde Deus est principium ejus consubstantiale. Alii vero sic sunt a Deo quod tamen non sunt ex illo [2]. Sic ergo Filius unde sit ignoratur : quia natura ex qua est, nescitur; sed homines unde sint non ignoratur; quia unde sit ignorari non potest quicquid subsistit ex nihilo [3].

7. Consequenter cum dicit, *Ego scio eum*, docet quomodo perveniri possit ad notitiam ejus a quo est. Ab illo enim oportet nos addiscere aliquid qui scit illud; solus autem Filius novit Patrem; et ideo dicit : Si vultis notitiam ejus qui misit me habere, oportet quod habeatis a me : quia *ego* solus *scio eum*. Et ideo primo ostendit suam scientiam; secundo scientiæ suæ perfectionem; tertio scientiæ suæ rationem. Suam scientiam ostendit cum dicit : *Ego scio eum* etc. Verum est autem quod *omnes homines vident eum*, ut dicitur Job. XXXVI, 25 : sed tamen diversimode, quia homines in vita ista vident eum per creaturas. Roman. I, 20 : *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Ideo dicitur I Cor. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate*. Angeli vero et beati in patria, vident eum immediate per essentiam. Matth. XVIII, 10 : *Angeli eorum in cælis, semper vident faciem Patris mei qui in cælis est*. I Joan. III, 2 : *Videbimus eum sicuti est*. Sed Filius Dei videt eum excellentius omnibus, scilicet visione comprehensionis. Supra I, 18, *Deum nemo vidit unquam*, scilicet comprehendendo : *unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Matth. XI, 27 : *Neque Patrem quis novit nisi Filius*. Et de hac visione loquitur hic, dicens : *Ego scio eum*, scilicet notitia comprehensionis. Perfectionem vero scientiæ suæ ostendit dicens : *Si dixero quia nescio sum, ero similis vobis, mendax*. Quod quidem introducit propter duo : nam creaturæ intellectuales sciunt eum, sed a longe, et imperfecte, quia *unusquisque intuetur eum* [4] *procul* : ut dicitur Job. XXXVI, 25. Veritas enim divina excedit omnem cognitionem I Joan. III, 20 : *Deus major est corde nostro* [5]. Quicumque ergo Deum cognoscit, potest absque mendacio dicere, *Nescio eum* [6] : quia non cognoscit eum quantum cognoscibilis est. Filius autem Deum Patrem perfectissime cognoscit, sicut perfectissime ipse se novit : unde non potest dicere, *Nescio eum*. Item quia cognitio Dei,

[1] Al. : « quasi tumulus exaltans vocem tuam. » — [2] Al. : « quod tamen sunt ex nihilo. » — [3] Parm. : « quia sic ignorari non potest quicquid subsistit ex aliquo » Item : « quia si unde ignorari non potest, etc. » — [4] Al. deest : « eum. » — [5] Al. : « vestro. » — [6] Al. : « non cognosco. »

et maxime quæ est per gratiam, potest perdi : secundum illud Psalm. cv, 21 : *Obliti sunt Deum qui redemit eos* : unde possunt dicere, *Nescio eum*, quamdiu sunt in vita ista : quia nemo scit utrum odio vel amore dignus sit. Filius autem inamissibilem notitiam habet de Patre : unde non potest dicere, *Nescio eum*. In hoc autem quod dicit, *Ero similis vobis, mendax*, debet accipi similitudo per contrarium. Non enim essent mendaces, si dicerent se nescire Deum ; sed potius si dicerent se Deum cognoscere, cum eum ignorent. Si autem Christus diceret se eum non nosse, cum noscat, esset mendax. Est ergo sensus verbi : *Si dixero quia nescio eum*, cum sciam eum, *ero similis vobis, mendax*, qui dicitis vos cognoscere eum, cum tamen ipsum ignoretis.

Sed numquid non poterat Christus dicere, *Nescio eum?* Videtur quod sic, quia poterat movere labia, et proferre verba hujusmodi : ergo potest esse mendax.

Sed dicendum quod Christus hujusmodi verba protulit, et tamen non fuit mendax : quod intelligendum est sic [1]. Si dixero, *Nescio eum*, cum assertione, ita scilicet quod corde credam quod profero ore. Asserere autem falsum pro vero, ex duplici defectu contingit ; scilicet ex defectu cognitionis in intellectu [2] ; et hic defectus non poterat esse in Christo, cum sit Dei sapientia, ut dicitur I Cor. I. Item ex defectu rectæ voluntatis in affectu ; qui similiter in Christo esse non poterat, cum sit Dei virtus, ut ibidem dicitur. Unde non poterat dicere asserendo, *Nescio eum*. Nec tamen conditionalis est falsa, quamvis antecedens sit impossibile, et consequens.

Ratio autem singularis et perfectæ scientiæ Christi ponitur, cum dicit : *Sed ego scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit*. Omnis enim cognitio est per aliquam similitudinem, cum nihil cognoscatur nisi prout similitudo cogniti est in cognoscente ; omne autem quod procedit ab aliquo, habet ejus similitudinem a quo procedit : unde omnes vere cognoscentes, secundum diversum gradum processionis eorum a Deo, habent diversimode ejus cognitionem. Anima autem rationalis Dei cognitionem habet, secundum quod similitudinem ejus [3] participat imperfectiori quodam modo ab aliis creaturis intellectualibus. Angelus, quia expressiorem Dei similitudinem habet, cum sit signaculum similitudinis, manifestius Deum cognoscit. Filius autem perfectissimam Patris similitudinem habet, cum sit ejusdem essentiæ et virtutis cum ipso ; et ideo perfectissime cognoscit, ut dictum est. Et ideo dicit : *Sed ego scio eum*, scilicet [4] quantum cognoscibilis est : et hujus ratio est, *quia ab ipso sum*, quasi habens eamdem naturæ essentiam cum ipso per consubstantialitatem : unde [5], sicut ipse perfecte se novit per essentiam suam, ita et per eamdem essentiam *ego scio eum* perfecte. Sed ne hoc referatur ad missionem qua venit in mundum, continuo subjecit, *Et ipse me misit* : ut sic quod dicit, *Ab ipso sum*, referatur ad æternam generationem, per quam consubstantialis est Patris. Ex quo habetur proprietas cognitionis de proprietate generationis. Per hoc vero quod dicit, *Ipse me misit*, insinuat Patrem auctorem incarnationis, Gal. IV, 4 : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege*. Sicut autem per hoc quod Filius est a Patre, perfectam [6] Patris cognitionem habet, ita etiam per hoc quod anima Christi singulariter est unita Verbo, habet singularem et excellentiorem præ aliis creaturis cognitionem Dei ; licet eum non comprehendat : et ideo potest Christus [7] secundum humanam naturam dicere [8] : Scio eum excellentius præ omnibus creaturis, non tamen comprehendendo.

8. Consequenter cum dicit, *Quærebant ergo eum apprehendere*, agitur de effectu doctrinæ : primo quantum ad turbas ; secundo quantum ad Pharisæos, ibi, *Audierunt Pharisæi turbam murmurantem*. Circa primum duo facit. Primo ponit effectum doctrinæ in turbis malevolis ; secundo in turbis devotis, ibi, *De turba autem multi crediderunt in eum*. Circa primum tria facit. Primo innuit turbarum iniquum propositum ; secundo propositi implendi impedimentum : et tertio impedimenti rationem. Iniquitas autem propositi manifestatur cum dicit : *Quærebant ergo eum apprehendere* : quia enim dixerat Dominus, *Quem vos nescitis*, irati sunt Judæi, quasi simularent eum scire ;

[1] Al. deest : « sic. » — [2] Al. : « cognitionis intellectus. » — [3] Al. omittitur : « ejus. » — [4] Al. deest : « scilicet. » — [5] Al. : « cum ipso naturalitatem : unde, etc. » — [6] Al. : « perfectiorem. » — [7] Al. : « desunt hæc verba. » — [8] Al. : « secundum divinam dicere, etc. »

et ideo iniqua proponebant, scilicet eum apprehendere, ad crucifigendum et occidendum : secundum illud Psal. LXX, 11 : *Persequimini et comprehendite eum.* Sunt autem aliqui qui Christum in se habentes, quærunt [1] tamen pie apprehendere. Cantic. VII, 8 : *Ascendam in palmam et apprehendam fructus ejus.* Unde et Apostolus dicebat, Philip. III, 12 : *Sequor, si quo modo apprehendam* [2], *in quo et comprehensus sum a Christo Jesu.* Impedimentum propositi ponit cum dicit : *Nemo misit in illum manus.* Invisibiliter [3] enim eorum furor refrenatus est et repressus. Per quod patet quod voluntas nocendi est unicuique a se; sed nocendi potestas a Deo : quod patet Job. I et II, ubi Satan non potuit Job affligere nisi quantum permissum est sibi a Deo. Ratio impedimenti assignatur : *Quia nondum venerat hora ejus.*

Unde sciendum est quod, secundum illud Eccle. VIII, 6, *omni negotio tempus est et opportunitas.* Tempus autem unicuique rei ex sua causa determinatur. Quia ergo corporalium effectuum causa sunt corpora cœlestia, ideo in his quæ corporaliter aguntur, hora determinatur ex corporibus cœlestibus; anima vero, cum secundum intellectum et rationem, nullis corporibus cœlestibus subjaceat, cum quantum ad hoc temporales causas transcendat, non habet horas determinatas ex corporibus cœlestibus; sed ex causa ejus, scilicet Deo, qui dispensat quid quo tempore sit faciendum. Eccl. XXXIII, 7 : *Quare dies diem superat; et iterum lux lucem, et annus annum a sole* [4]? *A Domine scientia separati sunt, facto sole, et præceptum custodiente.* Multo ergo minus in Christo determinatur hora ab ipsis corporibus. Sicut ergo intelligenda est hora ejus, non ex necessitate fatali, sed a tota Trinitate præfinita : nam, ut dicit Augustinus, « hoc nec de te credendum est; quanto magis de illo per quem factus es? Si tua hora voluntas illius est, scilicet Dei; hora illius, quæ est nisi voluntas sua? Non ergo horam dixit qua cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi. » Supra II, 4 : *Nondum venit hora mea.* Infra XIII, 1 : *Sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem* etc.

9. Consequenter cum dicit, *De turba autem multi crediderunt in eum*, ponit effectum doctrinæ in turbis devotis. Et primo ponitur eorum fides, quia *multi de turba crediderunt in eum.* Non dicit de principibus : quia quanto majores erant, tanto magis erant elongati; et ideo in eis sapientia locum non habebat : quia, ut dicitur Prov. XI, 2 : *Ubi humilitas, ibi sapientia.* Turba autem, quia suam ægritudinem cito vidit, Domini medicinam sine dilatione cognovit. Matth. XI, 25 : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Et propter hoc in principio humiles et pauperes conversi sunt ad Christum. I Corinth. I, 28 : *Ignobilia et contemptibilia mundi elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret.* Secundo ponit motivum ad fidem cum dicit : *Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam quæ hic facit?* Prophetatum enim erat quod Christus in adventu suo miracula multa esset facturus. Isa. XXXV, 4 : *Deus ipse veniet, et salvabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt* etc. Et ideo videntes miracula quæ Christus faciebat, inducebantur ad fidem ejus. Sed tamen fides eorum infirma erat, quia non a doctrina, sed a signis movebantur ad credendum ei; cum [5] tamen ipsi, qui fideles jam erant, et per legem instructi, magis a doctrina moveri debuissent : nam, ut dicitur I Cor. XIV, 22, *Signa data sunt infidelibus, prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus.* Secundo quia adhuc videntur alium Christum expectare : unde dicunt : *Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam quæ hic facit?* Unde patet quod non credebant in Christum sicut in Deum, sed sicut in aliquem justum virum, seu Prophetam. Vel, secundum Augustinum, syllogizant : *Christus cum venerit, numquid plura signa faciet?* quasi dicant : Christus promittitur venturus : sed ipse non plura signa faciet quam hic facit : ergo vel ipse est Christus, vel erunt plures Christi.

10. Consequenter cum dicit, *Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc*, ponitur effectus in Pharisæis. Et, ut Chrysostomus dicit, Christus multa dixit, et tamen non sunt moti contra eum. Quando autem vident turbam ei acquiescere, statim concitantur contra eum, et insanientes, eum occidere cupiebant. Ex

[1] Al. : « sunt tamen aliqui Christum in se habentes, quærunt, etc. » — [2] Al : « si comprehendam. » — [3] Al. : « visibiliter. » — [4] Al. : « et sol solem. » — [5] Al. deest : « cum. »

quo patet quod sabbati solutio non erat vera causa odii eorum; sed hoc eos maxime mordebat quod turbæ Christum glorificabant. Et hoc patet infra XII, 19 : *Videtis quia nihil proficimus? Ecce totus mundus post eum vadit.* Quia vero ipsi Christum capere non audebant, timentes periculum, ministros mittunt, tamquam periculis expositos.

LECTIO IV.

1. Dixit ergo eis Jesus : Adhuc modicum tempus vobiscum sum : 2. Et vado ad eum qui me misit. 3. Quæretis me, et non invenietis : 4. Et ubi ego sum, vos non potestis venire. 5. Dixerunt ergo Judæi ad semetipsos : Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum ? Numquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes ? Quis est hic sermo quem dixit: Quæretis me, et non invenietis; et ubi sum ego, vos non potestis venire ?

1. Postquam posuit Dominus originis suæ principium, hic consequenter insinuat suum terminum, quo scilicet iturus est per mortem. Et primo insinuatur terminus viæ Christi; secundo ponitur admiratio turbarum de sermonibus ejus, ibi, *Dixerunt ergo Judæi ad semetipsos*, etc. Circa primum tria facit. Primo insinuat suæ vitæ terminum; secundo prænuntiat futurum turbarum desiderium, ibi, *Quæretis me, et non invenietis*; tertio subdit eorum defectum, ibi, *Et ubi sum ego, vos non potestis venire.* Circa primum duo facit. Primo prænuntiat mortis suæ dilationem; secundo innuit quo iturus est per mortem, ibi : *Et vado ad Patrem*, etc. : et sic in primo ostendit suam potestatem; in secundo patiendi voluntatem. Potestatem quidem suam ostendit in dilatione mortis : quia licet Judæi quærerent eum apprehendere, non tamen hoc possunt, nisi Christus velit. Infra X, 18 : *Nemo tollit animam meam; sed ego pono eam.* Et ideo *dixit eis Jesus* : *Adhuc modicum tempus vobiscum sum;* quasi dicat : Vultis me interficere; sed hoc non est positum in voluntate vestra, sed in voluntate mea : et ego determino quod *adhuc modicum tempus vobiscum sum* : et ideo parum expectate tempus. Hoc quod vultis modo facere, facturi estis, *adhuc* enim *modicum tempus vobiscum sum.* In quo quidem Dominus satisfacit primo quidem turbæ quæ eum reverebatur, faciens eam magis avidam ad audiendum, quasi parvo tempore derelicta, in quo possent hac doctrina potiri, ut Chrysostomus dicit, infra XII, 36 : *Dum lucem habetis, credete in lucem.* Secundo vero turbæ quæ eum persequebatur; quasi dicat : Non diu differtur desiderium vestrum de morte mea : unde patientes sustinete : quia *adhuc modicum* : implere enim debeo dispensationem meam, prædicando scilicet, et miracula faciendo, et sic pervenire ad passionem. Luc. XIII, 32 : *Ite et dicite vulpi illi*, *quia hodie et cras operor*, *et tertia die consummor.*

Est autem triplex causa, quare Christus modico tempore voluit prædicare. Prima ad demonstrandum suam virtutem quod in tam modico tempore totum mundum immutaret. Psal. LXXXIII, 2 *: Melior est dies una in atriis tuis super millia.* Secunda est ad excitandum desiderium discipulorum, ut scilicet magis eum desiderarent quem modico tempore corporali præsentia habituri erant. Luc. XVII, 22 : *Venient dies in quibus desiderabitis unam diem Filii hominis.* Tertia est ad augmentandum discipulorum spiritualem profectum. Cum enim Christi humanitas sit nobis via tendendi in Deum, ut dicitur infra XIV, 6 : *Ego sum via*, *veritas et vita* : non debemus in ea quiescere ut in termino, sed per eam debemus in Deum tendere. Ne ergo corda discipulorum ad Christum carnaliter affecta, in eo ut in homine quiescerent; ideo Christus corporalem sui præsentiam ab eis cito subtraxit : unde dicebat, infra XVI, 7 : *Expedit vobis ut ego vadam.* II Corinth. IV, 16 : *Et si Christum secundum carnem novimus* (tunc scilicet quando corporaliter nobiscum erat) *sed nunc jam non novimus.*

2. Voluntatem suæ passionis ostendit cum dicit : *Et vado ad eum qui me misit,* quasi spontaneus scilicet per passionem. Isa. LIII, 7 : *Oblatus est*, *quia ipse voluit.* Ephes. V, 2 : *Obtulit semetipsum hostiam Deo in odorem suavitatis. Vado*, inquam, ad Patrem, *qui misit me.* Et hoc convenienter : nam quælibet res naturaliter redit ad suum principium. Eccle. I 7 : *Ad locum unde exeunt flumina*, *revertuntur.* Infra XIII, 3 : *Sciens quia a Deo exivit*, *et ad Deum vadit.* Et iterum XVI, 5 : *Vado ad eum qui misit me.*

3. Consequenter cum dicit, *Quæretis me*, *et non invenietis*, prænuntiat Judæorum desiderium; quasi dicat : Modicum est

quod potestis mea doctrina frui; sed hoc modicum quod modo respuitis, quandoque quæretis, et non invenietis. Isa. LV, 6 : *Quærite Dominum dum inveniri potest.* Et in Psal. LXVIII, 33 : *Quærite Dominum* (scilicet in præsenti) et *vivet in anima vestra.* Hoc autem quod dicit, *Quæretis me, et non invenietis*, potest intelligi vel de inquisitione corporali Christi, vel de spirituali. Si vero intelligatur de corporali, sic, secundum Chrysostomum, quæsierunt eum quando filiæ Hierusalem, scilicet mulieres, plangebant super eum, ut dicitur Luc. XXIII, et credibile est hoc tunc multos alios passos esse. Nec est etiam [1] a veritate remotum, quia imminente tribulatione Judæis, et præcipue cum civitas caperetur, memores Christi et miraculorum ejus, desiderarent ejus præsentiam, qua liberarentur : et secundum hoc dicendum est : *Quæretis me*, idest meam præsentiam corporalem, *et non invenietis.* Si vero intelligatur de spirituali, dicendum est, secundum Augustinum quod eum quem noluerunt cognoscere præsentem, tunc postea quæsierunt eum videntes multitudinem credentem, compuncti de scelere mortis Christi, dixerunt Petre. Actor. II, 37 : *Quid faciemus, viri fratres?* Sic ergo quæsierunt Christum quando crediderunt in eum suis sceleribus ignoscentem [2], quem viderunt ipsorum scelere morientem.

4. Consequenter cum dicit, *Et ubi ego sum, vos non potestis venire*, ostendit eorum defectum. Nec dicit, Quo vado quod esset magis consequens ad præmissa, scilicet *Vado* ad Patrem *qui me misit;* sed dicit, *Ubi ego sum*, ut ostendat se Deum et hominem. Hominem quidem, inquantum vadit : infra XVI, 5 : *Vado ad eum qui me misit* : sed inquantum semper ibi erat Christus quo fuerat rediturus, ostendit se Deum. Supra III, 13 : *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo.* Sic ergo, secundum Augustinum, sicut Christus rediit ut nos non relinqueret, sic ad nos per assumptionem visibilis carnis descendit ut secundum invisibilem majestatem etiam esset in cœlo. Non autem dicit, Non invenietis, quia aliqui ituri erant; sed dicit, *Non potestis venire*, quamdiu scilicet sic dispositi [3] estis. Nullus enim ad hereditatem cœlestem pervenire potest, nisi sit heres Dei. Heres autem Dei aliquis efficitur per fidem Christi. Supra I, 12 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Judæi autem nondum in eum credebant; et ideo dicit, *Non potestis venire.* In Ps. XXIII, 3 : requirit : *Quis ascendet in montem Domini?* Et respondetur (vers. IV) : *Innocens manibus, et mundo corde.* Judæi autem non erant mundo corde, nec innocentes manibus, quia volebant Christum interficere : ideo dicit : Non potestis ascendere in montem Domini.

5. Consequenter cum dicit, *Dixerunt ergo Judæi ad semetipsos;* ponitur Judæorum admiratio, qui licet carnaliter de Christo saperent, tamen ex parte credebant. Et tria faciunt. Primo admirantur : secundo suspicantur : et tertio contra suspicionem argumentantur. Admirantur quidem cum dicunt ad semetipsos : *Quo iturus est hic, quia non inveniemus eum?* Ut enim dictum est, hoc carnaliter intelligebant. I Corinth. II, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* Et ideo quod esset iturus, non quidem per mortem, sed corporaliter, ad aliquem locum quo eis non liceret ascendere, suspicantur super hoc, dicentes : *Numquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes?* Nam gentes alienatæ erant a conversatione Judæorum. Ephes. II, 12 : *Hospites testamentorum eratis alienati a conversatione Israel, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo.* Et ideo quasi eis exprobantes, dicunt, *In dispersionem gentium,* quæ scilicet ubique disseminatæ [4] erant, et imperfecte ad invicem permixtæ. Gen. X, 32 : *Hæ sunt familiæ Noe juxta populos et nationes suas, et ab his divisæ sunt gentes in terra post diluvium.* Sed populus Judæorum collectus erat loco, et cultu unius Dei, et observatione legis. Psal. CXLVI, 2 : *Ædificans Hierusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit.* Nec dicunt quod iturus sit ad gentes quasi gentilis futurus, sed tamquam eas reducturus : unde subdunt, *Et docturus gentes.* Quod forte sumpserunt ex Isa. XLIX, 6 : *Parum est mihi ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas : dedi te in lucem gentium, ut sit salus mea usque ad extremum terræ.*

[1] Al. : « hoc est etiam. » — [2] Al. : « suo scelere innocentem » — [3] Al. : « indispositi. » —

[4] Al. : « quæ scilicet indistinctæ erant »

Quamvis autem isti non intelligerent ea quæ dicunt, sicut nec Caiphas intellexit cum dixit (infra xi, 50) : *Expedit vobis ut unus homo moriatur, et non tota gens pereat* : tamen verum dicunt, et salutem gentium prædixerunt, ut Augustinus dicit, quod iturus esset ad gentes, non præsentia corporis, sed pedibus suis, scilicet Apostolis. Misit enim ad nos membra sua, et fecit nos sua membra. Infra x, 16, *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere... et fiet unum ovile, et unus pastor*. Et ideo Isa. ii, 3, dicitur in persona gentium : *Docebit nos vias suas*. Objiciunt autem contra ea quæ suspicantur, dicentes : *Quis est hic sermo quem dixit : Quæretis me?* Quasi dicant : Si dixisset, *Quæretis me, et non invenietis, et ubi sum ego, vos non potestis venire*, poterat quidem intelligi quod iturus esset ad gentes; sed per hoc quod addidit, *Ubi ego sum non potestis venire*, videtur excludere hunc intellectum. Non enim impossibile est nobis ad gentes ire, etc.

LECTIO V.

1. In novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus et clamabat, dicens : 2. Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. 3. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. 4. Ex illa ergo hora turbæ cum audissent hos sermones ejus, dicebant : Hic est vere Propheta. Alii dicebant : Hic est Christus. Quidam autem dicebant : Numquid a Galilæa venit Christus? Nonne Scriptura dicit, quia ex semine David, et de Bethleem castello, ubi erat David, venit Christus? 5. Dissensio itaque facta est in turba propter eum. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum; sed nemo misit super eum manus. 6. Venerunt ergo ministri ad Pontifices et Pharisæos. et dixerunt eis illi; Quare non adduxitis illum : Responderunt ministri : Nunquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur. Responderunt ergo eis Pharisæi : Numquid et vos seducti estis? Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? Sed turba hæc quæ non novit legem, maledicti sunt. 7. Dixit Nicodemus ad eos (ille qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis) : Numquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, et cognoverit quid faciat? 8. Responderunt, et dixerunt ei : Numquid et tu Galilæus es? Scrutare Scripturas, et vide quia a Galilæa Propheta non surgit. 9. Et reversi sunt unusquisque in domum suam.

1. Postquam Dominus agit de origine suæ doctrinæ et docentis, nec non de termino ejus, hic consequenter invitat ad ipsam doctrinam. Et primo ponitur Christi invitatio; secundo turbarum dissensio, ibi, *Ex illa autem hora*, etc. Circa primum tria facit. Primo ponitur invitandi modus; secundo ipsa invitatio, ibi, *Si quis sitiet, veniat ad me;* tertio subditur expositio, ibi, *Hoc autem dixit de spiritu*. Modus autem invitandi attenditur quantum ad tria ; scilicet quantum ad tempus invitationis, quantum ad situm invitantis, quantum ad conatum vocantis. Quantum ad tempus, quia *in novissimo die magnæ festivitatis* : nam, ut dictum est, festum illud celebrabatur [1] septem diebus, et primus et ultimus dies solemniores erant, sicut et apud nos primus dies festi et octavus solemnis est magis. Hoc ergo quod hic Dominus fecit, non fecit primo die, quia nondum ascenderat Hierusalem, nec intermediis diebus, sed in novissimo; et hoc ideo, quia pauci sunt qui festa spiritualiter celebrant : et ideo non eos a principio ad doctrinam invitat, ne per vanitates sequentium dierum festorum [2] aboleretur de cordibus eorum : quia, ut dicitur Luc. viii, verbum Domini suffocatur a spinis : sed in ultimo die eos invitat, ut tenacius eorum cordibus imprimatur. Quantum ad situm autem, quia *stabat Jesus*.

Ubi sciendum est quod Christus docuit sedens, et stans. Sedens quidem docuit discipulos, Matth. v; stans autem turbas, sicut hic : et ideo ex hoc inolevit consuetudo in Ecclesia, ut turbis prædicetur stando, religiosis vero et clericis sedendo. Cujus ratio est, quia cum prædicatio ad turbas sit quasi ad eas convertendas, fit per modum exhortationis; sed cum prædicatio ad clerum fit, quasi jam ad existentes in domo Dei, est ut quædam commemoratio.

Quantum ad conatum vero vocantis, quia *clamabat*, ut scilicet ostenderet suam securitatem. Isa. xl, 9 : *Exalta in fortitudine vocem tuam... exalta, noli timere*. Et ut ab omnibus audiretur. Isa. lviii, 1 : *Clama, ne cesses, quasi turba exalta vocem tuam*. Et ut ostendat magnitudinem dicendorum. Prov. viii, 6 : *Audite me, quia de rebus magnis locutura sum* [3].

2. Consequenter cum dicit, *Si quis sitit, veniat ad me*, ponitur invitatio; et primo ostenditur qui invitentur; secundo quis

[1] Al. : « celebratur. » — [2] Al. omittitur : « festorum. » — [3] Al. : « locutus sum. »

sit fructus invitationis. Invitantur quidem sitientes : unde dicit : *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.* Isa. LV, 1 : *Omnes sitientes, venite ad aquas.* Ideo enim sitientes vocat, quia tales sunt qui desiderant Deo servire. Deus autem coacta servitia non acceptat. II Corinth. IX, 7 : *Hilarem datorem diligit Deus.* Et propter hoc dicebat, Psal. LIII, 8 : *Voluntarie sacrificabo.* De istis dicitur Matth. V, 6 : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam :* quos quidem Dominus non partialiter vocat, sed omnes : unde dicit : *Si quis sitis;* quasi dicat, quicumque est ille. Eccli. XXIV, 26 : *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini.* I Timoth. III, 4 : *Vult omnes homines salvos fieri.* Invitat autem ad potandum : unde dicit, *Et bibat.* Potus enim iste est spiritualis refectio in cognitione divinæ sapientiæ et veritatis; etiam in impletione desideriorum. Isa. LXV, 13 : *Servi mei bibent, et vos sitietis.* Prov. IX, 5 : *Venite, et comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.* Eccli. XV, 3 : *Aqua sapientiæ salutaris potabit illum.* Fructus autem hujus invitationis est redundantia bonorum in alios : unde dicit : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Quod quidem, secundum Chrysostomum, legendum est sic. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura;* hic subdistingue punctando ; et postea subsequitur : *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* [1]. Nam si dicis, *Qui credit in me;* et postea subsequatur : *Sicut dicit Scriptura, flumina* etc., non videtur conveniens : quia hoc quod dicitur, *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*, non invenitur in aliquo libro veteris testamenti. Hoc ergo modo dicatur : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura*; id est, secundum Scripturæ documenta. Supra V, 39 : *Scrutamini Scripturas.... ipsæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Et tunc *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Et dicit, *Qui credit in me*, cum supra dixerit, *Qui venit ad me;* quia idem est credere, et venire. Psal. XXXIII, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini.* Secundum Hieronymum vero aliter punctatur sic : *Qui credit in me*; et postea subditur : *Sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Quod, ut ipse dicit, de Proverbiis sumptum est. Prov. V, 15 : *Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui : deriventur fontes tui foras.* Sciendum est autem, secundum Augustinum, quod flumina procedunt de fontibus sicut a principio. Qui autem bibit potum corporalem, non habet in se nec fontem, nec flumen, quia particulam aquæ gustat : sed qui bibit credendo in Christum, haurit fontem aquæ, quo hausto, vivescit conscientia, quæ est venter interioris hominis, et etiam ipsa fons erit [2]. Unde dicitur supra, IV, 13 : *Qui biberit ex hac aqua, fiet in eo fons aquæ salientis.* Hic autem fons qui hauritur, est Spiritus sanctus, de quo dicitur in Psal. XXXV, 10 : *Apud te est fons vitæ.* Qui ergo bibit ita quod soli sibi proficit, dona gratiarum, quæ per flumina signantur, non fluent aquæ vivæ de ventre ejus; sed qui proximo festinat consulere, et diversa dona gratiarum recepta a Deo, aliis communicare, de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Propter quod dicit Petrus I Epist. IV, 10 : *Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes.* Dicit autem *flumina*, ad significandum spiritualium donorum abundantiam fidelibus repromissam. Ps. LXIV, 10 : *Flumen Dei repletum est aquis.* Item eorum impetum. Isa. XXVII, 6 : *Qui ingredientur impetu a Jacob, florebit et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine.* Et in Psal. XLV, 5 : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Unde, quia ex instinctu et fervore Spiritus sancti movebatur Apostolus, dicebat II Corinth. V, 14 : *Caritas Christi urget nos* : et Rom. VII, 14 : *Qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt.* Item donorum Spiritus sancti divisionem : quia, ut dicitur I Corinth. XII, 10 : *Alii genera linguarum, alii genera sanitatum* etc. Hujusmodi autem flumina sunt aquæ vivæ, quia sunt continuatæ suo principio, scilicet Spiritui sancto inhabitanti.

3. Consequenter cum dicit, *Hoc autem dixit de Spiritu*, exponit quæ dixit. Et primo ponitur expositio; secundo assignatur ratio expositionis, ibi, *Nondum enim erat Spiritus datus.* Dicit ergo : Dixit, quod *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Sed hoc intelligendum esse Evangelista dicit *de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum :* quia ipse est fons vitæ et fluvius. Fons, de quo dicitur in Psal. XXXV, 10 : *Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.* Fluvius vero, quia a Patre et Filio procedit. Apoc.

[1] Al. desunt verba sequentia usque : « non videtur conveniens. » — [2] Al. omittitur : « erit. »

ult., 1 : *Ostendit mihi Angelus fluvium aquæ vivæ splendidum tamquam chrystallum, procedentem de sede Dei et Agni.* Isai. XLII, 1 : *Dedit spiritum*, scilicet obedientibus sibi. Hujus expositionis rationem assignat, dicens : *Nondum enim erat Spiritus datus ;* et dicit duo : scilicet quod *nondum erat Spiritus datus*, et quod *Christus nondum erat glorificatus.*

Circa primum est duplex opinio. Chrysostomus enim dicit quod Spiritus sanctus non fuit datus Apostolis, quantum ad dona prophetica et miraculorum, ante resurrectionem Christi. Unde gratia hujus, quæ dabatur Prophetis, a terra defecerat usque ad adventum Christi, nec postmodum alicui [1] data est usque ad prædictum tempus. Et si dicitur quod Apostoli ejiciebant dæmonia ante resurrectionem, intelligendum est quod hæc non spiritu ejiciebantur, sed ea quæ a Christo erat, potestate : quando enim mittebat eos, non dicitur, Dedit eis Spiritum sanctum : sed *Dedit eis potestatem* : Matth. x, 1.

Sed hoc videtur contra illud quod Dominus dicit Lucæ XI, 19 : *Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt?* Sed constat quod ipse in Spiritu sancto ejiciebat dæmonia, et filii, idest Apostoli : unde [2] manifestum est eos accepisse Spiritum sanctum. Et ideo dicendum est, secundum Augustinum, quod ante resurrectionem, Apostoli habuerunt Spiritum sanctum etiam quantum ad dona prophetica et miraculorum. Et hic quod dicitur, *Nondum erat spiritus datus*, intelligendum de abundanti datione, et visibilibus signis ; sicut datus fuit eis post resurrectionem et ascensionem in linguis igneis.

Sed cum Spiritus sanctus sanctificet Ecclesiam, et etiam modo [3] accipiatur a fidelibus, quare nemo loquitur linguis omnium gentium sicut tunc? Dicendum ad hoc quod non est necessarium, ut Augustinus dicit. Quia jam universalis Ecclesia linguis gentium loquitur, quia per Spiritum sanctum datur caritas. Rom. v, 5 : *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris* : et hæc faciens omnia communia, facit quemlibet cuilibet loqui. Unde dicit : « Si amas unitatem, etiam tibi habet quisquis in illa (idest Ecclesia) aliquid habet. Tolle invidiam, et tuum est quod habeo : livor separat, caritas jungit : ipsam habeto, et cuncta habebis. » In principio autem antequam Ecclesia per mundum dilataretur, quia pauci erant, oportebat quod linguis omnium loquerentur, ut sic Ecclesiam in omnibus fundarent.

Circa secundum, sciendum est, secundum Augustinum, quod hoc quod dicit, *Jesus nondum fuerat glorificatus*, intelligendum est de gloria resurrectionis ; quasi dicat : Nondum a mortuis resurrexerat, nondum ad cœlos ascenderat : de qua dicitur Joan. XVII, 5 : *Clarifica me Pater.* Et causa quare sic voluit prius glorificari quam daret Spiritum sanctum, assignatur, quia Spiritus sanctus ad hoc datur nobis, ut erigat corda nostra ab amore sæculi in resurrectionem spiritualem, et totaliter currant in Deum. Quia ergo vitam æternam promisit Spiritus sancti caritate ferventibus, ubi non moriemur, ubi nihil timebimus ; ideo ipsum Spiritum sanctum noluit dare nisi dum esset glorificatus, ut in suo corpore ostenderet vitam quam in resurrectione speramus. Secundum Chrysostomum vero, hoc non intelligitur de gloria resurrectionis, sed de glorificatione passionis : de qua, imminente passionis hora, Dominus dicit infra XIII, 31 : *Nunc glorificatus est Filius hominis.* Et secundum hoc Spiritus sanctus tunc primum datus est quando post passionem dixit Apostolis (infra XX, 22) : *Accipite Spiritum sanctum* etc. Ideo autem [4] non ante passionem datus est Spiritus sanctus, quia cum sit donum, non debuit dari inimicis, sed amicis. Nos autem inimici eramus. Oportebat ergo prius offerri hostiam in ara crucis et inimicitiam in carne solvi, ut sic per mortem Filii ejus reconciliaremur Deo, et tunc facti amici, donum Spiritus sancti reciperemus etc.

4. Posita ergo Christi ad spiritualem potum invitatione, hic consequenter agit Evangelista de turbarum dissensione. Et primo ponitur dissensio turbarum ad invicem ; secundo dissensio in principibus, ibi, *Venerunt ergo ministri.* Circa primum duo facit. Primo ponuntur diversa dissidentium verba : secundo ponitur ipsa dissensio, ibi, *Dissensio itaque facta est in turba.* Diversitas autem verborum turbarum ex diversitate opinionum turbarum de Christo proveniebat : et ideo ponit tres opiniones turbarum : duas quidem jam accedentium ad spiritualem po-

[1] Al. : « aliter. » — [2] Al. deest : « unde. » — [3] Al. : « et modo. » — [4] Al. omittitur : « autem ».

tum; tertiam vero resilientium [1]. Prima autem opinio erat quod dicebant Christum Prophetam esse; et ideo dicit : *Ex illa ergo hora*, quando scilicet in magno festivitatis die talia dixerat, *turbæ cum audissent hos sermones ejus*, *dicebant*, illi scilicet qui jam illam aquam spiritualiter haurire cœperant : *Hic est vere Propheta*. Non solum Prophetam eum dicunt, sed etiam verum, idest quasi antonomastice, intelligentes hunc esse de quo Moyses prædixit, Deuter. XVIII, 15 : *Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris : ipsum tamquam me audietis*. Alia opinio erat quia quidam dicebant : *Hic est Christus* : isti enim magis ad potum accedebant, et sitim infidelitatis magis deposuerant. Et hoc etiam Petrus confessus est, Matth. XVI, 16 : *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Tertia opinio est referentium contraria prædictis. Et primo objiciunt contra opinionem dicentium eum esse Christum; secundo objectionem auctoritate confirmant. Dicit ergo : *Quidam autem*, in suæ infidelitatis ariditate [2] permanentes, *dicebant* : *Numquid a Galilæa venit Christus?* Noverant enim, Prophetas, Christum a Galilæa venturum, non prædixisse : et ideo credentes in Nazareth eum natum fuisse (ignorabant enim suæ nativitatis locum esse Bethlehem), hoc dicunt. Manifestum enim erat eum in Nazareth nutritum; sed paucis notus erat nativitatis locus. Quamvis tamen Scriptura non dicat Christum in Galilæa nasciturum, prædixit tamen illuc eum primo declinaturum. Isaiæ IX, 1 : *Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephtali, et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ Gentium. Populus gentium qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, et habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis*. Prædixit etiam quod de Nazareth processurus esset. Isa. XI, 1 : *Flos de radice ejus ascendet* : ubi in Hebræo habetur : *Nazarenus de radice est* etc. Confirmant objectionem auctoritate Scripturæ, cum dicunt : *Nonne Scriptura dicit, quia ex semine David et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?* Quod autem de semine David venturus esset Jesus, dicitur Hierem. XXIII, 5 : *Suscitabo David germen justum*. Et II Reg. XXII, 1, dicitur de David : *Dixit vir cui constitutum est de Christo Dei*. Quod vero de Bethlehem, dicitur Mich. V, 1 : *Et tu Bethlehem terra Juda : ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel*.

5. Consequenter cum dicit, *Dissensio itaque facta est in turba propter eum*, primo ponitur ipsa dissensio ; secundo conatus quorumdam ex eis contra Christum : tertio conatus repressio. *Dissensio autem facta est propter eum*, scilicet Christum, *in turba*. Frequenter enim contingit quod in cordibus malorum ex manifestatione veritatis causatur dissensio et turbatio. Unde et hoc in persona Christi dicitur Hierem. XV, 10 : *Væ mihi*, *mater mea, ut quid me genuisti virum rixæ*, *virum discordiæ in universa terra?* Propter hoc dicebat Dominus, Matth. X, 10 : *Non enim veni mittere pacem*, *sed gladium*. Conatus autem, scilicet aliquorum, erat ad eum apprehendendum : unde dicit : *Quidam autem ex eis*, scilicet qui dixerant : *Numquid a Galilæa venit Christus?* etc., *voluerunt apprehendere eum*, scilicet ex inimicitia ad occidendum. Psal : LXX, 2 : *Persequimini et comprehendite*. Exod. XV, 9 : *Dixit inimicus : Persequar*, *et comprehendam*. Sed tamen boni et fideles volunt Christum apprehendere, ut eo fruantur. Cant. VII, 8 : *Ascendam in palmam*, *et apprehendam fructus ejus*. Repressio autem conatus est ex potestate Christi : et ideo dicit : *Sed nemo misit super illum manus* : quia scilicet Christus nolebat. In potestate sua erat hoc. Infra X, 18 : *Nemo tollit a me animam meam*; *sed ego pono eam a me ipso*. Unde et quando voluit pati, non eos expectavit, sed ipse se eis obtulit. Infra XVIII, 4 : *Processit*, *et dixit ad eos, Quem quæritis?*

6. Consequenter cum dicit, *Venerunt ergo ministri ad Pontifices et Pharisæos*, ponitur dissensio principum : et primo ponitur dissensio eorum ad ministros : secundo dissensio eorum ad invicem, ibi, *Dixit Nicodemus*. Circa primum tria facit. Primo ponitur redargutio principum ad ministros; secundo testimonium latum de Christo a ministris; tertio reprehensionis conatus principum ad ministros. In primo attende principum iniquitatem, cum dicunt, scilicet pontifices et Pharisæi, ministris; *Quare non adduxistis eum?* Adeo enim mali erant, quod eis non poterant satisfacere ministri, nisi

[1] Al. : « silentium. » — [2] Al. : « aviditate. »

Christo nocumentum inferrent. Prov. IV, 16 : *Rapitur somnus ab oculis eorum nisi supplantaverint.*

Sed hic incipit quæstio litteralis : quia cum supra dictum sit, quod ministri missi fuerunt ad capiendum Jesum die festo mediante, idest quarto die ; et hic ponatur reditus eorum post septimum diem, quando dixit *In novissimo autem die* etc., videtur quod intermediis diebus vacaverunt. Ad quod est duplex responsio. Una, quod Evangelista anticipavit murmur turbarum. Vel dicendum, quod forte tunc redierunt ; sed hoc nunc commemorat, ut manifestet causam dissensionis inter principes.

In secundo attende ministrorum bonitatem in commendabili testimonio quod perhibuerunt de Christo, dicentes : *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur.* Ubi redduntur commendabiles ex tribus. Primo ex admirationis causa : quia non propter miracula, sed propter doctrinam Christum mirabantur : ex quo propinquiores efficiuntur veritati, et recedunt a consuetudine Judæorum, qui signa quærunt, ut dicitur I Corinth. I. Secundo ex conversionis facilitate : quia ad pauca verba Christi capti sunt, et allecti ad ejus amorem. Tertio ex animi securitate : quia ipsis Pharisæis, qui Christo adversabantur, talia dicunt de Christo : *Nunquam sic locutus est homo.* Et hoc rationabiliter : quia non solum homo erat, sed etiam Dei Verbum ; et ideo verba sua erant virtuosa ad commovendum. Hier. XXIII, 39 : *Numquid non verba mea quasi ignis sunt, dicit Dominus et quasi malleus conterens petram* ? Et ideo dicitur Matth. VII, 29, quod *erat docens, sicut potestatem habens.* Erant etiam sapida ad dulcorandum. Cant. II, 14 : *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* Psalm. CXVIII, 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua !* Erant utilia ad retinendum, quia promittebant bona æterna. Supra VI, 69 : *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ* [1] *habes.* Isa. XLVIII, 17 : *Ego Dominus docens te utilia.* In tertio detestare [2] Judæorum perfidiam, qua conantur ministros a Christo retrahere, unde *responderunt eis*, scilicet ministris : *Numquid et vos seducti estis* ? Ubi tria faciunt. Primo arguunt æstimatum ministrorum errorem ; secundo proponunt exemplum principum : tertio excludunt exemplum turbarum. Arguunt autem eos, cum dicunt : *Numquid et vos seducti estis* ? quasi dicant : Videmus vos delectatos esse in sermone illius. Et revera laudabiliter seducti erant : quia dimisso malo infidelitatis ad veritatem fidei sunt adducti: de qua dicitur Hier. XX, 7 : *Seduxisti me Domine, et seductus sum.* Exemplum autem principum proponunt, ut magis eos avertant : unde dicit : *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum* ? Ex duobus enim aliqui fide digni redduntur : scilicet ex auctoritate, et ex religione. Unde hæc duo contra Christum adducunt ; quasi dicant : Si Christus esset acceptandus, utique acceptassent eum principes, in quibus est auctoritas, et Pharisæi, in quibus apparebat religio : sed nullus istorum credidit in eum : ergo nec vos debetis in eum credere. In his ergo impletur quod dicitur in Psal. CXVII, 22 : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes* (scilicet principes et Pharisæi), *hic factus est in caput anguli*, idest in cordibus populorum. Sed *a Domino factum est istud* : quia bonitas ejus præponderat malitiæ hominum. Testimonium autem turbæ excludunt, quia eorum malitiam confutant ; et ideo dicunt : *Sed turba hæc quæ non novit legem, maledicti sunt* ; et ideo non est standum cum eis. Hoc autem scriptum est Deuter. XXVII, 27 : *Maledictus qui non permanserit in lege, nec eam opere perfecerit.* Sed hoc male intelligebant : quia etiam illi qui non habent scientiam legis, et opera legis faciunt, magis permanent in lege quam habentes legis scientiam, et non servantes eam : de quibus dicitur Matth. XV, 8 : *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me.* Jacob. V : *Estote factores verbi, et non auditores tantum.*

7. Consequenter cum dicit, *Dixit Nicodemus ad eos*, ponitur dissensio principum ad invicem : et primo ponitur Nicodemi exhortatio ; secundo principum contradictio [3], ibi, *Responderunt et dixerunt* ; tertio dissensionis terminatio. Circa primum duo facit. Primo præmittit quædam de Nicodemo ; secundo ponit ejus exhortationem. Præmittit autem tria de eo : quorum duo ostendunt intentionem dicendi, et tertium nequitiam principum. Primum ergo pertinet ad fidem Nicodemi : unde dicit : *Dixit ille qui venerat ad*

[1] Al. omittitur : « *æternæ.* » — [2] Al. : « attende detestari. » — [3] Al. : « conditio. »

eum, idest crediderat : idem enim est venire ad Christum, et credere in eum. Secundum pertinet ad fidei suæ imperfectionem, quia *nocte venit.* Si enim perfecte credidisset, non pertimuisset. Infra XII, 42 : *Multi ex principibus crediderunt in eum*; *sed propter Pharisæos non confitebantur*, *ut e synagoga non ejicerentur :* de quibus unus erat Nicodemus. Tertium pertinet ad principum falsitatem. Dixerunt enim, quod nullus ex principibus, ex Pharisæis, in Christum credidit; et ideo dicit : *Qui erat unus ex ipsis* : quasi dicat : Si Nicodemus, qui est unus ex principibus, credidit in eum, manifestum est falsum esse quod principes et Pharisæi dicunt, scilicet quod nullus ex principibus credidit in eum. Hier. XVI, 19 : *Vere mendacium locutus est.* Exhortatio autem Nicodemi cum dicit : *Numquid lex nostra judicat hominem*, *nisi prius audierit ab ipso et cognoverit quid faciat*? Nam secundum leges civiles debet [1] præcedere diligens inquisitio sententiam. Unde dicitur [2] Act. XV, 16 : *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem*, *priusquam qui accusatur*, *præsentes habeat accusatores*, *locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Unde Job XXIX, 16 : *Causam quam ignorabam*, *diligenter investigabam.* Propter hoc in lege Moysi, Exod. XXIII, 8, dicitur : *Innocentem et justum non condemnabis*, *quia aversor impium.* Hæc autem verba ideo dicit, quia cum fidelis esset, volebat eos ad Christum convertere. Quia tamen timidus erat, occulte hoc faciebat. Credebat enim, quia si tantummodo Christum vellent audire, quod verbum Christi esset tantæ efficaciæ quod forte similes fierent illis qui missi fuerant ad Jesum, et ad verba ejus conversi sunt in facto eo ad quod missi fuerant.

8. Contradictio principum ponitur cum dicit, *Responderunt*, *et dixerunt ei* etc. Ubi primo comprehendunt eum quasi seductum ; secundo quasi legis ignarum. Quantum ad primum dicunt : *Numquid et tu Galilæus es*? idest, a Galilæo seductus. Arbitrantur enim Christum Galilæum ex conversatione in Galilæa : et ideo omnes qui Christum confitebantur, quasi in opprobrium, Galilæos vocant. Matth. XXVI, 69 : *Respondit ancilla Petro* : *Et tu Galilæus es.* Infra IX, 27 : *Numquid et vos vultis discipuli ejus fieri?* Quantum ad secundum dicunt : *Scrutare Scripturas*, *et vide*, *quia a Galilæa Propheta non surgit;* cum tamen esset legis doctor, nec de novo scrutari indigebat; quasi dicant : Licet tu sis doctor tamen hoc ignoras : sicut supra dictum est cap. X, 3 : *Tu es magister in Israel*, *et hæc ignoras ?* Licet autem non habeatur expresse in Scriptura veteris testamenti, quod de Galilæa Propheta surgeret; hoc tamen habetur quod inde exire debeat Dominus Prophetarum, secundum illud Isa. II, 1 : *Flos* (idest Nazarenus) [3] *de radice ejus ascendet*, *et requiescet super eum Spiritus Domini.*

9. Sed terminatio dissensionis ostenditur infructuosa; unde dicit : *Et reversi sunt unusquisque,* quasi infecto negotio, *in domum suam*, idest in propria, vacui fide, et fraudati a malo desiderio suo. Job V, 13 : *Consilium pravorum dissipat.* Psal. XXXII, 10 : *Dominus reprobat consilia principum*, *et cogitationes populorum dissipat.* Vel *in domum suam*, idest in malitiam infidelitatis et impietatis suæ. Apoc. II, 13 : *Scio ubi habitas*, *ubi sedes est satanæ* : *et tenes nomen meum*, *et non negasti fidem meam.*

[1] Al. : « oportet. » — [2] Al. : « cur dicit. » — [3] Al. : « primus Nazarenus. »

CAPUT OCTAVUM

LECTIO I.

1. Jesus autem perrexit in montem Oliveti, et diluculo iterum venit in templum; et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos. 2. Adducunt autem Scribæ et Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam; et statuerunt eam in medio. 3. Et dixerunt ei : Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hæc autem dicebant, tentantes eum, ut possent accusare eum. 4. Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Cum ergo perseverarent interrogantes, erexit se et dixit eis : Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Et iterum se inclinans scribebat in terra. 5. Audientes autem hæc, unus post unum exibant, incipientes a senioribus ; et remansit solus Jesus, et mulier in medio stans. 6. Erigens autem se Jesus, dixit ei : Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnavit? Quæ dixit : Nemo, Domine. Dixit autem Jesus : Nec ego te condemnabo : Vade, et jam amplius noli peccare.

1. Postquam egit Evangelista de origine doctrinæ Christi, hic consequenter agit de ejus virtute. Habet autem doctrina Christi virtutem illuminativam et vivificativam : quia verba ejus spiritus et vita sunt. Primo ergo agit de virtute doctrinæ Christi illuminativa; secundo de virtute vivificativa, infra x, 1 : *Amen amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro.* Ostendit autem illuminativam virtutem doctrinæ Christi, primo verbo; secundo miraculo, ibi, *Et præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate.* Circa primum duo facit. Primo introducit Christum docentem; secundo ponit doctrinæ Christi virtutem, ibi, *Iterum ergo locutus est eis Jesus.* Ad officium autem doctoris duo pertinent. Primo ut devotos instruat; secundo ut adversarios repellat. Primo ergo Christus instruit populum devotum ; secundo repellit adversarios [1], ibi, *Adducunt autem scribæ* etc. Circa primum tria facit. Primo describitur locus doctrinæ ; secundo auditor ; tertio doctor. Locus autem doctrinæ est templum. Unde primo ponit recessum ab eo ; secundo reditum. Recessum quidem, cum dicit : *Jesus autem perrexit in montem Oliveti* : nam Dominus hanc sibi consuetudinem fecerat ut per diem, quando erat Hierosolymis in diebus festis, prædicaret in templo, signa et miracula faceret ; et in sero revertebatur in Bethaniam, quæ erat in monte Oliveti, et apud sorores Lazari Mariam et Martham hospitabatur. Secundum igitur hunc morem dicit, quod cum in novissimo magnæ festivitatis die Jesus stetisset in templo, et prædicasset, de sero *perrexit in montem Oliveti*, ubi erat Bethania : et hoc convenit mysterio : nam, ut dicit Augustinus, ubi decebat Christum docere et suam misericordiam manifestare nisi in monte Oliveti, in monte unctionis et chrismatis ? Oliva autem misericordiam signat : unde et in græco oleos idem est quod misericordia. Luc. x, dicitur de Samaritano, quod infudit oleum et vinum, secundum misericordiam et severitatem judicii. Item oleum sanativum est. Isa. I. 7 : *Vulnus et livor et plaga tumens non est circumligata medicamine neque fota oleo.* Signatur etiam medicina spiritualis gratiæ, quæ ad nos derivata est. Psal. XLIV, 8 : *Unxit te Deus Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Et alibi Psal. CXXXII : *Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam.* Reditus autem ad locum ponitur tempestivus : unde dicit : *Et iterum diluculo venit in templum.* Per quod signatur quod cognitionem et manifestationem gratiæ suæ in templo suo, scilicet fidelibus suis, manifestaturus erat. Psalm. XLVII, 10 : *Suscepimus Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.* Quod autem diluculo rediit, exortum lumen novæ gratiæ designat. Oseæ VI, 3 : *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus.* Auditor autem doctrinæ est populus devotus : et ideo dicit : *Et omnis populus venit ad eum.* Psal. VII, 8 : *Synagoga populorum circumdabit te.* Doctor autem introducitur sedens : unde dicit, *Et sedens*, idest condescendens, ut ejus doctrina facilius ca-

[1] Al. : « adversarium. »

peretur. Sessio enim humilitatem incarnationis significat. Psal. CXXXVIII, 1 : *Tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.* Quia per susceptam humanitatem visibilis apparens, cœperunt de divinis facilius edoceri : et ideo dicit, quod *sedens docebat eos*, idest simplices, et sermonem ejus admirantes. Psalm. XXIV, 9 ; *Docebit mites vias suas, et diriget mansuetos in judicio.* Isa. II, 3 : *Docebit nos vias suas.*

2. Consequenter cum dicit, *Adducutn autem scribæ et Pharisæi mulierum in adulterio deprehensam*, repellit adversarios. Et primo ponitur calumniæ tentatio ; secundo calumniantium repulsio, ibi, *Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.* Circa primum tria facit. Primo ponitur tentationis occasio ; secundo describitur ipsa tentatio, ibi, *Dixerunt ei* : *Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio* ; tertio tentatorum intentio, ibi, *Hæc autem dicebant tentantes eum.* Occasio autem tentationis ponitur adulterium a muliere perpetratum : et ideo primo aggravant culpam ; secundo præsentant personam peccantem. Dicit ergo quantum ad primum : *Adducunt autem Scribæ et Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam.* Ut enim Augustinus dicit, tria in Christo præeminebant : scilicet veritas, mansuetudo, et justitia. De ipso quippe fuerat prædictum, (Psalm. XLIV, 5 : *Procede, et regna, propter veritatem et mansuetudinem et justitiam.* Nam veritatem attulit ut doctor, et hanc perceperant [1] Pharisæi et scribæ dum doceret. Infra eodem : *Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi*? Nullum enim falsum in verbis et doctrina ejus deprehendere poterant ; et ideo calumniari de hoc cessaverant. Mansuetudinem vero attulit ut liberator, et hanc cognoverunt dum adversus inimicos et persecutores non commoveretur. I Pet. II, 23 : *Cum malediceretur, non maledicebat.* Unde dicebat, Matth. XI, 29 : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Et ideo de hoc etiam non calumniabantur. Justitiam autem attulit ut cognitor : et hoc quia nondum nota erat Judæis, maxime in judiciis, ideo in ea scandalum posuerunt, volentes scire utrum a justitia propter misericordiam recederet : et ideo proponunt ei crimen notum et confusione dignum, scilicet adulterium. Eccli. IX, 10 : *Omnis mulier fornicaria quasi stercus in via conculcabitur.* Consequenter personam peccantem repræsentant, ut magis commoveant : unde *et statuerunt eam in medio.* XXIII, 34 : *Hic in medio adducetur, et inter filios Dei* etc [2].

3. Consequenter cum dicit, *Et dixerunt ei* : *Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio*, prosequuntur ipsam tentationem : et primo manifestant culpam ; secundo allegant legis justitiam ; tertio exquirunt sententiam. Culpam quidem manifestant cum dicunt ; *Hæc mulier modo deprehensa est in adulterio* : quam quidem culpam exaggerant ex tribus, quæ Christum commovere deberent [3] a sua mansuetudine. Et primo ex culpæ novitate : unde dicunt, *Modo* : nam quando est antiqua, non tantum movet, quia forte præcessit correctio. Secundo ex ejus evidentia : unde dicunt, *Deprehensa est*, ita quod non possit se excusare ; quod est consuetudinis mulierum, secundum illud Proverb. XXX, 20 : *Tergit os suum, dicens* : *Non sum operata malum.* Tertio ex culpæ enormitate : unde dicunt, *In adulterio,* quod est grave facinus et malorum multorum causa. Eccli. IX : *Omnis mulier quæ adulteratur peccabit.* Primo quidem in lege Dei sui. Legis justitiam allegant cum dicunt : *In lege autem,* scilicet Levit. et Deuteron. XXII *Moyses mandavit hujusmodi lapidare.* Sententiam autem exquirunt cum subdunt. *Tu ergo quid dicis*? Calumniosa est interrogatio ; quasi dicant : Si eam dimitti censuerit, justitiam non tenebit. Sed absit ut qui venerat quærere, et salvum facere quod perierat, eam condemnaret : Supra III, 17 : *Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Lex etiam quod injustum erat jubere non poterat. Et ideo non dicit, Absolvatur, ne contra legem facere videretur. Et ideo consequenter subditur perversa tentantium intentio, cum dicit : *Hæc autem dicebant tentantes eum.* Credebant enim, quod Christus ne mansuetudinem perderet, eam dimitti debere dicturus esset ; et sic accusarent eum tamquam legis prævaricatorem. I Cor. X, 9 : *Neque tentaveritis Christum, sicut illi tentaverunt.*

[1] Al. : « præceperant. » — [2] Ibi : « hæc in Ecclesiam adducetur, et in filios ejus respicientur. » — [3] Al. : « dicerent. »

4. Consequenter cum dicit, *Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra*, repellit adversarios sua sapientia. Nam Pharisæi de duobus eum tentabant : scilicet de justitia, et de misericordia. Et utrumque in respondendo servavit ; et ideo primo ostendit quomodo servavit ; secundo quod non recessit a misericordia, ibi, *Erigens autem se Jesus dixit ei* etc. Circa primum duo facit. Primo proponit sententiam justitiæ ; secundo subditur effectus sententiæ, ibi, *Audientes autem hæc, unus post unum exibat*. Circa primum tria facit. Primo describit sententiam ; secundo pronuntiat eam ; tertio perseverat iterum in scribendo sententiam. Sententiam autem describit in terra digito : unde dicit : *Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra*. Scribebat autem, secundum quosdam, illud quod dicitur Hier. XXII, 29 : *Terra audi... scribe justum* [1] *virum sterilem*. Secundum alios vero, et melius, dicitur quod scripsit eadem quæ protulit, scilicet, *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*. Neutrum tamen certum est. Sed in terra quidem scribebat triplici ratione. Una quidem, secundum Augustinum, ut ostendat eos qui eum tentabant [2] in terra describendos esse. Hierem. XVII, 13 : *Domine, recedentes a te in terra scribuntur*. Justi autem, et discipuli qui eum sequuntur, in cœlo scribuntur. Luc. X, 20 : *Gaudete et exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo*. Item ut ostendat se quod signa faceret in terra : qui enim scribit, signa facit. Scribere ergo in terra, est signa facere : et ideo dicit quod inclinavit se, scilicet per incarnationis mysterium, ex quo in carne assumpta miracula fecit. Tertio, quia lex vetus in tabulis lapideis scripta erat, ut habetur Exod. XXX, et II Corinth. III. Per quod signatur ejus duritia : quia *irritam quis faciens legem Moysi absque ulla miseratione occidebatur* : ut dicitur Hebr. X, 28. Terra autem mollis est. Ut ergo signaret dulcedinem et mollitiem novæ legis per eum traditæ, in terra scribebat. Ex quo tria in sententiis debemus attendere. Primo benignitatem in condescendendo puniendis : unde dicit, *Inclinans se*. Jacobi II, 13 : *Judicium sine misericordia ei qui non fecit misericordia* Gal. ult. 1 : *Si præoccupatus fuerit aliquis in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis*. Secundo discretionem in discernendo : unde dicit, *Digito scribebat*, qui propter flexibilitatem discretionem significat. Dan. V, 5 : *Apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum*. Tertio certitudinem in pronuntiando : unde dicit, *Scribebat*. Sententiam autem profert ad eorum instantiam : unde dicit : *Cum autem perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis : Qui* [3] *sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat* ; Pharisæi enim transgressores legis erant ; tamen nitebantur Christum de transgressione legis accusare, et mulierem condemnare : et ideo Christus sententiam proponit justitiæ, dicens : *Qui sine peccato est vestrum* ; quasi dicat : Puniatur peccatrix, sed non a peccatoribus : impleatur lex, sed non a prævaricatoribus legis : quia, ut dicitur Rom. II, 1. *In quo enim alium judicas, teipsum condemnas*. Aut ergo istam dimittite, aut cum illa pœnam legis excipite.

Hic incidit quæstio utrum judex in peccato existens, peccet ferendo sententiam contra alium qui in eodem peccato existit. Et licet manifestum sit, quod judex si publice in peccato existens sententiam ferat, peccat scandalizando ; nihilominus tamen hoc idem videtur si sit in peccato occulto. Nam Rom. II, 1 : *In quo alium judicas, teipsum condemnas*. Constat autem quod nullus condemnat se nisi peccando : ergo videtur quod judicando alium peccet.

Respondeo dicendum quod in hoc uti oportet duplici distinctione. Aut enim judex perseverat in proposito peccandi, aut pœnitet se peccasse. Item aut punit ut legis minister, aut motu proprio. Et si quidem pœnitet se peccasse, jam peccatum non est in eo ; et sic absque peccato sententiam posset ferre. Si autem est in proposito peccandi ; aut profert sententiam ut legis minister, et sic non peccat ex hoc quod sententiam profert, quamvis peccet ex hoc quod talia facit, quibus dignus est contra se similem sententiam recipere : si autem proprio motu, dico, quod proferendo sententiam peccat, cum non moveatur ad hoc amore justitiæ, sed ex aliqua mala radice : alias

[1] Ibi : « istum. » — [2] Al. : « tenebant. » — [3] Al. : « *interrogantes eum* etc. » dixit : « *Qui* etc. »

primo in se puniret quod animadvertit in alio : quia hoc dicitur in Prover. XVIII, 17 : *Justus prior accusator est sui.*

Perseverat autem in scribendo : quia *iterum se inclinans scribebat* : primo quidem ut ostendat suæ scientiæ firmitatem [1]. Num. XXIII, 19 : *Non est Deus ut homo, ut mentiatur, et ut filius hominis, ut mutetur.* Secundo ut ostendat eos sua visione indignos. Unde cum eos zelo justitiæ percussisset, non dignatus est eos attendere, sed avertit ab eis obtutum. Tertio ut eorum verecundiæ consulens, daret eis exeundi liberam facultatem.

5. Effectus autem justitiæ est eorum confusio : unde dicit : *Audientes autem hæc, unus post unum exibant* : tum quia gravioribus peccatis erant impliciti, et magis eos conscientia remordebat. Dan. XIII, 5 : *Egressa est iniquitas a senioribus jndicibus, qui videbantur regere populum*; tum etiam quia melius cognoscebant æquitatem prolatæ sententiæ. Hier. V, 5 : *Ibo ergo ad optimates, et loquar eis : ipsi enim cognoverunt viam Domini, et judicium Dei sui. Et remansit solus Jesus, et mulier stans*, scilicet misericordia et miseria. Ideo autem solus sine peccato erat. Nam, ut dicitur in Psal. XIII, 1 : *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, scilicet Christum. Et ideo forte mulier territa est, et ab illo se puniendam credebat.

Sed si remansit solus, quomodo dicit, *In medio stans*? Et dicendum, quod mulier stabat in medio discipulorum, et sic ly *solus* excludit extraneos, non discipulos. Vel *in medio*, idest in dubio, utrum absolvenda esset, vel condemnanda. Sic ergo patet quod Dominus in respondendo justitiam servavit.

6. Consequenter cum dicit, *Erigens autem se Jesus dixit ei* etc., ostendit quod a misericordia [2] non recessit, dando sententiam misericordiæ. Et primo examinat ; secundo absolvit ; tertio admonet. Examinat autem eam de accusatoribus : unde dicit, quod *erigens se Jesus*, scilicet faciem suam a terra, in qua scribebat, ad mulierem convertens, *dixit ei : Mulier, ubi sunt qui te accusabant?* Item de condemnatione : unde quærit : *Nemo te condemnavit?* Et illa respondit : *Nemo, Domine.* Absolvit autem eam : unde dicit : *Dixit ei Jesus : Nec ego te condemnabo*, a quo te forte damnari timuisti, quia in me peccatum non invenisti. Nec mirum, *quia non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* : supra III, 17. Ezech. XVIII, 32 : *Nolo mortem peccatoris.* Absolvit autem eam a culpa, non imponendo ei aliquam pœnam : qui cum absolvendo exterius justificaret interius, bene potuit eam adeo immutare interius per sufficientem contritionem de peccatis, ut ab omni pœna immunis efficeretur. Nec tamen trahendum est in consuetudinem ut aliquis exemplo Domini absque confessione et pœnæ inflictione quemquam absolvat ; quia Christus excellentiam habuit in sacramentis [3], et potuit conferre effectum sine sacramento, quod nullus purus homo potest. Admonet vero eam cum dicit ; *Vade et jam noli peccare.* Duo enim erant in muliere ista : scilicet natura et culpa. Et utrumque, poterat Dominus condemnare : puta, naturam, si jussisset eam lapidare; et culpam, si non absolvisset. Poterat etiam utrumque absolvere, puta si dedisset licentiam peccandi, dicens : *Vade*, vive ut vis, esto de mea liberatione secura ; ego, quantumcumque peccaveris, etiam a gehenna et ab inferni tortoribus liberabo. Sed Dominus culpam non amans, peccatis non favens, ipsam damnavit culpam, non naturam, dicens : *Amplius noli peccare* : ut sic appareat quam dulcis est Dominus per mansuetudinem, et rectus per veritatem.

LECTIO II.

1. Iterum ergo locutus est eis Jesus, dicens : Ego sum lux mundi. 2. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. 3. Sed habebit lumen vitæ. 4. Dixerunt ergo ei Pharisæi : Tu de teipso testimonium perhibes : testimonium tuum non est verum. 5. Respondit Jesus, et dixit eis : Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum : quia scio unde veni, et quo vado. 6. Vos autem nescitis unde venio, aut quo vado. Vos secundum carnem judicatis. 7. Ego non judico quemquam. Et si judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum ; sed ego, et qui misit me Pater. 8. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me qui misit me Pater. 9. Dicebant ergo ei : Ubi est Pater tuus? Respondit Jesus : Neque me scitis, neque Patrem meum. Si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis. Hæc verba lo-

[1] Al. : « fraternitatem. » — [2] Al. : « quod misericordia etc. » — [3] Al. : « in sacramento. »

cutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo : et nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora ejus.

1. Postquam Evangelista introduxit Christum docentem, hic consequenter primo ostendit doctrinæ ipsius illuminativam virtutem ; secundo manifestat quæ de ea dicit, ibi, *Dixerunt ergo ei Pharisæi : Tu de te ipso testimonium perhibes.* Circa primum tria facit. Primo ponit spiritualis lucis privilegium ; secundo ejus effectum, ibi, *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris* ; tertio ejus fructum, ibi, *Sed habebit lumen vitæ.* Privilegium autem spiritualis lucis ponitur quantum ad Christum, qui est lux ; et quantum ad hoc dicit : *Iterum locutus est eis Jesus dicens : Ego sum lux mundi.* Quod potest uno modo continuari ad immediate dictum : quia enim dixit : *Nec ego condemnabo te* etc., absolvens eam a crimine ; ideo ne aliqui dubitarent utrum ipse absolvere posset, et peccata dimittere, dignatur apertius divinitatis suæ potentiam demonstrare, dicens se esse lucem, qui peccati tenebras pellit. Alio modo potest continuari ad illud supra VII, 52, *Scrutare Scripturas, et vide quia Propheta a Galilæa non surgit.* Quia enim eum æstimabant Galilæum, et quasi ex loco decriminato [1] dependentem, doctrinam ejus repudiabant ; ideo Dominus ostendit se totius mundi esse lucem universalem, dicens : *Ego sum lux mundi*, non Galilææ, neque Palæstinæ, neque Judææ.

Manichæi autem, ut Augustinus dicit, hoc falso intelligebant : quia enim imaginatio eorum erat solum de sensibilibus, ideo non valebant se ad intellectualia et spiritualia extendere : credebant enim supra corporalia nihil esse [2] in rerum natura : unde dicebant Deum esse corpus et lucem quamdam infinitam ; et solem istum oculis carnis visibilem, Christum Dominum esse putaverunt : et propter hoc ipsum dixisse : *Ego sum lux mundi.* Sed hoc stare non potest : et Ecclesia catholica improbat tale figmentum. Sol enim iste corporalis est lux quam sensus attingere potest : et ideo non est suprema lux, quam intellectus solus attingit, quæ est lux intelligibilis propria rationalis creaturæ. Hic de ea dicit Christus : *Ego sum lux mundi.* De ista dicitur supra I, 9 : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Lux autem ista sensibilis, imago quædam est illius lucis intelligibilis : nam omne sensibile est quasi quoddam particulare [3] ; intellectualia autem sunt quasi totalia [4] quædam. Sicut [5] autem lux ista particularis habet effectum in re [6] visa, inquantum colores facit actu visibiles, et etiam in vidente, quia per eam oculus confortatur ad videndum ; sic lux illa intelligibilis intellectum facit cognoscentem : quia quicquid luminis est in rationali creatura, totum derivatur ab ipsa suprema luce. Supra I, 9 : *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Item facit res omnes actu intelligibiles, inquantum ab ipsa derivantur omnes formæ, per quas res habent quod cognoscantur ; sicut omnes formæ artificiatorum derivantur ab arte et ratione artificis. Psalm. CIII, 24 : *Quam magnificata* [7] *sunt opera tua, Domine ! Omnia in sapientia fecisti.* Et ideo recte dicit : *Ego sum lux mundi* : non sol factus, sed per quem sol factus est. Tamen, ut Augustinus dicit, lumen quod solem fecit, sub sole factum est, et carnis nube tegitur, non ut obscuretur, sed ut temperetur.

Excluditur etiam per hoc hæresis Nestorii dicentis, quod Filius Dei erat unitus homini per inhabitationem tantum. Constat enim quod qui hæc verba proferebat, scilicet, *Ego sum lux mundi*, homo erat. Nisi ergo ipse qui loquebatur et videbatur homo, personaliter esset Filius Dei, non dixisset : *Ego sum lux mundi* ; sed, in me habitat lux mundi.

2. Effectus autem hujus lucis est expellere tenebras : unde dicit : *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Et quia lux ista est universalis, ideo universaliter tenebras omnes expellit. Sunt autem triplices tenebræ. Scilicet ignorantiæ. Psalm. LXXXI, 5 : *Nescierunt neque intellexerunt : in tenebris ambulant.* Et hæc sunt rationis secundum seipsam, inquantum per seipsam obnubilatur. Item culpæ. Eph. V, 8 : *Eratis aliquando tenebræ nunc autem lux in Domino.* Et istæ sunt rationis humanæ non ex se, sed ex appetitu [8], in-

[1] Al. : « determinato. » — [2] Al. : « quia enim imaginatione non volebant transcendere quæ se ad intellectualia et spiritualia non extendunt, credebant super corporalia nihil esse etc. » —

[3] Al. : « particulariter. » — [4] Al. : « totaliter. » [5] Al. : « sic. » — [6] Al. : « effectum inire. » — [7] Al. : « magnifica. » — [8] Al. : « non ex appetitu. »

quantum male dispositus per passiones vel habitum, appetit aliquid ut bonum, quod tamen non est vere bonum. Item tenebræ damnationis æternæ. Matth. xxv, 30 : *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.* Sed duæ primæ sunt in vita ista ; tertiæ vero sunt in termino vitæ. *Qui* ergo *sequitur me*, *non ambulat in tenebris*, ignorantiæ, quia ego sum veritas; nec culpæ, quia ego sum via [1] ; neque damnationis æternæ, quia ego sum vita.

3. Et ideo consequenter subdit fructum doctrinæ, scilicet, *Sed habebit lumen vitæ* : nam qui hoc lumen habet, est extra tenebras damnationis. Dicit autem *Qui sequitur* : quia sicut quicumque non vult errare in tenebris, oportet ut sequatur eum qui lumen portat; ita quicumque vult salvari, oportet [2] quod sequatur Christum, qui est lux, credendo et amando ; et sic Apostoli secuti sunt eum, Matth. iv. Quia vero lux corporalis deficere potest per occasum, contingit quia qui sequitur eam, tenebras incurrit. Lux vero ista, quæ nescit occasum, nunquam deficit : et ideo qui sequitur eam, habet lumen indeficiens, scilicet vitæ. Lumen enim visibile non dat vitam, sed coadjuvat exterius operationes [3] vitæ corporalis ; lumen vero istud vitam dat, quia vivimus inquantum intellectum habemus, qui est quædam participatio illius lucis. Quando autem lux illa perfecte irradiabit, tunc habebimus vitam perfectam. Psalm. xxxv, 10 : *Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen* ; quasi dicat : Tunc ipsam vitam perfecte habebimus quando ipsum lumen per speciem videbimus. Unde dicitur Joan. xvii, 3 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum.* Sed attendendum, quod hoc quod dicit, *Qui sequitur me*, pertinet ad meritum; quod vero dicit. *Habebit lumen vitæ*, ad præmium.

4. Consequenter cum dicit, *Dixerunt ergo ei Pharisæi* etc., manifestat hæc tria quæ de se dicit : et primo primum ; secundo secundum, ibi, *Dicit ergo iterum eis Jesus ;* tertio tertium, ibi, *Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Primum autem quod dixit, est, *Ego sum lux mundi*, quod Judæos turbabat : et ideo primo ponit Judæorum contradictionem ; secundo eorum confutationem, manifestando veritatem sui dicti, ibi, *Respondit Jesus, et dixit eis* etc. Manifestum est autem circa primum, quod illa quæ dixit in templo dixit in conspectu turbarum, hic autem coram Pharisæis : et ideo dixerunt ei ipsi Pharisæi : *Tu de teipso testimonium perhibes* : *testimonium tuum non est verum* ; quasi dicant : Ex hoc ipso quod tu de seipso testificaris, testimonium tuum non est verum. In hominibus enim nec acceptum nec congruum est quod homo se laudet : Prov. xxvii, 2 : *Laudet te alienus, et non os tuum* : quia non ex hoc commendabilis redditur, sed si a Deo commendatur, II Cor. x, 18 : *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat :* quia solus Deus perfecte eum cognoscit. Deus autem nullus potest sufficienter commendare, nisi ipse seipsum : et ideo oportet quod ipse de seipso testificetur : etiam de hominibus. Job xvi, 20 : *Ecce in cœlo testis meus.* Et ideo Judæi decipiebantur.

5. Consequenter cum dicit, *Respondit Jesus, et dixit eis* etc., Dominus repellit eorum contradictionem : et primo auctoritate Patris : secundo removet contradictionem exortam de Patre, ibi, *Dicebant ergo ei : Ubi est Pater tuus?* Contradictio autem Judæorum erat per quamdam consequentiam : et ideo [4] primo ostendit eorum consequentiam non tenere ; secundo probat suum testimonium verum esse, ibi, *Ego non judico quemquam* etc. Circa primum duo facit. Primo ostendit consequentiæ falsitatem ; secundo subdit deceptionis ipsorum causam, ibi, *Vos autem nescitis unde venio, aut quo vado.* Consequentia autem istorum erat quod ex hoc ipso quod Christus de se testimonium perhibebat, testimonium ejus non erat verum. Sed Dominus dicit contrarium : scilicet quod ex hoc ipso verum est : unde *respondit, et dixit eis : Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est* : et hoc ideo, *quia ego scio unde veni, et quo vado* ; quasi dicat, secundum Chrysostomum, quia ex Deo sum, et Deus, et Dei Filius. *Est autem Deus verax* : Rom. iii, 4. Dicit autem, *Scio unde veni*, idest cognosco meum principium, *et*

[1] Al. : « sum via, veritas. » — [2] Al. omittitur : « oportet. » — [3] Al. : « operationi. » — [4] Al. deest : « ideo. »

quo vado, scilicet ad Patrem, quem nullus perfecte scire potest nisi Filius Dei. Matth. XI, 27 : *Nec Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Ex hoc autem quod quicumque scit affectu et intellectu, unde veniat et quo vadat, non potest nisi verum dicere, nam a Deo venit, et ad Deum vadit ; Deus autem veritas est : quanto ergo magis Filius Dei, qui perfecte scit unde venit et quo vadit, verum dicit?

6. Consequenter cum dicit, *Vos autem nescitis unde venio, aut quo vado*, ostendit causam erroris, quæ est ignorantia divinitatis Christi ; quia enim ipsam ignorabant, judicabant de eo secundum humanitatem. Sic ergo duplex causa erroris erat in eis. Una, quia ejus divinitatem ignorabant ; alia, quia de eo secundum humanitatem tantum judicabant et ideo quantum ad primum dicit : *Vos nescitis unde venio*, idest æternum meum processum a Patre, *aut quo vado.* Infra (hoc cap.) : *Est verax qui misit me, et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo.* Job XXXVIII, 20 : *Unde ergo venit sapientia* ? Isa. LIII, 8 : *Generationem ejus quis enarrabit*? Quantum ad secundum dicit : *Vos secundum carnem judicatis*, scilicet de me, me solum carnem esse putantes, non autem Deum : vel *secundum carnem*, idest male et injuste. Sicut enim secundum carnem judicare, est male judicare.

7. Consequenter cum dicit, *Ego non judico quemquam,* oetendit testimonium suum esse verum, et falsum esse quod ipse solus de se testimonium perhibeat. Et quia de judicio mentio facta est, osendit primo se non esse solum in testificando, ibi. *Et in lege vestra scriptum est* etc. Circa primum tria facit. Primo ponit judicii dilationem ; secundo judicii veritatem ; et tertio veritatis rationem. Dilationem quidem judicii ponit cum dicit : *Ego non judico quemquam* ; quasi dicat : Vos judicatis male, sed *ego non judico quemquam.* Supra III, 17 : *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Vel *non judico quemquam*, scilicet secundum carnem, sicut vos judicatis. Isa. XI, 3 : *Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet.* Sed tamen quandoque judicabo : quid *Pater omne judicium dedit Filio* : supra V, 22. Et tunc *judicium meum verum est*, idest justum. Psal. XCV, *Judicabit orbem terræ in æquitate.* Rom. II, 2 : *Scimus quia judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt.* In quo ostenditur judicii veritas. Rationem veritatis ostendit, cum dicit : *Quia non sum solus.* Quod autem dicit supra V, 22, *Pater non judicat quemquam*, intelligendum est seorsum a Filio : vel quia non visibiliter Pater apparebit omnibus in judicio ; et ideo dicit, *Non sum solus*, quia non derelictus ab ipso, sed simul cum ipso. Infra XIV, 10 : *Ego in Pater et Pater in me est.*

Hoc autem verbum excludit [1] errorem Sabellii dicentis unam esse personam Patris et Filii, nec differre nisi secundum nomina. Si enim hoc esset, non dixisset : *Non sum solus; sed ego, et qui misit me* : sed dixisset : Ego sum Pater, et ego ipse sum Filius. Distingue ergo personas, et cognosce Filium esse alium a Patre.

8. Consequenter cum dicit, *Et in lege vestra scriptum est* etc., ostendit quod non est solus in testificando : nec tamen differt testimonium, sicut judicium ; unde non dicit, Testimonium non perhibeo. Primo ergo introducit legem ; secundo concludit propositum, ibi, *Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso.* Dicit ergo, *In lege vestra*, et vobis data : Eccl. XXIV, 23 : *Legem mandavit Moyses* : *scriptum est* [2], Deut. XIX, *quia duorum hominum testimonium verum est* : sic enim est ibi (ver. 15) : *In ore duorum aut trium stabit omne verbum.*

Sed, secundum Augustinum, habet magnam quæstionem quod dicit : *Duorum hominum testimonium verum est.* Fieri enim potest quod duo mentiantur. Nam Susanna casta duobus falsis testibus urgebatur, ut habetur Daniel. XIII. Universus etiam populus mentitus est contra Christum. Responsio. Hoc quod dicit, *Duorum hominum testimonium verum est*, intelligendum est quod pro vero in judicio est habendum. Cujus ratio est, quia in actibus humanis vera certitudo haberi non potest ; et ideo accipitur inde id quod certius haberi potest quod est per multitudinem testium : magis enim est probabile quod unus mentiatur, quam quod multi. Eccle. IV, 12 : *Funiculus triplex difficile solvitur.*

Nihilominus tamen per hoc quod dicit

[1] Al. : « hic autem excludit. » — [2] Al. : « ut scriptum est. »

(Deuter. loc. cit.) *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum*, reducit nos, secundum Augustinum, in considerationem Trinitatis, in qua est perpetua stabilitas veritatis, a qua omnes veritates derivantur. Dicit autem, *Duorum vel trium*, quia in Scriptura sacra quandoque nominantur tres, quandoque duæ personæ, cum quibus etiam intelligitur Spiritus sanctus, qui est nexus duorum. Si ergo duorum hominum testimonium verum est vel trium, testimonium meum verum est : Quia et *ego testimonium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me qui misit me Pater*. Supra v, 36 : *Ego testimonium habeo majus Joanne*.

Sed hoc non videtur ad propositum pertinere. Primo quidem, quia Pater Filii Dei non est homo ; cum [1] ipse dicat : *Duorum hominum testimonium verum est*. Secundo vero, quia tunc sunt duo testes alicujus quando testificantur de aliquo tertio ; sed si unus testificatur de uno, non sunt duo testes. Cum ergo Christus testificetur de se, et similiter Pater de Christo, videtur quod non sunt duo testes.

Sed dicendum quod Christus hic arguit per locum a minori. Manifestum est enim quod veritas Dei major est quam veritas hominis. Si ergo credunt testimonio hominum, multo magis credendum est testimonio Dei. I Joan. v, 9 : *Si testimonium hominum accipitis, testimonium Dei majus est*. Item hoc dicit, ut ostendat se consubstantialem Patri, et non indigentem alieno testimonio, ut dicit Chrysostomus.

9. Consequenter cum dicit, *Dicebant ergo ei : Ubi est Pater tuus?* removet exortam quæstionem de Patre : et primo ponit quæstionem Judæorum ; secundo ponit responsionem Christi ; tertio innuit securitatem respondentis. Quæstio autem Judæorum proposita Christo est de Patre, ubi esset : unde dicebant ei : *Ubi est Pater tuus?* Intelligebant enim Christum habere patrem hominem sicut ipsi habebant : et ideo quia audierunt eum dicere : *Solus non sum ; sed ego, et qui misit me Pater :* et hic viderant [2] eum solum, dicunt : *Ubi est Pater tuus?* Vel dicendum quod loquuntur hic cum quadam ironia et contumelia ; quasi dicant : Quid frequenter Patrem tuum nobis inducis? Numquid est tantæ virtutis ut ejus testimonio credatur? Ignotus enim est, et ignobilis. Intelligebant hoc de Joseph ; nihilominus tamen Patrem ignorabant. Psal. cxiii, 2 : *Ne quando dicant gentes : Ubi est Deus eorum?* Responsio autem Christi est occulta, ibi, *Respondit Jesus : Neque me scitis, neque Patrem meum.* Quia enim non studio addiscendi, sed malignandi, quærebant, ideo Christus non aperit eis veritatem ; sed ostendit primo quidem ipsorum ignorantiam ; secundo quomodo possint ad veritatis cognitionem pervenire. Ignorantiam quidem ipsorum ostendit cum dicit : *Neque me scitis;* quasi dicat : Non quæratis de Patre, quia me nescitis. Quia enim me hominem putatis, ideo Patrem meum hominem quæritis ; sed quia me non noscitis, neque Patrem cognoscere potestis.

Sed contra. Supra vii, 28, dixit : *Et me scitis, et unde sim scitis*. Est dicendum quod sciebant eum secundum humanitatem, sed non secundum divinitatem.

Sciendum autem, secundum Origenem quod ex hoc verbo aliqui sumentes occasionem erroris dixerunt Patrem Christi non fuisse Deum veteris testamenti : nam ipsum Judæi cognoscebant, secundum illud Psal. lxxv, 1 : *Notus in Judæa Deus*. Sed ad hoc est quadruplex responsio. Prima, quia ideo dicit Dominus Judæos Patrem ignorare, quia ad modum ignorantium se habent, inquantum mandatum ejus non servant. Et hæc responsio pertinet ad actum. Secundo dicuntur Deum ignorare, quia non adhærent ei spiritualiter per amorem : qui enim aliquid cognoscit, ei adhæret. Tertio, quia etsi cognoscerent eum per fidem, non tamen habebant de eo plenam scientiam. Supra i, 18 : *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Quarto, quia in veteri testamento innotuit Pater sub ratione Dei omnipotentis. Exod. vi, 3 : *Ego apparui eis in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non indicavi eis* : non autem sub ratione Patris : unde licet scirent eum ut Deum, non tamen ut Patrem Filii consubstantialis.

Viam autem perveniendi ad cognitionem Patris dicit se esse : unde dicit, *Si me sciretis* ; quasi dicat : Quia Patrem meum loquor occultum, opus prius est ut me noveritis, et tunc Patrem meum forsitan scietis [3]. Nam Filius est via cognitionis paternæ. Infra xiv, 7 : *Si cogno-*

[1] Al. : « cum. » — [2] Al. : « et ideo cum viderant. » — [3] Al. : « sciretis.

rissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis. Nam, secundum Augustinum, quid est *Si me sciretis*, nisi *Ego et Pater unum sumus*? (infra x, 30). Quotidiana locutio est, quando vides aliquem alicujus similem, ut dicas : Si hunc vidisti, illum vidisti : non tamen quod Pater sit Filius, sed quia sit Patri similis. Dicit autem, *Forsitan*, non dubitative, sed increpative ; velut si indigneris servo tuo, et dicat, Contemnis me? Considera quod forsitan dominus tuus sum. Securitatem autem Christi respondentis ostendit Evangelista, cum dicit : *Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio*. Et primo quidem ex loco ubi docebat, quia in gazophylacio, et in templo. Gaza enim, Persica lingua, dicuntur divitiæ, philaxe vero servare : unde gazophylacium ponitur in Scriptura pro arca ubi divitiæ conservantur ; et hoc modo accipitur IV Reg. xii, 9, quod *tulit Joiada sacerdos gazophylacium unum, aperuitque foramen desuper, et posuit illud juxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini, mittebantque in eo sacerdotes qui custodiebant ostia, omnem pecuniam quæ deferebatur ad templum Domini*. Aliquando autem pro domo ubi divitiæ conservantur; et hoc modo accipitur hic. Secundo ex hoc quod illi qui missi fuerant ad eum apprehendendum, hoc facere non potuerunt, quia ipse nolebat : unde dicit : *Et nemo apprehendit eum, quia nondum venit hora ejus*, in qua pateretur; non fatalis, sed sua voluntate ab æterno prædestinata. Unde dicit Augustinus : *Nondum venerat hora ejus*, non qua cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi.

Sed nota, secundum Origenem quod quandocumque designatur locus in quo Dominus aliquid fecit, hoc fit propter mysterium. In gazophylacio ergo, qui est locus divitiarum, Christus docuit, ut daret intelligi quod numismata, idest verba suæ doctrinæ, imaginem regis magni impressam habent.

Nota enim quod quando docebat, *nemo apprehendit eum* : quia sermones ejus fortiores erant his qui eum capere volebant : quando vero voluit crucifigi, tacuit.

LECTIO III.

1. Dicit ergo iterum eis Jesus : Ego vado, et quæretis me ; et in peccato vestro moriemini. 2. Quo ego vado, vos non potestis venire. 3. Dicebant ergo Judæi : Numquid interficiet semetipsum, quia dicit, Quo ego vado, vos non potestis venire? 4. Et dicebat eis : Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. 5. Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. 6. Dicebant ergo ei : Tu quis es? Dixit eis Jesus : Principium, qui et loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui et judicare ; sed qui me misit, verax est ; et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. 7. Et non cognoverunt quia Patrem ejus dicebat Deum. 8. Dixit ergo eis Jesus : Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis. 9. Quia ego sum, et a meipso facio nihil ; sed sicut docuit me Pater, hæc loquor. Et qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum : quia ego quæ placita sunt ei, facio semper. 10. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.

1. Postquam Dominus manifestavit de se privilegium lucis, hic consequenter manifestat lucis effectum, scilicet quod liberat a tenebris : et primo ostendit quod ipsi in tenebris detinentur ; secundo docet remedium quo ab eis liberentur, ibi, *Dicebant ergo Judæi : Numquid interficiet semetipsum?* etc. Circa primum tria facit. Primo denuntiat Dominus suum recessum ; secundo ostendit Judæorum studium perversum ; tertio ipsorum defectum. Recessum autem suum dicit Dominus esse per mortem; et ideo dicit, *Ego vado* : in quo duo dat intelligere. Primo quod voluntarie moritur, scilicet vadens, et non ab alio ductus. Infra xvi, 5 : *Vado ad eum qui me misit*. Infra x, 18 : *Nemo tollit a me animam meam*; *sed ego pono eam a me ipso*. Et secundum hoc recte continuatur ad præcedentia : dixit enim : *Nemo apprehendit eum* etc. Et quare? Quia per se vadit sponte. Secundo ostendit quod mors Christi erat quædam profectio illuc unde venerat, et unde non discesserat : sicut enim qui vadit, in anteriora proficit, ita Christus per mortem pervenit ad gloriam exaltationis. Phil. ii, 8 : *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ; propter quod et Deus exaltavit illum*. Infra xiii, 3 : *Sciens quia a Deo exivit, et ad Deum vadit*. Perversum eorum studium ostendit in dolosa inquisitione Christi et quantum; ad hoc dicit, *Quæretis me*. Quidam autem quærunt Christum pie ex caritate; et hanc inquisitionem sequitur vita. Psal. lxviii, 7 : *Quærite Dominum, et vivet anima vestra*. Sed isti impie quærunt, et odio ad persequendum. Psalm. xxxvii, 13 : *Vim faciebant qui quærebant animam meam*. Et sic

dicit, *Quæretis me*, scilicet persequentes post mortem quidem infamia : Matth. xxvii, 63 : *Recordati sumus quod seductor ille dixit adhuc vivens* : *Post tres dies resurgam* : *item in membris meis.* Act. iv. *Saule Saule, quid me persequeris?* Et hanc sequelam sequitur mors; et ideo subdit ipsorum defectum, quem eis prænuntiat dicens : *Et in peccato vestro moriemini.* Et primo prænuntiat defectum qui consistit in mortis damnatione; secundo defectum qui éonsistit in eorum a gloria exclusione, ibi, *Quo ego vado, vos non potestis venire.* Dicit ergo : Quia inique me quæritis, ideo *in peccato vestro*, scilicet permanentes, *moriemini.* Quod potest intelligi uno modo de morte corporali : et sic in peccatis suis moritur qui usque ad mortem perseverat in eis. Et sic per hoc quod dicit, *In peccato vestro moriemini*, exaggerat eorum obstinatam pertinaciam. Hierem, viii, 6 : *Non est qui pœnitentiam agat de peccato suo dicens, Quid feci?* Ezech. xxxii, 7 : *Descenderunt cum armis ad inferna.* Alio modo de morte peccati, de qua dicitur in Psalm. xxxiii, 22 : *Mors peccatorum pessima.* Et sicut mortem corporalem præcedit infirmitas corporis, ita et hanc mortem infirmitas quædam præcedit. Quamdiu enim peccatum remediabile est, tunc est quasi quædam infirmitas quæ præcedit. Psal. vi, 3 : *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* Sed quando est irremediabile, vel simpliciter, sicut post hanc vitam, vel quod ad ipsum, sicut est peccatum in Spiritum sanctum; tunc causat mortem. I Joan. v, 16 : *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* Et secundum hoc prænuntiat eis Dominus infirmitatem peccatorum esse ad mortem.

2. Defectum qui consistit in eorum exclusione a gloria ostendit cum dicit : *Quo ego vado, vos non potestis venire.* Quo vadit Dominus, vadunt et isti per mortem; sed Dominus sine peccato, isti vero cum peccatis : quia in peccato suo moriuntur, et ideo non perveniunt ad gloriam paternæ visionis : et ideo dicit : *Quo ego vado*, scilicet sponte per passionem meam, scilicet ad Patrem et ad suam gloriam, *vos non potestis venire*, quia non vultis. Si enim voluissent, et non potuissent, non rationabiliter diceretur eis, *In peccato vestro moriemini.*

Sed notandum, quod aliqui impediuntur ne possint ire quo Christus vadit, dupliciter. Uno modo ratione contrarietatis, et sic impediuntur peccatores : et de hoc loquitur hic; et ideo simpliciter perseverantibus in peccato dicit : *Quo ego vado, vos non potestis venire.* Psalm. c, 7 : *Non habitabit* [1] *in medio domus meæ qui facit superbiam.* Isa. xxxv, 8 : *Via sancta vocabitur, et pollutus non transibit per eam.* Psal. xiv, 1 : *Quis habitabit in tabernaculo tuo?..... Innocens manibus et mundo corde.* Alio modo ratione imperfectionis seu indispositionis : et hoc modo impediuntur justi, quamdiu sunt in corpore. II Cor. v, 6 : *Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino.* Et talibus non dicit Dominus simpliciter : *Quo ego vado, non potestis venire* : sed addit [2] determinationem temporis : infra xiii, 37 : *Quo ego vado, non potes me modo sequi.*

3. Consequenter cum dicit, *Dicebant ergo Judæi* etc.; agit de remedio per quod a tenebris liberentur : et primo proponit remedium tenebras evadendi; secundo inducit rationes ad hoc remedium impetrandum, ibi, *Dicebant ergo ei : Tu quis es*? tertio prænuntiat modum ad hoc perveniendi, ibi, *Dixit ergo eis Jesus : Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis.* Circa primum duo facit. Primo ponitur verborum Christi occasio; secundo ponuntur ea quibus causatur remedii insinuatio, ibi, *Vos de deorsum estis.* Occasio autem verborum Christi sumitur ex persona, vel intellectu Judæorum. Cum enim carnales essent, verba Domini quæ dixerat, *Quo ego vado, vos non potestis venire*, carnaliter intelligebant. I Corinth. ii, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* Unde dicunt Judæi : *Numquid interficiet semetipsum?* Quæ quidem, secundum Augustinum, stulta opinio est. Numquid enim non poterant venire quo Christus perrexit, si interficeret semetipsum? Poterant quidem et ipsi seipsos interficere. Sic ergo mors non erat terminus quo iturus erat Christus : sed via qua [3] ibat ad Patrem. Unde non dixit quod non possent ire ad mortem, sed quod per mortem non poterant ire ad locum quo per eam Christus exaltabatur, ad dexteram scilicet Dei. Secundum Origenem autem, forte non sine causa Judæi hoc dicunt. Habebant enim ex traditionibus quod Christus voluntarie

[1] Al. : « non ergo habitabit. » — [2] Al. :« addidit. » — [3] Al. : « terminus Christi, sed via etc. »

esset moriturus, sicut ipse dixit, infra x, 18 : *Nemo tollit animam meam ; sed ego pono eam a me ipso.* Quod specialiter videntur habuisse ex Isa. LIII, 12 : *Pro eo quod tradidit animam suam in mortem, ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia.* Quia ergo aliqualem suspicionem habebant de Jesu quod esset Christus, ideo, cum dixit, *Ego vado* etc., introduxerunt hanc opinionem, quod ipse semetipsum voluntarie morti traderet. Sed contumeliose hoc proferunt, dicentes : *Numquid interficiet se?* Alias dixissent : Numquid anima ejus, cum ipsi placuerit, egredietur relicto corpore? quod nos non possumus facere. Et propter hoc ait : *Quo ego vado, vos non potestis venire.*

4. Consequenter, cum dicit, *Vos de deorsum estis* etc., proponit remedium tenebras evadendi. Et primo præmittit suam et illorum originem ; secundo ex hoc concludit propositum, ibi, *Dixi ergo vobis* etc. Circa primum autem diversificat originem suam ab illorum origine dupliciter [1]. Primo, quia ipse est de supernis, et isti de deorsum. Secundo, quia isti sunt de hoc mundo, de quo non est Christus. Sed, sicut Origenes dicit, aliud est esse de deorsum, et aliud de hoc mundo ; nam sursum et deorsum sunt differentiæ situs. Ne ergo per hoc quod dixit se esse de supernis, intelligant eum esse de superiori parte mundi hujus, ideo hoc excludens, dicit se non esse de hoc mundo : quasi dicat : Ita de supernis sum, quod tamen totaliter sum supra totum mundum istum.

Et quidem eos esse de hoc mundo et de deorsum manifestum est : sed Christum esse de supernis, et non de hoc mundo, sano indiget intellectu. Nam quidam ponentes omnia visibilia creata esse a diabolo, sicut Manichæi, dixerunt Christum etiam quantum ad corpus non esse de hoc mundo visibili, sed de mundo alterius creationis, scilicet invisibili. Valentinus etiam hoc male suscipiens, dixit, Christum attulisse corpus cœleste. Quod autem hic non sit verus intellectus apparet, quia ipsis Apostolis Dominus dicit, infra xv, 19 : *Vos estis de hoc mundo.*

Dicendum est ergo, quod potest intelligi de Christo Filio Dei, et de Christo homine. Nam Christus secundum quod Filius Dei, est de supernis. Infra xvi, 28 : *Exivi a Patre, et veni in mundum.* Et similiter non est de hoc mundo sensibili, scilicet qui consistit in rebus sensibilibus, sed de mundo intelligibili qui est in mente Dei, quia est ipsum Verbum Dei, prout est summa sapientia. Omnia enim in sapientia facta sunt. Unde de eo dicitur supra, I, 10 : *Mundus per ipsum factus est.* Secundum autem quod homo, Christus est de supernis, quia non habuit affectum ad mundana et infirma, sed ad superiora, in quibus anima Christi conversabatur, secundum illud Phil. III, 20 ; *Nostra conversatio in cœlis.* Matth. VI, 21 : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Et e converso isti qui de deorsum sunt, originem infimam habent, et de hoc mundo, quia habent affectum circa terrena. I Corinth. xv, 47 : *Primus homo de terra terrenus.*

5. Consequenter cum dicit : *Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris*, concludit propositum : et primo manifestat ea quæ dixit de eorum defectu ; secundo ostendit eis remedium, ibi, *Si enim non credideritis* etc. Sciendum autem circa primum, quod unumquodque in suo progressu sequitur conditionem suæ originis ; unde ea quæ habent originem infimam, si sibi relinquantur, naturaliter deorsum tendunt. Et nihil naturaliter tendit sursum nisi quod superiorem originem habet. Supra III, 13 : *Nemo ascendit in cœlum nisi qui de cœlo descendit.* Dicit ergo Dominus : Hæc est causa quare non potestis venire quo ego vado, quia cum sitis de deorsum, quantum in vobis est, non potestis nisi cadere ; et ideo quod [2] dixi, *quia moriemini in peccatis vestris,* verum est, nisi mihi adhæreatis : et ideo ut non totaliter excludat spem salutis, ponit remedium, dicens : *Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro ;* quasi dicat : Nati estis in originali peccato, a quo non potestis absolvi nisi per fidem meam : quia *si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Et dicit, *Ego sum*, non autem quid sim, ut rememoret quod dictum est Moysi, Exod. III, 14 : *Ego sum qui sum* : nam ipsum esse est proprium Dei. In qualibet enim alia natura a divina differt esse et quod est : cum quælibet natura creata participet suum esse ab eo quod est ens per essentiam,

[1] Al. : « diversificat illorum originem dupliciter. » — [2] Al. deest : « quod. »

scilicet ipso Deo, qui est ipsum suum esse, ita quod suum esse sit sua essentia : unde ipse solus denominatur ab eo : et ideo dicit; *Nisi credideritis quia ego sum*, idest quia sum vere Deus, qui habet esse per essentiam, *moriemini in peccato vestro.* Dicit enim, *Quia ego sum*, ut ostendat suam æternitatem. In omnibus enim quæ incipiunt est mutabilitas quædam, et aliqua potentia ad non esse : unde est invenire in eis quoddam præteritum et futurum : et ideo non est ibi verum esse per se. Sed in Deo nulla est potentia ad non esse, nec esse incepit; et ideo est ipsum esse, quod proprie per tempus præsens designatur.

6. Consequenter cum dicit, *Dicebant ergo ei : Tu quis es?* ponit rationes inducentes ad fidem. Et primo ponitur Judæorum interrogatio, secundo Christi responsio, ibi, *Dixit eis Jesus : Principium, qui et loquor vobis*; tertio intellectus eorum excæcatio, ibi, *Et non cognoverunt* etc. Quia enim Dominus dixerat, *Nisi credideritis quia ego sum*; restabat adhuc quærere quis esset; et ideo dicebant ei : *Tu quis es?* quasi dicant : Unde es, ut tibi credere debeamus? Et ideo consequenter cum dicit, *Principium, qui et loquor vobis*, respondet, inducens eos ad credendum : et primo ex suæ naturæ sublimitate; secundo ex judicaria sua potestate, ibi, *Multa habeo de vobis loqui et judicare;* tertio ex paterna veritate, ibi, *Sed qui misit me verax est.* Inducit quidem eos ad credendum Christo, naturæ ejus sublimitas, quia ipse est principium : unde *dixit eis Jesus : Principium, qui et loquor vobis.* Principium in latino est neutri generis : unde dubium est, utrum sit hic nominativi, vel accusativi casus [1]. In græco autem est feminini generis, et in hoc loco est accusativi casus. Unde, secundum Augustinum, non est legendum: *Ego sum principium* : sed Principium me credite, ne moriamini in peccatis vestris. Dicitur etiam Pater principium. Et uno quidem modo nomen principii commune est Patri et Filio, inquantum scilicet sunt unum principium Spiritus sancti, per communem spirationem; et tres personæ simul sunt principium creaturæ per creationem. Alio modo est proprium Patris, inquantum scilicet Pater est principium Filii per æternam generationem. Non tamen plura dicimus principia, sicut nec plures Deos. Psal. 109, 4 : *Tecum principium in die virtutis tuæ* etc. Hic autem dicit Dominus se principium respectu totius creaturæ : nam quod est per essentiam tale, est principium et causa eorum quæ sunt per participationem : esse autem [2] per essentiam, ut dictum est, est esse suum. Sed quia Christus non solum habet in se divinam naturam, sed etiam humanam, ideo subdit : *Qui et loquor vobis* : nam vocem Dei immediate homo ferre non potest : quia, secundum Augustinum, « Infirma [3] corda, intelligibile verbum sine voce sensibili audire non possunt. » Exod. xx : *Quid est homo, ut audiat vocem Domini Dei sui?* Ad hoc ergo quod immediate ipsum divinum Verbum audiremus, carnem assumpsit, cujus organo locutus est nobis : unde dicit : *Qui et loquor vobis;* idest, humilis propter vos factus, ad ista verba descendi. Hebr. I, 1 : *Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime locutus est nobis in Filio.* Supra I, 18 : *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*, vobis. Vel aliter, secundum Chrysostomum, ut per hoc quod dicit, *Principium, qui et loquor vobis*, reprehendat tarditatem intellectus Judæorum Nam post multa signa quæ ab eo viderant fieri, adhuc indurati, quærunt a Domino : *Tu quis es?* etc. : et ideo Jesus respondit : Ego sum *principium*, idest qui locutus sum vobis a principio; quasi dicat : Non habetis opus adhuc quærere quis ego sum, cum jam deberet esse manifestum. Hebr. v, 12 : *Cum deberetis esse magistri propter tempus, rursum indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei.* Secundo inducit eos [4] ad credendum Christo judiciaria ejus auctoritas; et ideo subdit : *Multa habeo de vobis loqui et judicare* : quasi dicat : Habeo auctoritatem vos judicandi.

Sed sciendum, quod aliud est loqui nobis, et aliud loqui de nobis. Nobis enim loquitur Christus ad nostram utilitatem, scilicet ut ad se trahat; et sic loquitur nobis, dum vivimus, prædicando, inspirando, et hujusmodi faciendo. Loquitur autem de nobis non ad nostram utilita-

[1] Al. omittitur sequentia verba usque ad : « unde. » — [2] Al. deest : « autem. » Item : « ipse autem. » — [3] Al. : « infima. » — [4] Al. : « nos. »

tem, sed ad suam justitiam ostendendam ; et hoc modo loquetur de nobis in judicio futuro.

Sed contra. Supra iii, 17 : *Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Responsio. Dicendum, quod aliud est judicare, et aliud habere judicare. Judicare dicit actum judicii, et hoc non pertinet ad primum adventum Domini, ut supra dixit (hoc cap.) : *Ego non judico quemquam,* scilicet ad præsens. Sed habere judicare dicit judicii potestatem ; et hanc habet Christus. Supra v, 22 ; *Pater omne judicium dedit Filio.* Actor. x, 24 : *Ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum.* Et ideo signanter dicit : *Multa habeo de vobis loqui et judicare* ; sed in futuro judicare.

Inducit etiam ad credendum Christo veritas paterna ; et quantum ad hoc dicit : *Sed qui misit me, verax est* : quasi dicat : Pater est verus ; ego autem loquor consona ei : ergo loquor vera : ergo debetis mihi credere. Dicit ergo : *Qui misit me,* scilicet Pater, *verax est,* non participative, sed ipsa essentia veritatis : alias, cum Filius sit ipsa veritas, esset major Patre. Rom. iii, 4 : *Est autem Deus verax. Et ego quæ audivi ab eo* : non auditu humano, sed per generationem æternam accepi : *hæc loquor.* Isai. xxi, 10 : *Quæ audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis.* Sudra 5, 19 : *Non potest Filius a se facere quicquam.* Hoc autem quod dixit, *Qui misit me, verax est,* dupliciter continuatur ad præcedentia. Uno modo sic. Dico quod *habeo de vobis judicare.* Sed judicium meum verum erit, quia *qui misit me verax est.* Rom. ii, 2 : « Judicium Dei est secundum veritatem. » Alio modo, secundum Chrysostomum, dico quod *habeo de vobis judicare* ; sed hoc differo, non ex impotentia, sed ut obediam voluntati paternæ : nam *qui misit me, verax est.* Unde cum promiserit salvatorem et propugnatorem, misit me nunc ad salvandum ; et ego quia non loquor nisi quæ audivi ab eo, ideo loquor vobis salutaria.

7. Consequenter cum dicit, *Et non cognoverunt quia Patrem ejus dicebat Deum,* reprehendit tarditatem intellectus ipsorum : nondum enim oculos cordis apertos habebant, quibus Patris et Filii æqualitatem intelligerent ; et hoc quia carnales erant. I Cor. ii, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.*

8. Hic primo prænuntiat Christus per quod pervenire debeant ad fidem, quod est remedium contra mortem : et circa hoc duo facit. Primo ostendit per quid venturi sunt ad fidem ; secundo docet quid sit de se ipso credendum, ibi, *Quia ego sum.* Dicit ergo primo, quod ad fidem pervenire debebant per passionem ejus : unde *dixit eis Jesus* : *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis;* quasi dicat : Modo non cognoscitis Patrem meum esse Deum ; sed *cum exaltaveritis Filium hominis,* idest cum me ligno crucis affixeritis, *tunc cognoscetis,* scilicet aliqui ex vobis per fidem. Infra xii, 32 : *Ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* Ideo autem, secundum Augustinum, crucis commemorat passionem, ut det spem peccatoribus, ut scilicet nullus desperet a quocumque [1] scelere, et male sibi conscius, quando ipsi crucifigentes Christum per sanguinem Christi liberantur a peccatis. Nullus est enim adeo peccator qui per sanguinem Christi liberari non possit. Vel, secundum Chrysostomum, *cum exaltaveritis Filium hominis* scilicet in cruce, *tunc cognoscetis,* idest cognoscere poteritis, qualis sim, non solum per gloriam resurrectionis meæ, sed etiam per pœnam captivitatis et destructionis vestræ. Quantum autem ad secundum, tria docet de se credenda. Primo divinitatis majestatem ; secundo suam originem a Patre ; tertio sui a Patre inseparabilitatem.

9. Majestatem quidem divinitatis, cum dicit : *Quia ego sum;* idest, habeo in me naturam Dei, et sum ille qui locutus est Moysi, dicens (Exod. iii, 14 : *Ego sum qui sum.* Sed quia ad ipsum esse pertinet tota Trinitas, ideo ne excludatur personarum distinctio, consequenter docet credere originem a Patre, cum dicit : *Et a me ipso facio nihil ; sed sicut docuit me Pater, hæc loquor.* Sed quia cœpit Jesus facere et docere, ideo in duobus originem suam a Patre designat : scilicet in his quæ facit, unde dicit, *Et a me ipso facio nihil* : supra v, 19 : *Non potest Filius a se facere quicquam:* et in his quæ docet : unde dicit, *Sed sicut docuit me Pater* ; idest, tradidit scientiam generando me scientem : quia cum sit simplex natura veritatis, hoc est Filio esse,

[1] Al. : « in quocumque. »

quod nosse ; et sic quemadmodum Pater dedit Filio gignendo ut esset, sic gignendo dedit ei ut nosset. Supra VII, 16 : *Mea doctrina non est mea.* Et ne intelligatur quod sit missus a Patre quasi ab eo distinctus, ideo tertio docet credere ejus a Patre inseparabilitatem, cum dicit : *Et qui misit me*, scilicet Pater, *mecum est,* per essentiæ unitatem. Infra XIV, 10 : *Ego in Patre, et Pater in me est.* Item per amoris conjunctionem. Supra V, 20 : *Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit.* Et sic ita Pater misit Filium quod non recessit ab eo : unde sequitur : *Et non reliquit me solum* : quia affectus ejus est circa me. Sed cum ambo simul sint, unus tamen est missus, et alter misit : quia missio incarnatio est, quæ quidem Filii tantum est, et non Patris. Quod autem non reliquit me, patet ex signo : *quia quæ placita sunt ei, facio semper* : quod quidem non ponitur pro causa meritoria, sed pro signo ; quasi dicat : Hoc ipsum quod ego facio semper, sine initio, sine fine, *quæ placita sunt ei*, est signum quod semper mecum est, et non reliquit me Prov. VIII, 30 : *Cum eo eram cuncta componens.* Vel aliter : *non reliquit me*, scilicet hominem, protegendo, *quia quæ placita sunt ei, facio semper.* Et secundum hoc dicit causam meritoriam.

10. Consequenter cum dicit, *Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum*, ponitur effectus doctrinæ, qui est conversio multorum ad fidem ex auditu doctrinæ Christi. Rom. X, 17 : *Fides ex auditu*; *auditus autem per verbum Christi.*

LECTIO IV.

1. Dicebat ergo Jesus ad eos qui crediderunt ei, Judæos : Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. 2. Responderunt ei : Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam. Quomodo tu dicis, Liberi eritis ? 3. Respondit eis Jesus : Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati. 4. Servus autem non manet in domo in æternum ; Filius autem manet in æternum. Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. 5. Scio quia filii Abrahæ estis. 6. Sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor. 7. Et vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis.

1. Posito remedio evadendi tenebras, hic consequenter ostendit ipsius remedii efficaciam. Et primo ponitur remedii efficacia ; secundo introducitur remedii indigentia, ibi, *Responderunt ei Judæi.* Circa primum duo facit : Primo ostendit quid exigitur ab eis quibus remedium confertur, quod pertinet ad meritum ; secundo quid eis pro eo redditur, quod pertinet ad præmium, ibi, *Veri discipuli mei eritis.* Dicit ergo primo : Dictum est quod multi crediderunt in eum ; et ideo dicit eis, scilicet [1] qui crediderunt in eum Judæis, quid ab eis requiratur, hoc scilicet quod maneant in sermone ejus : unde dicit ; *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis* ; quasi dicat : Non propter hoc quod creditis superficie tenus, eritis discipuli mei, sed *si manseritis in sermone meo.* Exiguntur autem a nobis tria circa verbum Dei : scilicet sollicitudo ad audiendum : Jac. I, 19 : *Sit autem omnis homo velox ad audiendum* etc. » ; fides ad credendum : Rom. X, 17 : *Fides ex auditu* : constantia, ad permanendum : Eccl. VI, 21 : *Quam aspera est nimium indoctis hominibus sapientia ! Et non permanebit in illa excors.* Et ideo dicit, *Si manseritis*, scilicet per fidei stabilitatem, per continuam meditationem : Psalm. I, 2 : *In lege ejus meditabitur die ac nocte* ; et ferventem affectionem : (ibid). : *In lege Domini fuit voluntas ejus.* Unde dicit Augustinus quod illi in verbis Domini permanent qui nullis tentationibus cedunt. Primum autem quod persistentibus redditur, ostendit cum dicit : *Vere discipuli mei eritis* : et hoc quantum ad tria ; scilicet quantum ad discipulatus Christi sublimationem, quantum ad veritatis cognitionem, et quantum ad libertatis adeptionem. Et quidem [2] magnæ dignitatis est privilegium, esse discipulum Christi. Joel. II, 23 *Filii Sion exultate, et lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ.* Et quantum ad hoc dicit : *Vere discipuli mei eritis* : quanto enim magister est major, tanto discipuli ejus sublimiores sunt ; Christus autem excellentissimus et summus magister est : discipuli ergo ejus excellentissimi sunt. Tria autem requiruntur ex parte discipulorum. Primum est intellectus ad capiendum verba magistri. Matth. XV, 16 : *Adhuc et vos sine intellectu*

[1] Al. : « et ideo ostendit, scilicet etc. » — [2] Al. : « si quidem. »

estis? Solus autem Christus potest aperire aurem intelligentiæ. Luc. ult. XLV : *Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Et ideo dicebat Isa. L, 5 : *Dominus aperuit mihi aurem.* Secundum est assensus ad credendum sententiæ magistri : nam, ut dicitur Luc. VI, 40 : *non est discipulus super magistrum* : et ideo non debet ei contradicere. Unde dicitur Eccl. IV, 30 : *Non contradicas verbo veritatis ullo modo.* Et ideo subdit Isaias (loc. cit.) : *Ego autem non contradico.* Tertio stabilitas ad permanendum. Supra VI, 67, dicitur, quod *multi discipuli abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant.* Et ideo subdit Isaias (ibid.) : *Retrorsum non abii.* Sed majus est veritatem cognoscere, cum sit finis discipuli. Et hoc etiam Dominus credentibus reddit: unde dicit : *Cognoscetis veritatem*, scilicet doctrinæ quam ego doceo. Infra XVIII, 37 : *In hoc natus sum, et ad hoc veni, ut testimonium perhibeam veritati.* Item gratiæ quam ego facio. Supra, VIII, 17 : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Et dicitur gratia veritatis per comparationem ad figuras veteris legis. Item æternitatis in qua permaneo. Psalm. CXVIII, 89 : *In æternum, Domine, permanet verbum tuum, in generatione et generationem veritas tua.* Sed maximum est libertatis adeptio, quam efficit cognitio veritatis in credentibus : unde dicit : *Et veritas liberabit vos.* Liberare autem, in hoc loco non importat exceptionem a quacumque angustia, prout in Latino sonat, sed proprie dicit liberum facere. Et hoc a tribus : quia veritas doctrinæ liberabit ab errore falsitatis : Prov. VII, 7 : *Veritatem meditabitur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium* : veritas gratiæ liberabit a servitute peccati : Rom. VIII, 2 : *Lex autem spiritus vitæ in Christo Jesu, liberabit me a lege peccati et mortis :* sed veritas æternitatis, in Christo Jesu, liberabit nos a corruptione : Rom. VIII, 21 : *Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis.*

2. Consequenter cum dicit, *Responderunt ei* : *Semen Abrahæ sumus* etc., ostendit remedii necessitatem Judæis. Et primo exaggeratur Judæorum præsumptio, se tali remedio indigere negantium ; secundo ostenditur quomodo remedio indigent, ibi. *Respondit eis Jesus* : *Amen dico vobis.* Præsumptio autem Judæorum ostenditur in quadam præsumptuosa interrogatione : unde : *Responderunt ei Judæi, Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam. Quomodo tu dicis, Liberi eritis?* In qua quidem primo aliquid affirmant ; secundo aliquid negant; et tertio interrogant. Affirmant quidem se esse semen Abrahæ : unde dicunt, *Semen Abrahæ sumus :* in quo ostenditur eorum inanis gloria, quia de sola carnis origine gloriantur. Matth. III, 9 : *Ne cœperitis dicere* : *Patrem habemus Abraham.* Simile faciunt qui de carnali nobilitate extolli quærunt. Oseæ IX, 11 : *Omnis gloria eorum a partu, ab utero, et conceptu.* Negant autem servitutem : unde dicunt : *Nemini servivimus unquam* : in quo se hebetes ostendunt, et mendaces. Hebetes quidem, quia quod Dominus de spirituali libertate loquitur, ipsi intelligunt de corporali. I Cor. II, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* Mendaces autem, quia si hoc quod dicunt *Nemini servivimus unquam*, intelligunt de servitute carnali, aut loquuntur universaliter quantum ad totum genus Judæorum, aut specialiter quantum ad seipsos. Si quidem universaliter [1], manifeste mentiuntur : nam Joseph venumdatus est, et patres eorum servierunt in Ægypto, ut patet Genes. XL, et Exod I. Unde Augustinus dicit : « O ingrati, quid est quod assidue vobis imputat Deus quod vos de domo servitutis liberavit, si nemini servivistis ? » Dicitur enim Deuter. VI, 13 : *Eduxi vos de Ægypto, de domo servitutis* etc. Si autem de seipsis loquuntur, non possunt etiam a mendacio excusari : nam et et ipsi tunc temporis Romanis tributa solvebant : unde dicebant, Matth. XXII, 17 : *Si licet tributum dari Cæsari, an non ?* Interrogant autem libertatis modum : unde dicunt *Quomodo tu dicis, Liberi eritis ?* Dominus eis duo promiserat : scilicet libertatem, et veritatis cognitionem, cum dixit : *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Per quod Judæi intelligebant, se servos et ignaros a Domino reputari. Et licet magis injuriosum sit deficere a cognitione quam a libertate ; quia tamen carnales erant, neglecta veritate, modum libertatis inquirunt. Psalm. XVI, 2 : *Oculos suos statuerunt declinare in terram.*

3. *Respondit eis Jesus*, etc. Hic Dominus eorum præsumptionem excludens,

[1] Al. : « siquidem viri. »

eos remedio prædicto indigere convincit : et primo agit de eorum servitute; secundo de eorum liberatione, ibi, *Servus autem non manet in domo in æternum;* tertio de eorum origine, ibi, *Scio quia filii Abrahæ estis.* Convincit autem eos de servitute, non carnali qualem illi intelligebant, sed spirituali, scilicet peccati : ad quam exaggerandam duo præmittit : scilicet ingeminatum juramentum : unde dicit : *Amen amen dico vobis.* Amen est nomen Hebræum, quod interpretatur vere, vel fiat. Quod, secundum Augustinum, nec græcus interpres nec latinus ausus est interpretari, ut honorem haberet velamento secreti; non ut esset ligatum, sed ne vilesceret nudatum; et specialiter propter reverentiam Domini, qui frequenter ipso usus est. Ponit ergo hic Dominus quasi quoddam juramentum : quod ideo geminatur, ut suam sententiam magis firmam ostendat. Heb. VI, 17 : *Interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus.* Secundo universalem locutionem, cum dicit, *Omnis*, sive Judæus sive Græcus dives aut pauper, imperator vel mendicus. Rom. III, 23 : *Non est distinctio Judæi et Græci : omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei.* Servitutem etiam proponit dicens : *Qui facit peccatum, servus est peccati.*

Sed contra. Servus non movetur proprio arbitrio suo, sed domini; qui autem facit peccatum, movetur proprio arbitrio suo : ergo non est servus. Responsio. Dicendum quod unumquodque est illud quod convenit ei secundum suam naturam : quando ergo movetur ab aliquo extraneo, non operatur secundum se, sed ab impressione alterius; quod est servile. Homo autem secundum suam naturam est rationalis. Quando ergo movetur secundum rationem, proprio motu movetur, et secundum se operatur; quod est libertatis; quando vero peccat, operatur præter rationem; et tunc [1] movetur quasi ab alio, retentis terminis alienis : et ideo *qui facit peccatum, servus est peccati.* II Pet. II, 19 : *A quo quis superatus est, ejus servus addictus est.* Sed quanto quis movetur ab extraneo, tanto magis in servitutem redigitur; et tanto magis vincitur a peccato, quanto minus habet de proprio motu, scilicet rationis, et magis efficitur servus : unde quanto aliqui liberius peragunt perversa quæ volunt, et minori difficultate, tanto peccati servitio obnoxius obligantur, ut Gregorius dicit : quæ quidem servitus gravissima est, quia vitari non potest : nam quocumque homo vadat, peccatum intra se habet, licet actus et delectatio ejus transeat. Isa. XIV, 3 : *Cum requiem dederit tibi Deus..... a servitute tua dura* (scilicet peccati), *qua antea servisti.* Servitus autem corporalis, saltem fugiendo, evadi potest : unde dicit Augustinus : « O miserabilis servitus (scilicet peccati)! Servus hominum, aliquando sui domini duris imperiis fatigatus, fugiendo requiescit; servus peccati secum trahit peccatum, quocumque fugerit : peccatum [2] enim quod fecit, intus est, voluntas transit : peccatum (idest actus) transit : præteriit quod delectabat, remansit quod pugnat. »

4. Consequenter cum dicit. *Servus autem non manet in domo in æternum*, agit de liberatione a servitute : quia enim omnes peccaverunt, omnes erant servi peccati [3]. Sed imminet vobis liberationis spes ab eo qui liber est a peccato : et hic est Filius. Unde circa hoc tria facit. Primo præmittit servi conditionem, ut distinguatur liber a servo; secundo ostendit conditionem Filii a servo diversam; tertio concludit potestatem Filii in liberando. Est ergo conditio servi transitoria et instabilis : unde dicit : *Servus non manet in domo in æternum.* Domus ista est Ecclesia. I Tim. III, 15 : *Ut scias quomodo oporteat te conservari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi.* In qua quidem domo aliqui spiritualiter servi ad horam tantum permanent, sicut in domo patrisfamilias corporaliter servi manent ad tempus; non tamen in æternum : quia licet modo mali non sint separati numero a fidelibus, sed merito tantum, in futuro tamen separabuntur utroque modo. Galat. IV, 30 : *Ejice ancillam et filium ejus; non enim erit heres filius ancillæ cum filio liberæ.* Conditio vero Filii est æterna et stabilis : unde dicit : *Filius autem*, id est Christus, *permanet in æternum*, scilicet in Ecclesia, tamquam in domo sua. Hebr. III, 6, dicitur quod Christus, tamquam filius in domo sua [4]

[1] Al. : « et non. » — [2] Al. : « servus peccati quo fugit secum trahit quocumque fugerit : peccatum enim etc. » — [3] Al. : « quia omnes peccaverunt, et omnes erant servi peccati. » — [4] Ibi : « Christus vero, tamquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos. »

etc. Et quidem ipse per seipsum in domo manet in æternum, quia ipse immunis est a peccato ; nos autem sicut per ipsum a peccato liberamur, ita et per ipsum in domo manemus. Liberationis autem potestatem habet Filius ; unde subdit : *Si igitur Filius vos liberavit, vere liberi eritis*. Galat. IV, 31 : *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit*. Nam, ut Apostolus dicit, ipse pretium dedit non argentum, sed sanguinem suum : venit enim in similitudinem carnis peccati, nullum omnino habens peccatum : et ideo factum est verum sacrificium pro peccato : unde per eum liberamur non a barbaris, sed a diabolo.

Et nota, quod est multiplex libertas. Scilicet perversa, quando quis abutitur ea ad peccandum ; et hæc est libertas a justitia, quam nullus cogitur servare. I Pet. II, 16 : *Quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem*. Vana, quæ est temporalis, seu carnalis. Job. III, 19 : *Servus liber*[1] *a domino suo*. Vera et spiritualis, quæ est libertas gratiæ, quæ est, scilicet, carere criminibus ; quæ est imperfecta ; quia caro concupiscit adversus spiritum, ut non ea quæ volumus faciamus, Galat. V. Gloriæ, et perfecta atque plena, quæ erit in patria. Rom. VIII : *Ipsa creatura liberabitur a servitute :* et hoc erit, quia nihil erit ibi inclinans ad malum, nihil opprimens, quia ibi erit libertas a culpa et a pœna.

Chrysostomus autem hoc aliter introducit : quia enim dixerat : *Qui facit peccatum servus est peccati :* ne præcurrant Judæi, et dicant : simus servi peccati, tamen possumus liberari per sacrificia et cæremonias legis ; propterea Dominus ostendit, quod per ea liberari non possunt, sed solum per Filium ; unde dicit : *Servus*, idest Moyses, et pontifices veteris testamenti, *non manet in domo in æternum*. Hebr. III, 5 : *Moyses sicut famulus in omni domo sua*. Et cæremoniæ etiam æternæ non sunt ; et ideo non possunt conferre libertatem æternam, Consequenter cum dicit : *Scio quia Filii Abrahæ estis*, agit de eorum origine : et primo confitetur eorum originem carnis ; secundo inquirit originem spiritus, ibi, *Sed quæritis me interficere* etc. Originem autem carnis ipsorum dicit esse Abraham. *Scio*, inquit, *quia filii Abrahæ estis*, origine carnis tantum, non similitudine fidei. Isa. LI, 2 : *Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram, quæ peperit vos*.

6. Spiritualem originem inquirit dicens : *Sed quæritis me interficere* : et primo ostendit eos originem spiritualem habere ; secundo excludit originem præsumptam, ibi, *Responderunt, et dixerunt ei : Pater noster Abraham est ;* tertio ostendit originem eorum veram, ibi, *Vos ex patre diabolo estis*. Circa primum duo facit. Primo ponit eorum culpam ; secundo concludit eorum spiritualem originem, ibi, *Vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis*. Circa primum tria facit. Primo imponit eis culpam homicidii ; secundo crimen infidelitatis ; tertio aufert eis excusationis viam. Ostendit ergo eos Dominus spiritualiter ex mala radice procedere : et ideo signanter arguit eos de peccato ; et dimissis omnibus aliis, quibus Judæi multipliciter irreriti erant, hoc illis tantum commemorat quod jugiter in mente habebant, scilicet peccatum homicidii : quia, ut dictum est supra, volebant eum[2] occidere : et ideo dicit : *Sed quæritis me interficere ;* quod est contra legem vestram. Exod. XX, 13 : *Non occides*. Infra XI, 53 : *Ab illo ergo die cogitabant interficere eum*. Sed possent dicere, quia occidere aliquem ex culpa non est peccatum ; et ideo Dominus dicit causam homicidii esse non quidem culpam Christi, nec eorum justitiam, sed ipsorum infidelitatem ; quasi dicat : Quæritis me interficere, non propter justitiam, sed propter vestram infidelitatem : *Quia sermo meus non capit in vobis*. Matth. XIX, 2 : *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*. Utitur autem Dominus hoc modo loquendi primo quidem ad ostendendum sui sermonis excellentiam ; quasi dicat : Sermo meus superexcedit capacitatem vestram : nam ipse de spiritualibus est, vos autem intellectum carnalem habetis ; et ideo ipsum non capitis. I Corinth. II, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*. Secundo vero propter similitudinem quamdam. Nam ut Augustinus dicit, sic est sermo Dei infidelibus, tamquam piscibus hamus, qui non capit nisi capiatur. Et ideo dicit : *Sermo meus non capit in vobis*, idest in cor vestrum, quia non recipitur in vobis eo modo quo Petrus captus erat : supra VI, 69 : *Domine ad*

[1] Al. : « et liber. » — [2] Al. : « cum volebant. »

quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Nec tamen fit injuria eis qui capiuntur : ad salutem quippe, non ad perniciem capit. Nam dicitur Deut. XVIII, quod Propheta qui loquitur quasi ex ore Domini ea quæ Dominus non dixit, debet interfici. Unde, ne Judæi dicerent eum interficiendum fore, eo quod a seipso, et non ex ore Domini loquebatur, inducit subdens ; *Ego quæ vidi apud Patrem meum loquor* : quasi dicat : Non potest imponi mihi quod loquor quæ non audivi ; quia non solum audita, sed, quod plus est, visa loquor. Alii enim Prophetæ locuti sunt ea quæ audierunt ; sed ego quæ vidi hæc loquor. Supra I, 18 : *Deum nemo vidit unquam : unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* I Joan. I, *Quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis.* Est autem hoc intelligendum de visione certissimæ cognitionis, quia Filius Patrem cognoscit sicut ipse seipsum novit : de quo dicitur Matth. II, 27 : *Nemo novit Patrem nisi Filius.*

7. Spiritualem autem eorum originem concludit, dicens : *Et vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis :* quasi dicat : Ego ea loquor quæ meæ origini conveniunt : vos autem illa [1] facitis quæ sunt apud patrem vestrum, scilicet diabolum, cujus filii erant, secundum Augustinum, non inquantum homines, sed inquantum mali erant. Ea, inquam, quæ vidistis, diabolo suggerente. Sap. II, 24 : *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Secundum Chrysostomum, est alia littera : *Vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facite* [2]; quasi dicat : Sicut ego verbis in veritate Patrem meum ostendo, ita vos ostendite operibus patrem vestrum origine, scilicet Abraham : unde dicit, Facite quæ apud patrem vestrum vidistis [3], docti per legem et Prophetas.

LECTIO V.

1. Responderunt, et dixerunt ei : Pater noster Abraham est. 2. Dixit eis Jesus : Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. 3. Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum quam audivi a Deo. 4. Hoc Abraham non fecit. 5. Vos facitis opera patris vestri. 6. Dixerunt itaque ei : Nos ex fornicatione non sumus nati. Unum patrem habemus Deum. 7. Dixit ergo eis Jesus : Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me ; 8. Ego enim ex Deo processi et veni. 9. Neque enim a meipso veni ; sed ille me misit. 10. Quare loquelam meam non cognoscitis ? Quia non potestis audire sermonem meum.

1. Postquam Dominus ostendit, Judæos aliquam spiritualem originem habere, hic excludit ab eis origines quas sibi præsumptuose attribuebant : et primo excludit originem quam se traxisse dicebant ab Abraham; secundo originem quam se putabant habere a Deo, ibi, *Dixerunt itaque ei : Nos ex fornicatione non sumus nati.* Circa primum duo facit. Primo ponit opinionem Judæorum de eorum origine; secundo excludit eam, ibi, *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Sciendum est autem circa primum, quia Dominus dixerat eis : *Quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis :* ideo gloriantes se de carnali generatione, transferunt se ad Abraham : unde dicunt : *Pater noster Abraham est;* quasi dicant : Si spiritualem originem habemus, boni sumus, quia Abraham pater noster bonus est. Psal. CIV, 6 : *Semen Abraham servi ejus.* Et, ut dicit Augustinus, nitebantur eum provocare, ut aliquid male diceret de Abraham, et esset eis occasio facere quod cogitabant, scilicet occidendi Christum.

2. Sed Dominus, consequenter cum dicit, *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite,* excludit hanc ipsorum opinionem tamquam falso prolatam : et proponit primo signum debitum filiationis Abrahæ ; secundo ostendit, hoc signum in Judæis non esse, ibi, *Nunc autem quæritis me interficere :* tertio concludit propositum, ibi, *Vos facitis opera patris vestri.* Signum quidem filiationis alicujus est quod assimiletur ei cujus filius est : sicut enim filii carnales ut plurimum parentibus carnalibus assimilantur, ita et filii spirituales (si sint vere filii) debent spirituales parentes imitari. Ephes. V, 1 : *Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi.* Et quantum ad hoc dicit : *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite ;* quasi dicat [4] : Hoc signum esset quod essetis filii Abrahæ, si eum imitaremini. Isa. LI, 2 : *Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram quæ peperit vos.*

Sed dubitatur hic quod videtur quidem

[1] Al. : « aliqua. » item : « alium. » — [2] Al : « *facitis.* » — [3] Al. : « scilicet Abraham : quæ vidistis etc. » — [4] Al. : « quod dicit. »

eos negare esse filios Abrahæ, dubitative loquens : *Si filii Abrahæ estis*, [1] quod tamen affirmavit superius, dicens : *Scio quod filii Abrahæ estis*. Ad quod dupliciter respondetur. Uno modo, secundum Augustinum quod supra affirmavit eos esse filios Abrahæ secundum carnem; hic autem negat eos filios secundum imitationem operum, et præcipue fidei. Caro ergo illorum ex ipso erat, sed vita non erat. Gal. III : *Qui ex fide sunt, hi reputantur in semine.* Alio modo, secundum Origenem quod utrumque referatur ad spiritualem originem. Sed ubi nos habemus, *Scio quod filii Abrahæ estis,* in græco habetur : *Scio quod semen Abrahæ estis.* Hic vero dicit : *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite :* quia Judæi quidem, spiritualiter loquendo, semen Abrahæ erant, sed non ejus filii. Differentia est inter semen et filium : nam semen est quid informe, et tamen habet in seipso rationes ejus cujus est semen ; filius autem [2] transmutato semine per virtutem informativam ab agente in appositam sibi materiam a muliere, superinducto nutrimento, similitudinem generantis habet. Eodem modo et Judæi semen quidem Abrahæ erant inquantum in eis aliqua ratio eorum quæ Deus in Abraham infuderat apparebat; sed quia non ad perfectionem Abrahæ pervenerant, ideo filii ejus non erant; et propter hoc dicit eis : *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite;* idest, ad perfectam imitationem operum ejus satagite.

Ex hoc autem quod dicit, *Opera Abrahæ facite*, videtur quod quæcumque ipse fecit, et nos facere debemus. Ergo debemus plures uxores accipere, et ad ancillam accedere, sicut Abraham fecit. Respondeo dicendum quod præcipuum opus Abrahæ est fides, per quam justificatus est apud Deum. Genes. XV, 6 : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* Et ideo intelligendum est, *Opera Abrahæ facite;* idest, ad similitudinem Abrahæ credite.

Sed contra hoc est, quia fides non videtur posse dici opus, cum contra opera distinguatur. Jac. II, 26 : *Fides sine operibus mortua est.* Respondeo dicendum quod fides opus dici potest, secundum illud supra VI, 29 : *Hoc est opus Dei ut credatis in eum quem misit ille.* Verum opus interius non est manifestum hominibus, sed soli Deo, secundum illud I Reg. XVI, 7 : *Homines vident ea quæ apparent; Deus autem intuetur cor.* Inde est quod communius ea quæ exterius sunt, consuevimus opera nominare. Fides ergo distinguitur non ab omnibus operibus, sed ab exterioribus tantum.

Sed numquid omnia opera Abrahæ debemus facere? Ad hoc dicendum, quod opus potest considerari dupliciter : vel secundum speciem operis ejus; et sic omnia opera ejus non sunt imitanda : vel secundum radicem eorum; et sic opera Abrahæ imitanda sunt : quia quicquid fecit, ex caritate fecit. Unde dicit Augustinus, quod cœlibatus Joannis non præfertur conjugio Abrahæ, cum eadem fuerit radix utriusque. Vel dicendum, quod omnia opera Abrahæ imitanda sunt quantum ad signationem, quia *omnia in figura contingebant illis* : ut dicitur I Corinth. X, 11.

3. Consequenter cum dicit, *Nunc autem quæritis me interficere*, ostendit, prædictum filiationis signum in eis non esse. Et primo ponuntur Judæorum opera; secundo ostendit, ea esse Abrahæ operibus dissimilia ibi, *Hoc Abraham non fecit.* Ostenduntur autem Judæorum prava opera esse et perversa, quia homicidæ erant : unde dicit : *Nunc autem quæritis me interficere.* Isa. I, 21 : *Quomodo facta est meretrix, civitas fidelis, plena judicii? Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ.* Sed hoc homicidium inæstimabile peccatum erat contra personam Filii Dei. Unde quia, ut dicitur I Corinth. II, 8, *si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* : ideo Dominus non dicit, eos Filium Dei quærere interficere, sed hominem : quia etsi Filius Dei dicatur passus et mortuus propter unitatem suppositi, hoc non est inquantum Filius Dei, sed propter infirmitatem humanam : quia, ut dicitur II Corinth. ult. 4, *si crucifixus est ex infirmitate nostra, sed vivit ex virtute Dei.* Et ut magis eorum homicidium exaggeret, ostendit eos nullam mortis causam adversus eum habere : unde subdit : *Qui veritatem locutus sum vobis, quam audivi a Deo.* Ista veritas est quod dicebat se æqualem Deo. Supra V, 18 : *Quærebant eum Judæi interficere, quia non solum sabbatum solvebat, sed Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Hanc veritatem audivit a Deo in-

[1] Al. : « desunt sequentia verba usque ad responsionem. » — [2] Al. : « enim. »

quantum ab æterno per generationem æternam accepit a Patre eamdem naturam quam ipse habet. Supra v, 26 : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.* Excludit autem duas causas propter quas Prophetæ mandabantur occidi in lege. Primo quidem propter mendacium, Deut. XIII, ubi præcipitur, quod si aliquis Propheta surrexerit loquens mendacium, aut fictor somniorum, interficiatur : et hoc a se Dominus excludit, dicens : *Qui veritatem locutus sum vobis.* Prov. VIII, 7 : *Veritatem meditabitur guttur meum.* Secundo vero si aliquis propheta locutus fuerit ex nomine falsorum deorum, vel ex nomine Dei quod ipse non præcepit, occidi debebat, ut habetur Deut. XIII, et hoc Dominus excludit a se, cum dicit, *Quam audivi a Deo.*

4. Consequenter cum dicit, *Hoc Abraham non fecit*, ostendit eorum opera dissimilia esse operibus Abrahæ ; quasi dicat : In hoc probatis vos non esse filios Abrahæ, quia facitis opera contraria operibus ejus : nam de eo legitur Eccli. XLIV, 20 : *quod servavit legem Altissimi, et fuit in testimonio cum illo.*

Sed aliqui superflue objiciunt, quod Christus ante Abraham nondum erat, et ideo Abraham hoc non fecit : non enim occidi potuisset qui non erat. Sed dicendum, quod Abraham non commendatur ex hoc quod non fecit in Christo, sed ex eo quod non fecit in simili persona, idest in his qui tunc veritatem dicebant. Vel dicendum, quod si Christus non venerat tempore Abraham in carnem, venerat tamen in mentem, secundum illud Sapient. VII, 27 : *In animas sanctas per nationes se transfert* : quem tamen Abraham non interfecit mortaliter peccando : de quo dicitur Heb. VI, 6 : *Rursus crucifigentes Filium Dei, et ostentui habentes.*

5. Consequenter cum dicit, *Vos facitis opera patris vestri*, concludit propositum ; quasi dicat : Ex quo non facitis opera Abrahæ, ergo habetis aliquem alium patrem, cujus opera facitis. Simile habetur Matth. XXIII, 32 : *Vos implete mensuram patrum vestrorum.*

6. Consequenter cum dicit, *Dixerunt itaque ei : Nos ex fornicatione non sumus nati*, ostendit eos non habere originem a Deo : quia enim jam ex verbis Domini cognoscebant eum non de carnali generatione loqui, ideo ad spiritualem generationem se transferunt, dicentes : *Nos ex fornicatione non sumus nati* etc. Ubi primo eorum opinionem proponunt ; secundo eam Dominus excludit, ibi, *Dixit ergo ei Jesus* etc. In eorum autem opinione Judæi unum negant, et aliud asserunt. Negant se ex fornicatione natos : quod quidem, secundum Origenem, quasi improperando, Christo proponunt, latenter designantes, ipsum ex adulterio productum fore ; quasi dicant : *Nos ex fornicatione non sumus nati*, sicut tu. Sed melius potest dici, quod sponsus animæ spiritualiter Deus est. Oseæ, II, 19 : *Sponsabo te mihi* [1]. Sicut autem fornicatur sponsa cum præter sponsum suum carnalem, alium virum admittit ; ita in Scripturis Judæa fornicari dicebatur quando Deum verum deserens, idolis adhærebat. Oseæ. I, 2 : *Fornicans fornicabitur terra a Domino.* Dicunt ergo Judæi : *Nos ex fornicatione non sumus nati ;* quasi dicant : Si aliquando mater nostra synagoga a Deo recedens fornicata est cum idolis, nos tamen non recessimus, nec cum idolis fornicati sumus. Psalm. XLIII, 18 : *Nec obliti sumus te, et inique non egimus in testamento tuo, et non recessit retro cor nostrum.* Isa. LVII, 3 : *Ascendite huc filii fornicatricis, semen adulteri et fornicariæ.* Affirmant autem se esse filios Dei : quod videbatur sequi ex quo non credebant se natos ex fornicatione : unde dicunt : *Unum patrem habemus Deum.* Malach. II, 10 : *Nonne unus est pater omnium nostrum?* Hier. III : *Patrem vocabis me.*

7. Consequenter cum dicit, *Dixit ergo ei Jesus* etc., confutatur eorum opinio a Domino. Et primo proponit divinæ filiationis signum ; secundo assignat rationem signi, ibi, *Ego enim a Deo venit* etc. ; tertio ostendit eos a prædicto signo deficere, ibi, *Quare loquelam meam non cognoscitis?* Sciendum est autem circa primum, quod supra signum carnalis filiationis dixit esse opera exteriora, quæ homines exterius operantur ; hic autem signum filiationis divinæ ponit interiorem affectionem. Nam filii Dei efficimur per communionem Spiritus sancti. Rom. VIII, 15 : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis.* Spiritus autem sanctus causa est amoris Dei : quia *caritas Dei diffusa est in cor-*

[1] Al. : « mihi Ecclesia. »

dibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis : Rom. v, 5. Signum ergo speciale divinæ filiationis est dilectio. Ephes. v, 1 : *Estote imitatores Dei sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione.* Et ideo dicit : *Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me.* Psal. xxi, 4 : *Innocentes et recti* (qui sunt filii Dei *adhæserunt mihi.*

8. Rationem autem signi assignat, dicens : *Ego enim ex Deo processit et veni.* Et primo ponit veritatem; secundo excludit errorem, ibi, *Neque enim a meipso veni.* Veritas autem quam proponit, est quod a Deo processit et venit. Sed sciendum est quod omnis amicitia in conjunctione fundatur : unde et fratres se diligunt inquantum ex eisdem parentibus principium sumunt. Dicit ergo Dominus : Vos dicitis quod filii Dei estis ; sed si hoc esset, *diligeretis me, quia a Deo processi et veni.* Qui ergo non me diligit non est Filius Dei. *Processi*, inquam, *a Deo,* ut Unigenitus ab æterno, de substantia Patris. Psal. cix, 4 : *Ante luciferum genui te.* Supra i : *In principio erat Verbum. Veni* autem, ut Verbum caro factum, et missus a Deo per incarnationem. Infra xvi, 28 : *Exivi a Patre*, ut Verbum ab æterno, *et veni in mundum*, ut caro factum in tempore.

9. Errorem autem excludit cum dicit : *Neque enim a meipso veni :* et primo excludit errorem Sabellii, qui Christum non ab alio originem habuisse dicit ; sed idem esse Patrem et Filium in persona finxit : et quantum ad hoc dicit : *Neque enim a meipso veni*, idest, secundum Hilarium, ego veni non a meipso existens, sed quasi ab alio missus, scilicet a Patre : unde subdit : *Sed ille me misit.* Gal. iv, 4 : *Misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege.* Secundo vero errorem Judæorum, qui dicebant Christum non esse missum a Deo, sed falsum prophetam : de quibus dicitur (Hier. xxiii, 21) : *Non mittebam eos, et ipsi currebant.* Et quantum ad hoc dicit, secundum Origenem : *Neque enim a meipso veni, sed ille me misit.* Hunc petebat Moyses (Exod. iv, 13) : *Obsecro Domine, mitte quem missurus es.*

10. Ostendit autem eos ab hoc signo deficere, cum dicit : *Quare loquelam meam non cognoscitis?* Nam, sicut dictum est supra, dilectio Christi est signum filiationis divinæ; isti autem Christum non diligebant : unde manifestum est eos ab hoc signo deficere. Quod autem non diligunt, manifestant per effectum : nam effectus dilectionis alicujus est quod diligens libenter audit verba dilecti. Unde Cant. ii, 12 : *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* Et Cant. ult., 13 : *Fac me audire vocem tuam* : *amici auscultant te.* Quia ergo isti Christum non diligebant, durum videbatur eis etiam vocem ejus audire. Supra vi, 61 : *Durus est hic sermo* : *quis potest eum audire*? Sap. ii, 15 : *Gravis est nobis etiam ad videndum.* Contingit autem quod aliquis non libenter audit verba alicujus, quia ea examinare non potest, nec per consequens cognoscere ; et ideo eis contradicunt. Job. vi, 29 : *Respondete, obsecro, absque contentione... et non invenietis in lingua mea iniquitatem.* Et ideo dicit : *Quare loquelam meam non cognoscitis*? dicentes et interrogantes : *Quid est hoc quod dixit* : *Quo ego vado vos non potestis venire*? et hoc ideo, inquam, non cognoscitis, *quia non potestis audire sermonem meum;* idest, ita durum cor habetis ad me quod nec sermonem meum audire vultis.

LECTIO VI.

1. Vos ex patre diabolo estis. 2. Et desideria patris vestri vultis facere. 3. Ille homicida erat ab initio. 4. Et in veritate non stetit. 5. Quia non est veritas in eo. 6. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur. 7. Quia mendax est, et pater ejus.

1. Postquam Dominus Judæos ostendit originem aliquam spiritualem habere, et exclusit ab eis originem præsumptam, hic astruit veram, ascribens eis paternitatem diaboli : et primo proponit intentum; secundo rationem eis assignat, ibi, *Et desideria patris vestri vultis facere;* tertio positam rationem manifestat, ibi, *Ille homicida erat ab initio.* Dicit ergo : Vos facitis opera diaboli : ergo *vos ex patre diabolo estis*, scilicet per imitationem. Ezech. xvi, 3 : *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa.*

Cavenda est hic hæresis Manichæorum, qui dicunt esse quamdam naturam mali, et gentem quamdam tenebrarum cum principibus suis, a qua corruptibilia omnia originem trahunt ; et secundum hoc omnes homines secundum carnem ex

diabolo processisse. Ponebant autem quasdam animas ad bonam creationem pertinere, et quasdam ad malam; unde dicebant hoc dictum a Domino, *Vos ex patre diabolo estis*, quia ab eo secundum carnem processistis, et animæ vestræ sunt de mala creatione. Sed, ut Origenes dicit, introducere [1] duas naturas propter differentiam boni et mali, simile videtur ei qui diceret alteram esse oculi videntis substantiam, alteram caligantis vel se avertentis. Quemadmodum enim oculi sani et lippi non differunt substantia; sed quædam contingit causa deficiens, scilicet quæ facit eum caligare; ita eadem est substantia et natura rei, sive sit bona, seu habeat in se defectum quod est peccatum voluntatis. Non ergo Judæi ut [2] mali, dicuntur filii diaboli natura, sed imitatione.

2. Consequenter cum dicit, *Et desideria patris vestri vultis facere*, rationem assignatam exponit; quasi dicat : Non estis filii diaboli tamquam ab eo creati, et in esse producti; sed quia eum imitantes, *desideria patris vestri vultis facere* : quæ quidem mala sunt : nam sicut ille invidit homini, et occidit [3], Sap. II, 24 : *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum* : ita et vos mihi invidentes, *quæritis me interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis* : supra (hoc cap.).

3. Consequenter cum dicit, *Ille homicida erat ab initio*, positam rationem manifestat : et primo ponit diaboli quam imitantur conditionem; secundo ostendit eos esse imitatores conditionis illius, ibi, *Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi*. Sciendum est circa primum quod in diabolo duplex peccatum maxime pollet : scilicet peccatum superbiæ ad Deum, et invidiæ ad hominem, quem occidit. Sed ex peccato invidiæ ad hominem quo infert nocumenta hominibus, cognoscitur a nobis peccatum superbiæ. Et ideo primo ponit peccatum dæmonis contra hominem; secundo peccatum ejus contra Deum, ibi, *Et in veritate non stetit*. Peccatum autem invidiæ contra hominem est quod occidit eum : unde dicit : *Ille*, scilicet diabolus, *homicida erat ab initio*. Ubi sciendum est quod non ferro accinctus diabolus occidit hominem, sed mala persuasione. Sap. II, 24 : *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum*. Et primo quidem introivit mors peccati : Psal. XXXIII, 22 : *Mors peccatorum pessima* : deinde vero mors corporalis : V, 12 : *Per unum hominem peccatum intravit, et per peccatum mors*. Et, ut dicit Augustinus, *noli putare te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades*. Attendendum est autem, secundum Origenem quod ille homicida dicitur non propter aliquem [4] singulariter tantum, sed pro toto genere quod peremit in Adam, in quo cuncti [5] moriuntur, ut dicitur I Corinth. XV. Unde antonomastice homicida dicitur; et hoc *ab initio*, ex quo scilicet fuit homo, qui occidi poterat, ex quo potuit fieri homicidium : non enim posset occidi homo, nisi prius homo fieret.

4. Consequenter cum dicit, *Et in veritate non stetit*, ponit peccatum dæmonis contra Deum quod consistit in hoc quod avertit se a veritate, quæ Deus est. Et primo ostendit eum a veritate aversum; secundo ostendit eum veritati contrarium, ibi, *Dum loquitur mendacium, ex propriis loquitur*. Circa primum duo facit. Primo ostendit eum a veritate aversum; secundo manifestat quod dixit, ibi, *Quia veritas in eo non est*. Dicit ergo : *Et in veritate non stetit*.

Unde sciendum est quod duplex est veritas; scilicet vocis et operis. Veritas quidem vocis est qua quis profert ore quod gerit corde, et est in rerum natura. Ephes. IV, 25 : *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo*, Psal. XIV, 3 : *Qui loquitur veritatem cum proximo suo, qui non egit dolum in lingua sua*. Veritas justitiæ, quando scilicet quis agit quod convenit sibi secundum ordinem suæ naturæ : de qua supra III, 21 dicit : *Qui fecerit veritatem, veniet ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta*. De hac ergo veritate Dominus loquens, dicit : *et in veritate*, scilicet justitiæ, *non stetit* : quia deseruit ordinem suæ naturæ : qui erat ut Deo subjiceretur, et per eumdem beatitudinem suam et naturalis desiderii complementum consequeretur. Unde dum hoc per se consequi voluit, a veritate cecidit.

Hoc autem quod dicit, *In veritate non stetit*, potest dupliciter intelligi : vel quod nunquam in veritate steterit : vel quod aliquando steterit, sed in ea non permansit. Sed hoc quod nunquam fuerit in ve-

[1] Al. : « quod introducere. » item : « introducit. » — [2] Al. deest: « ut. » — [3] Al. : « invidet homini ut occidat. » — [4] Al. : « aliquid. » — [5] Al. : « quod peremit in Adam, inquam, cuncti etc. »

ritate justitiæ, potest habere duplicem sensum. Unum quidem secundum Manichæos,, qui dicunt diabolum naturaliter malum esse : ex quo sequitur quod semper malus fuerit : nam quod inest naturaliter, semper inest. Sed hoc est hæreticum : quia in Psal. CXLV, 6, dicitur, quod *Deus fecit cælum et terram*, *mare et omnia quæ in eis sunt*. Ergo omne ens est a Deo, et, inquantum est, bonum est. Et ideo alii dixerunt quod dæmon ex sui natura bonus est a Deo creatus; sed in primo instanti factus est malus per liberum arbitrium. Et differunt isti a Manichæis; quia illi dicunt dæmones semper fuisse malos, et naturaliter; isti vero semper malos, sed per liberum arbitrium.

Sed posset alicui videri quod quia Angelus non est malus per naturam, sed per peccatum propriæ voluntatis, peccatum autem est actus quidam, potuit fieri ut Angelus in principio actus fuerit bonus, sed in termino actus mali fuerit malus effectus. Manifestum est autem quod actus peccati in dæmone est creatione posterior, terminus autem creationis est ipsum esse Angeli; terminus vero operationis peccati est quod sint mali. Et sic ex hac ratione volunt quod impossibile sit quod in primo instanti [1] quo Angelus esse cœpit, fuerit malus. Sed hæc ratio non videtur sufficiens : habet enim locum in motibus temporalibus tantum, qui successive aguntur, non autem in motibus instantaneis : nam in motibus successivis aliud est instans in quo incipit actio, et aliud in quo terminatur : sicut si motus localis sequitur ad alterationem, non potest in eodem instanti terminari motus localis, et alteratio. Sed in mutationibus instantaneis, simul et in eodem instanti potest esse terminus primæ et secundæ mutationis; sicut in eodem instanti quo illuminatur aer a luna. Manifestum est autem quod creatio est instantanea, et similiter motus liberi arbitrii in Angelis, cum non indigeant collatione et discursu rationis : unde nihil prohibet simul et in eodem instanti esse terminum creationis, in quo fuit bonus, et iterum terminum liberi arbitrii, in quo fuit malus. Et hoc aliqui concedunt; sed dicunt hoc non fuisse, licet esse potuerit : et hoc propter auctoritatem Scripturæ : dicitur enim sub figura Regis Babylonis de diabolo, Isa XIV, 12 : *Quomodo cecidisti lucifer, qui mane oriebaris?* Ezech. XXVIII, 13, dicitur sub persona regis Tyri : *In deliciis paradisi Dei fuisti*. Et ideo dicunt quod non fuit in principio suæ creationis malus, sed quandoque bonus fuit, et per liberum arbitrium cecidit.

Sed dicendum est quod in primo instanti suæ creationis non potuit esse malus. Cujus ratio est, quia nullus actus habet rationem peccati, nisi inquantum est præter rationem naturæ agentis voluntarii. In quolibet autem ordine actuum prius est actus naturalis; sicut in [2] intelligendo, primo intelliguntur prima principia, et per ipsa intelliguntur alia; et in volendo similiter primo volumus ultimam perfectionem et ultimum finem, cujus appetitus naturaliter nobis inest, et propter ipsum appetimus alia. Quod autem secundum naturam fit, non est peccatum. Impossibile est ergo quod primus actus diaboli fuerit malus : fuit ergo diabolus in aliquo instanti bonus. Sed *in veritate non stetit;* idest, non permansit.

Ad illud autem quod dicitur I Joan. III, 8 : *Diabolus ab initio peccavit* : dicendum quod ab initio quidem peccavit; quia ex quo incepit peccare, nunquam desiit.

5. Consequenter cum dicit, *Quia non est veritas in eo*, manifestat quod dixit. Quæ quidem manifestatio intelligitur dupliciter. Uno quidem modo, secundum Origenem, ut sit manifestatio communis per specialem, sicut si vellem manifestare quod Socrates est animal per hoc quod est homo; quasi dicat : *In veritate non stetit*, sed cecidit; et hoc *quia veritas non est in eo*. Est autem duplex gradus non stantium in veritate. Aliqui enim in veritate non stant, quia non firmantur in ea, sed dubitant. Psal LXXII, 2 : *Mei autem pene moti sunt pedes*, *pene effusi sunt gressus mei*. Aliqui autem quia totaliter a veritate non stetit, sed ab ea recessit per aversionem.

Sed numquid nulla veritas est in eo? Et quidem si nulla veritas sit, neque semetipsum intelligeret, neque aliquid, cum intellectus non sit nisi verorum : quod est inconveniens. Dicendum est ergo, in dæmonibus esse aliquam veritatem, sicut aliquod verum. Nullum enim malum totaliter corrumpit bonum, cum ad minus, subjectum in quo malum est, sit bonum. Ideo Dionysius dicit quod in dæmonibus manent integra naturalia bona. Sic igitur

[1] Al. : « impossibile sit in principio instantis. » — [2] Al. deest : « in. »

aliqua veritas est in eis, sed non completiva, a qua aversi sunt, scilicet a Deo, qui est veritas et sapientia completiva.

Secundo vero modo manifestatio ista est per signum, ut Augustinus dicit : quia videtur quod potius debuisset contrarium dici : ideo scilicet *veritas non est in eo* quia *in veritate non stetit*. Sed sicut causa aliquando manifestatur per effectum, ita Dominus voluit ostendere quod in veritate non stetit per hoc quod *veritas non est in eo* : esset enim in eo, si in veritate stetisset. Similis modus loquendi habetur in Psal. XVI, 6 : *Ego clamavi quoniam exaudisti;* quasi, ex hoc apparet quod clamavit, quia fuit exauditus.

6. Consequenter cum dicit, *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur*, ostendit quod diabolus est contrarius veritati : et primo ponit intentum ; secundo manifestat propositum, ibi, *Quia mendax est, et pater ejus*. Veritati autem contrarium est falsum, et mendacium ; diabolus autem est veritati contrarius, quia loquitur mendacium : et ideo dicit : *Dum loquitur, mendacium loquitur*. Ubi sciendum est, quod quicumque præter Deum loquitur ex propriis, mendacium loquitur ; quamvis non quicumque mendacium loquitur [1], ex propriis loquatur. Solus autem Deus loquendo ex propriis, loquitur veritatem : veritas enim est illuminatio intellectus ; Deus autem est ipsum lumen, et ab ipso omnes illuminantur : supra I, 9 : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* : unde et est ipsa veritas ; et alii non loquuntur veritatem nisi inquantum ab ipso illuminantur. Unde, sicut Ambrosius dicit, « omne verum a quocumque dicatur, a Spiritu sancto est. » Sic ergo diabolus cum loquitur ex propriis, loquitur mendacium ; homo etiam, cum ex propriis loquitur, mendacium loquitur ; sed cum a Deo loquitur, tunc loquitur veritatem. Roman. III, 4 : *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax*, quantum est in se. Sed non omnis homo qui loquitur mendacium, loquitur ex propriis : quia quandoque hoc ab alio accipit : non quidem a Deo, qui est verax, sed ab eo qui in veritate non stetit, et primo mendacium adinvenit. Et ideo ipse singulariter, cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur. III Reg. ult. 22 : *Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus*. Isa. XXIX, 14 : *Dominus immiscuit* (idest miscere permisit) *in medio ejus spiritum erroris*.

7. Propositum autem manifestat cum dicit : *Quia mendax est, et pater ejus*. Quod quidem Manichæi male intelligentes, ponebant dæmonum generationes, putantes diabolum patrem habere. Unde dicebant quod diabolus *mendax est, et pater ejus*, idest diabolus. Quod quidem non sic est intelligendum. Nam Dominus dixit quod diabolus est mendax, et pater ejus, idest mendacii : non enim omnis qui mentitur, pater est sui mendacii. Nam, ut Augustinus dicit, « si ab alio mendacium accepisti, et dixisti ; tu quidem mentitus es, sed pater mendacii non es. » Diabolus vero, quia aliunde non [2] accepit mendacium, quo tamquam veneno hominem occideret, pater mendacii est, sicut Deus pater est veritatis. Diabolus enim primo mendacium invenit, cum scilicet mulieri mentitus est : *Nequaquam moriemini* : Genes. III, 4. Quod qualiter verum fuerit, rei eventus postmodum comprobavit.

Sciendum est autem quod hæc verba ab illo loco, *Vos ex patre diabolo estis*, in libro *De quæstionibus novi et veteris testamenti* exponuntur de Cain, hoc modo, secundum quod ille dicitur diabolus qui facit opera diaboli, et vos eum imitamini. Cain *homicida erat ab initio*, ex quo scilicet Abel fratrem suum occidit, et *in veritate non stetit, quia veritas non est in eo*. Et hoc apparet, quia cum Dominus quæreret ab eo (Gen. IV, 49) : *Ubi est Abel frater tuus*? respondit dicens : *Nescio Domine : numquid custos fratris mei sum ego*? Unde ipse *mendax est et pater ejus*, scilicet diabolus, qui est pater ejus impressione. Prima tamen expositio melior est.

LECTIO VII.

1. Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi. 2. Quis ex vobis arguet me de peccato ? 3. Si veritatem dico, quare non creditis mihi ? 4. Qui ex Deo est, verba Dei audit : propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. 5. Responderunt ergo Judæi, et dixerunt : Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes ? 6. Respondit Jesus : Ego dæmonium non habeo. 7. Sed honorifico Patrem

[1] Al. : « quamvis quicumque mendacium ex propriis loquitur. » — [2] Al. deest : « non. »

meum. 8. Et vos inhonorastis me. Ego autem non quæro gloriam meam. Est qui quærat, et judicet.

1. Postquam posuit diabolicam conditionem, hic consequenter ostendit Judæos esse diabolicæ conditionis imitatores. Duas autem malitiæ conditiones Dominus diabolo ascripsit : homicidium scilicet et mendacium. Sed de homicidio quidem, in quo isti diabolum imitabantur, reprehendit eos. Supra eodem : *Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo.* Et ideo hoc prætermisso, redarguit eos de aversione eorum a veritate : et primo ostendit eos esse aversos a veritate ; secundo causam quam allegare poterant, excludit, ibi, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* tertio veram causam aversionis concludit, ibi, *Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* Dicit ergo primo : Dictum est quod diabolus *mendax est, et pater ejus* : quem quidem vos imitamini, quia veritati non vultis adhærere. Unde dicit : *Ego autem si veritatem dico* vobis, *non creditis mihi.* Luc. XXII, 67 : *Si autem dixero, non credetis mihi.* Supra III, 12 : *Quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis?* Unde et Isa. LIII, 1, conqueritur dicens : *Domine, quis credidit auditui nostro?* Causa autem suæ infidelitatis, quam poterant Judæi allegare, est peccatum in Christo : nam peccatori etiam in veritate non de facili creditur. Unde Psal. XLIX, 16 : *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas? Poterant ergo dicere : Non credimus, quia peccator es.*

2. Et ideo hanc causam excludit, dicens : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* quasi dicat : Non habetis justam causam quare mihi veritatem [1] dicenti non creditis, cum in me nullum peccatum inveniri possit. I Pet. II, 22 : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est diabolus in ore ejus.* Secundum Gregorium, pensanda est Dei mansuetudo, qui non dedignatur ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute divinitatis poterat peccatores justificare. Job. XXXI, 13 : *Si contempsi subire judicium meum cum servo meo et ancilla mea, cum disceptarent adversum me.* Admiranda est etiam Christi singularis puritatis excellentia : quia ut Chrysostomus dicit, hoc nullus hominum fiducialiter potuit dicere : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* nisi solus Deus noster, qui peccatum non fecit. Prov. XX, 9 : *Quis potest dicere : Mundum est cor meum, purus sum a peccato?* quasi dicat, nullus nisi solus Deus. Et in Psal. XIII, 3 : *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, idest Christum.

3. Veram autem causam aversionis concludit, dicens : *Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* et primo ponit eam, secundo Judæorum contradictionem excludit, ibi, *Responderunt ergo Judæi*, etc. Circa primum tria facit. Primo ponit quæstionem ; secundo assumit rationabilem propositionem ; tertio infert intentam conclusionem. Dicit ergo primo : Ex quo ergo non potestis [2] dicere quod ideo non creditis mihi quia peccator sum, nunc restat quærere quare, *Si veritatem dico, non creditis mihi*, ex quo non sum peccator ; quasi dicat : Si me, quem exosum habetis, non potestis arguere de peccato, manifestum est quoniam propter veritatem me odio habetis, quoniam dico me Filium Dei. Prover. XVIII, 2 : *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixerit quæ versantur in corde ejus.*

4. Rationabilem autem propositionem et veram assumit, dicens : *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Ut enim dicitur Eccl. XIII, 19, *omne animal diligit sibi simile.* Quicumque ergo est ex Deo, inquantum hujusmodi, similitudinem [3] habet horum quæ sunt Dei, et eis inhæret. Unde *qui ex Deo est, verba Dei* libenter *audit.* Infra XVIII, 37 : *Omnis qui est ex veritate, audit meam vocem.* Præcipue autem verbum Dei libenter audiri debet ab his qui ex Deo sunt, cum ipsum sit semen per quod in filios Dei generamur. Infra X, 35 : *Illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est.* Et ideo ex hoc intentam conclusionem infert, dicens : *Propterea vos non auditis quia ex Deo non estis ;* quasi dicat : Non ergo peccatum meum est causa incredulitatis vestræ, sed malitia vestra. Eccl. VI, 21 : *Quam aspera est nimium indoctis hominibus sapientia !* Et, ut dicit Augustinus, ex Deo [4] quidem sunt secundum naturam, sed ex Deo non sunt vitio et prava affectione : nam eis hoc verbum dictum est qui non solum peccato vitiosi erant, hoc enim commune omnibus erat, sed etiam præcogniti quod non fuerant

[1] Al. : « non habes justam causam quare mihi veritatem dicentium. » — [2] Al. : « poteritis. » — [3] Al. : « ejus similitudinem. » — [4] Al. : « ut dicit Augustinus, cum dicit, ex Deo etc. »

credituri ea fide qua possent a peccatorum obligatione liberari.

Notandum est autem quod triplex est gradus male affectorum, ut dicit Gregorius. Nam quidam sunt qui præcepta Dei nec aure corporis, idest exteriori auditu, dignantur audire : de quibus dicitur in Psalm. LVII, 5 : *Sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas.* Quidam vero sunt qui hæc quidem corporis aure percipiunt, sed nullo ea mentis desiderio complectuntur, non habentes voluntatem implendi. Ezech. XXXIII, 31 : *Audiunt sermones, et non faciunt eos.* Quidam autem sunt qui libenter verba Dei suscipiunt, ita ut etiam in fletibus compungantur; sed post lacrymarum tempus, vel tribulationibus oppressi, aut allecti deliciis, ad iniquitatem redeunt; cujus exemplum habetur Matth. XIII, et Luc. VIII, de verbo a sollicitudinibus suffocato. Ezech. III, 7 : *Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me.* Est ergo signum quod homo sit a Deo, si libenter [1] audit verba Dei : sed qui recusant audire affectu vel effectu, ex Deo non sunt.

5. ***Responderunt ergo Judæi***, etc. Hic excludit Judaicam contradictionem : et primo ponit Evangelista Judæorum contradictionem : secundo Domini exclusionem, ibi, ***Respondit Jesus : Ego dæmonium non habeo.*** Duo autem imponunt Judæi Christo in eorum contradictione. Primo quidem quod sit Samaritanus, cum dicunt : *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es*? secundo vero quod dæmonium habeat : unde subdunt, *Et dæmonium habes.* In hoc autem quod dicunt, *Non bene dicimus nos*? datur intelligi quod hoc verbum frequenter Domino improperabant. Et quidem de secundo quod sit dæmoniacus, legimus Matth. IX, 24; et XII, 24 : cum dicebant : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmones.* Sed quod dixerunt eum Samaritanum, nusquam nisi hic in Evangelio invenitur, licet forte hoc multoties dixerunt : multa enim dicta et facta sunt erga Jesum et a Jesu quæ non sunt scripta in Evangeliis, ut dicitur infra XXI. Duplex autem causa assignari potest quare Judæi hoc Christo dicebant. Una quidem, quia Samaritani gens odiosa erat populo Israelitico, eo quod decem tribubus in captivitatem ductis, terram eorum possidebant. Supra IV, 9 : *Non enim coutuntur Judæi Samaritanis.* Quia ergo Christus Judæos arguens, credebatur a Judæis quod hoc ex odio faceret, ideo eum Samaritanum et quasi adversarium reputabant, etc. Alia ratio, quia Samaritani partim quidem servabant ritus Judaicos, partim vero non. Videntes ergo Judæi Christum in aliquo legem servantem, et in aliquo dissolventem, utpote sabbatum, vocabant eum Samaritanum. Similiter autem duplici de causa dicebant eum dæmonium habere. Una quidem, quia miracula quæ faciebat, et cogitationes eorum quas revelabat, non attribuebant virtuti divinæ in Christo; sed arte dæmonum ipsum ea facere suspicabantur : unde dicebant (Matth. XII, 24) : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmones.* Alia vero ratio est propter ejus sermones transcendentes capacitatem humanam, dicens, Deum Patrem suum esse, et descendisse de cœlo, etc. : consuetudo autem rudium est quod cum talia audiunt, diabolica reputant : et sic isti credebant quod Christus quasi dæmonio plenus loqueretur. Infra X, 20 : *Alii dicebant: Dæmonium habet, et insanit : quid eum auditis*? Dicunt autem hæc verba, ut arguant de peccato, contra illud quod dixerat : *Quis ex vobis arguet me de peccato*?

6. Consequenter cum dicit, ***Respondit Jesus*** : ***Ego dæmonium non habeo***, repellit Dominus Judæorum contradictionem. Duo autem imposuerant Christo : scilicet quod Samaritanus esset, et quod dæmonium haberet. Et de primo quidem Dominus non se excusat; et hoc duplici de causa. Una quidem, secundum Origenem, quia Judæi semper volebant se a Gentilibus separare. Jam autem venerat tempus quo removenda erat distinctio Gentilium et Judæorum, et omnes ad viam salutis revocandi : et ideo Dominus ut ostendat se venisse pro salute omnium, ut magis quam Paulus omnia factus, omnes nanciscatur, I Corinth. IX; ideo non negavit se esse Samaritanum. Alia ratio est, quia Samaritanus interpretatur custos : et quia ipse præcipue custos noster est, secundum illud Psal. CXXII, 4 : *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel;* ideo se Samaritanum esse non negavit. Negat autem se dæmonium habere, dicens: *Ego dæmonium non habeo.* Et primo quidem repellit illatam injuriam; secundo arguit injuriantium pertinaciam, ibi, ***Et vos inhonorastis me.*** Circa primum duo

[1] Al. : « qui scilicet. »

facit. Primo repellit illatam injuriam; secundo manifestat hoc per oppositum, ibi, *Sed honorifico Patrem meum*.

Notandum est autem circa primum quod Dominus Judæus corrigendo frequenter eis dure locutus est: (Matth. XXIII, 14): *Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ*: et multa quæ leguntur in Evangeliis. Sed non invenitur quod Dominus Judæis sibi dura verba vel facta inferentibus, injuriose vel dure locutus fuerit: sed, ut dicit Gregorius, injuriam suscipiens Deus, non contumeliosa verba respondet, sed simpliciter dicit: *Ego dæmonium non habeo*. Ex qua re quid nobis innuitur, nisi ut eo tempore quo a proximis ex falsitate contumelias accipimus, etiam eorum verba mala taceamus, ne ministerium justæ correctionis in arma vertatur furoris? Et quod quæ ad Deum pertinent, vindicare[1] debemus; quæ vero ad nos, despicere.

Hoc autem verbum, scilicet, *Ego dæmonium non habeo*, solus Christus[2] dicere potest, ut Origenes dicit: nam ille nihil quod dæmonis est, leve videlicet, aut grave, in se habet: unde infra XIV, 30: *Venit princeps hujus mundi, et in me non habet quicquam*. II Cor. VI, 15: *Quæ conventio Christi ad Belial?*

7. Manifestat autem hoc quod dixit, oppositum dicens: *Sed honorifico Patrem meum*. Diabolus enim honori Dei resistit: qui ergo quærit Dei honorem, alienus[3] est a diabolo. Christus ergo qui honorificat Patrem suum, scilicet Deum, dæmonium non habet. Est autem proprium Christo et singulare quod honorificet Patrem suum, ut dicitur Malach. I, 6: *Filius honorificat patrem*.

8. Consequenter cum dicit, *Et vos inhonorastis me*, arguit injuriantium pertinaciam: et primo arguit injuriantes; secundo excludit causam inopinatam arguitionis; tertio prædicit eis debitam damnationem. Dicit ergo primo: *Ego honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me*; quasi dicat: Ego facio quod debeo; vos facitis quod non[4] debetis; immo in hoc quod inhonoratis me, inhonoratis Patrem meum. Supra V, 23: *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum*. Sed quia possent dicere: Nimis durus es, nimis de gloria tua curas, sic nos arguens: ideo hoc excludens, subdit loquens inquantum est homo: *Ego gloriam meam non quæro*. Solus enim Deus est qui potest gloriam suam absque culpa quærere; alii autem non nisi in Deo. II Corinth. X, 17: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. Infra (hoc cap.): *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est*.

Sed numquid Christus inquantum homo non habet gloriam? Immo magnam per omnem modum: quia licet ipse eam non quærat, *est tamen qui quærat*, scilicet Pater: nam dicitur in Psal. VIII. 7: *Gloria et honore coronasti eum*, scilicet Christum hominem. Et alibi, XX, 6: *Gloriam et magnum decorem imposuisti super eum*. Et non solum gloriam meam quæret in operantibus vivas veritatis causas, sed et puniet et condemnabit contradicentes gloriæ meæ: unde subdit, *Et judicet*.

Sed contra. Supra V, 22, dicitur: *Pater non judicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio*. Respondeo: Pater non judicat quemquam seorsum a Filio: quia etiam hoc judicium quod faciet de eo quod injuriamini mihi, per Filium faciet. Vel dicendum, quod judicium quandoque pro condemnatione accipitur; et hoc judicium Pater dedit Filio, quia ipse solus apparebit in forma visibili in judicium, ut dictum est supra. Quandoque accipitur pro discretione; et de hoc loquitur hic. Unde dicit in Ps. XLII, 4: *Judica me, Deus, et discerne causam meam;* quasi dicat: Est Pater qui gloriam meam a vestra discernet: vos enim pro sæculo gloriari discernit: et gloriam Filii sui quem unxit præ participibus suis, et qui sine peccato est; vos vero homines cum peccato.

LECTIO VIII.

1. Amen amen dico vobis: si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. 2. Dixerunt ergo Judæi: Nunc cognovimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, et Prophetæ; et tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum. Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est? Et Prophetæ mortui sunt. Quem teipsum facis? 3. Respondit Jesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. 4. Est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est. 5. Et non cognovistis eum. 6. Ego autem novi eum. Et si dixero quia non

[1] Al.: « judicare. » [2] Al. omittitur: « Christus. » — [3] Al.: « alicujus. » — [4] Al. deest: « non. »

scio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, et sermonem ejus servo. 7. Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum : vidit, et gavisus est. 8. Dixerunt ergo Judæi ad eum : Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti ? 9. Dixit eis Jesus : Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. 10 Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum : Jesus autem abscondit se, et exivit de templo.

1. Supra (lect. II) Dominus duo promiserat eum sequentibus : scilicet liberationem a tenebris, et adeptionem vitæ, dicens ; *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Et de primo quidem dictum est supra ; nunc autem agitur de secundo, scilicet de adeptione vitæ per Christum. Et primo proponit veritatem ; secundo repellit Judæorum contradictionem, ibi *Dixerunt ergo Judæi* : *Nunc cognovimus* etc. Sciendum est autem quod quamvis Christus lacessitus esset injuriis et opprobriis, non tamen destitit a doctrina, sed postquam habere dæmonium dictus est, prædicationis suæ beneficia largius impendit, dicens : *Amen amen dico vobis* etc. In quo datur nobis exemplum, quod cum malorum perversitas crescit, et per opprobria hominum conculcantur qui convertuntur, non solum prædicatio frangi non debet, sed etiam augeri. Ezech. II, 6 : *Tu ergo, fili hominis, ne timeas eos, neque sermones eorum metuas.* II Tim. IX : *Laboro usque ad vincula quasi male operans ; sed verbum Dei non est alligatum.* Duo autem facit Dominus in his verbis. Unum quidem est quod requirit, aliud quod promittit. Requirit quidem sermonis sui observationem : unde dicit, *Si quis sermonem meum servaverit* : nam sermo Christi veritas est ; ideo debemus ipsum servare, primo quidem per fidem, et jugem meditationem. Prov. IV, 6 : *Serva eam, et servabit te* : secundo vero per operis impletionem : infra XIV, 21 : *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me.* Promittit autem mortis liberationem : unde dicit : *Mortem non videbit in æternum*, idest non experietur. Eccli. XXIV, 30 : *Qui operantur in me* (scilicet in divina sapientia) *non peccabunt ; et qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Et congrue tali merito debetur tale præmium. Nam vita æterna præcipue in divina visione consistit. Infra XVII, 3 : *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Hujus autem visionis quoddam seminarium et principium in nobis fit per verbum Christi. Luc. VIII, 11 : *Semen est verbum Dei.* Sicut ergo ille qui servat semen alicujus plantæ vel arboris ne corrumpatur, pervenit ad perceptionem [1] fructus, ita qui servat verbum Dei, pervenit ad vitam æternam. Levitic. XVIII, 5: *Quæ fecerit homo, vivet in eis.*

2. Consequenter cum dicit, *Dixerunt ergo Judæi* etc., ponitur contradictionis Judæorum confutatio. Contradicunt autem Christo tripliciter. Primo quidem falsitatis arguendo ; secundo irridendo, ibi, *Dixerunt ergo Judæi ad eum* : *Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?* tertio persequendo ibi, *Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum.* Circa primum duo faciunt. Primo conantur eum redarguere præsumptionis ; secundo ad quædam eorum quæ dicta sunt Christus respondet, ibi, *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.* Circa primum tria faciunt. Primo irrogant improperium ; secundo proponunt factum, ibi, *Abraham mortuus est* etc. ; tertio interrogant, ibi, *Numquid tu major es patre nostro Abraham?* Irrogaverunt autem improperium mendacii, cum dicunt : *Nunc cognovimus quia dæmonium habes :* et hoc ideo dixerunt, quia notum est apud Judæos quod [2] adinventor peccatorum est diabolus, et præcipue mendacii, secundum illud Reg. ult. 22, *Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus.* Quia autem videbatur eis hoc quod Dominus dixit, scilicet *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum*, apertum mendacium esse : nam ipsi tamquam carnales intelligebant de morte corporali, quod de spirituali et æterna morte dixerat ; et præcipue quia contrariatur auctoritati sacræ Scripturæ, Psal. LXXXVIII, 49 : *Quis est homo qui vivit, et non videbit mortem eruet animam suam de manu inferi?* ideo dicunt ei : *Dæmonium habes*, quasi dicant : Ex instinctu dæmonis mendacium loqueris. Et ut convincant eum de mendacio, duo faciunt. Primo quidem proponunt mortem antiquorum, secundo vero repetunt verba Christi, ibi, *Et tu dicis* etc. Dicunt ergo : Vere falsum est quod loqueris : *Si quis sermonem tuum* etc. : nam *Abraham*, homo, *mortuus est*, ut pater Genes. XXV. Similiter *et Prophetæ* mortui sunt. II Reg. XIV, 14 : *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Et quidem licet mortui sint corpo-

[1] Al. : « perfectionem. » — [2] Al. : « quam. »

raliter, non tamen mortui sunt spiritualiter. Matth. xxii, 32, dicit Dominus : *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob.* Postea sequitur : *Non est Deus mortuorum, sed vivorum.* Mortui ergo sunt corpore, sed vivunt spiritu, quia sermonem Dei servarerunt, et vixerunt ex fide. Et de ea morte Dominus intelligebat, non de corporali. Verbum autem Christi repetunt cum subdunt : *Et tu dicis : Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum.* Velut incauti et maligni auditores, dominicum sermonem confundentes, non repetunt eadem verba : nam Dominus dixit, *Mortem non videbit*; ipsi vero protulerunt, *Mortem non gustabit.* Sed quantum ad eorum intentionem idem est : quia per utrumque ipsi intelligunt, quod mortem, scilicet corporalem, non experietur in æternum. Sed quantum ad verum intellectum differt, ut Origenes dicit, inter mortem gustare et videre : nam videre mortem est eam perfecte experiri ; gustare autem est aliquem mortis gustum seu participationem habere. Sicut autem est plus ad pœnam videre mortem quam gustare, ita plus est ad gloriam non gustare mortem quam non videre. Illi enim non gustant qui in alto sunt cum Christo, scilicet in intellectuali loco statum observant : de quibus dicitur Matth. xvi, 28 : *Sunt de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.* Aliqui tamen sunt qui si non videant mortem [1] mortaliter peccando, tamen aliquid gustant per aliquam levem terrenorum affectionem : et ideo Dominus, ut habetur in græco, et Origenes etiam exponit, dixit, *Mortem non videbit in æternum* : quia qui [2] sermonem Christi acceperit et custodierit, etsi gustet aliquid, non tamen videbit mortem. Interrogant autem cum dicunt : *Numquid tu major es patre nostro Abraham qui mortuus est?* Et primo quidem quærunt de comparatione ipsius ad antiquos patres : *Numquid*, inquiunt, *tu major es patre nostro Abraham* ? Poterant, ut Chrysostomus dicit, secundum carnalem eorum intellectum, altius quærere : Numquid scilicet tu major es Deo? nam Abraham et Prophetæ mandata Dei servaverunt, et tamen corporaliter mortui sunt. Sic ergo si qui sermonem tuum servaverit, non morietur, videtur quod sis major Deo. Sed contenti sunt hac redargutione, quia putabant eum minorem quam Abraham ; cum tamen sit scriptum in Psalm. lxxxv, 8 : *Non est similis tui in diis, Domine.* Et Exod. xv, 11 : *Quis similis tui in fortibus, Domine?* quasi dicat, nullus. Secundo quærunt de sua æstimatione, quem scilicet seipsum facit ; quasi dicant : Si tu es major istis, scilicet Abraham et Prophetis, videtur per hoc intelligi quod sis altioris naturæ, puta Angelus, vel Deus. Sed hoc non æstimamus de te : et ideo non dicunt, Tu quis es? sed *Quem te ipsum facis?* quia quicquid dicitur supra istis, nos recognoscentes [3] de te, reputabimus, quod tu illud fingas. Similiter dicebant infra x, 33 : *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia : quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.*

3. Consequenter cum dicit, *Respondit Jesus* etc., ponitur responsio Domini. Et primo respondet secundæ quæstioni [4] ; secundo vero primæ, ibi, *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum.* Circa primum tria facit Dominus. Primo excludit falsitatem quam intendebant ; secundo docet veritatem, quam ignorabant, ibi, *Est Pater meus qui glorificat me* ; tertio manifestat utrumque quod proponebant, ibi, *Et non cognovistis eum.* Dicit ergo : Quæritis me dicentes : *Quem teipsum facis?* ac si gloriam quam non habeo, mihi usurpem. Sed supervacua fuit hæc prolatio : quoniam non me facio id quod sum, sed ex Patre recepi : nam *si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est* : quod secundum hunc modum posset intelligi de Christo secundum quod est Filius Dei, ut [5] dicatur cum præcisione : *Si ego*, scilicet solus, *glorifico meipsum*, idest attribuam mihi gloriam, quam Pater mihi non attribuat, *gloria mea nihil est* : nam gloria Christi secundum quod est Deus, est gloria Verbi et Filii Dei ; Filius autem nihil habet nisi natus, idest quod nascendo ab aliquo recepit : si ergo detur per impossibile quod gloria sua non esset ab alio, non esset gloria Filii. Melius tamen videtur quod dicatur de Christo secundum quod homo : nam quicumque attribuit sibi gloriam quam non habet a Deo, gloria illa est falsa : nam quicquid veritatis est, a Deo est ; quod autem est veritati contrarium, falsum

[1] Al. deest : « mortem. » — [2] Al. : « si. » — Al. : « recognoscemus. » — [4] Al. : « positioni. » — [5] Al. : « unde. »

est, et per consequens, nihil. Gloria ergo quæ a Deo non est, nihil est. Hebr. v, 5, dicitur de Christo, quod *non seipsum clarificavit ut Pontifex fieret.* II Corinth. x, 18 : *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Sic ergo patet Judæorum falsitas.

4. Veritatem autem, quam intendit docere, ponit dicens : *Est Pater meus qui glorificat me*; quasi dicat : Non ego meipsum glorifico, sicut vos fingitis ; sed alius est qui me glorificat, scilicet *Pater meus* : quem quidem describit ex proprietate, et ex natura. Ex proprietate quidem paternitatis : unde dicit : *Est pater meus*, et non ego.

Ex quo quidem verbo, ut Augustinus dicit, calumniantur Ariani fidei nostræ, dicentes majorem esse Patrem Filio : nam major est qui glorificat, eo qui glorificatur ab ipso. Si ergo Pater glorificat Filium, Pater major est Filio. Sed dicendum, quod apparentiam quidem haberet argumentum, nisi inveniretur e converso quod Filius glorificet Patrem : dicit enim Filius infra xvii, 1 : *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Et in eodem, vers. 4 : *Ego te clarificavi super terram.* In græco autem idem est glorifica et clarifica ; et [1] secundum Ambrosium, « gloria est clara cum laude notitia. » Hoc autem quod dicit, *Est Pater meus qui glorificat me*, potest referri ad Christum et secundum quod est Filius Dei, et secundum quod est Filius hominis. Secundum quidem quod est Filius Dei. Pater glorificat eum gloria divinitatis, ab æterno eum sibi æqualem generando. Hebr. i, 3 : *Qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus..... sedet ad dexteram majestatis in excelsis.* Phil. ii, 11 : *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Secundum vero quod homo, habuit gloriam per redundantiam divinitatis in ipsum, et gratiæ et gloriæ singularis. Supra i, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam [2] quasi Unigeniti a Patre plenum gratiæ et veritatis.*

Ex natura vero divinitatis describit eum, cum dicit : *Quem vos dicitis quia Deus vester est.* Ne autem alium Patrem putes quam Deum, dicit se glorificari a Deo. Infra xiii, 31 : *Nunc clarificatus est Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetispo.*

Sed, secundum Augustinum, hoc verbum est contra Manichæos, qui dicunt, annuntiatum non esse in veteri testamento Patrem Christi, sed esse aliquem ex principibus malorum Angelorum. Constat autem quod Judæi non dicunt alium Deum suum esse quam Deum veteris testamenti. Ergo [3] Deus veteris testamenti est Pater Christi glorificans eum.

5. Manifestat autem utrumque, scilicet Judæorum falsitatem, et suam veritatem, cum dicit : *Et non cognovistis eum.* Manifestat autem dupliciter. Primo quidem ostendendo Judæorum ignorantiam ; secundo suam notitiam, ibi, *Ego autem cognovi eum.* Circa primum sciendum, quod possent Judæi dicere : Tu dicis quod glorificaris a Deo ; sed nobis nota sunt judicia ejus, secundum illud Psal. cxlvii. 20 : *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.* Ergo si verum est quod dicis, nos utique sciremus hoc : cum ergo nos lateat, constat quod non est verum. Et ideo concludens dicit : *Et non cognovistis eum ;* quasi dicat : Non mirum est si non cognoscitis gloriam qua me glorificat Pater meus, quem dicitis Deum vestrum, quia nec ipsum Deum cognoscitis.

Sed contra. Psal. lxxv : *Notus in Judæa Deus.* Respondeo : Ut Deus, sed non ut Pater, notus est ab eis : unde supra dixit : *Est Pater meus qui glorificat me.* Vel dicendum, quod non cognovistis eum affectu : quia carnaliter colitis qui spiritualiter colendus est. Supra iv, 24 : *Spiritus est Deus, eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Item affectu, quia mandata ejus adimplere contempsistis. Ad Tit. i, 16 : *Confitentur se nosse Deum ; factis autem negant.*

6. Sed quia possent dicere : Esto quod nos non [4] cognoscamus gloriam tuam, quomodo cognoscis tu gloriam te a Deo Patre habere? ideo [5] subjungit notitiam suam, dicens : *Ego autem novi eum* : et primo ponit suam notitiam ; secundo ostendit necessitatem hujus notitiæ proferendæ, ibi, *Et si dixero quod non scio eum, ero similis vobis mendax ;* tertio exponit quod dicit, ibi, *Sed scio eum.* Dicit ergo : Ideo scio me habere gloriam a Deo Patre, quia *ego novi eum*, ea scilicet no-

[1] Al. : « sed. » — [2] Al. omittitur hic : « gloriam. » — [3] Al. deest : « ergo. » — [4] Al. deest : « non. » — [5] Al. : « et ideo. »

titia qua ipse novit seipsum, et nullus alius nisi Filius [1]. Matth. II, 27 : *Nemo novit Filium nisi Pater, nec Patrem quis novit nisi Filius*, scilicet cognitione perfecta comprehensionis. Et quia omne imperfectum a perfecto initium sumit, inde est quod omnis nostra cognitio a Verbo derivatur : unde sequitur (ibid.) : *Et cui voluerit Filius revelare*. Sed quia secundum carnem judicantibus posset Christo ad arrogantiam ascribi dicenti se nosse Deum, ideo subdit necessitatem dicti sui, cum subjungit : *Et si dixero quia non scio eum; ero similis vobis mendax*. Nam, secundum Augustinum, non est sic arrogantia vitanda ut relinquatur veritas, et incurratur mendacium. Ideo dicit : *Si dixero;* quasi diceret : Sicut vos dicentes scire eum, mentimini; ita ego *si dixero* me nescire, cum sciam eum, *ero similis vobis mendax*. Unde hæc similitudo sequitur a contrario, ut sit similitudo in mendacio ; quia sicut isti mentiuntur dicentes se scire eum quem nesciunt; ita Christus esset mendax, si diceret se nescire quem novit. Sed dissimilitudo est in cognitione : quia isti non cognoscunt, Christus vero scit eum.

Sed numquid potuisset Christus hoc dicere? Potuisset quidem verba proferre materialiter, sed non intendere exprimere falsitatem : quia hoc non potuisset fieri nisi per inclinationem voluntatis Christi ad falsum, quod erat impossibile, sicut impossibile erat eum peccare : nihilominus tamen conditionalis est vera, licet antecedens et consequens sit impossibile.

Quod autem Patrem cognoscat, manifestat subdens : *Sed scio eum* : et cognitione speculativa, cum dicit : *Scio*, intellectualiter per dictam cognitionem, *eum*, scilicet Patrem : item cognitione affectiva [2], scilicet per consensum voluntatis ad ipsum : unde dicit : *Et sermonem ejus servo*. Supra VI, 38 : *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*.

7. Consequenter cum dicit, *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum*, respondet primæ quæstioni quam fecerunt ei Judæi, dicentes : *Numquid tu major es patre nostro Abraham*? ostendens se majorem, tali ratione. Quicumque enim expectat bonum ab aliquo, et perfectionem suam, est minor eo a quo expectat : sed Abraham totam spem suæ perfectionis et sui boni habuit in me : ergo est me minor. Et quantum ad hoc dicit, *Abraham pater vester*, de quo scilicet gloriamini, *exultavit ut videret diem meum*. Ubi ponit duplicem visionem et duplex gaudium, sed alio [3] et alio ordine. Nam primo præmittit gaudium exultationis, dicens, *Exultavit*; et subdit visionem, dicens : *Ut videret*. Deinde præmittit visionem, dicens : *Vidit;* et subdit gaudium, dicens, *Et gavisus est*. Et sic gaudium consistit inter duas visiones, procedens ab una, et tendens in aliam : quasi dicat, *Vidit, et gavisus est ut videret diem meum*. Primo ergo videndum quid sit iste dies quem vidit, et exultavit ut videret. Est autem duplex dies Christi : scilicet æternitatis, de quo in Psal. II, 7 : *Ego hodie genui te*. Item dies incarnationis et humanitatis : de quo infra IX, 4 : *Me oportet operari..... donec dies est*. Rom. XIII, 12 : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit*. Utroque ergo modo dicimus, quod Abraham vidit primo diem Christi, scilicet æternitatis, et incarnationis per fidem. Genes. XV, 6 : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam*. Et quod vidit diem æternitatis, manifestum est : alias enim non fuisset justificatus a Deo : quia, ut dicitur Heb. II, 6, *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et inquirentibus se remunerator sit*. Quod autem viderit diem incarnationis, manifestatur ex tribus : scilicet ex juramento quod exegit a servo : nam Genes. XXIV, 2, ait servo suo quem mittebat : *Pone manum subter femore meo, et jura mihi per Deum cœli*. Ex quo, ut dicit Augustinus, signabatur [4], quod de femore ejus processurus esset Deus cœli. Secundo, ut Gregorius dicit, cum in figura summæ Trinitatis [5] tres Angelos hospitio suscepit. Tertio quando cognovit præfiguratam passionem Christi in [6] oblatione arietis et Isaac. Genes. XXII. Sic ergo ex hac visione gavisus est ; sed non quievit in ea, immo ex hac exultavit in aliam visionem, scilicet apertam et per speciem, quasi totum gaudium suum in ea ponens : unde dicit; *Exultavit ut videret*, aperta visione, *diem meum*, scilicet divinitatis et humanitatis meæ. Luc. X, 24 : *Multi reges et Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt*.

8. Consequenter cum dicit, *Dixerunt*

[1] Al. : « et nullus alius Filius. » — [2] Al. : « effectiva. » — [3] Al. : « ab alio. » — [4] Al. : « signabat. » — [5] Al. : « æternitatis. » — [6] Al. deest : « in. »

ergo Judæi ad eum etc., ostendit quomodo Judæi irrident verba Christi. Et primo ponitur irrisio verborum Christi a Judæis ad confutandum; secundo subditur manifestatio ipsorum verborum a Christo, ad irrisionem vitandam, ibi, *Dixit ergo Jesus* : *Amen amen dico vobis* etc. Quia ergo Christus dixerat quod Abraham exultavit ut videret diem suum, Judæi carnalem mentem habentes, et in eo solum carnis ætatem pensantes, irrident dictum, et dicunt : *Quinquaginta annos nondum habes.* Vere quinquaginta annos non habebat, nec etiam quadraginta, sed circa tricesimum annum [1] erat. Luc. III, 23 : *Erat Jesus incipiens quasi annorum triginta.* Quod autem dicunt, *Quinquaginta annos nondum habes*, ideo forte est, quia apud Judæos annus Jubilæus in maxima reverentia habebatur, quasi per eum omnia computantes, in quo et captivos manumittebant, et emptitiis cedebant possessionibus; quasi dicant : Tu nondum excessisti spatium unius Jubilæi, *et Abraham vidisti*? Quamvis Dominus non dixerit quod viderit Abraham, sed quod Abraham diem ejus vidit [2].

9. Et ideo Dominus ut irrisionem vitet, respondens Judæis, verba sua exponit, dicens : *Amen amen dico vobis*, *antequam Abraham fieret*, *ego sum :* in quibus verbis Dominus duo [3] de se notabilia et efficacia contra Arianos dicit. Unum est, quia, ut dicit Gregorius, conjungit simul verbum præsentis temporis et præteriti : *Ante* enim significat præteritum; *sum* temporis præsentis est. Ut ergo ostenderet se esse æternum, et esse suum esse æternitatis insinuet, non ait, Ante Abraham ergo fui; sed, Ante Abraham ego sum : nam esse æternum non [4] novit tempus præteritum et futurum, sed in uno indivisibili includit omne tempus. Unde dici potest illud Exod. III, 14 : *Qui est misit me ad vos :* et *Ego sum qui sum.* Ante ergo vel post Abraham habuit esse, qui et accedere potuit per exhibitionem præsentis, et recedere per cursum vitæ. Aliud est, secundum Augustinum, quia cum loqueretur de Abraham, qui creatura est, non dixit, Antequam Abraham esset, sed *Antequam fieret.* Sed loquens de se, ut ostendat quod non est factus ut creatura, sed ab æterno de essentia Patris genitus, non dicit, Ego fio, sed *Ego sum*, qui *in principio erat Verbum* : supra I; Prov. VIII, 25 : *Ante omnes colles generavit me Dominus.*

10. Consequenter cum dicit, *Tulerunt ergo lapides ut jacerent in eum*, ponitur intentio Judæorum contra Christum : et primo ponitur Judæorum persecutio; secundo Christi evasio. Sed persecutio Judæorum procedit ex infidelitate : nam mentes infidelium æternitatis verba sustinere non valentes, nec intelligere ea, reputabant blasphemiam; et ideo secundum legis mandatum, eum tamquam blasphemum lapidare volentes, *tulerunt lapides*, *ut jacerent in eum* etc. Et, ut dicit Augustinus, tanta duritia lapidum quo curreret nisi ad lapides? infra X, 33 : *De bono opere non lapidamus te.* Simile faciunt qui ex duritia cordis non intelligentes veritatem aperte prolatam, blasphemant proferentem : unde dicitur in Canonica Judæ vers. 10 : *Quæcumque non noverunt*, *blasphemant.* Evasio autem Christi est ex ejus potestate : unde sequitur : *Jesus autem abscondit se :* qui scilicet si divinitatis suæ potentiam exercere voluisset in suis actibus, eos ligaret, aut in pœnas subitæ mortis obrueret. *Abscondit autem se*, specialiter propter duo. Primo ut daret fidelibus suis exemplum declinandi persecutores suos. Matth. X, 23 : *Si vos persecuti fuerint in una civitate*, *fugite in aliam.* Secundo, quia non elegerat hoc genus mortis, sed potius in ara crucis voluit immolari; et quia nondum impletum erat tempus, adhuc fugit. Sic ergo tamquam homo a lapidibus fugit. Non autem abscondit se sub lapide vel in angulo, sed potestate suæ divinitatis, invisibilem se eis exhibens, exivit, et recessit de templo. Simile fecit Luc. IV, quando voluerunt eum præcipitare de supercilio montis. Per quod, ut Gregorius dicit, datur intelligi quod illis ipsa veritas abconditur qui ejus verba sequi contemnunt. Eam quippe quam non invenit humilem veritas fugit mentem. Isa. VIII, 17 : *Qui abscondit faciem suam a domo Jacob.* Et similiter etiam quia debebat eos [5], correctionem et veritatem non suscipientes, relinquere, et ire ad gentes. Matth. XXIII, 38 : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.*

[1] Al. omittitur : « annum. » — [2] Al. : « quod viderit Abraham, diem ejus vidit. » — [3] Al. deest : « duo. » — [4] Al. deest : « non. » — [5] Al. : « quam licebat eos. »

CAPUT NONUM.

LECTIO I.

1. Et præteriens Jesus, vidit hominem cæcum a nativitate. 2. Et interrogaverunt eum discipuli ejus : Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? 3. Respondit Jesus : Neque hic peccavit, neque parentes ejus ; sed ut manifestentur opera Dei in illo 4. Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est. 5. Venit nox, quando nemo potest operari. 6. Quamdiu sum in mundo lux sum mundi. 7. Hoc cum dixisset, expuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos ejus, et dixit ei : Vade, lava in natatoria Siloe, quod interpretatur Missus. Abiit ergo, et lavit ; et venit videns.

1. Postquam Dominus doctrinæ suæ illuminativam virtutem ostendit verbo, hic consequenter confirmat eam facto, cæcum corporaliter illuminando. Et circa hanc illuminationem tria ponuntur. Primo infirmitas ; secundo infirmitatis sanatio, ibi, *Hoc cum dixisset, expuit in terram* etc. ; tertio de sanatione, Judæorum disceptatio, ibi, *Itaque vicini* etc. Circa primum duo facit. Primo ponitur infirmitas ; secundo inquiritur causa ejus, ibi, *Interrogaverunt eum discipuli.* Sciendum est circa primum, quod Jesus abscondens se, et de templo recedens, dum præteriret, vidit hunc cæcum. Et hoc est quod dicit : *Et præteriens Jesus, vidit hominem cæcum a nativitate.* Ubi tria considerantur. Primo quidem præterivit, ut declinaret Judæorum fruorem. Eccl. VIII, 13 : *Ne accendas carbones peccatorum, arguens eos, et ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum.* Secundo ut emolliret Judæorum duritiam, ex miraculo facto et fiendo. Infra XV, 24 : *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Tertio ut per operationem signi, verba sua firmaret ; nam facta Domini, eorum quæ dicta sunt a se, faciunt fidem. Mar. ult. 20 : *Sermonem confirmante, sequentis signis.*

Mystice autem secundum Augustinum genus humanum est iste cæcus. Nam spiritualis [1] cæcitas peccatum est, Sapient. II, 21 : *Excæcavit eos malitia eorum.* Qui a nativitate cæcus est, quia ex sua origine trahit peccatum. Hæc enim cæcitas contigit per peccatum in homine primo, de quo omnes originem traduximus. Ephes. II, 3 : *Eratis natura* (idest naturali origine) *filii iræ.*

2. Consequenter cum dicit, *Et interrogaverunt eum discipuli ejus*, agitur de causa ipsius infirmitatis : et primo inquiritur causa ipsius a discipulis ; secundo manifestatur a Christo, ibi, *Neque hic peccavit.*

Circa primum tria quærenda occurrunt. Primum est causa inquisitionis discipulorum a Christo, quæ est, ut Chrysostomus dicit, quia Jesus egrediens de templo, et videns hunc cæcum, valde studiose respexit, quasi videns in eo materiam [2] operandæ virtutis ; ita ut discipuli hoc videntes, scilicet eum studiose videntem, moti fuerunt ad interrogandum. Secundo discipulorum diligentia, quia dicunt, *Rabbi*, vocantes eum magistrum, ut innuant se sic quærere, quasi dicere desiderantes. Tertio quare quærentes causam peccati, dixerunt, *Quis peccavit?*

Dicendum, secundum Chrysostomum quod quia Dominus supra [3] V, 14, scilicet quando paralyticum sanavit, dixerat ei, *Ecce jam sanus factus es : vade, et amplius noli peccare* : cogitaverunt discipuli quod propter peccatum ei illa infirmitas accidisset, æstimantes ulterius quod omnis humana infirmitas proveniret ex peccato, secundum quod Eliphaz dicit, Job IV, 7 : *Quis unquam innocens periit?* Et ideo quærebant utrum ex peccato suo vel parentum cæcus natus fuisset. Sed quod ex peccato suo esset, non videtur : quia nullus peccat antequam nascatur ; cum animæ ante corpora non fuerint, nec peccaverint, ut quidam falso opinati sunt : secundum illud Rom. IX, 11 : *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali.... ; non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori.* Quod autem hoc ex peccato parentum passus fuerit, non videtur :

[1] Al. : « spiritualiter. » — [2] Al. : « misericordiam. » — [3] Al. : « hoc dicunt quia supra etc. »

quia Deut. xxiv, 16, dicitur : *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro parentibus.*

Sed sciendum quod est duplex pœna qua homines puniuntur. Una est spiritualis quantum ad animam; alia est corporalis quantum ad corpus. Et pœna quidem spirituali nunquam filius pro patre punitur. Cujus ratio assignatur Ezech. xviii, 4 : quia anima filii non est ex patre, sed a Deo. *Omnes* (inquit) *animæ meæ sunt* (scilicet per creationem) : *sicut anima patris, ita anima filii mea est* : *anima quæ peccaverit, ipsa punietur.* Hoc etiam dicit Augustinus in quadam epistola. Sed pœna corporali filius pro patre punitur, cum quantum ad corpus sit quædam res patris. Et expresse hoc habetur Genes. xix, ubi filii Sodomorum occisi sunt pro peccato parentum in subversione Sodomæ. Multoties etiam Dominus comminatur Judæis occisionem puerorum propter peccata parentum.

Quare autem pro unius peccato alius puniatur, sciendum quod pœna duo habet, læsionem, et remedium; nam aliquando abscinditur membrum ut totum corpus conservetur : et sic pœna hujus, læsionem infert inquantum abscinditur, sed remedium habet inquantum conservat corpus. Nunquam tamen medicus nobilius membrum abscindit propter conservationem minus nobilis, sed e converso. In rebus autem humanis, anima nobilior est corpore, et corpus nobilius exterioribus rebus; et ideo nunquam fit ut aliquis propter corpus in anima puniatur, sed potius in corpore propter remedium animæ. Quandoque ergo Deus irrogat pœnas corporibus, vel rebus exterioribus, propter remedium bonum animæ : et tunc hujusmodi pœnæ non inferuntur ut læsivæ tantum, sed ut purgativæ in remedium. Unde et ipsa puerorum Sodomitarum occisio fuit ad bonum animarum : non quidem ad meritum, sed ne paternæ malitiæ imitatores, vivendo peccata cumulantes, atrocius punirentur. Sic etiam pro peccatis [1] parentum pluries aliqui puniuntur.

3. Consequenter cum dicit, *Respondit Jesus* etc., manifestat Dominus causam infirmitatis : et primo excludit causam opinatam ; secundo subdit veram ; et tertio manifestat ipsam. Causam quidem opinatam excludit, cum respondit dicens : *Neque his peccavit, neque parentes ejus.* Hanc enim esse [2] causam infirmitatis, opinati sunt discipuli, ut dictum est.

Sed contra. Rom. iii, 23 : *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei.* Et ib. v, dicitur quod peccatum ab Adam in omnes pertransiit. Respondeo dicendum quod tam cæcus quam parentes ejus originali peccato tenebantur, et etiam alia actualia vivendo superaddiderant : quia *si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* : I Joan. i, 8 : Quod autem Dominus dicit : *Neque hic peccavit,* intelligendum est eos non peccasse, ad hoc quod cæcus nasceretur ; quasi diceret quod ejus cæcitas non est consecuta ex eorum peccato.

Causam autem veram subdit dicens : *Sed ut manifestentur opera Dei in illo* : nam per opera Dei in ejus cognitionem ducimur. Rom. i, 20 : *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Supra v, *Opera quæ dedit mihi Pater, hæc sunt quæ testimonium perhibent de me.* Cognitio autem Dei est summum bonum hominis, cum in ea consistat hominis beatitudo. Infra xvii, 3 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Et Hier. ix, 24 : *In hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me.* Si ergo infirmitas contingit ut manifestentur opera Dei, et per ipsorum manifestationem Deus innotescit ; manifestum est quod hujusmodi corporales infirmitates contingunt propter bonum.

Posset autem alicui videri quod manifestatio operum Dei non sit sufficiens causa infirmitatis hujusmodi : præsertim cum neque hic, neque parentes ejus peccaverunt : et ideo volunt dicere quod ly *ut* tenetur non causaliter, sed consequenter ; quasi dicat : Eo existente cæco, opera Dei manifestantur ipsum curantis. Sed hoc non videtur sane dictum ; et ideo melius dicendum quod tenetur causaliter. Est enim duplex malum : scilicet culpæ, et pœnæ. Sed malum quidem culpæ Deus non facit, sed permittit fieri ; quod non permitteret nisi intenderet inde bonum aliquod. Unde dicit Augustinus *in Ench.* : « Deus adeo bonus est quod nunquam permitteret aliquod malum fieri, nisi esset adeo potens quod de quolibet malo eliciat bonum. » Sic ergo permittit aliqua pec-

[1] Al. : « vivendo peccata cumulassent, pro quibus aerius punirentur, sicut et pro peccatis etc. »

[2] Al. deest : « esse. »

cata fieri ex intentione boni quod intendit : sicut permisit sævire tyrannos, ut coronaret Martyres. Multo ergo magis debet dici quod malum pœnæ quod ipse facit, ut dicitur Amos III, 6 : *Non est malum quod Dominus non fecerit*, nunquam inducit nisi ex intentione boni. Et inter alia bona optimum est quod opera Dei manifestentur, et ex eis innotescat Deus. Non est ergo inconveniens si aliqua flagella immittit, vel peccata aliqua fieri permittit, ut bonum inde proveniat.

Et sciendum, quod, ut Gregorius dicit I *Moral.*, quinque modis Deus hominibus immittit flagella. Quandoque quidem ad initium damnationis, secundum illud Hier. VII, 18 : *Duplici contritione contere eos.* Et hoc flagello percutitur peccator in hac vita sic ut sine retractatione [1], et fine puniatur in alia ; sicut Herodes qui occidit Jacobum, punitus est in hac vita, et inferno similiter : Act. XII. Quandoque autem ad correctionem : et de hac dicitur in Psal. XVII, 46 : *Disciplina tua ipsa me docebit.* Quandoque autem flagellatur aliquis non propter præteritorum correctionem, sed ad futurorum præservationem : sicut de Paulo legitur II Cor. XII, 7 : *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet.* Quandoque autem ad promotionem virtutis : ut scilicet cum in aliquo nec præterita culpa corrigitur, nec futura prohibetur, dum inopinata salus persecutionem sequitur, salvantis virtute cognita, ardentius amatur. II Cor. XII, 9 : *Virtus in infirmitate perficitur.* Jacob. I, 4 : *Patientia opus perfectum habet.* Quandoque vero ad manifestationem divinæ gloriæ : unde et hic dicitur : *Ut manifestentur opera Dei in illo.*

4. Consequenter cum dicit, *Me oportet operari* etc., manifestat causam veram quam posuit : et quia mentionem fecerat de operibus Dei, ideo primo ponit opportunitatem opera Dei manifestandi ; secundo assignat opportunitatis, seu necessitatis rationem, ibi, *Venit nos* ; tertio eam exponit, ibi, *Quamdiu in mundo sum.* Dicit ergo : Ideo scilicet cæcus natus est, *ut manifestentur opera Dei in illo*, quæ quidem manifestari oportebat : nam *me oportet operari opera ejus qui misit me* : quod quidem potest referri ad Christum secundum quod homo ; et sic est sensus : *Me oportet operari opera ejus qui misit me*; idest [2], opera commissa mihi a Patre. Supra VI, 36 : *Opera quæ dedit mihi Pater ut faciam.* Infra VII, 4, dicit : *Pater, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.* Vel ad Christum, secundum quod Deus ; et sic dicit æqualitatem suæ potentiæ ad Patrem, ut sit sensus : *Me oportet operari opera ejus qui misit me* ; idest, opera quæ habeo a Patre. Omnia enim quæ Filius facit, etiam secundum divinam naturam, a Patre habet. Supra V, 19 : *Non potest Filius a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Oportet*, inquam, *donec dies est.* Dies quidem materialis ex præsentia solis super terram causatur. Sol autem justitiæ est Christus Deus noster. Malach. IV, 2 : *Vobis timentibus nomen meum, orietur sol justitiæ.* Quamdiu ergo sol iste nobis præsens est, opera Dei fieri possunt in nobis, erga nos, et a nobis. Præsens autem fuit nobis aliquando quidem corporali præsentia ; et tunc dies erat : Psal. CXVII, 25 : *Hæc dies quam fecit Dominus : exultemus et lætemur in ea.* Et ideo oportet operari opera Dei. Est etiam nobis præsens per gratiam : et tunc est dies gratiæ, in quo scilicet oportet operari opera Dei, *donec dies est.* Rom. XIII, 12 : *Nox præcessit, dies autem appropinquabit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis.* I Thess. V, 7 : *Qui dormiunt, nocte dormiunt. Vos autem non estis in tenebris* [3] etc.

Sed sciendum quod si præsentia solis facit diem, et absentia noctem ; cum sol sibi præsens sit semper, ipsi soli semper dies est ; et sic soli semper est tempus operandi et lucendi. Sed quantum ad nos, quibus aliquando est præsens, aliquando absens, non semper operatur et lucet. Eodem modo apud Christum solem justitiæ, semper est dies et tempus operandi ; non autem apud nos : quia non semper sumus capaces suæ gratiæ, propter impedimentum ex parte nostra.

5. Rationem autem opportunitatis prædictæ subdit, dicens : *Venit nox, quando nemo potest operari.* Sicut est duplex dies, ita est duplex nox. Una est per abscessum corporalem solis justitiæ, sicut Apostoli incurrerunt, quando Christo eis corporaliter sublato tempore passionis,

[1] Al. : « retractione. » — [2] Al. : « et. » — [3] Ibi : « qui dormiunt, nocte dormiunt; et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Nos autem qui diei sumus, sobrii simus. »

perturbati sunt. Matth. xvi, 31 : *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.* Et tunc non fuit tempus operandi, sed patiendi. Sed melius est ut dicamus quod etiam Christo absente corporaliter per ascensionem, dies Apostolis erat, inquantum illucebat eis sol justitiæ, et tempus operandi : et ideo intelligendum est de nocte quæ est per spiritualem separationem solis justitiæ, scilicet per subtractionem gratiæ : quæ quidem nox duplex est. Una per subtractionem actualis gratiæ quam inducit peccatum mortale. I Thess. v, 7 : *Qui dormiunt, nocte dormiunt* [1]. Et quando hæc nox venit, nemo potest operari opera meritoria vitæ æternæ. Alia nox est consummata, quando non solum privatur actuali gratia quis per peccatum mortale, sed etiam facultate adipiscendi, per æternam damnationem in inferno, ubi profunda nox est, quæ erit illis quibus dicitur : *Ite maledicti in ignem æternum* : Matth. xxv, 41. Et tunc nemo potest operari, quia non est tempus merendi, sed secundum merita recipiendi. Dum ergo vivis, fac sicut facturus es : unde Eccle. ix, 10 : *Quæcumque potest manus tua, instanter operare* : *quia neque ratio, neque opus, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.*

6. Rationem autem dictorum exponit dicens : *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi;* quasi diceret : Si vultis scire quis sit dies, et quæ nox, de quibus loquor ; ego, inquam, *sum lux mundi* : nam præsentia mea diem facit, et absentia noctem. Supra viii, 12 : *Ego sum lux mundi. Quamdiu* ego *sum in mundo*, corporaliter per meam præsentiam : Infra xvi, 28 : *Exivi a Patre, et veni in mundum* ; *iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem* : *Lux sum mundi* : unde dies iste duravit usque ad ascensionem Christi. Item *quamdiu sum in mundo*, spiritualiter per gratiam : Matth. ult. 20 : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Lux sum mundi* : unde dies iste usque ad consummationem sæculi extendetur.

7. Consequenter cum dicit, *Hoc cum dixisset, expuit in terram*, etc. agitur de sanatione cæci, ad quam quinque per ordinem concurrunt facta per Christum. Primo quidem sputatio, unde dicit, *Spuit in terram;* secundo luti factio, unde dicit, *Lutum fecit ex sputo;* tertio oculorum linitio, unde dicit, *Et linivit super oculos cæci*; quarto mandatum quod lavaretur, unde dicit, *Vade* (inquit) *et lava in natatoria Siloe*; quinto visionis perceptio, unde subdit, *Et venit videns :* quæ quidem omnia causam habent et litteralem et mysticam. Litteralem quidem, secundum Chrysostomum, hoc modo. Sputo illuminat, ut ostendat quod virtute a se egrediente hoc faciebat, et nulli alteri rei miraculum ascribatur. Luc. vi, 19, *Virtus exibat de illo.* Licet enim omnia miracula Dominus solo verbo facere potuisset : quia *ipse dixit et facta sunt* (Psal. cxlviii, 5) : frequenter tamen corpore suo in [2] eis utitur, ut ostendat ipsum, inquantum est divinitatis organum, virtutem quamdam salutarem esse sortitum. Lutum autem fecit ex sputo, ut ostendat se membra homini deficientia posse formare, qui formaverat totum primum hominem. Unde sicut primum hominem de luto formavit, ita lutum fecit ut formaret oculos cæci nati. Linivit autem lutum super oculos cæci nati, ut ostenderet se conditorem corporum, per id quod potissimum est in corporibus. Homo enim inter creaturas corporales præcellentior est ; inter membra vero hominis præcellit caput ; inter membra autem capitis, oculus excellentior invenitur. Unde Matth. vi, 21 : *Lucerna corporis tui, est oculus tuus.* Formando ergo oculum ceteris corporalibus excellentiorem, ostendit se creatorem esse totius hominis, et naturæ corporeæ. Dixit autem ei, *Vade, et lava te in natatoria Siloe,* ne videretur terra super oculos linita virtutem sanativam oculi habere. Unde quamdiu lutum in oculis habuit, non vidit, sed postquam lavit. Misit autem eum longe ad lavandum, scilicet ad natatoria Siloe : primo quidem ad confutandam Judæorum duritiam ; nam oportebat eum transire civitatem, ut sic omnes viderent eumdem cæcum euntem, lutum super oculos habentem, et redeuntem visu suo restituto. Secundo vero ut commendetur cæci obedientia et fides : frequenter enim forte lutum in faciem receperat, frequenter in natatoria Siloe se laverat, et tamen non viderat. Unde potuisset dicere : Lutum solet magis excæcare, et multoties me ibidem lavi, et in nullo sum adjutus, sicut de Naaman legitur IV Reg. v. Sed non contradixit ; immo simpliciter obedivit : unde sequitur,

[1] Al. : « qui dormivit, nocte dormivit. » —

[2] Al. deest : « in. »

Abiit, et lavit. Ideo autem ad natatoria Siloe eum misit, quia per illam aquam signatus est populus Judæorum. Isa. VIII, 6 : *Populus iste abjecit aquas Siloe, quæ currunt cum silentio.* Ut ergo ostendat quod non est alienus ab amore populi Judaici, ad Siloe mittit eum. Effectus autem sequitur, quia *venit videns.* Hoc prædictum fuit Isa. XXXV, 5 : *Tunc aperientur oculi cæcorum.*

Causam vero mysticam et allegoricam assignat Augustinus, qui dicit quod per sputum quod est saliva de capite descendens, signatur Verbum Dei, quod a Patre capite omnium rerum procedit. Eccli. XXIV, 5 : *Ego ex ore Altissimi prodii.* Tunc ergo Dominus de sputo et terra lutum fecit, cum Verbum caro factum est. Linivit autem oculos cæci, idest humani generis, oculos scilicet cordis, per fidem incarnationis Christi ; sed nondum videbat : quia quando forte inunxit, catechumenum fecit, qui fidem habet, sed nondum est baptizatus. Et ideo mittit eum ad piscinam, quæ vocatur Siloe, ut lavetur et illuminetur, idest baptizetur et in baptismo plenam illuminationem recipiat. Unde, secundum Dionysium, baptismus dicitur illuminatio. Ezech. XXXVI, 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Et ideo signanter hoc Evangelium legitur illo die in quadragesima quo incipit fieri scrutinium baptizandorum in sabbato sancto. Nec sine causa Evangelista subdit interpretationem piscinæ, dicens : *Quod interpretatur Missus* : quia quicumque baptizantur, oportet baptizari in Christo, qui est missus a Patre. Galat. III, 27 : *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.* Nisi enim ille fuisset missus, nemo nostrum esset ab iniquitate dimissus.

Secundum Gregorium autem, per salivam sapor intimæ contemplationis accipitur; quæ ad os de capite defluit, quia de caritate conditoris adhuc in hac vita nos positos, gustu revelationis tangit. Unde Dominus salivam luto miscuit, et cæci nati oculos reparavit : quia superna gratia carnalem cogitationem nostram per mixtionem suæ contemplationis irradiat, et ab originali cæcitate homines ad intellectum reformat, etc.

LECTIO II.

1. Itaque vicini, et qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebannt : Nonne hic est qui sedebat, et mendicabat ? Alii dicebant quia hic est : alii autem nequaquam ; sed similis est ejus. Ille vero dicebat, quia ego sum. 2. Dicebant ergo ei : Quomodo aperti sunt tibi oculi ? 3. Respondit : Ille homo qui dicitur Jesus, lutum fecit, et unxit oculos meos, et dixit mihi : Vade ad natatoria Siloe, et lava. Et abii, et lavi, et video. 4. Et dixerunt ei : Ubi est ille ? Ait : Nescio. 5. Adducunt eum ad Pharisæos qui cæcus fuerat. Erat autem sabbatum quando luntum fecit Jesus, et aperuit oculos ejus. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi, quomodo vidisset. Ille autem dixit eis : Lutum mihi posuit super oculos, et lavi, et video. 6. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam : Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit ? Alii autem dicebant : Quomodo potest homo peccator hæc signa facere ? Et schisma erat inter eos. 7. Dicunt ergo cæco iterum : Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos ? Ille dixit : quia Propheta est. 8. Non crediderunt ergo Judæi de illo quia cæcus fuisset et vidisset, donec vocaverunt parentes ejus qui viderat, et interrogaverunt eos, dicentes : Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cœcus natus est ? Quomodo ergo nunc ergo nunc videt ? 9. Responderunt eis parentes ejus, et dixerunt : Scimus quia hic est filius noster, et quia cæcus natus est ; quomodo autem nunc videat, nescimus ; aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus : ipsum interrogate : ætatem habet, ipse de se loquatur. Hæc dixerunt parentes ejus quoniam timebant Judæos. Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. Propterea parentes eis dixerunt : quia ætatem habet ipsum interrogate.

1. Posita miraculosa illuminatione cæci, hic consequenter ponitur miraculi examinatio. Et primo quidem miraculum examinatur a populo ; secundo a Pharisæis et principibus, ibi, *Adducunt eum ad Pharisæos ;* tertio cæcus propter suam confessionem instruitur a Christo et commendatur, ibi, *Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras.* Circa primum tria facit : quia primo inquiritur de persona illuminati ; secundo de ipsa illuminatione, ibi, *Dicebant ergo ei*, etc. ; tertio de persona illuminantis, ibi, *Et dixerunt ei : Ubi est ille?* Circa primum tria facit. Primo ponitur quæstio de persona illuminati ; secundo assumuntur diversæ opiniones ad quæstionem ; tertio determinatur quæstio. Ponitur quidem quæstio a populo : unde dicit : *Itaque vicini, et qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebant : Nonne hic est qui sedebat et mendicabat?* Ubi duo consideranda occurrunt. Unum est : quod ex miraculi magnitudine ipsum incredibile reddebatur : unde dicebant, infra (hoc cap.) : *A sæculo non est auditum quod aperuerit quis oculos cæci nati.* Unde impletur in eis quod dicitur Habac. I, 5 : *Opus factum est in diebus nostris, quod nemo credet cum narrabitur.* Aliud est

mirabilis Dei clementia : quia non solum circa potentes, sed etiam circa ignobiles Dominus miracula operatur, dum eos qui mendicant, cum multa pietate curabat : in quo ostenditur quod propter paupertatem nullum repellit, qui propter salutem hominum venit. Jac. II, 5 : *Nonne Dominus elegit pauperes, divites in fide, et heredes regni?* Unde et isti signanter dicunt : *Nonne hic est qui sedebat et mendicabat?* quasi dicant, ignobilis et curatione indignus. Contra dicitur Baruch III, 26 : *Ibi gigantes nominati.* Opiniones autem ponuntur a plebe : unde dicit : *Alii dicebant quia hic est*, scilicet qui mendicabat; et hoc ideo, quia pluries eum viderant mendicantem, et similiter discurrentem per civitatem, quando cum luto ad natatoria ibat, inspexerant : unde non ultra poterant dicere, Non est hic. Sed aliorum opinio erat contraria : unde dicebant : *Nequaquam*, scilicet hic est, *sed similis ejus est.* Cujus ratio est, quia, ut Augustinus dicit, oculi restituti mutaverant vultum ejus. Nihil enim ita cognoscibile sicut visus. Eccli. XIX, 26 : *Ex visu cognoscitur sensatus.* Quæstio determinatur per cæcum; quia *ille dicebat*, scilicet cæcus, *Ego sum*, scilicet qui mendicabam. Vox grata est ista, ne damnetur ingrata. Quia enim non poterat esse ingratus tanto beneficio, nec aliud signum gratitudinis ostendere poterat quam quod constanter confiteretur se a Christo curatum, dicit, *Ego sum*, qui scilicet cæcus eram, et mendicabam, et modo video. Tob. XII, 6 : *Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam.*

2. Consequenter cum dicit, *Dicebant ergo ei : Quomodo aperti sunt oculi tui?* agitur de inquisitione facti, scilicet de ipsa illuminatione : et primo ponitur quæstio Judæorum; secundo responsio cæci, ibi, *Respondit : Ille homo qui dicitur Jesus, lutum fecit*, etc. Dicit ergo : Si tu es ille qui cæcus mendicabas, dic ergo nobis : *Quomodo aperti sunt tibi oculi?* Sed ista quæstio ex curiositate procedit : quia hunc modum nec ipse qui curatus est, nec nos novimus. Eccli. III, 24 : *In pluribus operibus ejus ne fueris curiosus.*

3. Responsio cæci fuit mirabilis : unde dicit : *Respondit : Ille homo qui dicitur Jesus, lutum fecit, et unxit oculos meos* etc. In qua primo quidem demonstrat personam illuminantem, dicens : *Ille homo qui dicitur Jesus.* Recte nominat eum hominem, quem hominem noverat, et verus homo erat. Phil. II, 7 : *In similitudinem hominum factus.* Licet autem eum non vidisset, quia cæcus ab eo recessit, ad Siloe vadens, cognovit eum ex auditu et collocutione hominum de ipso. Secundo recitat factum, dicens ; *Lutum fecit, et unxit oculos meos ;* ubi se veracem ostendit, non asserens incerta. Dominus enim lutum fecerat ex sputo : quod quidem iste nescivit ; sed lutum factum, et oculis superpositum, per sensum tactus didicit ; et ideo non dixit, Lutum fecit ex sputo ; sed simpliciter, *Lutum fecit, et unxit oculos meos.* I Joan I, 1 : *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, et perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt... testamur et annuntiamus vobis.* Tertio refert mandatum, dicens : *Et dixit mihi*, scilicet Jesus, *Vade ad natatoria Siloe, et lava.* Hoc etiam nobis necessarium est ; nam si volumus mundari a cæcitate cordis, oportet quod spiritualiter lavemur. Isa. I, 16 : *Lavamini, mundi estote.* Quarto commendat suam obedientiam, dicens ; *Et abii, et lavi;* quasi diceret : Ex quo mandatum audivi, desiderio visionis ductus, executus sum mandatum. Neque mirum : quia dicitur Prover. VI, 23 : *Mandatum* (scilicet impletum) *lucerna est, et lex lux.* Quinto confitetur beneficii effectum, dicens, *Et vidi.* Et recte post obedientiam illuminatur : quia, ut dicitur Act. V, 32, *dabit Spiritum sanctum obedientibus sibi.* Vide cæci constantiam : nam ut Augustinus dicit, *Ecce annuntiator factus est gratiæ, ecce evangelizat, et confitetur Judæis.* Cæcus ille confitebatur, et cor impiorum stringebatur, quia non habebant lumen, scilicet in corde, quod ille habebat in facie.

4. Consequenter cum dicit, *Et dixerunt ei, Ubi est ille?* ponitur inquisitio de persona illuminantis ; et primo ponitur Judæorum quæstio, cum dicunt, *Ubi est ille?* Malitiose interrogant occisionem meditantes ; jam enim adversus Christum conspiraverant. Supra VIII, 40 : *Nunc autem quæritis me interficere?* Secundo ponitur cæci responsio, cum ait, *Nescio.* Ut Augustinus dicit, ex verbis apparet quod sicut corporaliter in ipso gestum fuit, ita spiritualiter diversis temporibus repræsentatur. Nam adhuc primo linitur cæcus, et post lotus videt ; et inunctio quidem inchoationem sanitatis corporalis repræsentat ; lotio autem perfectam consequitur sanitatem. Specialiter autem inunctio

efficit catechumenum ; lotio, scilicet baptismus, perficit et illuminat. Sic ergo diversa diversis temporibus repræsentatur fides [1] ; nam per hoc quod dicit, *Nescio*, repræsentatur fides imperfecta in catechumenis. Supra IV : *Vos adoratis quod nescitis*. Potest etiam per hoc significari fides nostra. I Cor. XIII 19 : *Ex parte enim cognoscimus et ex parte prophetamus*.

5. Consequenter cum subditur, *Adducunt eum ad Pharisæos*, agitur de inquisitione. Et primo inquirunt a cæco; secundo a parentibus, ibi, *Non crediderunt ergo Judæi*. Circa primum tria facit. Primo præsentatur inquirendus; secundo ponitur inquirentium intentio ; tertio ponitur ipsa inquisitio. Inquirendus autem, scilicet cæcus, præsentatur a populo Pharisæis ; unde *adducunt*, scilicet turbæ, *eum qui cæcus fuerat, ad Pharisæos* : et hoc ideo, quia quæsierant ab eo ubi esset Jesus, ut si eum invenirent, ducerent eum ad Pharisæos, damnandum propter solutionem sabbati. Quia vero Christum non habuerunt, ducunt cæcum, ut eum vehementius interrogantes, cogant importunitate vel timore aliquid falsitatis contra Christum confingere. Hierem. V, 5 : *Ibo ergo ad optimates*; *ipsi enim cognoverunt viam Domini*, *judicium Dei sui* ; *et ecce hi magis confregerunt jugum*, *ruperunt vincula*. Intentionem autem eorum Evangelista perversam esse ostendit, dicens : *Erat autem sabbatum quando lutum fecit*. Hoc dicit, ut eorum malam mentem demonstret, et causam propter quam eum quærebant; ut scilicet occasionem contra eum invenirent, et detraherent miraculo per æstimatam legis prævaricationem; cum tamen Matth. XII, 8, dicatur, quod *dominus est Filius hominis etiam sabbati*. Examinatio autem fit a Pharisæis, cum dicitur : *Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi* etc. Et primo interrogant de facto; secundo de persona facientis, ibi, *Dicebant ergo ex Pharisæis quidam*. Circa primum duo facit. Primo ponitur eorum interrogatio; secundo cæci responsio. Interrogant autem eum de materia consecutæ visionis : unde *iterum interrogabant eum Pharisæi* etc. : non ut scirent, sed ut calumniam inferrent, et falsitatem imponerent. Respondit autem cæcus, non dictis contraria, nec dissona veritati : unde *ille*, scilicet cæcus, *dixit eis : Lutum posuit mihi super oculos*. Ubi primo admiranda est cæci constantia; nam et si coram turbis, a quibus sine periculo interrogabatur, veritatem dixerat, non magnum videbatur; sed hoc miræ est constantiæ quod in [2] ampliori periculo constitutus, scilicet coram Pharisæis, neque negat, neque contraria dicit prioribus, secundum illud Psal. CXVIII, 46 : *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar*. Secundo admiranda est ejus industria ; nam mores recitantium servat, qui primo diffuse et cum circumstantiis omnibus referunt; et si secundo referri oporteat, succinctius loquuntur. Unde neque nomen dicentis expressit, neque quoniam *dixit mihi*, *Vade et lava ;* sed confestim solum substantiam facti tangens, dicit, *Lutum fecit*.

6. Consequenter cum subditur, *Dicebant ergo ex Pharisæis quidam* etc., fit inquisitio de persona illuminantis. Et primo ponuntur diversæ sententiæ Pharisæorum de Christo; secundo exquiritur sententia cæci, ibi, *Dicunt ergo cæco iterum*. Circa primum tria facit. Primo ponit opinionem Christum blasphemantium; secundo opinionem eum commendantium; et tertio concludit, quod inter eos erat schisma et dissidium. Circa primum sciendum est, quod illi qui malitiose contra aliquem agunt, tacent, si quid boni in facto ejus vident; et mala, si qua videntur, manifestant, etiam bonum in malum convertentes; secundum illud Eccli. XI, 33 : *Bona in mala convertens insidiatur*, *et in electis imponet maculam*. Quod et isti faciunt ; nam id quod videbatur bonum, scilicet cæci illuminationem, subticentes, quod contra Christum esse poterat manifestant, scilicet solutionem sabbati. Unde *dicebant quidam ex Pharisæis*, scilicet malitiosi et pravi ; *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit;* cum tamen Christus sabbatum servaret. Dominus enim prohibens operari in sabbato, intendit de opere servili, quod est peccatum. Supra VIII, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati*. Ergo qui facit opera peccati in sabbato, solvit sabbatum. Christus ergo qui sine peccato erat, potius sabbatum, quam ipsi custodiebat. Commendantium autem opinio ponitur, cum subdit : *Quomodo potest homo peccator hæc signa facere*? Isti enim aliquam fidem ex signis conceperant et imperfecte et imbecilliter erant dispositi ;

[1] Al. omittitur: « fides. » — [2] Al. deest : « in. »

quia ex timore Pharisæorum et principum, quasi sub dubio proponunt, dicentes : *Quomodo potest homo peccator hæc signa facere?* Infra XII, 42, dicitur, quod *multi ex principibus crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur.* Qui tamen potius debuissent ostendere qualiter sabbatum non solveret, et convenienter respondere pro Jesu. Dissidium autem concludit inter eos, dicens : *Et schisma erat inter eos :* quod scilicet fuerat etiam inter populos ; et hoc erat signum interitus [1] illorum. Oseæ X, 3 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Matth. XII, 25 : *Omne regnum in seipsum divisum, desolabitur.*

7. Consequenter inquirunt sententiam a cæco, et dicunt : *Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos?* Et primo ponitur Pharisæorum interrogatio ; secundo cæci responsio. Interrogant quidem cum dicunt : *Tu quid dicis de illo?* Quæ quidem interrogatio, secundum Chrysostomum, non est eorum qui Christum blasphamabant, sed eorum qui commendabant. Et hoc apparet ex modo interrogandi : unde commemorant ei receptum beneficium, dicentes : *Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos?* Alioquin si alii interrogassent, non hoc dixissent, sed potius, qui [2] solvit sabbatum. Ideo autem beneficium commemorant, ut eum gratum reddentes inducant ad Christi prædicationem. Secundum autem Augustinum, est interrogatio adversariorum, volentium calumniari hominem qui constanter veritatem confitebatur, vel ut ex timore mutaret sententiam, vel saltem ut eum de synagoga ejicerent. Responsio autem cæci constans ponitur : unde subdit : *Ille autem dixit, quia Propheta est.* Licet enim adhuc quasi inunctus [3] in corde, Dei Filium nondum confiteretur, constanter tamen quod sentiebat expressit, non tamen mentitus est. Nam ipse Dominus de se dixit Marc. VI, et Matth. XIII, 57 : *Non est Propheta sine honore nisi in patria sua.* Deuter. XVIII, 15 : *Prophetam suscitabit vobis Deus... ipsum audietis.*

8. Consequenter cum dicit, *Non crediderunt ergo Judæi de illo*, agitur de inquisitione a parentibus : et primo ponitur causa inquisitionis ; secundo subditur interrogatio, ibi, *Et interrogaverunt*; tertio adhibetur responsio, ibi, *Responderunt ergo eis ;* quarto assignatur responsionis ratio, ibi, *Hoc dixerunt parentes ejus* etc. Causa autem secundæ inquisitionis, fuit infidelitas Pharisæorum ; et hoc est quod dicit : *Non crediderunt ergo de illo*, scilicet Pharisæi, *quod cæcus natus fuisset, et vidisset, donec vocaverunt parentes ejus*, scilicet cæci qui viderat. Hoc quidem faciunt volentes annullare Christi miraculum, ne perdant gloriam suam. Supra V, 44 : *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?* Inquisitio autem ponitur a Pharisæis ad parentes : ubi tria proponunt. Primo de persona filii, dicentes : *Hic est filius vester?* quasi dicerent, Numquid est hic? Secundo de ejus cæcitate : unde subdunt : *Quem dicitis quia natus est cæcus?* Non dicunt, Qui quandoque fuit cæcus ; sed *Quem dicitis ;* quasi dicerent : Hod confingitis. Numquid hoc est verum? Sed, o inquinati ! quis pater eligeret talia mentiri de filio? Conantur enim per hoc eos ad negationem ducere. Tertio quærunt de modo consecutæ visionis, dicentes : *Quomodo ergo nunc videt?* quasi dicant : Aut hoc est falsum quod nunc videat, aut primum quod cæcus fuerat ; sed constat hoc esse verum, quod videt : falsum ergo fuit quod cæcum eum dicebant. Eccli. XIII, 14 : *Ex multa enim loquela tentabit te, et subridens interrogabit te de absconditis tuis.*

6. Responsio parentum ponitur consequenter, cum dicit : *Responderunt sic parentes ejus* etc. De tribus autem interrogaverant Pharisæi ; sed de duobus constanter respondent, et de tertio remittunt ad filium. Primo quidem confitentur primum, scilicet quod filius eorum sit : unde dicunt : *Scimus quia hic est filius noster.* Item confitentur secundum, cum subdunt, *Et quia cæcus natus est.* In quo patet quod veritas semper vincit mendacium. Unde in apocryphis Esdræ III, Esdræ III, 13, dicitur, quod « veritas super omnia vincit. » Tertium autem, scilicet qualiter vidit dicunt : *Quomodo autem nunc videat, nescimus.* Secundo de persona illuminante, cum subdunt : *Aut quis aperuit oculos ejus, nos nescimus.* Hoc ideo dicunt, quia inquisitio fiebat contra personam illuminantem : et ideo remittunt ad filium, dicentes : *Ipsum interrogate : ætatem habet, ipse de se loquatur ;* quasi dicant : Et si genuimus eum cæcum, non tamen mutum : unde loqui potest pro se in causa. Quod

[1] Al. « interius. » — [2] Al. : « sed pejus, scilicet qui etc. » — [3] Al. : « invitus. »

quidem dispensative factum est, ut dum parentes confitentur quod sciunt, et cæcus confirmat qui est curatus, veritas miraculi magis appareret [1]. Ratio autem responsionis ponitur, cum subdit : *Hoc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos* : adhuc enim imperfecti erant, nec adimplere ausi quod dicit Dominus, Matth. x, 28 : « Nolite timere eos qui occidunt corpus. » Causa autem timoris fuit, quia *jam conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.* Infra xvi, 1 : *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini : absque synagogis facient vos.* Et ut dicit Augustinus, jam non erat malum fieri extra synagogam : nam quos illi repellebant, Christus recipiebat.

LECTIO III.

1. Vocaverunt ergo rursum hominem qui fuerat cæcus, et dixerunt ei : Da gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est. 2. Dixit ergo eis ille : Si peccator est nescio : unum scio, quia cæcus cum essem, modo video. 3. Dixerunt ergo illi : Quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos? 4. Respondit eis : Dixi vobis jam, et audivistis : quid iterum vultis audire? Numquid et vos vultis discipuli ejus fieri? 5. Maledixerunt ergo ei, et dixerunt : Tu discipulus illius sis. 6. Nos autem Moysi discipuli sumus : nos scimus, quia Moysi locutus est Deus ; hunc autem nescimus unde sit. 7. Respondit ille homo, et dixit eis : Id hoc mirabile est quia vos nescitis unde sit, et aperuit meos oculos. 8. Scimus autem quia peccatores Deus non audit. 9. Sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. 10. A sæculo non est auditum quod quis aperuerit oculos cæci nati. 11. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam. 12. Responderunt, et dixerunt ei : In peccatis natus es totus ; et tu doces nos? Et ejecerunt eum foras.

1. Posita supra inquisitione negotii, scilicet a cæco et parentibus, hic persuadent negare veritatem, et afferre falsitatem : et primo persuadent veritatis negationem ; secundo irrogant maledictionem ; tertio inferunt condemnationem. Secundum ibi, *Maledixerunt ergo ei;* tertium ibi, *Responderunt ei, et dixerunt ei : In peccatis natus es totus.* Circa primum duo facit. Primo ostendit quomodo persuadent ei veritatem negare ; secundo quomodo iterato interrogant, ut calumniam possint inferre, ibi, *Dixerunt ergo illi : Quid fecit tibi?* Circa primum duo facit. Primo proponit eorum malitiam ; secundo cæci constantiam, ibi, *Dixit ergo ille.* Malitia Pharisæorum ostenditur in veritatis negandæ persuasione. Constantia cæci apparet in firma veritatis confessione. Dicit ergo quantum ad primum : *Vocaverunt ergo*, scilicet Pharisæi, *rursum hominem qui fuerat cæcus :* nam parentes interrogati, remiserant eos ad cæcum : *et dixerunt ei : Da gloriam Deo.* Unum dicunt, sed aliud intendunt. Intendunt quidem ut cogant eum dicere, se non fuisse illuminatum a Christo : vel si hoc non possunt, saltem confiteatur se ab eo aliquo maleficio curatum. Hoc tamen non aperte dicunt; sed tacite, et sub prætextu religionis : ad hoc enim inducere volunt dicentes, *Da gloriam Deo;* quasi dicant : Illuminatus es ; sed hoc non est nisi a Deo : ergo hoc nulli alii attribuas nisi Deo, et non isti, scilicet Christo : quia si hoc facis, ostendis te non accepisse a Deo curationis beneficium : quia Deus per peccatores non operatur miracula. Unde subdunt : *Nos scimus quia hic homo peccator est;* quasi dicerent : Confitere quoniam hic nihil operatus est, nega quod accepisti. Sed, ut Augustinus dicit, si hoc fecisset, non dedisset gloriam Deo, sed potius ingratus existens, blasphemasset. Sed vere mendacium locutus est stylus Pharisæorum, dicentium : *Nos scimus quoniam hic homo peccator est* : nam supra viii, 46, eumdem de peccato arguere non potuerunt, cum dixit : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nec mirum, quia hoc dicitur I Pet. ii, 22 : *Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.*

2. *Dixit ergo eis ille*, etc. Hic ponitur cæci constantia : nam stomachatus contra Pharisæorum duritiam, et impatiens ad verba eorum, cum veritatis assertione dicit : *Si peccator est nescio.* Sed cum supra dixerit, *quia Propheta est;* numquid hoc propter timorem quasi dubitans dicit : *Si peccator est nescio* [2]? Absit ; sed quasi indignatus Pharisæos irridens ; quasi dicat : Vos asseritis eum peccatorem ; sed hoc [3] ego nescio quod sit peccator, et miror quod hoc asseritis, quia opus fecit quod non videtur esse peccatoris : *quia cæcus cum essem modo video*, ejus beneficio. Secundum Augustinum,

[1] Al. : « et veritas miraculi magis appareat. » — [2] Al. desunt hæc verba usque : « ad quasi dicat. » — [3] Al. omittitur : « hoc. »

hoc dicit ut neque pateretur calumniam, neque veritatem subcelaret. Fortassis enim si dixisset: Scio eum justum; quod verum erat, calumniati fuissent eum. Sed, secundum Chrysostomum, ideo hoc dixit ut daret eis majus testimonium, scilicet ipsius miraculosæ operationis, et suam responsionem faceret fide dignam ab accepto beneficio.

3. *Dixerunt ergo illi*, etc. Hic iterato interrogant, ut calumniam inferant. Et primo ponitur dolosa Pharisæorum interrogatio; secundo respondentis cæci derisio, ibi, *Respondit eis* etc. Dicit ergo quantum ad primum : *Dixerunt ergo illi* : *Quid fecit tibi*? Quia enim cæcus confessus fuerat se a Christo visum recepisse quod isti non quærebant, sed potius in ipso modo faciendi, contra Christum calumniam inferre intendebant; ideo non dicunt, Qualiter vidisti? sed *Quomodo aperuit tibi oculos*? quasi dicant : Numquid aliquo præstigio seu maleficio hoc fecit? secundum illud Psal. xxxviii, 13 : *Qui quærebant mala mihi, locuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur*.

4. *Respondit eis*, etc. Hic ponitur responsio : quia enim cæcus quasi jam viderat, ideo non remisse, sed audacter de reliquo eis loquitur : unde primo irridet Pharisæorum iteratam interrogationem, dicens : *Dixi vobis jam, et audistis : quid iterum vultis audire*? quasi dicat : Ex quo semel dixi vobis, quid iterum vultis audire? Hoc enim insipientis est. Videtur enim quod non attenditis ad ea quæ dicuntur. Unde non est ultra respondendum vobis, inaniter interrogantibus, et cavillari potius quam discere volentibus. Eccli. xxii, 9 : *Cum dormiente loquitur qui narrat stulto sapientiam : et in fine narrationis dixit : Quis est hic*? Secundo deridet præsumptuosam Pharisæorum intentionem, dicens : *Numquid et vos vultis discipuli ejus fieri*? Quando enim aliquis diligenter inquirit : aut hoc facit bona intentione, ut scilicet ei adhæreat; aut mala, ut eum condemnet. Quia ergo isti diligenter quærebant, et cæcus non ausus est eis imponere quod mala intentione quærerent, declinat ad aliam partem, dicens : *Numquid et vos vultis discipuli ejus fieri*? quasi dicat : si non quæritis malitiose, ergo vultis adhærere ei. Hier. xiii, 23 : *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas; et vos poteritis bene facere*. Et, ut Augustinus dicit, illuminatus libenter volebat istos illuminare : unde signanter dicit, *Et vos;* quasi se innuens discipulum; quasi dicat : *Numquid et vos vultis*, ut et ego sum, *discipuli ejus fieri*? Ego jam video, vestræ illuminationi non invideo. Et, ut Chrysostomus dicit, ex ista cæci constantia apparet quam forte quid [1] sit veritas, quæ si despectos assumpserit, claros et fortes eos facit. Et quam imbecille quid [2] sit mendacium quod etsi cum fortibus fuerit, imbecilles eos monstrat et reddit.

5. *Maledixerunt ergo*, etc. Hic irrogatur cæco a Pharisæis maledictio ; secundo cæci ad Pharisæos redargutio, ibi, *Respondit ille*. Circa primum duo facit. Primo ponitur Pharisæorum maledictio; secundo maledictionis occasio, ibi, *Nos autem Moysi discipuli sumus*. Dicit ergo quantum ad primum : *Maledixerunt ei*, scilicet Pharisæi cæco, *et dixerunt : Tu discipulus ejus sis*. Quæ quidem maledictio est, si pravum cor eorum discutias, non si verba perpendas; immo est summa benedictio. Et tale maledictum sit super nos, et super filios nostros. Supra viii, 31 : *Vere discipuli mei eritis, si manseritis in sermone meo*. Ideo tamen Evangelista dixit, *Maledixerunt*, quia ex malo eorum corde procedebat. Prov. xxvi, 23 : *Quomodo si ornare velis vas fictile argento sordido, sic labia tumentia cum pessimo corde sociata*. Et de hac maledictione dicitur in Psal. cviii, 28 : *Maledicent illi, et tu benedices*. Et Matth. v, 11 : *Beati eritis cum maledixerint vobis* etc.

6. Causam maledictionis subjungit consequenter, cum dicit : *Nos autem Moysi discipuli sumus*. Reputabant enim maledictionem quod cæcus dixerat eis quod fierent discipuli Christi; cum ipsi gloriarentur se esse discipulos Moysi, quem majorem reputabant. Et ideo primo proponunt suam conditionem, dicentes : *Nos autem Moysi discipuli sumus*. Eccli xxiv, 33 : *Legem mandavit Moyses in primitiis justitiarum* etc. Sed falsa est eorum gloria : quia nec eum sequebantur, nec præcepta ejus implebant. Supra iii, 36 : *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi*; quasi dicat : Nec sequimini servum, et deorsum ponitis contra Dominum. Se-cundo extollunt Moysi dignitatem, atque dicunt : *Nos scimus quia Moysi locutus est Deus*. In quo verum dicunt, quod si mi-

[1] Al. : « fortis quidem. » — [2] Al. : « quidem. »

citur Exod. xxxiii, 11, *loquebatur Dominus Moysi facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum.* Et Num. xii, 6, dicit Dominus : *Si fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est : ore enim ad os loquor ei.* Unde excellentiori modo loquebatur cum eo quam cum aliis Prophetis. Et de hac locutione hic ipsi loquuntur. Constat autem cum ad Moysem Deus loqueretur Verbum suum quod dignitas Moysi est ex Verbo Dei. Et sic Verbum majoris dignitatis est quam Moyses. Heb. iii, 3 : *Amplioris gloriæ iste* (scilicet Christus) *præ Moyse dignus habitus est, quanto ampliorem honorem habet domus qui ædificavit illam.* Tertio occulte insinuant Christi dignitatem, cum dicunt : *Hunc autem*, scilicet Christum, *nescimus unde sit* : quod quidem verum est, non tamen secundum eorum intentionem. Nesciebant enim Patrem, unde Christus erat. Supra viii, 19 ; *Neque me scitis, neque Patrem meum.* Sed falsum est quantum ad eorum intentionem : dixerunt enim : *Hunc autem nescimus unde sit;* quasi dicant : Nullius auctoritatis est, et quasi apocryphum, ita ut non constet de eo an a Deo venerit ; per quod videbantur ei imponere illud Hierem. xxiii, 21 : *Non mittebam eos, et ipsi currebant.*

7. *Respondit ille homo*, etc. Hic ponitur cæci contra Pharisæos argutio. Et primo admiratur eorum duritiam ; secundo confutat eorum falsitatem, ibi, *Scimus autem quia peccatores Deus non audit.* Sciendum autem circa primum, quod non ea quæ frequenter fiunt et secundum communem modum miramur ; sed insolita et ardua, sive bona sive mala sint, admiramur : nam insolita bona et ardua admiramur [1], secundum illud Esther xv, 17 : *Valde enim admirabilis es Domine, et facies tua plena est gratiarum.* Admiramur etiam ardua mala, secundum illud Hier. ii, 12 : *Super hoc obstupescite cœli..... duo enim mala fecit populus meus.* Secundum hoc ergo respondens cæcus, dixit eis : *In hoc mirabile est quia* cæ *vos nescitis unde sit*; quasi dicat : Si ali- Unuuem parvum et nobis similem non redunt quætis alicujus auctoritatis, non esset ... : sed quia videtis expressum signum divinæ virtutis in Christo et dicitis quia vos nescitis unde sit ; valde mirabile est, præsertim quia aperuit mihi oculos.

8. Falsitatem eorum confutat dicens : *Scimus autem quia peccatores Deus non audit.* Utitur tali ratione. Quemcumque Deus audit, est a Deo ; sed Deus exaudivit Christum : ergo est a Deo. Primo ergo ponit primam ; secundo assumit minorem, ibi, *A sæculo non est auditum* etc ; et tertio infert conclusionem, ibi, *Si non esset hic a Deo, non poterat facere quicquam.* Circa primum duo facit. Primo insinuat quos Deus non audiat ; secundo ostendit quos Deus audiat, ibi, *Sed si quis Dei cultor est..... hunc exaudit.* Non audit autem Deus peccatores ; et quantum ad hoc dicit : *Scimus quia peccatores Deus non audit*; quasi dicat : In ista opinione ego et vos consentimus, quod non exaudiantur peccatores a Deo. Unde in Psal. lxxi, 42 : *Clamaverunt ad Dominum, et non exaudivit eos* : Proverb. i, 28 : *Tunc invocabunt me, et non audiam.*

Sed contra. II Paral. vi, 37 : *Si autem peccaverint tibi* (neque enim est homo qui non peccet).... *et reversi fuerint ad te in toto corde suo.. aperiantur quæso oculi tui, et aures tuæ intentæ sint ad orationem quæ fit in loco isto.* Luc. xviii, 14, de Publicano dicitur, quod *descendit justificatus in domum suam.* Et propter hoc dicit Augustinus, quod cæcus iste adhuc loquitur ut inunctus [2], nondum perfecte sciens : nam et peccatores exaudit Deus : alias frustra Publicanus diceret (loc. cit.) : *Domine Deus, propitius esto mihi peccatori.* Si autem verbum cæci salvare volumus, dicendum est, quod Deus non exaudivit peccatores in peccatis persistentes ; exaudivit tamen peccatores de peccatis pœnitentes, qui magis sunt computandi in numero pœnitentium, quam peccatorum.

Sed insurgit dubitatio : constat enim quod miracula non fiunt ab hominibus propria virtute, sed per orationem. Peccatores autem frequenter miracula faciunt, secundum illud Matth. vii, 22 : *Nonne in nomine tuo prophetavimus... et virtutes multas fecimus?* Et tamen Deus non novit eos [3]. Non videtur ergo verum quod cæcus dicit : *Scimus quia peccatores Deus non audit.*

Ad hoc est duplex responsio. Una communis. Oratio enim duo habet, quia scilicet impetrat, et meretur : quandoque

[1] Al. : « et verita... — [2] Al. desunt hæc ... iramur. » — [2] Al. : « invitus. » — [3] Al. : « nos. »

ergo impetrat et non meretur; quandoque autem meretur, et non impetrat. Et sic nihil prohibet orationem peccatoris impetrare quod petit, absque hoc quod mereatur. Sic ergo Deus audit peccatores, non per modum meriti, sed inquantum ex divina virtute, quam prædicant, impetrant quod petunt. Alia est specialis, in casu isto quo loquebatur, scilicet quando miraculum factum notificabat personam Christi.

Sciendum est autem quod omne miraculum factum testimonium quoddam est. Quandoque ergo miraculum fit in testimonium veritatis prædicatæ ; quandoque autem in testimonium personæ facientis. Est autem attendendum, quod nullum verum miraculum fit nisi virtute divina ; et quod Deus nunquam est testis mendacii. Dico ergo quod, quandocumque miraculum fit in testimonium doctrinæ prædicatæ, necessarium est doctrinam illam esse veram, etsi persona prædicans non sit bona. Quando etiam fit in testimonium personæ, necesse est similiter quod persona illa sit bona. Constat autem quad miracula Christi fiebant in testimonium personæ ejus : supra v, 36 : *Opera quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, testimonium perhibent de me*; hoc ergo modo loquendo cæcus dixit, quod *nunquam Deus peccatores exaudit*[1], scilicet quod faciant miracula attestantia sanctitati peccatorum.

9. Consequenter cum dicit, *Sed si quis Dei cultor est.,. hunc exaudit*, ostendit quod justi exaudiuntur a Deo et per modum meriti. Ubi sciendum est, quod operatio miraculorum attribuitur fidei. Matth. xxi, 21 : *Si dixeritis huic monti Tolle et jacta te in mare fiet.* Cujus ratio est, quia miracula fiunt per omnipotentiam Dei, cui fides innititur : qui ergo vult impetrare a Deo aliquid, oportet quod habeat fidem. Jac. i, 6 : *Postulet autem in fide.* Si autem vult merendo impetrare, oportet quod faciat Dei voluntatem. Et ista duo hic ponuntur. Quantum ad primum dicit : *Sed si quis Dei cultor est*, per sacrificia et hostias. Isa. xix, 21 : *Colent eum in hostiis* etc., in his enim consistit cultus latriæ, quæ fidei attestatur. Quantum ad secundum dicit : *Et voluntatem ejus facit*, implendo ejus mandatum, *hunc exaudit :* supple Deus [2].

10. *A sæculo* etc. Hic assumit minorem suæ rationis ; quasi dicat : Ex ipso opere ejus, quod adhuc nullus hominum facit, manifestum est quod per operationem Dei hoc fecit, et quod exauditus est a Deo. Infra xv, 24 : *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

11. *Nisi esset hic*, etc. Hic infert conclusionem; quasi dicat : Ex quo talia opera operatur, manifestum est quod est a Deo : nam *nisi esset hic a Deo*, *non poterat facere quicquam*, scilicet libere, constanter et veraciter : quia ut dicitur infra xv, 5 : *Sine me nihil potestis facere.*

12. *Responderunt*, etc. Hic Pharisæi cæcum condemnant. In qua quidem condemnatione triplicem defectum sive peccatum incurrunt : scilicet mendacii, superbiæ et injustitiæ. Mendacii quidem, cæcitatem improperando : unde dicunt : *In peccatis natus es totus.* Ubi sciendum est Judæos hujus opinionis fuisse quod omnes infirmitates et adversitates temporales provenirent hominibus propter eorum præcedentia peccata; quam quidem opinionem asserit Eliphaz dicens, Job iv, 7 : *Recordare*, *obsecro*, *quis unquam innocens periit*, *aut quando recti deleti sunt*? *Quia potius vidi eos qui operantur iniquitatem et seminant dolos*, *et metunt eos*, *flante Deo*, *periisse.* Cujus quidem opinionis ratio est, quia in veteri lege et pro bonis præmia temporalia, et pro malis pœnæ temporales promittebantur. Isa. i, 19 : *Si volueritis et audieritis me*, *bona terræ comedetis.* Videntes ergo quod iste homo cæcus natus fuerat, credebant quod hoc contigisset ei propter sua peccata ; et ideo dicunt : *In peccatis natus es totus.* Sed falsum dicunt, quia supra, eodem, Dominus : *Neque hic peccavit*, *neque parentes ejus.* Eccli. xix, 28 : *Est correctio mendax in ira contumeliosi.* Addunt autem, *Totus*, ut ostendant quod non solum est peccatis inquinatus quantum ad animam secundum quod omnes nascuntur peccatores, sed etiam quod peccatorum vestigia appareant in corpore per cæcitatem. Vel, secundum Chrysostomum, *totus;* idest, toto tempore vitæ tuæ, et a primæva ætate in peccatis es. Superbiæ vero defectum incurrunt, contemnendo cæci doctrinam, cum dicunt : *Tu doces nos*? quasi dicerent, Non es dignus : in quo apparet eorum superbia : nullus enim homo, quantumcumque sapiens, debet a quocumque parvo doctrinam repellere : unde Apostolus docet, I Corinth. xiv, quod si mi-

[1] Al. : « excludit. » — [2] Al. : « hunc, » supple, « exaudivit Deus. »

nori aliquid revelatum fuerit, tunc majores debent tacere, et eum audire. Daniel. XIII, dicitur quod totus populus et seniores audierunt judicium pueri junioris, scilicet Danielis, cujus spiritum Dominus suscitavit. Injustitiæ autem defectum incurrunt, injuste eum ejiciendo : unde dicitur quod *ejecerunt eum foras*, scilicet propter veritatis confessionem. In cæco autem jam impletur quod Dominus dixerat, Luc. VI, 22 : *Beati eritis cum vos oderint homines, et separaverint vos, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium hominis.*

LECTIO IV.

1. Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras : et cum invenisset eum, dixit ei : Tu credis in Filium Dei ? 2. Respondit ille, et dixit : Quis est, Domine, ut credam in eum ? 3. Et dixit ei Jesus : Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. 4. At ille ait : Credo, Domine : et procidens adoravit eum. 5. Et dixit ei Jesus : In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant ; et qui vident, cæci fiant. 6. Et audierunt quidam ex Pharisæis qui cum ipso erant ; et dixerunt ei : Numquid et nos cæci sumus ? 7. Dixit eis Jesus : Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc vero dictis, quia videmus. Peccatum vestrum manet.

1. Postquam Evangelista ostendit quomodo Judæi cæcum in veritate persistentem ejecerunt, hic ostendit quomodo Jesus eum receperit et instruxerit. Et primo ponitur Christi instructio ; secundo cæci devotio, ibi, *At ille ait* : *Credo, Domine;* tertio devotionis ejus commendatio, ibi, *Dixit ei Jesus* : *In judicium ego in hunc mundum veni.* Circa primum tria facit. Primo proponit studium Christi ad instruendum ; secundo desiderium cæci ad credendum, ibi, *Respondit ille, et dixit* : *Quis est, Domine?* tertio fidei documentum ad perficiendum, ibi, *Dixit ei Jesus* : *Et vidisti eum.* Studium autem Christi ad instruendum describitur ex tribus. Primo ex diligenti consideratione eorum quæ circa cæcum agebantur : sicut enim princeps diligenter considerat ea quæ suus athleta patitur propter eum, ita et Christus ea quæ cæcus patiebatur propter veritatem et sui confessionem, diligenter attendit. Et ideo dicit : quod *audivit Jesus,* idest diligenter attendit, *quia* Pharisæi *ejecerunt eum foras*, scilicet ex templo. Hier. XVIII, 19 : *Attende Domine ad me, et ad voces adversariorum meorum.* Secundo ex diligenti inquisitione : unde subdit : *Et cum invenisset eum, dixit ei* etc. Illud enim inveniri dicitur quod diligenter quæritur. Luc. XV, 8 : *Quærit diligenter donec inveniat.* Ex quo videtur quod Christus solum eum quærat, quia in illo plus solo invenit de fide quam in omnibus aliis. Unde colligitur quod plus diligitur unus justus a Deo, quam decem millia peccatorum. Isa. XIII, 12 ; *Pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo.* Et Genes. XVII, Dominus pro decem justis voluit servare Sodomam. Tertio ex seriosa interrogatione : unde *dixit ei* : *Tu credis in Filium Dei?* Iste cæcus typum baptizandorum gerebat. Unde etiam consuetudo inolevit in Ecclesia ut baptizandi interrogentur de fide. I Pet. III, 21 : *Nos salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed bonæ conscientiæ interrogatio in Deum.* Interrogans autem de fide non dicit, Credis in Christum? sed *in Filium Dei :* quia, ut Hilarius dicit, futurum erat ut aliqui Christum confiterentur, quem tamen Filium Dei et Deum negarent ; quod postmodum Arius finxit. Unde per hoc error ejus manifeste excluditur. Nam si Christus non esset Deus, non esset in eum credendum, cum solus Deus sit objectum fidei, quæ in prima veritate quiescit. Unde et signanter dicit, *in Filium* : nam bene possum credere alicui creaturæ, puta Petro et Paulo ; non tamen in Petrum, sed in Deum solum sicut in objectum. Unde patet quod Filius Dei non est creatura. Joan. XIV, 1 : *Creditis in Deum, et in me credite.*

2. *Respondit ille, et dixit,* etc. Hic ponitur desiderium cæci ad credendum. Sciendum est autem circa hoc quod cæcus iste adhuc non viderat Christum corporaliter : nam quando Christus linivit oculos suos, et misit eum ad natatoria Siloe, nondum viderat eum ; et antequam ad eum reverteretur, postquam lavit et vidit, detentus fuit a Pharisæis et Judæis. Licet autem corporaliter eum non vidisset, credebat tamen eum qui aperuit oculos suos, esse Filium Dei. Et ideo in verba desiderantis et valde inquirentis animæ prorumpit, dicens : *Quis est Domine,* scilicet Filius Dei, qui aperuit mihi oculos, *ut credam in eum?* Ex quo hic apparet quod eum ex parte cognoscebat, et ex parte ignorabat : nisi enim eum cognovisset, non tam constanter pro eo disputasset ; et si non ignorasset, non utique

dixisset, *Quis est, Domine?* Isa. xxvi, 9 : *Anima mea desideravit te in nocte*, scilicet ignorantiæ.

3. Sed quia, ut dicitur Sapien. vi, 16 : *Præoccupat eos qui se concupiscunt*, scilicet sapientia ; ideo cæco se concupiscenti dæmonstrat, cum dicit : *Et vidisti eum, et qui loquitur tecum ipse est* : in quo ponitur documentum fidei, quo Christus eum instruit. Et primo commemorat ei susceptum beneficium, dicens : *Et vidisti eum*, scilicet corporaliter, qui prius nullum videbas : quasi dicat : Ab ipso virtutem videndi accepisti. Luc. x, 23 : *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Et Luc. ii, 29 : *Nunc dimittis servum tuum, Domine... quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Secundo ponitur documentum, cum dicit : *Et qui loquitur tecum ipse est.* Heb. i, 2 : *Novissime locutus est nobis in Filio.*

Ex his ergo verbis confutatur error Nestorii, qui dixit aliud suppositum in Christo Filii Dei, aliud Filii hominis. Nam qui loquebatur, ex Maria natus est, et hominis Filius : et ipse idem qui loquitur est Filius Dei, ut Dominus dicit. Non est ergo alius et alius, quamvis natura non sit eadem utriusque.

4. Consequenter cum dicit, *At ille ait, Credo, Domine*, ponitur devotio fidei in cæco. Et primo fidem quam credit corde, confitetur ore [1], dicens : *Credo, Domine.* Rom. x, 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Secundo protestatur eam opere : unde *procidens adoravit eum* : per quod ostendit se credere ejus divinam naturam : quia mundata conscientia cognoscit illum non solum Filium homini, quod exterius videbatur, sed Filium Dei, qui carnem susceperat : nam adoratio debetur soli Deo. Deut. vi, 13 : *Dominum Deum tuum adorabis.*

5. Consequenter cum dicit, *Et dixit ei Jesus* etc. commendatur [2] cæci devotio : et primo ponitur devotionis cæci commendatio ; secundo Judæorum murmuratio, ibi *Audierunt quidam ex Pharisæis* ; tertio murmurantium confutatio ibi, *Dixit eis Jesus : Si cæci essetis, non haberetis peccatum.* Commendatur autem cæcus ex fidei illuminatione : unde dicit : *In judicium ergo in hunc mundum veni.*

Contra. Supra iii, 17 : *Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum* ? etc. Respondeo. Loquitur de judicio condemnationis, de quo dicitur supra v, 29 : *Qui mala egerunt, ibunt in resurrectionem judicii*, idest condemnationis ; ad quod non misit Deus Filium suum in primo adventu, sed potius ad salvandum. Hic vero loquitur de judicio discretionis, de quo dicitur in Psal xlii, 1 : *Judica me Deus, et discerne causam meam* etc. Nam ad hoc venit ut discerneret bonos a malis : et hoc ostendunt verba sequentia, scilicet : *Ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant.* Nam secundum Augustinum, illi non vident qui reputant se videre ; illi autem qui reputant se non videre, vident. Dicuntur autem homines cæci spiritualiter, inquantum habent peccata. Sap. ii, 21 : *Excæcavit eos malitia eorum.* Ille ergo reputat se videntem, qui peccata sua non recognoscit ; non videre autem se reputat qui recognoscit se peccatorem. Primum est proprium superborum ; secundum est humilium. Est ego sensus : *In judicium veni ut non videntes videant* ; ut discernam humiles a superbis. Dies enim erat inter lucem et tenebras discernens, *ut* scilicet, humiles, *qui non vident*, idest reputant se peccatores, *videant*, illuminati per fidem, *et qui vident*, idest superbi, *cæci fiant*, idest remaneant in tenebris. Secundum Chrysostomum, exponitur de judicio condemnationis : ita tamen quod hoc quod dicit, *In judicium ergo in hunc mundum veni*, non accipiatur causaliter, sed consecutive ; quasi dicat : Me veniente in mundum, consecutum est in quibusdam judicium condemnationis, inquantum in aliquibus condemnationis causa magis crevit. Simile dicitur Lucæ ii, 34 : *Ecce positus est in ruinam et in resurrectionem multorum* : non quod ipse sit causa ruinæ, sed quia ex adventu suo hoc consequitur. Et subditur : *Ut qui non vident* scilicet gentiles, carentes lumine divinæ notitiæ, *videant* ; idest, admittantur ad cognitionem Dei. Isa. ix, 2 : *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam* : *et qui vident*, scilicet Judæi, habentes Dei cognitionem : Psal. lxxv, 2 : *Notus in Judæa Deus* : *cæci fiant* ; idest, ab ipsa Dei cognitione excidant. Et hoc expresse tangit Apostolus, Rom. ix, 30 : *Gentes quæ non*

[1] Al. « confitetur eam ore. » — [2] Al. : « hic commendatur. » — [3] Al. : « ut videlicet mundum etc. »

sectabantur justitiam apprehenderunt justitiam.

6. *Et audierunt quidam*, etc. Hic ponitur murmur Judæorum : quia enim verba Domini carnaliter intellexerunt, videntes cæcum corporaliter illuminatum, et intelligentes quod Dominus commendaret in ipso solum lumen faciei et non mentis, crediderunt similiter quod comminaretur eis corporalem cæcitatem, et exprobraret, cum dixit, *Cæci fiant.* Et ideo dicit quod *audierunt quidam ex Pharisæis qui cum ipso erant*, verba prædicta. Ideo autem dicit, *Qui cum ipso erant*, ut ostendat eorum instabilitatem : quia quandoque cum ipso sunt propter aliqua miracula quæ vident; sed tamen ab eo recedunt, cum aperitur eis veritas. Luc. VIII, 13 : *Ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Et dixerunt ei* : *Numquid et nos cæci sumus*? scilicet corporaliter ; quamvis spiritualiter cæci essent. Matth. XV, 14 : *Sinite illos : cæci sunt et duces cæcorum.*

7. *Dixit eis Jesus*, etc. Hic ponitur Judæorum confutatio : ubi, secundum expositionem Augustini, manifestatur intentio præcedentium : ut scilicet ostendatur de qua cæcitate loquitur Dominus, quia de spirituali. Dicit ergo : *Si cæci essetis*, idest vos cæcos reputaretis, recognoscentes per humilitatem peccatum vestrum, *non haberetis peccatum* : quia curreretis ad remedium. Peccatum enim remittitur per gratiam, quæ non datur nisi humilibus. Jac. IV, 6 : *Humilibus autem dat gratiam. Nunc vero dicitis quia videmus;* idest, superbe vos videre putantes, non recognoscitis vos peccatores. *Peccatum vestrum manet*, idest non remittitur. Jac. IV, 6 : *Deus superbis resistit.* Secundum Chrysostomum, exponitur de cæcitate corporali, ut sit sensus : *Si cæci essetis* corporaliter, *non haberetis peccatum* de hoc quod cæci essetis : quia cum sit corporalis defectus, non habet rationem peccati. *Nunc vero quia dicitis, Videmus*, peccatum vestrum magis arguitur; quia videntes oculis corporalibus miracula quæ ego facio, non creditis mihi. Isa. VI, 10 : *Excæca cor populi hujus.* Vel aliter. *Si cæci essetis*, idest ignorantes judiciorum Dei, et sacramentorum legis, *non haberetis peccatum*; supple tantum; quasi dicat : Si ex ignorantia peccaretis, peccatum vestrum non esset adeo grave. *Nunc vero quia dicitis, Videmus*; idest arrogatis vobis scientiam legis et cognitionem Dei, et tamen peccatis : ideo *peccatum vestrum manet*, idest aggravatur. Luc. XII, 47 : *Servus qui scit voluntatem domini sui, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.*

CAPUT DECIMUM

LECTIO I.

1. Amen amen dico vobis : qui non intrat per ostium in olive ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro. 2. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. 3. Huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas ; et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit. 4. Et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. 6. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.

1. Postquam Dominus ostendit quod ejus doctrina habet illuminativam virtutem, hic consequenter ostendit quod habet virtutem vivificativam : et primo ostendit hoc, verbo ; secundo, miraculo : 11 capit., ibi, *Erat autem quidem languens*, etc. Circa primum tria facit. Primo ostendit se habere virtutem vivificativam ; secundo ostendit vivificandi modum, ibi, *Ego sum pastor bonus* etc. ; tertio ostendit vivificandi potestatem, ibi, *Dissensio itaque facta est inter Judæos propter sermones hos.* Prima pars dividitur in tres : primo enim Dominus proponit quamdam parabolam ; secundo Evangelista insinuat necessitatem expositionis ipsius : *Hoc proverbium dixit eis,* etc. ; tertio Dominus exhibet parabolæ expositionem, ibi, *Dixit eis iterum Jesus*, etc. Parabolam autem proponit eis dicens : *Amen dico vobis.* Quæ quidem ex duobus est, scilicet de fure et pastore ovium. Unde circa eam tria facit. Primo proponit conditionem furis et latronis ; secundo pastoris, ibi, *Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium* ; tertio effectum utriusque, ibi, *Et oves illum sequuntur*, etc. Ad intellectum autem hujus, primo considerandum est quæ sint oves, quæ quidem sunt fideles Christi, et qui sunt in gratia Dei. Psal. XCIV, 7 : *Nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus.* Ezech. XXXIII, 17 : *Vos autem oves pascuæ meæ homines estis.* Ovile ergo ovium est congregatio fidelis populi. Mich. II, 12 : *Congregabo Jacob totum te ; in unum conducam reliquias Israel; pariter ponam illum quasi gregem in ovili.* Ostium autem ovilis aliter accipitur secundum Chrysostomum, et aliter secundum Augustinum. Nam secundum Chrysostomum, ostium vocat Christus Scripturas sacras, secundum illud Coloss. IV, 3 : *Orantes simul pro nobis, ut Deus aperiat ostium sermonis.* Dicitur autem sacra Scriptura ostium, ut Chrysostomus dicit, primo quia per ipsam accessum habemus ad Dei cognitionem. Rom. I, 2 : *Quod autem promiserat per*[1] *Prophetas suos in Scripturis sancti de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Secundo, quia sicut ostium oves custodit, ita sacra Scriptura conservat vitam fidelium. Supra V, 39 : *Scrutamini Scripturas : quia vos putatis vitam habere*[2] *in ipsis.* Tertio quia ostium lupos supervenire non permittit : sic sacra Scriptura arcet hæreticos a nocumento fidelium. II Tim. III, 16 : *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia.* Ille ergo non intrat per ostium qui ad docendum populum non ingreditur per sacram Scripturam. Unde Dominus de talibus dicit Matth. XV, 9 : *Sine causa colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum.* Ibid. 6 : *Irritum fecistis mandatum Dei.* Hæc est ergo furis conditio ut non intret per ostium, sed aliunde. Addit autem, *Ascendit* : quod et parabolæ congruit, dum fures non intrantes per ostium, conscendunt parietes, et præcipitant se in ovili. Congruit etiam veritati : quia causa quare aliqui doceant aliter quam sapiat sacra Scriptura, præcipue ex superbia provenit. I Tim. VI, 3 : *Si quis aliter docet, et non acquiescit sacris sermonibus, superbus est, nihil sciens.* Et quantum ad hoc dicit, *Accendit*, scilicet per superbiam. Qui, inquantum, sic *aliunde ascendit, ille fur est*, rapiendo quod non est suum, *et latro*, occidendo quod rapit. Abdiæ V : *Si fures intrassent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses?* Et secundum hanc exposi-

[1] Al. deest : « per. » — [2] Al. omittitur : « habere. »

tionem, continuatur ad præcedentia hoc modo. Quia enim Dominus dixerat : *Si cæci essetis, non haberetis peccatum* : possent respondere Judæi, et dicere : Non est ex nostra cæcitate quod tibi non credimus, sed ex tuo errore, propter quem a te avertimur. Et ideo Dominus hoc excludens, vult ostendere quod non est erroneus, quia intrat per ostium, idest per sacram Scripturam ; idest, docet ea quæ sacra Scriptura continet.

Sed contra hoc est, quod Dominus infra, eodem, exponens, dicit : *Ego sum ostium* etc., ex quo videtur quod per ostium debet intelligi Christus. Ad quod Chrysostomus dicit, quod in hac parabola Dominus dicit se esse et ostium et pastorem : unde secundum quod ipse diversimode se vocat, diversimode dicitur ostium : quia secundum quod dicit se pastorem, oportet quod aliud sit ostium quam ipse, quia non est idem pastor et ostium. Nihil autem aliud a Christo convenientius potest dici ostium quam sacra Scriptura, propter rationes prædictas. Convenienter ergo sacra Scriptura ostium dicitur.

Secundum Augustinum, hic per ostium intelligitur Christus : et hoc, quia [1] per ipsum intratur. Apoc. IV, 1 : *Post hoc vidi ostium magnum*, etc. Quicumque ergo intrat in ovile, oportet quod per ostium, scilicet Christum, intret, et non aliunde. Sed attendendum est, quod intrare in ovile competit pastori et ovi : ovi quidem, ut ibi conservetur : pastori autem, ut oves conservet. Si ergo velis intrare sicut ovis, ut ibi conserveris, vel sicut pastor, ut oves conserves ; oportet te per Christum intrare in ovile, non aliunde quam per Christum, sicut philosophi, qui tractaverunt de principalibus virtutibus, et Pharisæi, qui cæremoniales traditiones statuerunt. Sed isti non sunt pastores neque oves, quia et Dominus dicit, *qui non intrat per ostium in ovile ovium*, scilicet per Christum, *sed aliunde, fur est, et latro* ; quia se et alios occidit. Nam Christus est ostium ovilis, idest congregationis fidelium, et non alius. Rom. V, 1 : *Pacem habemus per Christum ad Deum, per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Actor. IV, 12 : *Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Et secundum hanc expositionem continuatur ad præcedentia hoc modo. Quia enim dicebant se videre sine Christo, secundum quod dixit : *Nunc quia dicitis, Videmus, peccatum vestrum manet :* ideo Dominus ostendit hoc esse falsum, quia non intrant per ostium ; dicens : *Amen, amen dico vobis.* Sciendum autem, quod ut qui sicut ovis per ostium non intrat, non potest conservari ; ita nec qui ut pastor intrat, conservare potest, nisi per ostium intret, scilicet per Christum ; per quod quidem ostium intraverunt veri pastores, de quibus Hebr. V, 4 : *Nemo sibi assumit honorem* [2], *sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* Mali vero pastores non intrant per ostium, sed per ambitionem, et potentiam sæcularem, et simoniam ; et isti sunt fures et latrones. Oseæ VIII, 4 : *Ipsi regnaverunt, et non cognovi* [3]*;* idest, non approbavi. Et dicit, *Sed ascendit aliunde* : quia ostium istud, scilicet Christus, cum sit parvum per humilitatem : Matth. XI, 29 : *Discite a me, quia mitis sum* [4] : non possunt intrare nisi qui Christi humilitatem imitantur. Qui ergo non intrant per ostium, aliunde ascendunt, idest superbi sunt, et non imitantur illum qui, cum Deus esset, factus est homo ; et humilitatem suam non recognoscunt [5].

2. *Qui autem intrat*, etc. Hic agit de pastore : et primo ponit pastoris conditionem : secundo ostendit per signa quod iste sit pastor, ibi, *Huic ostiarius aperit.* Conditio autem veri pastoris est intrare per ostium, idest testimonia sacræ Scripturæ ; unde dicebat, Luc. ult. 44 : *Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me.* Pastor dicitur [6] Hier. XVII, 16 : *Ego non sum turbatus te pastorem sequens.* Eccli. XVIII, 13 : *Qui misericordiam habet* [7], *docet et erudit sicut pastor gregem suum.* Sed si Christus intelligatur per ostium, ut Augustinus exponit, sic intrans per ostium, intrat per seipsum. Et hoc est proprium Christi : nam nullus potest intrare ostium, scilicet ad beatitudinem, nisi per veritatem : quia nihil aliud est beatitudo quam gaudium de veritate : Christus autem inquantum

[1] Al. omittitur : « quia. » — [2] Al. : « hanc rem. » — [3] Al.: « etc. et dicit. » — [4] Al.: « deest hæc Scripturæ sententia.» — [5] Al.: « recognoscit. » — [6] Al. : « pastor verus etc. »— [7] Al.: « sicut pastor etc. »

Deus, veritas est : et ideo inquantum homo, intrat per seipsum, scilicet per veritatem, quæ est ipse inquantum Deus. Nos autem non sumus ipsa veritas, sed sumus filii lucis per participationem lucis veræ et increatæ : et ideo oportet nos per veritatem, quæ est Christus, intrare. Infra xvii, 17 : *Sanctifica eos in veritate.* Infra (hoc cap.) : *Per me si quis introierit, salvabitur.* Sed si quis etiam intrare vult ut pastor, oportet quod intret per ostium, idest Christum, scilicet secundum ejus veritatem, voluntatem et ordinationem : unde dicitur Ezech. xxxiv, 23 : *Dabo eis pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David* : quasi diceret : Per me dari debent, et non per alios, seu per seipsos.

3. *Huic ostiarius* etc. Hic ponit signa boni pastoris, quæ sunt tria. Primum sumitur ex parte ostiarii, scilicet quod ab eo introducatur ; et quantum ad hoc dicit : *Ostiarius aperit* : qui scilicet ostiarius, secundum Chrysostomum, ille est qui viam aperit ad cognitionem sacræ Scripturæ : qui primus fuit Moyses, qui sacras Scripturas primus accepit et instituit : et hic aperit Christo : quia, ut dicitur supra v, 46 : *Si crederetis Moysi, crederetis forte et mihi* : *de me enim ille scripsit.* Vel secundum Augustinum, ostiarius est ipsemet Christus, quia ipsemet introducit homines ad seipsum. Dicit : « Ipse se aperit, qui seipsum exponit, et non nisi per ejus gratiam intramus. » Ephes. ii, 8 : *Gratia salvati estis.* Nec refert si Christus, qui est ostium, ipse idem sit ostiarius ; nam quædam in spiritualibus congruunt quæ in corporalibus esse non possunt. Magis autem differre videtur pastor et ostium quam ostium et ostiarius. Cum ergo Christus dicatur pastor et ostium, ut dictum est, multo magis potest dici ostium et ostiarius. Sed si aliam personam ostiarii quæris quam Moysem et Christum, vide ostiarium Spiritum sanctum, ut Augustinus dicit. Ad officium enim [1] ostiarii pertinet ut ostium aperiat ; et de Spiritu sancto dicitur infra xvi, 13 : *Docebit vos omnem veritatem.* Christus enim est ostium, inquantum est veritas. Secundum signum sumitur ex parte ovium : scilicet quod ei obediant : et hoc est quod dicit : *Et oves vocem ejus audiunt* : quod quidem, si ex similitudine naturalis pastoris attenditur, rationabiliter dicitur : quia sicut oves ex consueta imaginatione recognoscunt vocem pastoris, sic et fideles justi vocem Christi audiunt. Psalm. xciv, 8 : *Hodie si vocem ejus audieritis.*

Sed contra. Multi sunt oves Christi, qui tamen vocem ejus non audierunt, sicut Paulus. Item aliqui audierunt, et non fuerunt oves, sicut Judas. Ad quod dici posset, quod Judas pro tempore illo ovis Christi erat, quantum ad præsentem justitiam. Paulus autem quando vocem Christi non audiebat, non erat ovis, sed lupus ; sed vox Christi adveniens mutavit lupum in ovem. Hæc autem responsio sustineri posset, si non contrariaretur ei quod dicit Ezech. iv, 4 : *Quod confractum fuerat non alligastis, et quod erroneum est, non reduxistis.* Ex quo videtur quod adhuc quando confractæ et erroneæ erant, oves erant. Et ideo dicendum, quod loquitur hic Dominus de ovibus suis, non solum secundum præsentem justitiam, sed etiam secundum æternam prædestinationem. Est enim quædam vox Christi quam nullus nisi prædestinatus audire potest, scilicet, « *qui perseveraverit usque ad finem* : » Matth. x, 22. Ideo etiam dicit : *Et oves vocem ejus audiunt* : quia possent se excusare de eorum infidelitate, dicentes, quod non solum ipsi, sed etiam nullus ex principibus credit in eum. Unde ad hoc respondens, dicit : *Et oves vocem ejus audiunt;* quasi dicat : Ideo ipsi non credunt, quia non sunt de ovibus meis.

Tertium signum sumitur ex actibus ipsius pastoris : et quantum ad hoc dicit : *Proprias oves vocat nominatim.* Ubi ponit quatuor actus boni pastoris. Primo quidem quod oves cognoscit : unde dicit, quod *proprias oves vocat nominatim* : in quo ostendit cognitionem, et familiaritatem suam ad oves : illos enim ex nomine vocamus quos familiariter cognoscimus. Exod. xxxiii, 17 : *Ego novi te ex nomine.* Et quidem ad officium boni pastoris pertinet, secundum illud Prov. xxvii, 23 : *Diligenter considera vultum pecoris tui.* Et hoc quidem convenit Christo secundum præsentem cognitionem, vel magis secundum æternam prædestinationem, quas ab æterno nomine tenus novit. Psal. cxliv, 4 : *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat.* II Tim. ii, 19 : *Novit Dominus qui*

[1] Al. deest : « enim. »

sunt ejus. Secundo vero quod eas educit, idest segregat a societate impiorum. Psal. CVI, 14 : *Eduxit eos de tenebris et umbra mortis*. Tertio, quia jam eductas ab impiis, et inductas in ovile, iterum *eduxit eas* ex ovili. Primo quidem in salutem aliorum. Isa. ult., 19 : *Mittam ex eis qui salvati fuerint in Lydiam*. Matth. X, 16 : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum ;* ut scilicet de lupis faciatis oves. Secundo vero in directionem et viam salutis æternæ. Luc. I, 79 : *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*. Quarto vero eas præcedit exemplo bonæ conversationis : unde dicit : *Et ante eas vadit*, quod quidem in pastore corporali non est; quin potius sequitur, secundum illud Psalm. LXXVII, 70 : *De post fœtantes accepit eum*. Bonus autem pastor ante eas vadit per exemplum. I Petr. ult. 3 : *Neque ut dominantes in clero*, *sed forma facti gregis ex animo*. Christus autem utraque missione ante eas vadit : quia primus pro doctrina [1] veritatis mortem subiit. Matth. XVI, 24 : *Si quis vult post me venire*, *abneget semetipsum*, *et tollat crucem suam*, *et sequatur me :* et præcessit omnes in vitam æternam. Mich. II, 13 : *Ascendit pandens iter ante eos*.

4. *Et oves illum* etc. Hic agit de effectu utriusque, furis scilicet, et pastoris in ovibus : et primo ponit effectum boni pastoris; secundo effectum lupi et furis, ibi, *Alienum autem non sequuntur*. Dicit ergo quod dictum est de conditionibus utriusque, scilicet *oves sequuntur illum,* qui scilicet ante eas vadit : et hoc quidem in promptu est, quia subditi sequuntur vestigia prælatorum, ut dicitur I Petr. II, 21 : *Christus passus est pro nobis*, *vobis relinquens exemplum*, *ut sequamini vestigia ejus*. Job. XXIII, 11 : *Vestigia ejus secutus est pes meus*. Et hoc ideo, *quia sciunt vocem ejus*, idest cognoscunt et delectantur in ea. Cant. II, 14 : *Sonet vox tua in auribus meis* : *vox enim tua dulcis*.

5. Effectus autem furis est ut oves eum non diu sequantur, sed ad tempus : unde dicit : *Alienum autem non sequuntur;* idest, doctorem mendacem et hæreticum non sequuntur. Psal. XVII, 46 : *Filii alieni mentiti sunt mihi*. Sic et Paulus doctores mendaces non diu secutus est. *Sed fugiunt ab eo* : et hoc ideo, quia, ut dicitur I Corinth. XV, 33, *corrumpunt bonos mores colloquia prava*. Ideo autem fugiunt, *quia non noverunt*, idest non approbant, *vocem alienorum*, idest doctrinam eorum, quæ serpit ut cancer.

LECTIO II.

1. Hoc proverbium dixit eis Jesus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis. 2. Dixit ergo eis iterum Jesus : Amen amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium. 3. Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones ; sed non audierunt eos oves. Ego sum ostium. 4 Per me si quis introierit, salvabitur : 5. Et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet. 6. Fur non venit nisi ut furetur et mactet et perdat. 7. Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.

1. Hic ponit Evangelista necessitatem exponendi supra positam [2] similitudinem : quæ quidem necessitas causatur ex audientium ignorantia. Primo vero tangit ignorantiæ causam ; secundo ipsam ignorantiam manifestat. Causa autem ignorantiæ fuit proverbialis Christi locutio : et hoc est quod dicit : *Hoc proverbium dixit eis Jesus*. Proverbium autem dicitur proprie quando loco alterius ponitur aliud ; cum scilicet unum verbum ex similitudine alterius datur intelligi : quod etiam parabola dicitur. Loquebatur autem in proverbiis Dominus primo quidem propter malos, ut mysteria regni cœlestis eis occultaret. Luc. VIII, 10 : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei*, *ceteris autem in parabolis*. Secundo vero propter bonos, ut ex proverbiis exercerentur ad inquirendum : unde postquam Dominus turbis proverbia seu parabolas proposuit, discipuli seorsum Christum interrogabant, ut habetur Matth. XIII, et Marc. XIV. Unde et Augustinus dicit : « Pascit Dominus manifestis » scilicet fideles urbes, « exercet obscuris » scilicet discipulos. Ignorantiam manifestat, cum dicit : *Illi autem non intellexerunt quid loquerentur*. Ignorantia autem quæ proveniebat ex proverbiis a Christo propositis, utilis quidem erat, et damnosa. Sed utilis bonis et justis ad exercitium [3] in Dei laudem quærentibus [4] : nam dum ea non intelligunt, credunt,

[1] Al. : « per doctrinam. » — [2] Al. : « suppositam. » — [3] Al. : « utilis quidem bonis et justis exercitium. » — [4] Al. omittitur : « quærentibus. »

glorificant Dominum, et ejus sapientiam supra se existentem. Prov. xxv, 2 : *Gloria Dei est celare Verbum.* Damnosa autem malis, quia non intelligentes, blasphemant, secundum illud in Canon. Judæ vers. x : *Quæcumque ignorant, blasphemant* [1]. Nam, ut Augustinus dicit, cum verba Evangelii audiunt pius et impius, et ambo non intelligunt, pius dicit : Verum est et bonum est quod dicit ; sed nos non intelligimus : et hic quidem jam pulsat, cui dignum est aperiri ; sed si persistat impius dicit : Nihil dixit, malum est quod ait.

2. Hic Dominus exponit similitudinem. Si autem recte consideretur prædicta similitudo, duas principales clausulas continebat, ad quas aliæ consequuntur. Quarum prima est : *Qui non intrat per ostium in ovile ovium.... ille fur est et latro.* Secunda vero est : *Qui intrat per ostium, pastor est ovium.* Et ideo ista pars dividitur in duas : primo enim exponit primam clausulam ; secundo secundam, ibi, *Ego sum pastor bonus.* Circa primum duo facit. Primo exponit quæ prima clausula continebat ; secundo probat ea, ibi, *Ego sum ostium.* Fit autem mentio in prima clausula de ostio, fure, et latrone. Primo exponit primum ; secundo secundum, *Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones.* Quantum ad primum dicit : *Dixit ergo eis iterum Jesus*, ut scilicet eos attentiores [2] reddat, et intelligerent similitudinem. Prov. i, 6 : « *Animadvertet parabolam et interpretationem* etc. » *Amen amen dico vobis*, idest vere : *Ego sum ostium :* officium enim ostii est ut per ipsum quis ad domus interiora ingrediatur ; et hoc Christo convenit : nam per eum oportet quemlibet ad Dei secreta intrare. Psal. cxvii, 10 : *Hæc porta Domini* (scilicet Christus) *et justi intrabunt in eam.* Dicit autem, *Ovium*, quia non solum pastores per Christum introducuntur in præsentem Ecclesiam, vel in æternam beatitudinem per Christum ingrediuntur ; sed etiam oves : unde infra eodem : *Oves meæ vocem meam audiunt..... et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis.*

3. Consequenter cum dicit, *Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones*, exponit quod dixit de fure et latrone : et primo ostendit quis sit fur et latro ; secundo ponit signum hujus.

Circa primum autem cavendus est error Manichæorum, qui damnantes vetus testamentum ex hoc quod dicitur : *Omnes quotquot venerunt, fures sunt* : dicunt, patres veteris testamenti, qui fuerunt ante Christum, malos fuisse et damnatos. Sed hoc esse falsum apparet ex tribus. Primo quidem ex his quæ in parabola dicta sunt. Quod [3] enim hic dicitur, *Omnes quotquot venerunt* [4], ponitur ut expositivum præcedentium ; ibi autem dicitur, quod intraverunt, etc. Illi ergo *omnes quotquot veniunt*, scilicet non per me, idest non intrantes per ostium, *fures sunt et latrones.* Constat autem quod Patriarchæ et Prophetæ omnes per ostium, idest Christum, intraverunt, quos Christus venturus præcones mittebat. Licet enim ex tempore carnem acceperit, et factus fuerit homo, ab æterno tamen erat Verbum Dei. Heb. xiii, 8 : *Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula.* Prophetæ autem missi sunt per Verbum Dei et Sapientiam. Sap. vii, 27 : *Per nationes in animas sanctas se transfert* (scilicet Dei Sapientia) *Prophetas et amicos Dei constituit.* Et ideo signanter in Prophetis legimus Verbum Domini factum esse ad hunc vel ad illum Prophetam, qui per participationem Verbi Dei prophetaverunt. Secundo ex hoc quod Dominus dicit, *Venerunt*, quasi dicat, propria auctoritate, et non a Deo missi, seipsos ingerentes : de quibus Hier. xxiii, 21 : *Non mittebam eos, et ipsi currebant.* Isti quidem non venerunt a Verbo Dei. Ezech. xiii, 3 : *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident.* Tales non fuerunt Patres veteris testamenti, ut dictum est. Tertio ex ipso facto, quod ostendit verborum consequentia : nam hic dicitur : *Non audierunt eos oves.* Illi ergo quos audierunt oves, non fuerunt fures et latrones. Populus autem Israel Prophetas audivit. Propterea illi qui non audierunt, in sacra Scriptura vituperantur. Act. vii, 52 : *Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri ?* Matth. xxiii, 37 : *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt.*

Sic ergo errore excluso, dicendum

[1] Al. : « deest hæc Scripturæ sententiæ. » — [2] Al. : « anteriores. » — [3] Al. : « hoc quod. » — [4] Al. desunt verba sequentia usque ad : « scilicet non per me. »

est : *Omnes quotquot venerunt*, scilicet præter me, et præter divinam inspirationem et auctoritatem, et non cum intentione divinæ gloriæ quærendæ, sed propriæ usurpandæ, *fures sunt*, inquantum quod non suum est, scilicet docendi auctoritatem, sibi usurpant : Isa. I, 23 : *Principes tui infideles socii furum* : *et latrones*, quia per pravam doctrinam occidunt. Matth. XXI, 13 : *Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Oseæ VI, 9 : *Particeps latronum interficientium in via pergentes.* Sed *eos*, scilicet fures et latrones, *oves*, prædestinatæ, *non audierunt*, scilicet perseveranter; alias non fuissent de ovibus Christi : quia *alienum non sequuntur, sed fugiunt ab eo* : ut dicitur supra, eodem. Hoc etiam præcipitur Deut. III, 1 : *Non audias verba illius prophetæ aut somniatoris.*

Ego sum ostium. Hic manifestat expositionem et primo expositionem ostii ; secundo furis, ibi, *Fur non venit.* Circa primum duo facit. Primo resumit quod intendit exponere ; secundo exponit. Resumit autem quod dixit, *Ego sum ostium.* Cantic. ult. 9 : *Si est ostium, compingamus illud tabulis cedrinis*, idest attribuamus ei virtutem imputrescibilem.

4. Exponit autem cum dixit, *Per me si quis introierit salvabitur.* Ubi primo ostendit quod competit ei usus ostii, qui est salvare oves ; secundo insinuat salvationis modum, ibi, *Ingredietur et egreditur.* Salvat autem ostium arcendo interiores ne progrediantur, et defendendo ab exterioribus, ne invadantur. Et hoc competit Christo : nam per ipsum salvamur et protegimur : et hoc est quod dicit : *Per me*, scilicet ostium, *si quis*, non fictus, *introierit*, ad societatem Ecclesiæ et fidelium, *salvabitur* : supple, si perseveraverit. Act. IV, 12 : *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Rom. V, 10 : *Multo magis salvi erimus in vita ipsius.*

5. Modus autem salutis ponitur cum dicit, *Et ingredietur et egredietur et pascua inveniet :* quæ quidem verba quadrupliciter exponi possunt. Primo quidem, secundum Chrysostomum, nihil aliud debet intelligi quam securitas et libertas adhærentium Christo : nam qui aliunde ascendit quam per ostium, non habet liberum introitum et exitum ; qui vero per ostium intrat, habet [1] liberum introitum et exitum : quia libere potest exire. Cum ergo dicit, *Ingredietur et egredietur*, est sensus, secundum hanc similitudinem, quod Apostoli adhærentes Christo, cum securitate ingrediuntur, conversando cum fidelibus qui intra Ecclesiam sunt, et cum infidelibus qui sunt extra, quando totius orbis terrarum facti sunt domini [2], et nullus eos ejicere voluit. Num. XXVII, 16 : *Provideat Dominus Deum spiritum universæ carnis hominem super populum istum, qui possit ingredi et egredi : ne sit populus Domini, sicut oves absque pastore. Et pascua inveniet*, idest, delectationem in conversione, et gaudium etiam in persecutionibus infidelium pro Christi nomine habebant : secundum illud Act. V, 41 : *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.*

Secundo potest exponi, secundum Augustinum super Joannem. Cuilibet bene agenti duo incumbunt : scilicet ut bene se habeat ad ea quæ intra ipsum sunt, et ad ea quæ extra. Interius autem in homine est spiritus, exterius autem est corpus. II Corinth. IV, 16 : *Licet is qui foris est homo noster corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem.* Ille ergo qui Christo adhæret, ingredietur quidem per contemplationem ad custodiam conscientiæ : Sapien. VIII, 16 : *Intrans domum meam* (scilicet conscientiam), *conquiescam cum illa*, scilicet sapientia : *et egredietur*, foras, scilicet per bonam actionem, ad domandum corpus : Psal. CIII, 23 : *Exibit homo ad opus suum et ad operationem suam usque ad vesperum* : *et pascua inveniet*, scilicet in conscientia munda et devota : Psal. XVI, 15 : *Apparebo conspectui tuo* [3], *satiabor cum apparuerit gloria tua* : et in actione, *pascua inveniet*, scilicet fructus. Psal. CXXV, 6 : *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.*

Tertia expositio est etiam ejusdem, et Beati Gregorii super Ezech., ut sit sensus : *Ingredietur*, in Ecclesiam, credendo ; Psal. XLI, 5 : *Transibo in locum tabernaculi admirabilis* : quod est ingredi in Ecclesiam militantem : *et egredietur*, scilicet de militante ad Ecclesiam triumphantem : Cant. III, 11 : *Egredimini filiæ Sion, et videte regem Salomonem in dia-*

[1] Al. : « qui vero per ostium, non habet etc. » — [2] Al. : « facti ut domini. » — [3] Al. : « introibo in conspectu tuo. »

demate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et pascua inveniet, in Ecclesia militante, scilicet doctrinæ et gratiæ : Psalm. xxii, 2 : *In loco pascuæ ibi me collocavit* : et in Ecclesia triumphante, scilicet gloriæ. Ezech. xxxiv, 14 : *In pascuis uberrimis pascam eas.*

Quarto exponitur in libro *De spiritu et anima*, qui Augustino attribuitur, cujus tamen non est : ubi dicitur, quod *ingredientur*, scilicet sancti, ad contemplandam divinitatem Christi, *et egredientur*, ad ejus humanitatem considerandam ; et in utroque *pascua invenient*, quia in utroque gaudia contemplationis gustabunt. Isa. xxxiii, 17 : *Regem in decore suo videbunt.*

6. *Fur non venit*, etc. Hic agitur de fure. Et primo ponit furis proprietatem; secundo asserit sibi contrariam proprietatem inesse, ibi, *Ego veni ut vitam habeant* etc. Dicit ergo, quod illi qui non intrant per ostium, idest qui venerunt præter me, ipsi fures sunt et latrones, quorum conditio mala est. Nam primo quidem *fur non venit nisi ut furetur*, idest ut usurpet quod non est suum, cum scilicet seditiosi et hæretici eos qui Christi sunt, sibi adjungunt. Psal. ix, 4 : *Insidiatur ut rapiat pauperem.* Secundo fur venit *ut mactet*, idest occidat inducendo perversam doctrinam et pravos mores. Oseæ vi, 9 : *Particeps latronum interficientium in via pergentes de Sichem.* Tertio ut perdat immittendo in perditionem æternam. Hierem. l, 5 : *Grex perditus factus est populus meus.* Quæ quidem conditiones non sunt in me.

7. *Ego veni ut vitam habeant;* quasi dicat : Isti non per me venerunt, quia similia agerent his quæ ego ago ; sed ipsi contrarium agunt : quia furantur, occidunt et perdunt. *Ego veni ut vitam habeant*, scilicet justitiæ, ingredientes Ecclesiam militantem per fidem. Hab. ii, et Rom. i, 17 : *Justus autem ex fide vivit.* De ista vita dicitur I Joan. iii, 14 : *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Et abundantius habeant*, scilicet vitam æternam, egredientes de corpore : de qua vita æterna dicitur infra xvii, 3 : *Ut cognoscant te solum verum Deum.*

LECTIO III.

1. Ego sum pastor bonus. 2. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. 3. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit. 4. Et lupus rapit, et dispergit oves. 5. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.

1. Hic exponit secundam clausulam præmissæ parabolæ, scilicet, *Qui intrat per ostium, pastor est ovium.* Et primo ponit expositionem ; secundo manifestat eam, ibi, *Ego sum pastor bonus* etc. Exponit autem illam particulam, dicens se esse pastorem bonum ; secundo subdit boni pastoris officium, ibi, *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis ;* tertio ostendit de malo pastore contrarium, ibi, *Mercenarius autem .. videt lupum venientem, et fugit.* Dicit ergo quantum ad primum : *Ego sum pastor bonus.* Quod autem Christus sit pastor, manifeste ei competit : nam sicut per pastorem grex gubernatur et pascitur, ita fideles per Christum spirituali cibo, et etiam corpore et sanguine suo reficiuntur. I Pet. ii, 25 : *Eratis aliquando sicut oves non habentes pastorem ; sed conversi estis nunc ad pastorem et Episcopum animarum vestrarum.* Isa. xl, 11 : *Sicut pastor gregem suum pascet.* Sed ad differentiam mali pastoris et furis addit, *Bonus.* Bonus, inquam, quia implet pastoris officium, sicut bonus miles dicitur qui implet militis officium. Sed cum Christus dixerit supra, pastorem intrare per ostium, hic autem dicat se esse pastorem ; oportet quod ipse per [1] semetipsum intret. Et quidem per seipsum intrat, quia seipsum manifestat, et per seipsum novit Patrem. Nos autem per illum intramus, quia per ipsum beatificamur. Sed attende, quod nullus alius est ostium nisi ipse, quia nullus alius est lux vera, sed per participationem. Supra i, 8 : *Non erat ille lux*, scilicet Joannes Baptista, *sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Sed de Christo dicitur : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem.* Et ideo esse ostium nemo se dicit : hoc sibi ipse Christus proprie retinuit ; esse autem pastorem, aliis communicavit, et membris suis dedit : nam et Petrus pastor, et

[1] Al. omittitur : « per. »

ceteri Apostoli pastores fuerunt, et omnes boni Episcopi. Hier. III, 5 : *Dabo vobis pastores secundum cor meum*. Licet autem præpositi Ecclesiæ, qui filii sunt, omnes pastores sint, ut Augustinus dicit : ideo tamen singulariter dicit, *Ego sum pastor bonus*, ut insinuet virtutem caritatis. Nullus enim est pastor bonus nisi per caritatem efficiatur unum cum Christo, et fiat membrum veri pastoris.

2. Officium boni pastoris est caritas ; unde dicit : *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*. Sciendum est enim, quod differentia est inter bonum pastorem et malum : nam bonus pastor intendit commodum gregis ; malus autem commodum proprium : et hæc differentia tangitur Ezech. XXXIV, 2 : *Væ pastoribus qui pascunt semetipsos. Nonne greges pascuntur a pastoribus ?* Qui igitur utitur grege ut semetipsum tantum pascat, non est pastor bonus. Ex quo sequitur quod pastor malus, etiam corporalis, nullum detrimentum vult sustinere pro grege, cum non intendat eorum commodum, sed proprium. Bonus vero pastor, etiam corporalis, sustinet multa pro grege, cujus bonum intendit : unde Jacob dixit Genes. XXXI, 40 : *Nocte ac die gelu urebar et æstu*. Sed in corporalibus pastoribus non exigitur a bono pastore ut exponat se morti propter salutem gregis. Sed quia spiritualis gregis salus præponderat corporali vitæ pastoris, ideo cum periculum imminet de gregis salute, debet quisque spiritualis pastor, corporalis vitæ sustinere dispendium pro gregis salute : et hoc est quod Dominus dicit : *Bonus pastor animam suam*, idest vitam corporalem, *ponit pro ovibus suis*, idest auctoritate et caritate. Utrumque enim exigitur, et quod ad eum pertineant, et quod eas amet : nam primum sine secundo non sufficit. Hujus autem doctrinæ Christus nobis exemplum præbuit. I Joan. IV, 16 : *Si Christus posuit animam suam pro nobis, et nos debemus pro fratribus animas ponere*.

3. *Mercenarius autem* etc. Hic agit de malo pastore, ostendens ei contrarias conditiones inesse a conditionibus boni pastoris. Et primo ponit mali pastoris conditiones ; secundo ostendit quomodo ipsæ conditiones se invicem consequuntur, ibi, *Mercenarius autem... fugit*. Circa primum duo facit. Primo ponit conditiones mali pastoris ; secundo insinuat periculum imminens gregi, ex malo pastore, ibi, *Et lupus rapit* etc.

Notandum autem, quod ex his quæ dicta sunt de bono pastore et his quæ dicuntur de malo, triplex differentia conditionum ipsorum, scilicet boni et mali pastoris, accipi potest. Prima quidem distinctio accipitur quantum ad intentionem ; secunda quantum ad affectum ; tertia quantum ad sollicitudinem. Differunt ergo primo in intentione, et hoc ex nomine utriusque : nam primus dicitur pastor, ex quo datur intelligi quod intendit pascere gregem. Ezech. XXXIV, 2 : *Nonne greges pascuntur a pastoribus ?* Iste autem, scilicet malus, dicitur mercenarius, quasi mercedem quærens : ut sic differant in hoc : quod bonus pastor quærit utilitatem gregis ; mercenarius autem principalius commodum proprium. Hæc etiam differentia est inter regem et tyrannum, ut Philosophus dicit, quia rex in suo regimine intendit utilitatem subditorum ; tyrannus vero utilitatem propriam : unde est sicut mercenarius. Zach, II, 12 : *Si bonum est in oculis vestris, afferte mihi mercedem*.

Sed numquid possunt quærere etiam boni pastores mercedem? Videtur quod sic. Eccl. XXXVI, 18 : *Da mercedem, Domine, sustinentibus te*. Isa. XL, 10 : *Ecce merces ejus cum eo*. Et Luc. XV, 17 : *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus !*

Respondeo dicendum, quod merces potest accipi dupliciter : scilicet communiter et proprie. Communiter quidem, omne quod meritis redditur, dicitur merces : et quia vita æterna, quæ est Deus : I Joan. ult. 20 : *Hic est verus Deus, et vita æterna :* meritis redditur ; ideo ipsa vita æterna merces dicitur. Et hanc mercedem potest et debet quærere quilibet bonus pastor. Proprie autem dicitur merces aliquid segregatum ab hereditate ; et ad hanc non debet habere respectum ille qui est verus filius, ad quem spectat hereditas ; sed ad eam respectum habent servi et mercenarii. Unde, cum vita æterna sit hereditas nostra : qui operatur habens ad eam respectum, operatur ut filius ; qui vero intendit aliquid seorsum ab ea (puta terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet) mercenarius est.

Secundo distinguuntur quantum ad sollicitudinem : quia de bono pastore dicitur quod oves sunt suæ, non solum commis-

sione, sed etiam amore et sollicitudine. Phil. I, 7 : *Eo quod habeam vos in corde*, etc. : sed de mercenario dicitur : *Cujus non sunt oves propriæ;* idest, earum sollicitudinem non habet. Ezech. XXXIV, 8 : *Neque quæsierunt pastores gregem meum, sed pascebant semetipsos.* Tertio differunt quantum ad affectum : nam bonus pastor qui diligit gregem, animam suam dat pro eo; idest, exponit se periculo vitæ corporalis. Malus autem, quia nullum affectum habet ad gregem, fugit cum videt lupum. Unde dicit : *Videt lupum venientem, et dimittit oves.*

Lupus iste tripliciter accipitur. Primo quidem diabolus tentans. Eccl. XIII, 21 : *Sed si communicabit aliquando lupus cum agno, sic peccator justo.* Secundo vero hæreticus mactans. Matth. VII, 15 : *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium.* Act. XX, 29 : *Ego scio quoniam*[1] *intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* Tertio tyrannus sæviens. Ezech. II, 27 : *Principes ejus in medio ejus quasi lupi.* Debet ergo bonus pastor [2] contra hunc lupum triplicem, subditum gregem tueri : dum scilicet videns lupum, idest tentationem diabolicam, deceptionem hæreticam, et sævitiam tyrannicam, opponit se : contra quod dicitur Ezech. XIII, 5 : *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel.* Et ideo dicitur de malo pastore, quod *fugit et dimittit oves.* Zach. II, 17 : *O pastor, et idolum derelinquens gregem;* quasi dicat : Non es [3] pastor, sed similitudinem et idolum geris pastoris. Hier. XLVI, 21 : *Mercenarii ejus in medio ejus, quasi vituli saginati versi sunt, et fugerunt simul, nec stare potuerunt.*

Sed contra hoc est quod dicitur Matth. V, 11 : *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Ergo videtur quod licet pastori fugere. Respondeo dicendum quod ad hoc est duplex solutio. Una est Augustini *Super Joannem.* Est enim duplex fuga [4]; scilicet animi et corporis. Quod autem hic dicitur, *Dimittit oves et fugit,* intelligitur de fuga animi : nam dum malus pastor a lupo sibi periculum metuit, resistere ejus injustitiæ non præsumit; sed fugit non mutando locum, sed subtrahendo solatium, refugiens scilicet gregis sollicitudinem. Sed hæc expositio necessaria est quantum ad primum lupum : nam contra diabolum non oportet corporaliter fugere. Sed quia contingit etiam aliquem pastorem fugere corporaliter propter aliquos lupos, scilicet hæreticum habentem potestatem et tyrannum; ideo adhibenda est alia responsio, quam Augustinus ponit in *Epistola ad Honoratum.* Nam, ut ipse dicit, videtur quod liceat etiam corporaliter fugere lupos, non solum ex auctoritate Domini supra posita, sed etiam exemplo sanctorum aliquorum : puta Athanasii et aliorum, persecutores fugientium. Non enim quia fugit, sed quia dimittit oves vituperatur : unde si posset fugere non dimittendo oves, non esset vituperabile. Contingit enim aliquando quod quæritur persona prælati; aliquando totus grex. Manifestum est autem quod si quæratur sola persona prælati, possunt alii loco sui ad gregis custodiam deputari, qui vice sui consolentur et gubernent gregem. Unde si sic fugiat, non dicitur dimittere oves; et hoc modo, in casu, fugere licet. Si autem quæratur totus grex : aut oportet quod pastores omnes simul sint cum ovibus, aut oportet quod aliqui ex eis remaneant, et aliqui recedant. Si autem totaliter deserant gregem, tunc eis competit quod hic dicitur : *Videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit.*

4. Hic ponitur periculum imminens, quod est duplex. Unum est ovium rapina : unde dicit : *Lupus rapit*; scilicet, quod alienum est, sibi usurpat. Fideles enim Christi sunt ejus oves. Tunc igitur aliquis heresiarcha et lupus rapit oves, quando fideles Christi ad doctrinam suam falsam attrahit. Ezech. XXXIV, 8 : *Factus est grex meus in direptionem omnium bestiarum agri.* Aliud periculum est ovium dispersio : unde dicit, *Et dispergit oves*, inquantum aliqui seducuntur, et aliqui persistunt. Ezech. XXIV, 6 : *Dispersi sunt greges mei*; *et non erat qui requireret.*

5. *Mercenarius autem*, etc. Hic ostendit quomodo prædictæ conditiones se invicem consequuntur : nam ex primis duabus sequitur tertia. Ex hoc enim quod quærit utilitatem suam, et non afficitur ad gregem per amorem et sollicitudinem, sequitur quod non velit pro eo incommodum sustinere; et ideo dicit : *Mercenarius autem fugit*, ideo scilicet *quia mercenarius est;* idest quærit commodum proprium quantum ad primam conditionem;

[1] Al. : « quando. » [2] — Al. : « homo pastor. » — [3] Al. : « est. » — [4] Al. : « figura. »

et non pertinet ad eum de ovibus; idest, non eas diligit, neque pro eis sollicitatur, quantum[1] ad secundam conditionem ejus. Unde Job xxxix, 16, dicitur de malo pastore : *Induratur ad filios quasi non fuerint sui.* E converso autem est de bono pastore : nam gregis commodum quærit, non proprium. Phil. iv, 17 : *Non quæro datum, sed quæro fructum* etc. Et pertinet ad eum de ovibus; idest, eas diligit, et de eis sollicitatur. Phil. i, 7 : *Eo quod habeam vos in corde et in vinculis meis* etc.

LECTIO IV.

1. Ego sum pastor bonus. 2. Et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis. 3. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili ; et illas oportet me adducere ; et vocem meam audient ; et fiet unum ovile et unus pastor. 4. Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam ut iterum sumam eam. 5. Nemo tollit eam a me ; sed ego pono eam a meipso. Potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. 6. Hoc mandatum accepi a Patre meo.

1. Hic Dominus probat suam expositionem : et primo resumit quod probare intendit; secundo probationem inducit, ibi, *Et cognosco oves meas*; tertio eam manifestat, ibi, *Propterea me Pater diligit.* Dicit ergo primo : *Ego sum Pastor bonus.* Hoc expositum est supra. Ezech. xxxiv, 11 : *Requiram oves meas in die illa, sicut visitat pastor gregem suum.*

2. Consequenter cum dicit, *Et cognosco oves meas*, probat quod dicit. Duo autem dicit de se ; scilicet quod est pastor, et quod est bonus. Primo ergo probat quod sit pastor; secundo quod pastor bonus. Pastorem autem se esse probat per duo signa posita superius de pastore : quorum primum est quod oves proprias vocat nominatim; et quantum ad hoc dicit : *Et cognosco oves meas.* II Tim. ii, 19 : *Novit Dominus qui sunt ejus. Cognosco*, inquam, notitia non solum simplici, sed etiam probationis et dilectionis. Apoc. i, 5 : *Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris.* Secundum signum est quod oves vocem ejus audiunt, et sciunt eum; et quantum ad hoc dicit : *Et cognoscunt me meæ*, meæ[2] inquam, prædestinatione, vocatione et gratia; quasi dicat : Ipsæ me diligentes obsequuntur : unde hoc intelligitur de notitia dilectionis : de qua dicitur Hier. xxxi, 34 : *Omnes cognoscent me a minimo usque ad majorem* etc. Bonum autem pastorem se ostendit, ostendens se habere officium boni pastoris, quod est ut animam suam ponat pro ovibus suis. Et primo ponit causam hujus ; secundo ipsum inducit; tertio subdit fructum signi. Causam autem hujus signi, scilicet quod animam suam ponit pro ovibus suis, est notitia quam habet de Patre : et quantum ad hoc dicit : *Sicut novit me Pater, ego agnosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis.* Et hoc quidem verbum dupliciter potest exponi. Uno modo, ut ly *sicut* significet similitudinem ; et hoc modo notitia hujus potest communicari creaturæ alicui. I Corinth. xiii, 12 : *Cognoscam sicut et cognitus sum*; idest, sicut cognitus sum sine velamine, ita sine velamine cognoscam. Alio modo ut ly *sicut* importet æqualitatem; et tunc cognoscere Patrem sicut cognitus est ab eo, est proprium solius Filii : quia solus Filius cognoscit Patrem comprehendendo, sicut Pater comprehendendo cognoscit Filium. Matth. xi, 27 : *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius*, notitia scilicet comprehensionis. Ideo autem Dominus hoc dicit, quia in hoc ipso quod cognoscit Patrem, cognoscit ejus voluntatem, in qua erat ut Filius pro salute humani generis moreretur : in quo etiam dicit se mediatorem Dei et hominis. Nam sicut ad oves se habet ut cognitus et cognoscens ; ita et ad Patrem : quia sicut Pater eum novit, ita ipse Patrem cognoscit. Consequenter cum dicit, *Et animam meam pono pro ovibus meis*, ponit ipsum signum. I Joan. iii, 16 : *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit* etc.

Sed cum in Christo sint tres substantiæ, scilicet substantia Verbi, animæ, et corporis, quæritur quis loquatur cum dicit : *Animam meam pono.* Si dicas, quod Verbum hic loquitur, non est verum : nam Verbum nunquam animam posuit, cum nunquam fuerit ab anima separatum. Si autem dicas quod anima loquitur; hoc etiam impossibile videtur, quia nihil separatur a seipso. Si vero dicas, quod quantum ad corpus Christus hoc dicit, nec hoc videtur : quia corpus non habet potestatem iterum sumendi eam.

Dicendum ergo ad hoc, quod in morte

[1] Al. : « quando. » — [2] Al. deest : « meæ. »

Christi, anima fuit separata a carne ; alias non fuisset vere mortuus ; sed divinitas nunquam separata fuit in Christo ab ipsa anima et carne ; sed unita fuit animæ descendenti ad inferos et corpori existenti in sepulcro : et ideo corpus virtute divinitatis animam posuit, et iterum resumpsit eam.

3. Consequenter cum dicit, *Et alias oves habeo* etc., ponit fructum mortis Christi, qui est salus non solum Judæorum, sed etiam gentium : quia enim dixerat, *Animam meam pono pro ovibus meis*, Judæi reputantes se oves Dei, secundum illud Psalm. LXXVIII, 13 : *Nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus* : possent dicere, quod pro eis animam poneret. Sed Dominus addit dicens, quod non tantum pro eis, sed etiam pro aliis. Infra XI, 51 : *Hoc a semetipso non dixit*; *sed cum esset pontifex anni illius*, *prophetavit*, *quia Christus moriturus erat pro gente*, *et non tantum pro gente*, *sed ut filios Dei*, *qui erant dispersi*, *congregaret in unum*. In isto autem fructu Dominus tria facit. Primo ponit gentium prædestinationem ; secundo earum per gratiam vocationem ; tertio ipsarum justificationem. Quantum ad primum dicit : *Alias oves habeo*, scilicet gentes, *quæ non sunt ex hoc ovili*, scilicet de genere carnis Israel, quod erat quasi ovile. Mich. II, 12 : *Congregabo Jacob totum te*. Nam sicut oves in ovili concluduntur, sic iste in præceptis legalibus conclusi custodiebantur, ut habetur Gal. III. Istas, inquam, oves, scilicet gentiles, habeo a Patre per æternam prædestinationem. Psal. II, 8 : *Postula a me*, *et dabo tibi gentes hereditatem tuam*. Isa. XLIX, 6 : *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob*, *et fæces Israel convertendas* : *dedi te in lucem gentium*, *ut sis salus mea usque ad extremum terræ*. Quantum ad secundum dicit : *Et illas oportet me adducere;* idest, opportunum est secundum ordinem divinæ prædestinationis ad gratiam vocare.

Sed contra. Matth. XV, 24, dicit Dominus : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel*. Responsio. Dicendum quod ad oves domus Israel tantum missus est Jesus, ut eis corporaliter prædicaret : secundum illud Rom. XV, 8 : *Dico autem Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei*, *ad confirmandas promissiones patrum*. Gentes autem adduxit per Apostolos suos. Isa. ult. 19 : *Mittam ex eis qui reliqui fuerint*, *ad gentes*.

Quantum ad tertium dicit : *Et vocem meam audient*. Ubi tria ponuntur necessaria ad justitiam christianæ religionis. Primum est obedientia mandatorum Dei ; et quantum ad hoc dicit : *Et vocem meam audient*; idest, servabunt mandata mea. Matth. ult. 20, *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*. Psal. XVII, 45 : *Populus quem non cognovi* (idest, quem non approbavi) *in auditu auris obedivit mihi*. Secundum est unitas caritatis ; et quantum ad hoc dicit : *Et fiet unum ovile*; idest, ex duabus gentibus, Judaico et Gentili populo, una Ecclesia fidelium. Ephes. IV, 5 : *Una fides*. Et Philip. II, 14 : *Ipse est pax nostra qui facit utraque unum*. Tertium est unitas fidei : et quantum ad hoc dicit : *Et unus pastor*[1] Ezech. XXXVII, 24 : *Et pastor unus erit ovium eorum*, scilicet Judæorum et Gentilium.

4. *Propterea me diligit*, etc. Hic Dominus manifestat suam probationem : et primo manifestat causam signi[2]; secundo signum, seu effectum, ibi, *Nemo tollit eam a me*; tertio ostendit eam esse convenientem, ibi, *Hoc mandatum accepi a Patre meo*. Causam autem mortis dicit Dominus esse notitiam quam habet de Patre, dicens : *Sicut novit me Pater*, *et ego agnosco Patrem*, *et animam meam pono pro ovibus meis*. Unde hoc exponens dicit : *Propterea Pater me diligit* : ex quo patet quod Pater novit eum notitia approbationis, *propterea*, inquam, *quia ego pono animam meam*, *ut iterum sumam eam*

Sed numquid mors est causa paternæ dilectionis? Videtur quod non : quia temporale non est causa æterni : mors autem Christi est temporalis ; dilectio vero Dei ad Christum est æterna, etc. Respondeo[3] dicendum quod Christus hic loquitur de dilectione Patris ad eum, sed inquantum est homo : et sic hæc littera dupliciter potest legi. Uno modo ut ly *quia* teneatur causaliter ; alio modo ut designet terminum vel signum dilectionis. Si quidem teneatur causaliter, tunc est sensus : *Quia ego pono animam meam*, idest sustineo mortem, *propterea Pater diligit me* ; idest, effectum dilectionis mihi dat, scilicet claritatem et exaltationem corporis. Philip. I,

[1] Al. : « ego unus pastor. » — [2] Al. : « suam causam. » — [3] Al. : « responsio. »

8 : *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen.*

Sed contra hoc videtur esse, quia bona opera non possunt esse meritoria divinæ dilectionis : cum enim opera nostra intantum meritoria sint, inquantum caritate informantur, secundum quod dicitur I Corinth. XIII, 3 : *Si distribuero omnes facultates meas* [1] *in cibos pauperum, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest*, et Deus præveniat etiam nos in amando : I Joan. IV, 10 : *In hoc est caritas, non quasi dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos* : manifestum est quod sua dilectio præcedit omne meritum nostrum. Sed ad hoc dicendum quod ipsam Dei dilectionem nullus mereri potest; sed effectum divinæ dilectionis, qui est augmentum gratiæ et collatio boni gloriæ, quem ex dilectione sua nobis Deus confert, mereri possumus per bona opera nostra : unde possumus dicere quod Deus propterea hunc vel illum hominem diligit, idest ei effectum suæ dilectionis impendit, quia implet ejus mandata : et sic possumus dicere de Christo homine quod propterea Pater diligit eum, idest, exaltavit, et dedit illi claritatem gloriæ, quia posuit animam suam ad mortem.

Si vero ly *quia* importet terminum dilectionis, tunc est sensus : *Propterea me* [2] *Pater diligit*, idest ad hoc me Pater dilexit, ut animam meam ponerem; quasi dicat : Pater sua dilectione, quam habet ad me, ordinavit ut per passionem meam redimerem genus humanum. Rom. VIII, 32 : *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Si autem ly *quia* designet signum dilectionis, tunc est sensus : *Propterea Pater me diligit, quia ego pono animam meam :* quasi dicat : Hoc signum est quod Pater me diligat *quia pono animam meam, ut iterum sumam eam*; idest, faciens mandata ejus et voluntatem suam, sustineo mortem. Evidens enim signum dilectionis est quod homo ex caritate faciat Dei mandata.

5. *Nemo tollit*, etc. Hic exponit effectum signi : quod quidem signum erat, ubi dixit, *Animam meam pono pro ovibus meis*, exponens quomodo eam ponit. Et primo excludit violentiam; secundo subjungit ejus potestatem. Violentiam quidem excludit, quæ alicui posset fieri in auferendo vitam; quæ Christo non fuit facta : et quantum ad hoc dicit : *Nemo tollet eam*, scilicet animam meam, per violentiam; *sed ego pono eam*, propria virtute, scilicet *a meipso.* Isa. XVIX, 24 : *Numquid tolletur a forti præda?*

Sed numquid Judæi non [3] intulerunt Christo violentiam? Intulerunt quidem quantum in eis fuit; sed in Christo non fuit illa violentia : quia quando voluit, eam sponte posuit : unde [4] supra VIII, dicitur quod Judæi volentes eum apprehendere, non potuerunt, *quia nondum venerat hora ejus*, voluntaria scilicet, « non qua cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi : » ut dicit Augustinus. Potestatem autem ejus subjungit cum dicit : *Potestatem habeo ponendi eam.* Circa quod sciendum est quod cum unio animæ et corporis sit naturalis, separatio eorum est naturalis [5]; et licet causa hujus separationis et mortis possit esse voluntaria, tamen mors in hominibus semper est naturalis. In nullo autem puro homine natura subditur voluntati, cum sicut voluntas, ita et natura sit a Deo; et ideo mors cujuslibet puri hominis oportet quod sit naturalis. In Christo autem natura sua et tota alia natura subditur voluntati ejus, sicut artificiata voluntati artificis; et ideo secundum voluntatis suæ placitum, potuit animam ponere cum voluit, et iternm eam sumere : quod nullus purus homo facere potest, licet voluntarie causam mortis sibi possit inferre. Et inde est quod Centurio videns eum non naturali necessitate mori, sed sua (dum *clamans voce magna emisit spiritum* : Matth. XXVII, 50) recognovit in eo virtutem divinam dicens (ibid. 54) : *Vere Filius Dei erat iste.* Unde et Apostolus I Corinth. I, 18 : *Verbum crucis pereuntibus stultitia est : his autem qui salvi fiunt, idest nobis, virtus Dei est;* idest in ipsa morte Christi, manifestata est virtus potestatis ejus.

6. *Hoc mandatum*, etc. Hic ostendit causam prædictam convenientem esse : nam impletio mandati demonstrat dilectionem ad mandantem : et ideo dicit : *Hoc mandatum accepi a Patre meo*, scilicet animam ponendi, et sumendi eam. Infra XIV, 23 : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum.*

[1] Al. omittitur : « omnes facultates meas. » — [2] Al. : « propter me. » — [3] Al. deest : « non. » — [4] Al. omittitur : « unde. » — [5] Al. deest : « separatio eorum est naturalis. »

LECTIO V.

1. Dissensio iterum facta est inter Judæos propter sermones hos. Dicebant autem multi ex ipsis : Dæmonium habet, et insanit; quid eum auditis? Alii dicebant : Hæc verba non sunt dæmonium habentis. Numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire? 2. Facta sunt autem encænia in Hierosolymis, et hiems erat, et ambulabat Jesus in templo in porticu Salomonis. Circumdederunt ergo eum Judæi. 3. Et dicebant ei : Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. 4. Respondit eis Jesus : Loquor vobis, et non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognoso eas, et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. 5. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est; et nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus.

1. Postquam Dominus ostendit se habere virtutem vivificativam, et insinuavit vivificandi modum, hic ostendit secundum quid sibi vivificativa potestas conveniat. Et primo Evangelista ponit dissensionem exortam super hoc inter turbas ad se invicem; secundo ponit disceptationem principum Judæorum ad Christum, ibi, *Facta sunt encænia*, etc. Circa primum tria facit. Primo ponit ipsam turbarum dissensionem; secundo subdit unius partis dissentientium opinionem; tertio infert sanam alterius partis assertionem. Dissensio autem orta est inter turbas quæ Christum audierant, ex sermonibus ejus : et hoc est quod dicit : *Dissensio itaque facta est inter Judæos propter sermones hos*. Dum enim quidam ex eis sermones ipsos recte intelligebant, quidam non recte, dissentiebant ad invicem. Matth. x, 34 : *Non veni pacem mittere, sed gladium*, scilicet evangelicæ doctrinæ, cui alii credunt, alii contradicunt. Psal. cvi, 40 : *Effusa est contentio super principes*. Opinio autem alterius partis dissentientium est falsa : et quantum ad hoc dicit : *Dicebant autem multi ex ipsis*. Dicit autem, *Multi* : quia, ut dicitur Eccle. i, 15, *Stultorum infinitus est numerus*. *Dicebant*, inquam : *Dæmonium habet, et insanit*. Consuetudo namque stultorum est ut dubia semper interpretentur in malum, cum tamen contrarium debeat fieri. Unde contingit quod quæcumque ignorant, blasphemant. ut dicitur in Canonica Judæ. Quia ergo verba Domini intelligere non valebant, quia *lux in tenebris lucet et tenebræ eam non comprehenderunt* (supra i, 5) : ideo blasphemant dicentes : *Dæmonium habet et insanit* : Et nituntur alios ab eo avertere, dicentes : *Quid eum auditis?* Blasphemantes autem duo Christo imponunt. Primo quod dæmonium habet; quasi dicant : Non ex Spiritu sancto, sed ex spiritu maligno loquitur. Simile dicitur Act. xvii, 18, de Paulo : *Novorum dæmoniorum annuntiator est*. Contingit autem aliquem habere dæmonium privatum et familiarem; et talis licet semper insaniat spiritualiter, non tamen semper insanit corporaliter : aliquem vero arreptum a dæmone esse; et iste semper insanit [1] etiam corporaliter. Unde Marc. iii, 21, dicebant : *Quoniam in furorem versus est*. Secundo ut ostendant quod Christus sic habeat dæmonium, dicunt, *Et insanit*. Act. xxvi, 24 : *Multæ litteræ ad insaniam te adducunt*. Nec mirum si blasphemant, quia animales sunt, et, ut dicitur I Corinth. ii, 14, *animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*. Sententia autem et assertio alterius partis improbat præmissam opinionem dupliciter. Primo ex pondere verborum : unde dicit : *Alii*, qui scilicet recte sapiebant, *dicebant : Hæc verba non sunt dæmonium habentis*; quasi dicant : Ex eis videtur quod non insanit, cum sint ordinata et ponderosa. Supra vi, 69 : *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes*. Unde Paulus dicit Act. xxvi, 16 : *Non insanio, optime Feste, sed verba veritatis et sobrietatis loquor*. Secundo ex magnitudine [2] miraculi : unde dicet : *Numquid dæmonium potest oculos cæcorum aperire?* quasi dicat : Non erat enim hoc miraculum maximum? Et ideo recte credebant quod non nisi Dei virtute [3] fieri posset. Supra ix, 33 : *Si non esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.*

Sciendum est autem quod quædam miracula sunt quæ possunt fieri virtute dæmonum et Angelorum; quædam vero sunt quæ nullo modo eorum virtute fieri possunt : ea enim quæ sunt supra ordinem naturæ, nulla creatura, quæcumque sit, sua virtute potest facere, cum etiam ipsa subjaceat legibus naturæ. Deus autem solus, qui est supra naturam, operari

[1] Al. : « ut arreptum a dæmone semper insanit etc. » — [2] Al. : « ex ingratitudine. » — [3] Al. : « de virtute. »

potest supra naturæ ordinem. Quidquid ergo aliqua creatura operatur, oportet quod sistat infra naturæ ordinem. Ex quo patet quod omne illud quod potest fieri secundum ordinem naturæ, potest Angelus et bonus et malus, quando sibi permittitur; sicut secundum semina, quæ sunt in rebus naturalibus ad generationem aliquorum animalium ordinata, possunt illorum animalium generationem operari; sicut fecerunt magi Pharaonis, Exod. VII. Et similiter alterare naturam alicujus possunt : unde possent sanare infirmos, quibus beneficio naturæ subveniri posset. Illa autem quæ simpliciter naturæ ordinem transcendunt, non possunt fieri nisi a Deo, seu a bonis Angelis et sanctis hominibus virtute Dei, quam orando impetrant. Tale autem est illuminatio cæci, et resuscitatio mortuorum : non enim naturæ virtus se extendere potest ad oculorum restitutionem et mortuorum resuscitationem : et ideo dæmonium non potest cæcorum oculos aperire, et mortuos suscitare : quia hoc est solius Dei et Sanctorum virtute Dei.

2. *Facta sunt autem* etc. Hic ponitur dissensio quæ mota est a principibus Judæorum ad Christum. Et primo Evangelista proponit Judæorum interrogationem; secundo subdit Christi responsionem, ibi, *Respondit eis Jesus : Loquor vobis, et non creditis;* tertio infert responsionis effectum, ibi, *Sustulerunt lapides Judæi.* Circa primum duo facit. Primo describit circumstantias interrogationis; secundo ponit ipsam interrogationem, ibi, *Usquequo animam nostram tollis?* Circumstantias autem interrogationis describit quantum ad tria : scilicet quantum ad tempus, quantum ad locum, et quantum ad personas interrogantes. Quantum ad tempus quidem primo in speciali, dicens : *Facta sunt encænia in Hierosolymis.*

Ad cujus intellectum sciendum est, quod, ut Augustinus dicit, encænia festivitas erat dedicationis in Ecclesiis. Cœnos enim græce idem est quod novum latine. Unde encænia idem est quod innovatio : quo fit ut etiam communi usu loquendi quando aliquod [1] novum [2] alicui usui dedicatur, dicatur encæniari, quod idem est quod innovari. *Facta sunt* ergo *encænia in Hierosolymis*, idest festum et memoria dedicationis templi. Nam quando de novo aliquam Ecclesiam divino cultui dedicamus, agitur festum consecrationis ejusdem, et eadem die singulis annis in memoriam ipsius. Hoc modo Judæi singulis annis encænia faciebant, idest memoriam dedicationis templi.

Ad sciendum autem rationem festi consecrationis et causam, notandum est, quod omnia festa celebrantur in Ecclesia in commemorationem divinorum beneficiorum. Isa. LXIII, 7 : *Miserationum Domini recordabor* etc. Et in Psal. CXVII, 1, postquam David commemoravit multa beneficia Dei, dicens : *Confitemini Domino, quoniam bonus* etc. subdit : *Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris.* Recolimus autem divina beneficia nobis exhibita, tripliciter. Quandoque quidem ut exhibita nobis in capite nostro Domino Jesu Christo; et sic celebramus festum Nativitatis, et Resurrectionis, et hujusmodi. Quandoque ut exhibita nobis in commembris [3] nostris, scilicet in Sanctis, qui sunt membra Ecclesiæ. Et hoc congruenter : quia, ut dicit Apostolus I Corinth. XII, 26 : *Si gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Et sic celebramus festa Sanctorum Petri et Pauli, et aliorum Sanctorum. Quandoque autem prout sunt exhibita toti Ecclesiæ; puta in ministerio sacramentorum, et in aliis communiter Ecclesiæ collatis. Et quia domus materialis est quasi signum collectionis Ecclesiæ fidelium, et etiam in ea omnia sacramenta gratiæ dispensantur; ideo in memoriam ipsorum beneficiorum [4], festum dedicationis Ecclesiæ celebramus. Quod quidem festum majus est quam festum alicujus Sancti; sicut et beneficia toti Ecclesiæ collata, quorum memoriam agimus, excedunt beneficium collatum alicui Sancto, quod in festo ejus recolitur. Sciendum est tamen, quod templum erat Hierosolymis tribus vicibus consecratum. Primo quidem a Salomone, ut habetur III Reg. VIII : secundo, tempore Esdræ a Zorobabel et Jesu sacerdote magno, ut habetur I Esdræ VIII : tertio a Machabæis, ut habetur I Mach. IV, quod ascenderunt Hierosolymam renovare sancta. Hæc autem encænia non sunt facta in memoriam

[1] Al. : « quæ fit etiam communi usu loquendi : quando aliquod alicui dedicatur nomen : unde encæniari idem est quod innovari. — [2] Parm. omittit : « novum. » — [3] Al. : « in membris. » — [4] Al. : « beneficiorum suorum. »

dedicationis quæ facta fuit a Salomone, quia hoc fuit in autumno, scilicet mense septimo; nec in memoriam dedicationis quæ facta fuit tempore Esdræ, quia illa fuit in vere, scilicet nona die martii; sed in memoriam dedicationis quæ facta fuit a Machabæis in tempore hiemali. Et ideo ut hoc designet, describit tempus in speciali, dicens, *Et hiems erat;* quod etiam causam mysticam habet, ut Gregorius dicit II *Moral.* Idcirco Evangelista hiemis curavit tempus exprimere, ut inesse auditorum cordibus, scilicet Judæorum malitiæ, frigus indicaret. Hierem. VI, 7 : *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, ita * frigidam fecit malitiam suam.* (* Sic.) De hac hieme dicitur Cant. II, 11 : *Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit.*

Locum autem describit cum dicit : *Et ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis.* Et primo quidem in generali, cum dicit, *In templo;* Psal. X, 5 : *Dominus in templo sancto suo* etc.; secundo vero in speciali, dicens, *In porticu Salomonis.* Sciendum est enim, quod templum [1] non dicitur solum corpus ipsius, sed etiam porticus circumstantes, in quibus populus stabat ad orandum : nam in templo soli sacerdotes orabant. Dicitur autem porticus Salomonis locus ille in quo Salomon stetit quando peracta dedicatione templi oravit. III Reg. VIII, 22 : *Stetit ergo Salomon in conspectu Ecclesiæ Israel.*

Sed contra. Templum quod Salomon ædificaverat, destructum fuit, et similiter porticus illa : non ergo debet dici porticus Salomonis. Responsio. Dicendum, quod templum reparatum fuit ad similitudinem prioris : et ideo sicut antea porticus illa dicebatur Salomonis, ita et postea ob ejus reverentiam.

Personas autem interrogantes describit quantum ad eorum malitiam : unde dicit : *Circumdederunt ergo eum Judæi,* frigidi a caritate diligendi, sed ardentes aviditate nocendi, ut accederent animo circumveniendi, et circumdarent comprimentes, animo persequendi. Psal. XXI, 13 : *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* Oseæ XI, 9 : *Circumdederunt me Ephraim.*

5. Consequenter cum dicit, *Et dicebant ei* etc., ponitur Judæorum interrogatio. Et primo ponit fictam causam interrogationis, cum dicit : *Usquequo animam nostram tollis?* Adulatorie loquuntur, volentes per hoc ostendere se desiderare scire veritatem de ipso : quasi dicant : Anima nostra est in suspenso desiderii, quamdiu mœstos non derelinquis? Prov. XIII, 12 : *Spes quæ differtur affligit animam.* Et ideo secundo subjungunt interrogationem, dicentes : *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Ubi primo attende illorum perversitatem. Nam quia indignantur contra Christum, quod se diceret Filium Dei, supra, V; non interrogant eum an sit Filius Dei; sed dicunt : *Si tu es Christus, dic nobis palam* : ut per hoc possent habere materiam accusandi eum ad Pilatum, sicut seditiosum et appetentem regum : quod erat contra Cæsarem, et odiosum Romanis. Unde et Pilatus quando Judæi accusabant Christum, quod Filium Dei se faceret, parum curavit. Dum vera dixerunt infra XIX, 12 : *Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari,* magis cœpit contra eum sollicitari : et ideo dicunt : *Si tu es Christus,* vel rex, vel unctus, *dic nobis palam.* Secundo considera illorum nequitiam, quia dicunt, *Palam;* quasi dicant : Usque modo non docuit publice, sed quasi in occulto; cum tamen ipse palam omnia diceret, in festivitatibus semper assistens, et nihil occulte loquebatur. Infra XVIII, 20, *Ego palam locutus sum mundo : in occulto locutus sum nihil.*

4. *Respondit eis Jesus* etc. Hic ponitur responsio Christi : ubi ostendit eorum infidelitatem, ostendens falsum esse quod dixerant, se desiderare scire veritatem, dicentes : *Usquequo animam nostram tollis?* etc. Et hoc quantum ad duo. Primo, quia non credebant verbis ejus; et quantum ad hoc dicit : *Loquor vobis, et non creditis*; quasi dicat [2] : Dicitis mihi : *Si tu es* rex *Christus, dic nobis*; sed *loquor* ego; idest, dico vobis veritatem; *et vos non creditis.* Luc. XXII, 67 : *Si dixero, non creditis* etc. Secundo, quod non credunt operibus ejus; et quantum ad hoc dicit : *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Ubi primo ostendit incredulitatem eorum ad ipsa opera; secundo incredulitatis rationem, ibi, *Quia vos non estis ex ovibus meis.* Quantum ad primum dicit : *Opera quæ ego facio*; quasi dicat : Nec a solo verbo suaderi potestis, ut vos sileatis; sed nec etiam a tot operibus quæ

[1] Al. deest : « templum. » — [2] Al. omittitur : « quasi dicat. »

ego facio *in nomine Patris mei*, idest ad gloriam ejus : *hæc testimonium perhibent de me*, quia [1] scilicet non possunt nisi a Deo fieri : unde ex eis manifeste apparet quod a Deo veni. Matth. xvii, 33 : *Unaquæque arbor ex fructu ejus cognoscitur.* Supra v, 36 : *Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me. Sed vos non creditis.* Infra. xii, 37 : *Cum ergo tanta signa fecisset, non crediderunt ei.* Et ideo sunt inexcusabiles. Infra xv : *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem et viderunt, et oderunt me et Patrem meum.* Ratio autem incredulitatis eorum, est separatio eorum ab ovibus Christi : unde dicit : *Ideo non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* Circa hoc tria facit. Primo ponit eorum exclusionem a consortio ovium Christi; secundo ostendit ovium dignitatem, ibi, *Oves meæ vocem meam audiunt* etc.; tertio probat quoddam quod dixerat, scilicet quod non rapiet quisquam oves suas de manu sua, ibi, *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est.* Separationem eorum ab ovibus suis ponit, dicens : *Vos non estis ex ovibus meis*, scilicet prædestinati ad credendum, sed præsciti ad æternum interitum. Hoc enim ipsum quod credimus est nobis a Deo. Phil. i, 29 : *Vobis datum est non solum ut in ipsum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Ephes. ii, 8 : *Gratia salvati estis, et non ex vobis : Dei donum est.* Quod quidem nulli datur nisi cui præparatum est ab æterno ; et ideo illi soli credent in ipsum qui ad hoc ordinati sunt a Deo per æternam prædestinationem. Act. xiii, 48 : *Crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam.* Et ejusdem xv, 11 : *Per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari.*

Sed numquid debet dici alicui, quod non sit prædestinatus? Videtur quod non; cum enim nullus possit salvari nisi prædestinatus; si alicui dicatur quod non est prædestinatus, videtur cogi ad desperationem. Ergo Dominus dicens Judæis; *Non creditis, quia non estis ex ovibus meis*, cogebat eos desperare.

Responsio. Dicendum, quod in [2] illa turba erat aliquid commune omnibus, scilicet quod non erant præordinati a Deo ad tunc credendum : aliquid speciale, quod aliqui ex eis præordinati erant ad credendum in posterum : unde et postea crediderunt, ut habetur Act. ii, quod crediderunt ex eis [3] una die tria millia : aliqui autem non erant ad hoc præordinati. Non ergo repugnabat spei, dicere in turba in qua [4] aliqui erant præordinati ad credendum in posterum, quod non essent ex ovibus : quia nullus de se determinate hoc poterat suspicari. Repugnasset autem spei, si hoc alicui personæ [5] determinate dixisset.

Dignitatem autem ovium suarum ponit dicens : *Oves meæ vocem meam audiunt* etc. : ubi quatuor ponit : Duo ex parte nostra, quæ nos facimus quantum ad Christum; et duo ex parte Christi, quæ ipse facit in nobis, vicissim sibi correspondentia [6]. Primum ergo quod nos facimus est obedientia ad Christum : et quantum ad hoc dicit : *Oves meæ*, scilicet per prædestinationem, *vocem meam audiunt*, credendo, et præceptis meis obediendo. Psal. xciv, 8 : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Secundum quod facit Christus, primo correspondens [7], est ejus dilectio et approbatio; et quantum ad hoc dicit : *Et ego cognosco eas;* idest, diligo et approbo. I Tim. ii, 19 : *Novit Dominus qui sunt ejus.* Quasi dicat : Hoc ipsum quod me audiunt, est per hoc quod *ego eas cognosco*, ab æterno eligendo.

Sed si aliter non potest credere quis nisi detur ei à Deo, videtur quod infidelitas non sit alicui imputanda. Ad quod dicendum est, quod ideo eis imputatur, quia in eis est causa quare eis non datur. Sicut ego [8] non possum videre lumen nisi illuminarer a sole; si autem clauderem oculos, non viderem lumen : quod non esset ex parte solis, sed ex parte mea, qui claudendo oculos, præbeo causam ut non illuminer. Peccatum autem est causa quare non illuminamur [9] a Deo per fidem; puta originale, vel in aliquibus actuale : quæ quidem causa in omnibus est : uude omnes illi qui deseruntur, justo Dei judicio deseruntur; et illi qui eliguntur, ex Dei miseratione assumuntur.

Tertium quod est ex parte nostra, est imitatio ad Christum; et quantum ad hoc dicit, *Et sequuntur me.* Job. xxiii, 11 :

[1] Al. : « quæ. » — [2] Al. deest : « in. » — [3] Al. : « ex Judæis. » — [4] Al. : « repugnabat dicere in qua etc. » — [5] Al. omittitur : « personæ. » — [6] Al. : « correspondentia ad Christum. » — [7] Al. : « correspondent huic. » — [8] Al.: « ergo. » [9] Al. : « illuminatur. »

Vestigia ejus secutus est per meus. I Petr. II, 21 : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Quartum correspondens ex parte Christi est præmii retributio ; et quantum ad hoc dicit : *Et ego vitam æternam do eis;* quasi dicat : Ipsi me sequuntur hic mansuetudinis et innocentiæ viam incedendo ; et ego faciam quod postea me sequentur, ad gaudia vitæ æternæ intrando. Hoc autem præmium ostendit Dominus esse indeficiens, tripliciter. Nam aliquid potest deficere tripliciter. Primo quidem ex natura ipsius, puta si sit corruptibile ; sed præmium istud quantum ad naturam suam incorruptibile est : unde dicit : *Vitam æternam do eis*, quæ est fruitio incorruptibilis et immortalis Dei. Infra XVII, 3 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Et, ut dicit Augustinus, ista sunt pascua de quibus supra dixerat : et pascua bona vita æterna dicitur : quia ibi nulla herba arescit, totum viret. Secundo potest deficere ex defectu recipientis, dum recipiens deficit, et dum male custodit ; sed hoc non continget in illo præmio : unde dicit : *Et non peribunt in æternum*, scilicet oves ; quod est contra Origenem, qui dixit, quod quandoque Sancti qui sunt in gloria, peccare poterunt. Sed Dominus dixit : *Non peribunt*, quia in æternum conservabuntur, Apoc. III, 12 : *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius.* Tertio potest deficere ex violentia rapientis : forte enim neque Adam exclusus fuisset, nisi affuisset seductor : in vita autem æterna hoc non erit : unde dicit : *Et non rapiet eas*, scilicet oves, *quisquam de manu mea*, idest protectione et pietate mea. Sap. III, 1 : *Justorum animæ in manu Dei sunt.* Ut enim dicit Augustinus, « ibi neque lupus rapit, neque fur tollit, neque latro interficit. »

5. Hic probat quod supra de dignitate ovium dixerat, scilicet quod non rapiet eas quisquam de manu mea, tali ratione. Illud quod est in manu Patris mei nullus potest rapere ; sed eadem est manus Patris et mea : ergo illud quod est in manu mea, etiam nullus potest rapere. Circa hoc tria facit. Primo ponit minorem, manifestando communicationem divinitatis a Patre sibi traditæ, cum dicit : *Pater quod dedit mihi*, scilicet per æternam generationem, *majus omnibus est* : nam supra V, 26 : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic Filio dedit habere vitam in semetipso.* Item *majus est*, potestate. Supra V, 27, *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Item *majus est* reverentia et honore. Philip. II, 9 : *Dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur. Majus est* ergo *omnibus, quod dedit mihi Pater*, ut scilicet sim Verbum ejus, sim unigenitus ejus, sim splendor lucis ejus. Secundo ponit excellentiam potestatis paternæ, quod pertinet ad majorem, cum dicit : *Et nemo potest rapere*, idest per violentiam auferre, vel per ignorantiam surripere, *de manu*, idest de potestate, *Patris mei*, vel a me, qui sum virtus paterna ; quamvis melius dicatur de potestate Patris, quam a me, ut Augustinus dicit. Ideo autem *nemo potest rapere de manu Patris*, quia ipse fortissimus est, cui non potest fieri violentia, et sapientissimus, in quem non cadit ignorantia. Job IX, 4 : *Sapiens corde est, et fortis robore* etc. Tertio ponit unitatem sui ad Patrem, ex qua sequitur conclusio : unde dicit : *Ego et Pater unum sumus;* quasi dicat : Ideo *non rapiet eas quisquam de manu mea*, quia *ego et Pater unum sumus*, scilicet unitate essentiæ. Nam eadem est natura Patris et Filii.

Per hoc autem excluditur duplex error : scilicet Arii, qui dividebat essentiam, et Sabellii, qui confundebat personas : ut sic et a Charybdi et a Scilla liberemur. Nam per hoc quod dicit *unum*, liberat te ab Ario : nam si unum, non ergo diversum. Per hoc autem quod dicit *sumus*, liberat a Sabellio : si enim *sumus*, ergo Pater et Filius est alius et alius.

Sed hoc Ariani, impietatis suæ mendacio, negare contendunt, dicentes, quod creatura aliquo modo est unum cum Deo : unde et hoc modo Filius potest esse unum cum Patre. Sed hoc patet esse falsum ex tribus. Primo ex ipso modo loquendi. Manifestum est enim quod unum dicitur sicut ens : unde sicut aliquid non dicitur ens simpliciter nisi secundum substantiam, ita nec unum nisi secundum substantiam vel naturam. Simpliciter autem dicitur aliquid quod nullo addito dicitur. Quia ergo hoc simpliciter dicitur, *Ego et Pater unum sumus*, nullo alio addito ; manifestum est quod sunt unum secundum substantiam et naturam. Nunquam autem invenitur quod Deus et creatura sint unum sine aliquo addito, sicut illud I Co-

rinth. vi, 17 : *Qui adhæret Deo, unus spiritus est.* Ergo patet quod Filius Dei non est unum cum Patre, ut creatura. Secundo ex his quæ supra dixerat, scilicet, *Quod dedit mihi Pater, majus omnibus est* : et postea concludit : *Ego et Pater unum sumus* : quasi dicat : Intantum unum sumus inquantum dedit mihi id quod majus est omnibus. Tertio patet ex sua intentione : nam Dominus probat quod non rapiet eas quisquam de manu sua, per hoc quod nemo potest rapere de manu Patris ejus : quod non sequeretur si potestas ejus esset minor quam potestas Patris. Unum ergo sunt Pater et Filius natura, honore et virtute.

LECTIO VI.

1. Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum. Respondit eis Jesus : Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo. Propter quod eorum opus me lapidatis ? 2. Responderunt ei Judæi : De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum. 3. Respondit eis Jesus : Nonne scriptum est in lege vestra, quia Ego dixi, Dii estis ? 4. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura : quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum ? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre. 6. Quærebant ergo eum apprehendere, exivit de manibus eorum. Et abiit iterum trans Jordanem in eum locum ubi erat Joannes baptizans primum, et mansit illic : et multi venerunt ad eum, et dicebant, quia Joannes quidem signum fecit nullum. Omnia autem quæcumque dixit Joannes de hoc, vera erant : et multi crediderunt in eum.

1. Posita doctrina Christi, hic consequenter ponitur effectus doctrinæ ejus in Judæis. Et primo redarguit eorum sævitiam ; secundo excludit a se, impositam blasphemiam, ibi, *Responderunt ei Judæi;* tertio declinat eorum pertinaciam, ibi, *Quærebant ergo eum apprehendere.* Circa primum duo facit. Primo ponitur Judæorum sævitia, qua excandescebant ad Christum lapidandum : unde dicit : *Sustulerunt lapides Judæi, ut jacerent in eum.* Quia enim duri erant, et profunda Domini verba intelligere non poterant, lapidibus similes ad lapides currunt. Psal. cxix, 7 : *Dum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Secundo cum subdit, *Multa bona opera ostendi vobis*, reprehendit Dominus ipsorum sævitiam : et primo commemorat eis exhibita beneficia ; secundo reprehendit ipsorum sævitiam. Commemorat autem beneficia quæ eis exhibuit in sanitatibus infirmorum, in exhibitione doctrinæ et miraculorum : unde *respondit eis, dicens* : *Multa bona opera ostendi vobis*, scilicet sanando, prædicando, miracula faciendo : Marc. vii, 37 : *Bene omnia fecit : ex Patre meo*, cujus gloriam per omnia quæsivi. Supra viii, 50 : *Gloriam meam non quæro, sed ejus qui misit me.* Sævitiam reprehendit dicens : *Propter quod eorum opus me lapidatis* ? quasi dicat : Benefactorem oportebat honorare, non lapidare. Simile dicitur Hier. xviii, 20 : *Numquid redditur pro bono malum?*

2. *Responderunt*, etc. Hic Dominus excusat se de blasphemia. Et primo ponitur blasphemiæ impositio a Judæis ; secundo ejus excusatio a Christo, ibi, *Respondit eis Jesus* : *Nonne scriptum est in lege vestra?* etc. Dicit ergo quantum ad primum : *De bono opere non te lapidamus* etc. Ubi quinque consideranda occurrunt. Primum quidem videtur pertinere ad motivum lapidationis, quod est blasphemia. Præcipitur enim Levit. xxiv, 14, quod blasphemi lapidentur. *Educ* (inquit) *blasphemum extra castra, et ponant omnes qui audierunt manus suas super caput ejus, et lapidet eum populus universus.* Et quantum ad hos dicunt : *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia.* Secundum quod specificant ipsam blasphemiam : nam blasphemia est non solum attribuere Deo quod sibi non convenit ; sed etiam attribuere alteri quod solius Dei est : sicut blasphemia est non solum dicere Deum esse corpus, sed etiam dicere aliquam creaturam creare posse. Marc. ii, 7, dicebant : *Hic blasphemat. Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Dicebant ergo Judæi Dominum blasphemum esse, non primo modo, sed usurpando sibi quæ divinitatis propria erant : unde dicebant : *Quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Tertium est quod Judæi melius quam Ariani intellexerunt verbum Christi, quod dixerat, *Ego et Pater unum sumus.* Ideo irati sunt, quoniam intellexerunt non posse dici, *Ego et Pater unum sumus*, nisi ubi est æqualitas Patris et Filii : et hoc est quod dicunt ; *Facis teipsum Deum*, ostendendo verbis tuis quod sis ; quod non est verum, *cum sis homo.* Quartum est quod tanta est distantia Dei et hominis, quod incredibile eis erat quod idem qui est homo, esset Deus : unde signanter dicunt : *Quia homo cum sis, facis teip-*

sum Deum. Quamvis ab ista incredulitate removeri possent per hoc quod dicitur in Psal. VIII, 5; *Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum?* Habac. I, 5 : *Opus ego facio in diebus vestris quod nemo credet cum narrabitur;* idest opus incarnationis excedens omnem mentem. Quintum est quod in suis verbis sibi ipsis contrariantur : nam ex una parte confitentur Christum bona opera facere, dicentes : *De bono opere non te lapidamus* : ex alia [1] imponunt ei blasphemiam, scilicet quod sibi falso usurpet honorem Dei : quæ quidem contraria sunt : non enim ex Deo miracula posset facere, si Deum blasphemaret : quia, ut dicitur Matth. VII, 18, *Non potest arbor bona fructus malos facere, nec arbor mala bonos fructus facere* : quod maxime locum habet in Christo.

3. *Respondit eis*, etc. Hic excludit a se impositam blasphemiam : et primo ponit suam excusationem; secundo ostendit veritatem ibi, *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.* Excusat autem se per auctoritatem : unde primo ponit auctoritatem Scripturæ; secundo aperit eis intellectum; tertio ex hoc concludit propositum. Dicit ergo : *Respondit eis Jesus* : *Nonne scriptum est in lege vestra*, scilicet in Psal. LXXXI, 6 : *Ego dixi, Dii estis?*

Ubi sciendum est, quod lex tripliciter accipitur in Scriptura. Quandoque quidem universaliter pro toto veteri testamento, secundum quod continet quinque libros Moysi, Prophetas et Agiographa : et hoc modo accipitur hic *In lege vestra,* idest in veteri testamento : cum scriptum sit in Psalmis : quod ideo dicitur lex, quia totum vetus testamentum habetur pro auctoritate legis. Aliquando accipitur lex, prout dividitur contra Prophetas, Psalmos [2] et Agiographa : et sic accipitur Luc. ult. XXIV : *Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in lege et Prophetis* [3] *et Psalmis de me.* Aliquando autem accipitur prout lex dividitur contra Prophetas. Et sic Psalmi, et alii libri veteris testamenti, præter Pentatheucum, includuntur sub Prophetis, eo quod spiritu prophetico edita sit Scriptura veteris testamenti : et hoc modo accipitur Matth. XXII, 40 : *In his duobus mandatis tota lex pendet et Prophetæ.* Sic ergo scriptum est : *Ego dixi, Dii estis.*

Unde sciendum est, quod hoc nomen Deus tripliciter accipitur. Aliquando enim significat ipsam divinam naturam, et sic dicitur singulariter solum. Deuter. VI, 4 : *Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est.* Quandoque autem dicitur Deus nuncupative; et hoc modo dicuntur idola dii. Psal. XCV, 5 : *Omnes dii gentium dæmonia.* Quandoque autem dicitur aliquis Deus participatione aliqua divinitatis [4], seu excellentioris virtutis divinitus infusæ : et hoc modo et judices dicuntur dii in Scriptura. Exod. XXII, 8 : *Applicabis eos ad deos*, idest ad judices. Et Exod. XXII, 28 : *Diis non detrahes*, idest prælatis. Et hoc modo accipitur hic hoc nomen Deus, cum dicit : *Ego dixi, Dii estis*, idest participantes aliquam virtutem divinam supra humanam.

4. Consequenter cum dicit, *Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est* etc., aperit sensum auctoritatis prædictæ; quasi dicat : Ideo vocavit eos deos, inquantum participant aliquid divinitatis secundum participationem sermonis Dei ad eos facti : nam ex sermone Dei homo aliquam participationem divinæ virtutis et puritatis consequitur. Infra XV, 3, *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* Et Exod. XXXIV, dicitur, quod splendida facta est facies Moysi ex consortio sermonis Domini. Ex his autem quæ prædicta sunt, posset sic argumentari: Manifestum est [5] quod aliquis ex participatione Verbi Dei fit Deus participative; sed non fit aliquid participative hoc nisi ex participatione ejus quod est per essentiam suam tale : puta non fit participative ignis nisi participatione ignis per essentiam : ergo non fit aliquid participative Deus nisi ex participatione ejus qui est Deus per essentiam : ergo Verbum Dei, scilicet ipse Filius, cujus participatione aliquis efficitur Deus, est Deus per essentiam. Sed Dominus voluit humanius magis quam sic profunde contra Judæos arguere. Dicit autem : *Et non potest solvi Scriptura :* ut ostendat irrefragabilem Scripturæ veritatem. Psalm. CXVIII, 89 : « *In æternum, Domine, permanet verbum tuum.* » Consequenter cum dicit, *Quem Pater sanctificavit* etc.,

[1] Al. : « ex alia parte. » — [2] Al. : « psalmographos. » — [3] Al. omittitur : « et prophetis. » — [4] Al : « per participationem divinitatis. » — [5] Al. : « est autem. »

concludit propositum. Quod quidem si, secundum Hilarium, referamus ad Christum secundum quod est homo, tunc est sensus : Homines aliqui dicuntur dii sola participatione sermonis Dei : quomodo ergo dicitis *quia blasphemas;* idest, reputatis blasphemiam, quod ille homo dicatur Deus qui est unitus Verbo Dei in persona? Et ideo dicit : *Quem Pater sanctificavit.* Licet enim omnes qui sanctificantur, Deus sanctificet : infra xvii, 17 : *Sanctifica eos in veritate* : Christum tamen specialiter sanctificavit : nam alios sanctificat ut sint filii adoptivi : Roman. viii, 15 : *Accepistis spiritum adoptionis filiorum;* Christum autem sanctificavit ut esset Filius Dei per naturam, unitus in persona Verbo Dei : quod hæc verba ostendunt dupliciter. Primo per hoc quod dicit, *Quem Pater sanctificavit.* Si enim ut Pater sanctificat, manifestum est quod sanctificat ut Filium. Rom. i, 4 : *Qui prædestinatus est Filius Dei in*[1] *virtute secundum spiritum sanctificationis.* Secundo per hoc quod dixit : *Et misit in mundum.* Mitti enim in aliquem locum, non convenit alicui rei nisi ante fuerit quam ibi esset : ergo ille quem Pater misit in mundum, scilicet visibiliter, est Filius Dei, qui præextitit visibili visioni : quia, ut dicitur supra i, 10, *in mundo erat, et mundus per ipsum*[2] *factus est.* Supra iii, 17 : *Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum.* Hunc ergo quem Deus misit in mundum, *vos dicitis quia blasphemas*, *quia dixi, Filius Dei sum*? quasi : dicat : Multo magis possum hoc dicere, qui sum unitus Verbo in persona, quam illi *ad quos sermo Dei factus est.*

Sed unde Judæi habuerunt quod Christus esset Filius Dei? Non enim hoc Dominus expresse dixit. Ad quod dicendum est, quod licet Dominus hoc expresse non dixerit, nihilominus tamen ex verbis quæ dixit, scilicet *Ego et Pater unum sumus*; et *Quod dedit mihi Pater, majus omnibus est* : intellexerunt eum accepisse naturam a Patre, et esse unum in natura cum eo. Hoc autem, scilicet accipere eamdem naturam ab aliquo et esse, habet rationem filiationis.

Si autem hoc quod dicit, *Pater sanctificavit,* referamus, secundum Augustinum ad Christum inquantum est Deus ; tunc est sensus : *Quem pater sanctificavit*; idest, sanctum ab æterno genuit. Sed alia quæ sequuntur, eodem modo exponenda sunt, secundum quod Hilarius exponit. Tamen[3] melius exponitur, si referatur totum[4] ad Christum inquantum homo.

5. Consequenter cum dicit, *Si non facio opera Patris mei*, *nolite credere mihi*, probat veritatem dictorum; quasi diceret : Licet sim homo tantum, secundum reputationem vestram, tamen non blasphemo dicens me vere Deum, quia verissime sum. Unde circa hoc duo facit. Primo proponit argumentum operum; secundo infert conclusionem intentam, ibi, *Ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.* Circa primum duo facit. Primo dicit, quod sine operibus essent excusabiles. Et dicit : *Si non facio opera Patris mei,* eadem scilicet quæ ipse facit, et eadem virtute et potestate, *nolite credere mihi.* Supra, v, 19 : *Quæcumque Pater facit, hæc et Filius similiter facit.* Secundo, quod ex ipsis operibus convincuntur, dicens : *Si autem facio*, scilicet eadem opera quæ Pater facit, *si mihi* qui filius hominis appareo, *non vultis credere*, *operibus credite*; idest, ipsa opera demonstrant quod ego sum Filius Dei. Infra v, 24 : *Si opera non fecissem quas nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Consequenter infert conclusionem intentam, dicens : *Ut cognoscatis, et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.* Nullum enim tam evidens indicium de natura alicujus rei esse potest quam illud quod accipitur ex operibus ejus. Evidenter ergo cognosci potest de Christo et credi quod sit Deus, per hoc quod facit opera Dei : et ideo dicit : Ex ipsis operibus convincam, *ut cognoscatis et credatis* quod oculis vestris videre non potestis, scilicet *quia Pater in me est ego in Patre.* Infra xiv, 10 : *Ego in Patre*, *et Pater in me est.* Quod intelligendum est per unitatem essentiæ : et quasi idem est *Pater in me est et ego in Patre*, et *Ego et Pater unum sumus.* Hilarius autem hoc bene exponit dicens, quod differentia est inter Deum et hominem : nam homo cum sit compositus, non est sua natura ; Deus autem cum sit simplicissimus, est suum esse et sua natura. In quocumque ergo est natura Dei, ibi est Deus. Cum ergo Pater est Deus, et Filius est Deus; ubi-

[1] Al. deest : « in. » — [2] Al. : « Jesum. » — [3] Al. : « cum. » — [4] Al. omittitur : « totum. »

cumque est natura Patris [1], ibi est Pater; et ubicumque est natura Filii, ibi est Filius. Cum ergo natura Patris sit in Filio, et e converso : ergo Pater est in Filio, et e converso. Sed, ut dicit Augustinus, licet Deus sit in homine, et homo in Deo ; ut dicitur I Joan. IV, 16 : *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo* : non est intelligendum per essentiæ unitatem ; sed homo in Deo est, idest sub divina cura et protectione, et Deus in homine per similitudinem suæ gratiæ. Unigenitus autem Filius est in Patre et Pater in illo tamquam æqualis.

6. *Quærebant ergo* etc. Hic Dominus declinat [2] Judæorum pertinaciam. Et primo ostendit ipsorum pertinaciam ; secundo declinat eam ; tertio ostendit effectum declinationis. Pertinaciam autem ostendit per hoc quod post tot veritatis documenta, post tot miraculorum et mirabilium operum argumenta adhuc in malitia perseverant : unde *quærebant eum apprehendere*: non ad credendum et intelligendum, sed ad sæviendum et ad nocendum : nam quia æqualitatem sui ad Patrem evidentius expresserat, magis concitati fuerunt. Hier. VIII, 5 : *Apprehenderunt mendacium et noluerunt reverti*. Declinat autem eorum sævitiam Dominus exiens ab eis : unde dicit : *Exivit de manibus eorum*. Ubi primo ostenditur quomodo eos dimisit, scilicet exeundo de manibus eorum : et hoc propter duo. Primo, ut ostenderet se non posse detineri nisi quando volebat. Luc. IV, 30 : *Jesus transiens per medium illorum, ibat*. Supra eodem : *Nemo tollit a me animam meam*; *sed ego ponam a meipso*. Secundo ut daret nobis exemplum declinandi malorum sævitiam, quando sine periculo fidei fieri potest. Eccli. VIII, 14 : *Ne stes contra faciem contumeliosi*. Secundo ostenditur quo [3] exiens ierit : unde dicit: *Et abiit iterum trans Jordanem, in eum locum ubi erat Joannes baptizans primum*. Cujus quidem mystica causa est, quod aliquando iturus esset per Apostolos suos ad gentes convertendas. Causa vero litteralis est duplex. Una, quia locus erat vicinus Hierusalem, et jam imminebat tempus passionis : unde nolebat se elongare. Secunda, ut reducat ad memoriam testimonium quod illic perhibuit Joannes, dicens supra I, 29 : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* ; et testimonium Patris et spiritus sancti Christo perhibitum in baptismo. Effectus autem declinationis fuit conversio turbarum ad fidem : quæ quidem conversio describitur quantum ad tria. Primo quantum ad operationis imitationem : unde dicit : *Et multi venerunt ad eum*, scilicet per imitationem operum. Matth. XI, 28 : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*. Secundo quantum ad oris confessionem : unde *et dicebant quia Joannes quidem nullum fecit signum*. Ubi primo confitentur eminentiam Christi ad Joannem : unde dicebant, *quia Joannes fecit nullum signum*. Cujus quidem ratio fuit, quia Joannes missus fuit ut testis Christi : unde oportebat quod fieret fide dignus, et testimonium ejus ostenderetur verum : quod quidem fit convenienter per sanctitatem vitæ : Christus autem venit ut Deus : et ideo oportebat quod ostenderet in se signa potestatis divinæ : et ideo Joannes vitæ sanctitate pollebat ; Christus autem cum hoc exercebat etiam opera potestatem divinam manifestantia. Hic etiam mos servabatur apud antiquas potestates, quod in præsentia potestatis majoris minor potestas non utebatur suæ potestatis insigniis : unde in præsentia Dictatoris Consules insignia deponebant. Non ergo decens fuit ut Joannes, qui minoris potestatis erat, utpote præcursor et testis, in Christi præsentia, divinæ potestatis insigniis uteretur; sed solum Christus. Secundo confitentur veritatem testimonii Joannis de Christo : unde dicebant: *Omnia enim quæ dixit Joannes de hoc*, scilicet de Christo, *erant vera* ; quasi dicerent : Et si nullum signum fecerit Joannes, tamen de Christo omnia veraciter dixit. Tertio manifestat cordis fidem : unde dicit : *Et multi crediderunt in eum*. Ut Augustinus dicit, Christum apprehenderunt permanentem, quem Judæi volebant apprehendere descendentem, quia per lucernam ad diem venerant : Joannes enim lucerna erat, et diei [4] testimonium perhibebat.

[1] Al. : « cum ergo Pater est Deus, ubicumque est natura Patris etc. » — [2] Al. : « inclinat. » — [3] Al. : « quomodo. » — [4] Al. : « et Dei. »

CAPUT UNDECIMUM

LECTIO I.

1. Erat autem quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariæ et Marthæ sororum ejus. Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur. 2. Miserunt ergo sorores ejus ad eum, dicentes : Domine, ecce quem amas infirmatur. 3. Audiens autem Jesus dixit eis : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. 4. Diligebat autem Jesus Martham, et Lazarum.

1. Supra Dominus virtutem suam vivificativam ostendit verbo ; hic confirmat eam miraculo, quemdam mortuum, scilicet Lazarum, suscitando. Et primo ponitur Lazari infirmitas ; secundo ipsius jam mortui suscitatio, ibi, *Ut audivit*; tertio subjungitur suscitationis effectus, ibi, *Multi ergo ex Judæis... crediderunt in eum*. Circa primum tria facit. Primo ponitur Lazari ægrotatio ; secundo languoris denuntiatio, ibi, *Miserunt ergo sorores ejus ad eum* ; tertio assignatur præmissorum ratio, ibi, *Audiens Jesus dixit eis* etc. Circa primum tria facit. Primo describit personam ægrotam ; secundo languentis locum ; tertio personam conjunctam. Persona ægrota est Lazarus : unde dicit : *Erat quidam languens Lazarus*. Per hunc fidelis signatur, qui in Deo sperat, et tamen patitur infirmitatem peccati : de qua dicitur in Psal. vi, 3 : *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum*. Lazarus enim interpretatur auxiliatus a Domino : unde eum significat qui spem habet divini auxilii. Psal. cxx, 1 : *Auxilium meum a Domino*. Locus infirmi erat Bethania : unde dicit : *A Bethania de castello Mariæ et Marthæ* : quæ quidem Bethania villa quædam erat prope Hierusalem, ubi Dominus consueverat frequenter hospitari, ut frequenter supra dictum est ; et interpretatur domus obedientiæ. Per quod datur intelligi, quod si infirmus sit Deo obediens, potest ab eo facili curari ; sicut infirmus obediens medico, facilius ab eo beneficium consequitur sanitatis. IV Reg. v, 13, dixerunt servi Naaman ad eum : *Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, facere debuisses*. Ista Bethania castellum erat Mariæ et Marthæ sororum Lazari : per quas duplex vita signatur, activa scilicet et contemplativa : ut sic per hoc detur intelligi quod per obedientiam homo perfectus redditur in vita activa et contemplativa. Persona conjuncta erat Maria : unde dicit : *Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento*. Quia enim mentionem fecerat de Maria, et plures mulieres hujus nominis erant ; ideo ne erremus ex nomine, notificat eam ex notissima actione, dicens : *Quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis*. De hac autem Maria diversitas quædam est inter Sanctos. Quidam enim dicunt, ut Hieronymus et Origenes, quod hæc Maria soror Lazari non est eadem cum illa quæ peccatrix erat, de qua dicitur Luc. vii, 37, quod *attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat*. Unde, sicut dicit Chrysostomus, hæc non fuit illa meretrix quæ in Luca legitur ; hæc enim honesta fuit et studiosa circa susceptionem Christi : nam peccatricis illius nomen tacetur. Potuit autem Maria ista erga Christum tempore suæ passionis ex devotione et speciali dilectione simile opus fecisse, quod fecit ei peccatrix illa diligens et compuncta : quod quidem factum hic ab Evangelista propter Mariæ nominis multitudinem [1] per anticipationem recitatur. Quidam alii, sicut Augustinus et Gregorius, dicunt, quod hæc eadem Maria de qua hic agitur, est illa peccatrix de qua agitur Luc. vii. Et argumentum hujus ex hoc verbo Augustinus assumit : nam hic Evangelista dicit antequam Maria ungeret Dominum unguento, quia illud fuit imminente passione. Infra xii, 3, ubi dicitur, *Maria ergo sumpsit libram unguenti nardi*

[1] Parm. : « magnitudinem. »

pistici pretiosi, et unxit pedes Jesu. Unde dicit quod hoc quod hic dicit Evangelista de ea factum, recitatur Luc. VII. Ambrosius autem utramque partem tenet. Secundum ergo opinionem Augustini manifestum est quod peccatrix illa de qua dicitur in Luca, est Maria ista. *Cujus infirmabatur*, idest, miserandum corpus ejus fornaceis febribus anhelum [1] edax incendium assumebat.

2. Hic ponitur infirmitatis denuntiatio a sororibus Lazari, quæ languenti aderant, et [2] casum dolentes juvenis ægrotantis, *miserunt ad eum*, scilicet Jesum, *dicentes*: *Domine, ecce quem amas infirmatur.* In qua quidem denuntiatione tria consideranda occurrunt. Unum est, quod amici Dei quandoque corporaliter affliguntur : unde non est signum [3] quod aliquis non sit amicus Dei, si aliquando corporaliter affligatur, sicut Eliphaz contra Job [4] falso arguit, Job IV, 7 : *Recordare, obsecro, quis unquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt?* Et ideo dicunt : *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Proverb. III, 12 : *Quem diligit Dominus corripit, et quasi pater in filio complacet sibi.* Secundum est quod non dicunt, Domine veni, sana eum ; sed tantum infirmitatem exponentes, dicunt, *Infirmatur.* In quo signatur quod sufficit amico tantum necessitatem exponere, absque alicujus petitionis additamento : nam amicus cum velit bonum amici sicut bonum suum, sicut sollicitus est ad repellendum malum suum, ita et ad repellendum malum amici sui. Et hoc maxime verum est de eo qui verissime diligit. Psal. CXLIV, 6 : *Custodit Dominus diligentes se.* Tertium est quod istæ duæ sorores desiderantes curationem fratris languidi, non venerunt personaliter ad Christum, sicut paralyticus, Luc. V, et Centurio, Matth. VIII : et hoc propter confidentiam quam habebant ad Christum ex speciali [5] dilectione et familiaritate quam Christus erga eas [6] ostenderat : et forte a luctu detinebantur, ut Chrysostomus dicit. Eccli. VI, 11 : *Amicus si permanserit fixus, erit tibi coæqualis et in domesticis tuis fiducialiter aget.*

3. Hic ponitur præmissorum ratio : et primo ratio ipsius infirmitatis ; secundo quare sorores ejus non venerunt ad Christum Augustinum, ibi, *Diligebat autem Jesus Martham et sororem ejus Mariam, et Lazarum.* Ratio autem infirmitatis est glorificatio Filii Dei : unde dicit : *Dixit eis Jesus : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei.*

Ubi sciendum est quod infirmitatum corporalium quædam sunt ad mortem, quædam autem non. Illæ autem sunt ad mortem quæ [7] ad hoc Deo immittuntur quod per eos aliqui mortem incurrant ; illæ autem non sunt ad mortem quæ ad aliquid aliud ordinantur. Nam omnia mala pœnæ ex divina providentia infliguntur. Amos III, 6 : *Si est malum in civitate quod Dominus non faciat.* Mali vero culpæ Deus ultor est, non tamen auctor. Omnia autem quæ a Deo sunt, ordinata sunt ; et ideo omnia mala pœnæ ad aliquid ordinantur : quædam ad mortem, quædam ad aliquid aliud. Hæc autem infirmitas non est ordinata ad mortem, sed ad gloriam Dei.

Sed numquid non fuit mortuus Lazarus ex hac infirmitate? Videtur quidem [8] quod sic. Alias non fœteret quatriduanus in monumento, nec resuscitatio ejus [9] fuisset miraculosa. Responsio. Dicendum, quod infirmitas hæc non fuit ordinata ad mortem ut ad finem ultimum, sed propter aliud, ut dictum est : ut scilicet ipse qui resuscitatus fuit, quasi castigatus, juste viveret ad Dei gloriam ; et populus Judæus videns miraculum, converteretur ad fidem. Psal. CXVII, 18 : *Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me.* Unde sequitur : *Sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.* Ubi, secundum Chrysostomum, ly «pro» et ly «ut» non tenentur causaliter, sed consecutive. Non enim ideo infirmatus est ut ex hoc Deus glorificaretur ; sed aliunde quidem infirmitas hæc venit, et ex ea consecutum est hoc ut glorificaretur Filius Dei, inquantum eum resuscitando, usus est ea ad gloriam Dei. Hoc autem uno quidem modo veritatem habet, sed alio modo non : potest enim infirmitatis Lazari duplex causa considerari. Una naturalis ; et secundum hanc verificatur dictum Chrysostomi : quia infirmitas Lazari secundum causam naturalem non ordinabatur ad resuscitationem. Alia causa potest considerari divina providentia ; et tunc non habet veritatem dictum Chrysos-

[1] Parm. : « alendum. » — [2] Parm. : « casu. » — [3] Al. : « unum est quod non est in signum etc. » — [4] Al. : « supra. » — [5] Al. : « ex familiari. » — [6] Cod. Mazarini : « nos. » — [7] Parm. omittit : « ad hoc a Deo, immittuntur quod per eos aliqui mortem incurrant ; illæ autem non sunt ad mortem quæ » ad aliquid aliud » — [8] Parm. omittit : « quidem. » — [9] Parm. omittit : « ejus »

tomi : nam ex divina providentia hujusmodi [1] infirmitas ordinabatur ad gloriam Dei. Et secundum hoc ly *pro* et ly *ut* tenentur causaliter : quasi dicat : *Sed pro gloria Dei* : quia licet ad hoc non ordinaretur ex intentione causæ naturalis, ordinabatur tamen ex intentione divinæ providentiæ ad gloriam Dei, inquantum facto miraculo crederent homines in Christum, et vitarent veram mortem. Unde dicit : *Ut glorificetur Filius Dei per eam.* Hic manifeste Dominus Filium Dei se nominat : nam ipse glorificandus erat in resuscitatione Lazari, et ideo [2] ipse est verus Deus. I Joan. ult. xx : *Ut simus in vero Filio ejus.* Supra IX, 3 : *Neque hic peccavit neque parentes ejus; sed ut manifestentur opera Dei in illo.*

4. Hic, secundum Augustinum, Evangelista assignat rationem quare duæ sorores non venerunt ad Christum : quæ scilicet sumitur ex confidentia specialis dilectionis : unde dicit : *Diligebat autem Jesus Martham et Mariam sororem ejus et Lazarum.* Quippe qui tristium consolator erat, sorores tristes diligebat : et qui languentium salvator erat, languidum et mortuum Lazarum diligebat. Deut. XXXIII, *Dilexit populos : omnes sancti in manu illius sunt.*

LECTIO II.

1. Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. 2. Deinde post hæc dicit discipulis suis : Eamus in Judæam iterum. 3. Dicunt ei discipuli : Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare ; et iterum vadis illuc ? 4. Respondit Jesus : Nonne duodecim horæ sunt diei ? 5. Si quis ambulaverit in die, non offendit quia lucem hujus mundi videt. 6. Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.

1. Hic agitur de mortui resuscitatione: et primo ponitur resuscitandi propositum ; secundo subditur suscitationis ordo, ibi, *Venit itaque Jesus* etc. Circa primum tria facit. Primo dat Dominus locum morti ; secundo prænuntiat propositum de accedendo ad locum ubi mortuus erat, ibi, *Deinde post hæc dicit* etc. ; tertio prænuntiat propositum suscitandi, ibi, *Hæc ait, et post dicit illis* etc. Dat autem locum morti, moram trahendo Dominus trans Jordanem : et ideo dicit : *Ut autem audivit quia infirmabatur, mansit in eodem loco duobus diebus.* Ex quo notatur quod eodem die quo Christus recepit nuntium sororum Lazari, mortuus fuit Lazarus : nam quando Christus venit ad locum ubi mortuus fuit, jam quatriduanus erat ; Christus autem duobus diebus postquam recepit nuntium, remansit in eodem loco, et sequenti die ab illis duobus ivit in Judæam. Dedit autem locum morti per tot dies, propter duo. Primo quidem ne ex præsentia ejus mors Lazari impedita fuisset : nam ubi vita præsens est, mors locum non habet. Secundo, ut miraculum credibilius redderetur, et nullus posset dicere quoniam nondum defunctum eum suscitavit, sed potius stupefactum.

2. Consequenter cum dicit, *Deinde post hæc dicit discipulis suis*, Dominus manifestat propositum accessus sui ad locum: et primo prænuntiat propositum ; secundo subditur timor discipulorum, ibi, *Dicunt ei discipuli* etc. ; tertio Dominus timorem propellit, ibi, *Respondit Jesus : Nonne duodecim horæ sunt diei?* Dicit ergo quantum ad primum : *Deinde post hæc*, scilicet moram contractam, *dixit*, scilicet Jesus discipulis suis : *Eamus in Judæam iterum.*

Hic quæritur quare hic [3] solum prædixit Apostolis iterum iturum in Judæam, cum hoc alias non fecerit. Sed hujus quidem ratio est, quia Judæi nuper in Judæa persecuti fuerant Christum, ut pene eum lapidassent ; unde et propterea inde decesserat : propter quod credendum erat quod, Christo iterato illuc ire volente, discipulorum corda timor invaderet. Et quia « prævisa jacula minus feriunt, et mala quæ prævidentur, facilius tolerantur, » ut Gregorius dicit ; ideo Dominus ut eis timorem auferret, eis itineris sui propositum manifestat.

Per hoc autem quod iterum revertitur in Judæam, mystice datur intelligi, Dominum in fine mundi iterum reversurum ad Judæos, qui convertentur ad Christum. Rom. XI, 25 : *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret.*

3. Timor discipulorum ponitur cum dicitur [4] : *Dicunt ei discipuli : Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, et iterum vadis illuc?* quasi dicant : Videtur quod spontaneus vadas ad mortem. Sed

[1] Al.: « hujus. » [2] Parm. omittit : « et ideo. » — [3] Al. : « hoc. » — [4] Al. : « cum dicunt. »

timor iste irrationabilis est, quia secum habebant disciPuli Deum protectorem, cum quo qui est, timorem habere [1] non debet. Isa. L, 8 : *Stemus simul : quis est adversarius meus?* Psal. XXVI, 1 : *Dominus illuminatio mea et salus mea : quem timebo?*

4. Hunc timorem expellit Dominus confortans eos : unde dicit : *Respondit Jesus*, scilicet discipulis [2] : *Nonne duodecim horæ sunt diei?* Ubi primo ponit conditionem temporis ; secundo ostendit quod tempus sit aptum ambulationi ; tertio quod tempus [3] non sit aptum. Secundum ibi, *Si quis ambulaverit in die, non offendit ;* tertium, ibi, *Si autem ambulaverit in nocte, offendit.*

Ad intelligentiam [4] autem hujus litteræ, sciendum est, quod tripliciter exponitur. Uno modo a Chrysostomo sic. *Nonne duodecim horæ sunt diei?* quasi dicat : Vos dubitatis ascendere in Judæam, quia nuper Judæi voluerunt me lapidare ; sed dies habet duodecim horas, et quod contingit in una, non contingit in alia. Unde licet tunc voluissent me lapidare, in alia hora hoc nollent. Eccl. III, 1 : *Omnia tempus habent.* Et ejusdem VIII, 6 : *Omni negotio tempus est et opportunitas.*

Sed hic incidit quæstio litteralis : quia aut loquitur de die naturali, aut de die artificiali. Si quidem loquatur de die naturali, tunc falsum est quod dicit ; cum non habeat duodecim, sed vigintiquatuor horas. Similiter si loquitur de die de artificiali, falsum est quod dicit : quia hoc non est verum nisi in æquinoctiali [5] tantum, quando dies sunt æquales noctibus, quia non omnes dies artificiales habent duodecim horas [6].

Sed ad hoc dicendum, quod intelligendum est de die artificiali : quia omnes dies artificiales habent duodecim horas. Nam horæ hujusmodi dierum distinguuntur dupliciter. Quædam enim sunt æquales, et quædam sunt inæquales. Æquales autem distinguuntur secundum circulum æquinoctialem, et secundum hoc non omnes dies habent duodecim horas ; sed aliqui plures, aliqui pauciores; nisi tantum in æquinoctio. Inæquales autem distinguuntur secundum ascensiones zodiaci propter ejus obliquitatem : quia non æqualiter ascendit zodiacus in omnibus partibus suis; æquinoctialis autem æqualiter : et de istis horis inæqualibus quilibet dies artificialis habet duodecim horas : quia quolibet die [7] ascendunt sex signa de die, et sex de nocte ; sed illa quæ ascendunt in æstate, sunt tardioris motus quam illa quæ ascendunt in hieme; ascensus autem cujuslibet signi facit duas horas.

5. *Si quis ambulaverit in die,* idest honeste, et absque conscientia alicujus mali : Rom. XIII, 13 : *Sicut in die honeste ambulemus* : *non offendit* ; idest, non invenit quod ei noceat. Et hoc ideo *quia lucem hujus mundi videt* ; idest, lux justitiæ in eo est. Psal. XCVI, 11 : *Lux orta est justo, et rectis corde lætitia quasi dicat Dominus* : Nos secure possumus ire, cum in die ambulemus.

6. *Si autem ambulaverit in nocte*, scilicet iniquitatum, de facili multa pericula inveniet : de qua nocte I Thess. V, 7 : *Qui dormiunt, nocte dormiunt* : et talis *offendit*, idest impingit, *quia lux*, scilicet justitiæ, *non est in eo.*

Alio modo exponit quidam græcus, scilicet Theophylactus, ab illo loco, *Si quis ambulaverit in die*, dicens, quod dies est præsentia Christi in mundo, nox vero est tempus post passionem ejus : ut sit sensus : Non est timendum de Judæis : quia quamdiu ego sum in mundo, vobis non imminet periculum, sed mihi. Unde quando Judæi eum capere voluerunt, infra XVIII, 8, dixit Dominus turbis : *Si ergo me quæritis, sinite hos abire : ut impleretur sermo quem dixit* : *Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Sed *in nocte*, idest in tempore post passionem, tunc timendum est vobis ire in Judæam, quia patiemini a Judæis persecutionem. Zach. XII, 7 : *Percute pastorem, et dispergentur oves* ; [8] idest post passionem pastoris dispergentur oves.

Alio modo exponit Augustinus sic ut per diem intelligatur Christus. Supra IX 4 : *Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est* : et *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* Hujus ergo diei duodecim horæ, sunt duodecim Apostoli. Supra, VI, 71 : *Nonne ego vos duodecim elegi ?*

Sed timendum est valde quod sequitur

[1] Parm. : « timere. » — [2] Al. deest : « scilicet discipulis. » — [3] Parm. omittit : « tempus. » — [4] Al. : « intellectum. » — [5] Parm. : « quia non omnes dies, etc., » et omittit : « tantum, quando dies, etc. » — [6] Al. omittitur : « horas » — [7] Al. deest : « die. » — [8] Parm. omittit : « idest post passionem Pastoris, etc. »

(loc. cit). *Et unus ex vobis diabolus est.* Judas ergo non erat hora hujus diei, quia non lucebat. Sed dicendum, quod Dominus hoc dixit, non habito respectu ad Judam, sed ad successorem ejus Mathiam.

Est ergo sensus : *Nonne duodecim horæ sunt diei?* quasi diceret : Vos estis horæ, ego sum dies. Sicut ergo horæ consequuntur diem, ita et vos me debetis sequi. Unde si ego volo ire in Judæam, vos non debetis me præcedere, nec mutare voluntatem meam; sed debetis me sequi. Simile dicit Petro, Matth. XVI, 23 : *Vade retro post me, satana ;* idest, non præcedas me, sed me sequere, voluntatem meam imitando [1]. *Si quis ambulaverit in die*; quasi diceret : Non debetis timere periculum ; quia vos itis mecum, qui sum dies. Unde sicut qui in die vadit non impingit, idest non offendit ; ita nec vos qui mecum itis. Rom. VIII, 31 : *Si Deus pro nobis, quis contra nos ?* Et hoc ideo *quia lucem hujus mundi videt*, in me. *Si autem ambulaverit in nocte*, idest in tenebris ignorantiæ et peccati, tunc *offendit;* et hoc ideo *quia lux*, scilicet spiritualis, *non est in eo ;* non quidem ex defectu lucis, sed eorum rebellione. Job XXIV, 13 : *Ipsi fuerunt rebelles lumini.*

LECTIO III.

Hæc ait, et post hæc dicit eis : Lazarus amicus noster dormit; sed vado, ut a somno excitem eum. 2. Dixerunt ergo discipuli ejus ; Domine, si dormit, salvus erit. 3. Dixerat autem Jesus de morte ejus ; illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret. 4. Tunc ergo Jesus dixit eis manifeste : Lazarus mortuus est ; et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum. 5. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos : Eamus et nos et moriamur cum eo.

1. Supra prænuntiavit Dominus propositum de accedendo ad locum defuncti ; hic manifestat propositum de defuncti suscitatione : et primo prænuntiat ipsum propositum ; secundo discipulorum affectum. ibi, *Dicit ei Thomas*, etc. Propositum autem prænuntiat primo quasi implicite et obscure ; secundo Evangelista ostendit tarditatem intellectus discipulorum, ibi, *Dixerunt ergo discipuli ;* tertio Dominus ipsum propositum denuntiat manifestius [2], ibi, *Tunc ergo dixit eis Jesus.* Dicit ergo : *Hæc ait, et post hæc dicit illis ;* quasi diceret : His quæ supra posita sunt dictis, postmodum dicit discipulis suis : *Lazarus amicus noster dormit.* Quod quidem, secundum Chrysostomum, videtur facere ad secundam rationem excludentem timorem discipulorum : nam prima procedebat ex discipulorum innocentia : quia qui ambulat in die, non offendit ; ista sumitur ex necessitate imminente, quasi necessarium sit ire. Unde circa hoc tria facit. Primo commemorat pristinam amicitiam defuncti, dicens, *Lazarus amicus noster* : amicus scilicet propter multa beneficia et obsequia quæ nobis exhibuit ; et ideo non debemus in necessitate deficere. Prov. XII, 26 : *Qui negligit damnum propter amicum, justus est.* Secundo ponit necessitatis instantiam : unde dicit, *Dormit* : unde oportet quod ei subveniatur. Prov. XVII, 17 : *Frater in angustiis comprobatur. Dormit*, inquam, ut dicit Augustinus, Domino ; sed mortuus erat hominibus, qui eum suscitare non poterant.

Sciendum est enim, quod somnus accipitur multis modis. Quandoque pro somno naturæ. I Reg. III, 9 : *Dormivit Samuel usque mane.* Et Job XI, 18 : *Securus dormias* etc. Quandoque pro somno mortis. I Thessal. IV, 12 : *Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri qui spem non habent.* Quandoque pro negligentia. Psal. CXX, 4 : *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel.* Quandoque vero pro somno culpæ Ephes. 5, 14 : *Exurge qui dormis, et exurge a mortuis.* Quandoque pro quiete contemplationis. Cant. V, 2 : *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Quandoque pro quiete futuræ gloriæ. Psal. IV, 9 : *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* Mors autem dicitur somnus propter spem resurrectionis ; et ideo mors consuevit appellari dormitio, ab eo tempore quo Christus mortuus est et resurrexit. Psal. III, 6 : *Ego dormivi et soporatus sum.*

Tertio ostendit suam ad resuscitandum efficaciam, cum dicit : *Sed vado ut a sommo excitem eum.* In quo dat intelligere quod tanta facilitate excitabat eum [3] de sepulcro, quanta tu [4] excitas dormientem in lecto. Nec mirum : quia ipse est

[1] In cod. Mazarini 177 : « id est me sequaris, nec præcedas me voluntatem meam mutando. » — [2] Parm. : « manifeste. » — [3] Al. deest : « eum. » — [4] Parm. omittit : « tu. »

qui suscitat mortuos et vivificat, supra v: unde ipse dicit[1] ibidem (vers. 28): *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei.*

2. Tarditatem autem intellectus discipulorum ponit Evangelista cum dicit: *Dixerunt ergo discipuli ejus*: *Domine, si dormit, salvus erit.* Et primo ponit signum tarditatis eorum, scilicet quod non responderunt secundum intentionem Domini ; secundo ostenditur eorum tarditas manifeste, ibi, *Dixerat autem Jesus de morte ejus.* Circa primum sciendum est, quod id quod dixerat Dominus de somno mortis , isti intellexerunt de somno naturæ : et quia solet somnus ægrotantium salutis esse indicium, ideo *discipuli dixerunt* : *Si dormit, salvus erit* ; quasi dicant : Hoc manifeste salutis est signum : ut per hoc ulterius concludant : Domine, si dormit, non videtur utile esse ut tu vadas ad excitandum eum.

3. Tarditatem autem ipsam[2] subdit dicens : *Dixerat autem Jesus de morte ejus* : animales enim adhuc erant[3], I Cor. II, *animalis homino non percipit*; unde Dominus dicit eis, Matth, XV 16 : *Adhuc et vos sine intellectu estis?* De sapiente vero dicitur Prov. I, 6 : *Animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientium*[4] *et ænigmata eorum.*

4. Manifestat autem Dominus explicite suscitandi propositum, cum subdit : *Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos.* Et primo annuntiat eis Lazari mortem, quod pertinet ad ejus scientiam : secundo insinuat suum affectum[5] circa ejus mortem, quod pertinet ad ejus providentiam ; tertio innuit propositum de eundo ad[6] mortuum quod pertinet ad ejus clementiam. Mortem quidem prænuntiat dicens manifeste : *Lazarus mortuus est*; idest, subiit legem communem mortis, quam nullus hominum subterfugere potest Psal. LXXXVIII, 49 : *Quis est homo qui vivit, et non videbit mortem?* Affectum autem suum ostendit circa ejus mortem dicens : *Et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi.* Quod potest dupliciter exponi. Uno modo sic. Nos audivimus infirmitatem Lazari : sed ego absens annuntio mortem ejus, *et gaudeo propter vos*, idest propter vestram utilitatem, ut ex hoc sumentes[7] experimentum divinitatis meæ, quia et[8] quæ absentia video. Hebr. IV, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus*, nec mirum, quia ipse est omnibus præsens. Hier. XXIII, 24 : *Cælum et terram ego impleo* ; *credatis* : non ut de novo inciperent[9] sed ut amplius[10] robustiusque crederent : secundum illud Marc. IX, 23 : *Credo, Domine, adjuva meam incredulitatem.* Alio modo sic. *Gaudeo*, scilicet quod mortuus est, et hoc *propter vos*, propter vestram utilitatem, scilicet *ut credatis* : ideo, inquam, *gaudeo... quia non eram ibi* : nam si ibi fuissem, non fuisset mortuus : sed quia defunctus est, majus apparebit miraculum cum resuscitabo defunctum putrescentem : et ex hoc vos magis corroborabimini in fide. Majus est enim defunctum suscitare quam viventem a morte præservare. Ex quo datur intelligi quod aliquando mala sunt ratio gaudii, inquantum ordinantur ad bonum. Rom. VIII, 28 : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Propositum autem eundi innuit dicens : *Sed eamus ad eum* : in quo ostenditur Dei clementia, inquantum homines in peccatis existentes et quasi mortuos per se ad eum accedere non valentes, misericorditer præveniendo attrahit : secundum illud Hier. XXXI, 3 : *In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.*

5. Hic ponitur discipulorum affectus : quod potest quidem dupliciter exponi. Uno modo ut importet affectum dubitantis ; alio modo ut importet affectum diligentis. Et primo modo exponitur a Chrysostomo. Nam, ut supra dictum est, omnes discipuli timebant Judæos, et super alios Thomas. Nam ante passionem infirmior erat aliis, et infidelior : qui tamen postea fortior factus est, et irreprehensibilis, qui solus orbem terrarum percurrit. Unde ex hac dubietate dicit ad condiscipulos ; *Eamus et nos, et moriamur cum illo* ; quasi dicat : Iste non timet mortem, penitus vult ire, se et nos volens tradere morti. Secundo modo exponit Augustinus. Thomas enim et alii discipuli ita Christum amabant ut vel cum eo præsente vivere, vel cum eo mori vellent, ne post mortem deserti iterum inconsolati remanerunt. Unde ex hoc

[1] Al. : « unde dicit. » — [2] Parm.: « ipsorum. » — [3] Parm. : « quia rudes erant; » et omittit : « animales enim, etc. » — [4] Al. : « verba scilicet, etc. » — [5] Parm. : « effectum. » — [6] Parm. : « ad locum ubi mortuus erat. » [7] Parm. : « sumatis. » — [8] Parm. : « quia in. » — [9] Parm : « credere. » [10] Parm. : « firmius. »

affectu Thomas dicit ad condiscipulos : *Eamus et nos, et moriamur cum eo*; quasi dicat : Ire vult, periculum mortis ei imminet : numquid et nos, remanebimus ut vivamus ? Absit. Sed *eamus, et moriamur cum illo*. Rom. VIII, 17 : « *Si compatimur, et conregnabimus*. II Corinth. v, 14 : *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*.

LECTIO IV.

1. Venit itaque Jesus, et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem. 2. Erat autem Bethania juxta Hierosolymam quasi stadiis quindecim. Multi autem ex Judæis venerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. 3. Martha autem, ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi ; Maria autem domi sedebat. Dixit ergo Martha ad Jesum : Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed et nunc scio quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. 4. Dicit illi Jesus : Resurget frater tuus. 5. Dicit ei Martha : Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die. 6. Dixit ei Jesus : Ego sum resurrectio et vita. 7. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet ; et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum. 8. Credis hoc ? Ait illi : Utique Domine, ego credidi ; quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

1. Postquam prænuntiavit defuncti suscitationem, hic describit Evangelista resuscitationis ordinem : et primo præmittit quædam præambula pertinentia ad alios ; secundo proponit quædam quæ pertinent ad affectum Christi, ibi, *Jesus autem ut vidit eam plorantem... infremuit spiritu* ; tertio subdit suscitationis effectum, ibi, *Jesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum*. Præambula autem ad alios pertinentia præmittit primo quidem quantum ad Judæorum erga sorores consolationem, ibi. *Erat autem Bethania juxta Hierolymam* ; tertio quantum ad sororum devotionem. ibi, *Martha autem, ut audivit quia Jesus venit, occurit illi*. Defuncti autem conditio describitur quantum ad tempus mortis. quia quatriduanus ; unde dicit : *Venit itaque Jesus, et invenit eum quatuor dies habentem* : et quantum ad locum, quia in monumento. Ex quo apparet, secundum litteram, ut dictum est supra, quod primus dies mortis fuit quando nuntiata fuit ei infirmitas.

Per hos autem quatuor dies, secundum Augustinum, signantur quatuor dies quadruplicis mortis. Una dies est peccati originalis, quod homo trahit de mortis propagine. Rom. v, 12 : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*. Alii tres dies referuntur ad mortem peccati actualis ; nam quodlibet peccatum mortale quædam mors dicitur. Psalm. XXXIII, 22 : *Mors peccatorum pessima*. Et dividuntur secundum transgressionem triplicis legis. Primo quidem legis naturæ, quam homines transgrediuntur ; et sic est secundus [1] dies mortis. Isa. XXIV, 5 : *Transgressi sunt legem et pactum sempiternum*, idest legem naturæ. Secundo legis scriptæ, quam etiam homines transgrediuntur ; et sic est tertius dies. Supra VII, 19 : *Nonne Moyses dedit vobis legem. et nemo ex vobis facit legem ?* Tertio legis Evangelii et gratiæ, quam homines transgrediuntur ; et sic est quartus dies, et gravior ceteris. Hebr. x, 18 : *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur : quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit ?* Vel aliter, primus dies est peccatum cordis. Isa. I, 16 : *Auferte malum cogitationum vestrarum*. etc. Secundus dies est peccatum oris. Ephes. IV, 19 : *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat*. Tertius dies est peccatum operis : de quo Isa. I, 16 : *Quiescite agere perverse*. Quartus dies est peccatum perversæ consuetudinis : de quo Hier. XIII, 23 : *Sic et vos poteritis bene facere, cum didiceritis male*. Qualitercumque tamen exponatur, Dominus quandoque sanat mortuos quatuor dies habentes, idest legem Evangelii transgredientes, et in consuetudine peccati detentos.

Visitantium autem conditio describitur et quantum ad visitandi opportunitatem, et quantum ad eorum quantitatem. Quantum ad opportunitatem quidem, quia locus defuncti erat prope Hierosolymam : unde dicit : *Erat autem Bethania juxta Hierosolymam quasi stadiis quindecim*, quod erat fere milliaria duo : nam milliare habet octo stadia : et sic facilis multis Judæorum a Hierosolymis patebat illuc accessus.

Mystice autem per Bethaniam quæ in-

[1] Al. : « secundum » item : « sensus. »

terpretatur domus obedientiæ, et Hierusalem visio pacis, datur intelligi, quod qui sunt in statu obedientiæ, sunt propinqui ad pacem vitæ æternæ. Supra x, 27 : *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego vitam æternam do eis.* Et dicit, *Quindecim stadiis*, quia qui vult de Bethania, idest de statu obedientiæ, ire in Hierusalem cœlestem, oportet quod transeat stadia quindecim. Primo quidem septem, quæ pertinent ad observantiam veteris legis : nam septenarius numerus pertinet ad legem veterem, quæ diem septimum sanctificat ; deinde vero octo, idest impletionem novi testamenti, ad quem pertinet numerus octonarius propter octavam resurrectionis.

Quantum vero ad quantitatem describitur, quia multi : unde dicit : *Multi autem ex Judæis venerant ad Mariam et Martham, ut consolarentur eas :* quod quidem pietatis erat. Rom. XII, 15 : *Gaudere cum gaudentibus oportet* [1], Eccli. VII, 38 : *Non desis plorantibus in consolationem.*

3. Sorores autem describit Evangelista primo quantum quidem ad Martham ; secundo vero quantum ad Mariam, ibi, *Hæc cum dixisset, abiit, et vocavit Mariam.* Martham describit quantum ad tria. Primo quantum ad ejus occursum quo Christo obviavit ; secundo quantum ad devotionis affectum quem Christo exhibuit ; et tertio quantum ad instructionis profectum ad quem Christus eam erexit. Occursus autem Marthæ describitur festinus : quia *Martha, ut audivit quia Jesus venit, occurrit, illi,* absque moræ dilatione. *Venit* autem præsentis temporis est : forte enim Christo prope castrum existente, aliquis præcessit, et nuntiavit Marthæ adventum Christi ; quo audito statim cucurrit. Ratio autem quare Martha primo audivit, et sola occurrit, est, quia Martha solicita erat : unde Dominus dicit, Luc. x, 41 : *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima :* et ideo occupata circa dispositionem negotiorum discurrebat per domum, et nuntianti facilius occurrit. *Maria autem sedebat domi* cum illis qui venerant de Hierosolymis ; et ideo non ita cito potuit sibi indicari sicut Marthæ. Ratio autem quare Martha non statim indicavit Mariæ, assignatur a Chrysostomo. Quia Maria sedebat cum Judæis, et Martha sciebat quod Judæi persequebantur Christum, et jam conspiraverant in ejus mortem ; et ideo timens ne si nuntiaret ei, et illa ivisset in occursum Christi, ivissent cum ea : propter hoc ergo sibi nuntiare noluit.

Sed si Judæi conspiraverant contra Christum, quomodo visitabant Lazarum et sorores suas, qui Christi familiares erant, et quasi discipuli? Ad quod respondet Chrysostomus, quod hoc faciebant propter necessitatis calamitatem, et propter nobilitatem harum mulierum, quas spreto principum mandato, consolabantur. Vel qui hi aderant, non mali erant, sed bene se habebant ad Christum : multi enim ex populo credebant.

Mystice autem signantur per hæc vita activa quæ signatur per Martham, quæ occurrit Christo ad exhibendum obsequii beneficium membris ejus ; et vita [2] contemplativa, quæ per Mariam signatur : quæ domi sedet quieti contemplationis et puritati [3] conscientiæ vacans. Sapient. VIII, 16 : *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa.*

Affectus autem devotionis in Martha ostenditur præcipuus ; unde dicit : *Dixit Martha ad Jesum ; Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Ubi duo Christo devote proponit : unum quod respicit ad præteritum, et aliud quod respicit ad futurum. Ad præteritum quidem respicit quod dicit : *Domine, si fuisses, hic frater meus non fuisset mortuus :* credebat enim quod præsente Christo mors locum non haberet, cum vidisset mulierem ad solum tactum fimbriæ Jesu sanatam, Matth. XIV. Et quidem rationabiliter movebatur ; nam vita contrariatur morti ; Christus autem vita est et lignum vitæ. Prov. III, 18 : *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam.* Si ergo lignum vitæ poterat præservare a morte, multo magis Christus. Nihilominus tamen imperfectam habebat fidem, æstimans Christum minus posse absentem quam præsentem : unde dicebat : *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus :* quod quidem de virtute limitata et creata dici potest ; sed de virtute infinita et increata, quæ Deus est, non est dicendum : quia æqualiter se habet ad præsentia et absentia ; immo sibi omnia sunt præsentia. Hier. XXIII, 23 : *Putas ne*

[1] Ibi : « gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. » — [2] Al. : « vita contemplativa : » item : « vita autem contemplativa, etc. » — [3] Al. : « et pietati. »

Deus e vicino ego sum? etc. Ad futurum autem [1] respicit hoc quod subdit : *Sed et nunc scio quia quæcumque* [2] *poposceris a Deo, dabit tibi Deus.* In quo quidem licet aliquo modo verum dixerit : nam Christo secundum quod homo pertinebat a Deo petere : unde et frequenter orasse legitur, et supra IX, 13, dicitur : *Si quis Dei cultor est... hunc exaudit :* tamen minus dixit : nam per hæc verba arbitrari videtur Christum sicut unum sanctum hominem, qui præteritam mortem orando posset excludere; sicut Eliseus orando mortuum suscitavit.

4. Profectus autem instructionis [3] Marthæ ponitur cum addit : *Dicit illi Jesus : Resurget frater tuus.* Quia enim adhuc imperfecte cognoscebat, ideo Dominus ad altiora eam instruendo provehit : et primo prænuntiat fratris resurrectionem ; secundo ostendit resuscitationis potestatem, ibi, *Ego sum resurrectio et vita* etc. Circa primum duo facit. Primo prænuntiat futurum miraculum; secundo ponitur intellectus Marthæ de resuscitatione, ibi, *Dixit ei Martha* etc. Miraculum autem quod futurum Dominus prænuntiat, est resuscitatio Lazari : unde dicit : *Resurget frater tuus.* Isa. XXVI, 19 : *Vivent, et mortui tui resurgent.*

Sciendum est autem, Christum tres mortuos suscitasse : puellam archisynagogi, ut habetur Matth. IX : filium viduæ qui efferebatur extra portam, ut habetur Luc. X : et Lazarum quatuor dies habentem in monumento. Sed puellam quidem in domo, juvenem extra portam, Lazarum in monumento. Item puellam paucis arbitris secum habens, parentes [4] videlicet puellæ, et tres ex discipulis suis, Petrum scilicet, Jacobum et Joannem; juvenem vero magna turba præsente ; sed Lazarum assistente multitudine, et cum gemitu. Nam per hos tres suscitatos tria genera peccatorum intelliguntur. Quidam enim peccant per consensum peccati mortalis in corde; et isti signantur per puellam mortuam in domo. Alii vero sunt qui per exteriora signa et actus peccant; et signantur per mortuum qui effertur extra portam. Sed quando per consuetudinem in peccato firmantur, tunc clauduntur in monumento. Et tamen Dominus omnes resuscitat. Sed illi qui per consensum solum peccant, et mortaliter peccando moriuntur, facilius suscitantur. Et quia secretum est, ideo secreta emendatione curatur. Quando autem peccatum procedit extra, tunc publico indiget remedio.

5. Intellectus autem Marthæ de resuscitatione promissa ponitur cum dicit : *Dicit ei Martha : Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die :* non enim auditum est a sæculo quod quis quatriduanum fœtentem in monumento resuscitaverit : et ideo non poterat cadere in corde Marthæ quod statim eum suscitaret a mortuis; sed credebat hoc in communi resurrectione futurum : unde dicit : *Scio*, idest certissime teneo, *quod resurget in novissimo die.* Supra VI, 40 : *Ego resuscitabo eum in novissimo die.*

6. Consequenter cum dicit, *Dixit ei Jesus : Ego sum resurrectio et vita*, Dominus Martham ad altiora elevans, primo ostendit virtutem et potestatem suam ad resuscitandum [5]; et prius ponit virtutem et potestatem suam ; secundo subdit potestatis effectum, ibi, *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet;* tertio exposcit fidem, ibi, *Credis hoc?* Potestas autem sua est vivificativa : unde dicit : *Ego sum resurrectio et vita;* quasi diceret Marthæ : Credis quod frater tuus resurgat in novissimo die? Totum autem hoc quod homines resurgent, erit mea virtute; et ideo ego, cujus virtute tunc omnes resurgent, possum etiam fratrem tuum suscitare in præsenti [6]. Dicit autem duo : scilicet quod est *resurrectio*, et quod est *vita.* Sciendum est enim, quod effectum vitæ aliqui participare indigent. Quidam quidem, quia viam amiserunt; quidam vero, non quia ipsam amiserunt, sed ut jam habitam conservent. Sic ergo quantum ad primum dicit : *Ego sum resurrectio*, quia qui vitam per mortem amiserunt, reparantur ; quantum ad secundum dicit, *Et vita*, qua scilicet viventes conservantur. Sciendum est autem, quod hoc quod dicit, *Ego sum resurrectio,* est locutio causalis ; quasi dicat : Ego sum resurrectionis causa. Hic autem locutionis modus in illis tantum fieri consuevit qui sunt causa alicujus rei ; Christus autem est tota causa resurrectionis nostræ, tam animarum quam corporum :

[1] Al. deest : « autem. » — [2] Al. : « omnia quæcumque. » — [3] Parm. omittit : « instructionis Marthæ. » — [4] Parm. : « patrem et matrem. » — [5] Parm. omittit : « ad resuscitandum. » — [6] Parm. : « præsentia. »

et ideo hoc quod dicit, *Ego sum resurrectio*, est causalis locutio; quasi dicat : Totum hoc quod resurgent in animabus et in corporibus, per me erit. I Corinth. xv, 21 : *Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.* Hoc, inquam, quod *sum resurrectio*, est mihi per hoc quod sum *vita* : nam vitæ est quod aliqui reparentur ad vitam, sicut ignis est quod aliquod extinctum
ipso. reignatur. Supra I, 4 : *In Christo* * *vita erat, et vita erat lux hominum.*

7. Effectus autem potestati respondet : unde dicit : *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet.* Primo ergo agit de effectu qui respondet primæ potestati ; secundo de effectu qui respondet secundæ. Primum autem quod de potestate sua dixerat, est quod ipse sit resurrectio ; et huic respondet effectus quod ipse mortuos vivificat : et quantum ad hoc dicit : *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet.* Cujus quidem causa est, quia ego sum resurrectionis causa, cujus causæ effectum aliquis consequitur credendo in me. Unde dicit : *Qui credit in me, vivet, etiam si mortuus fuerit* : nam per hoc quod credit, habet me in se : Ephes. III, 17 : *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris* : qui autem habet me, habet resurrectionis causam : ergo *qui credit in me, vivet.* Quod autem per fidem aliqui resurgant, habetur supra v, 25 : *Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent*, vita scilicet spirituali, resurgentes de morte culpæ, et etiam vita naturali, resurgentes de morte pœnæ. Secundum autem quod de potestate sua dixerat, est quod ipse sit vita ; et huic respondet effectus præservationis in vita : unde dicit : *Et omnis qui vivit, et credit in me*, vita justitiæ : de qua Habac. II, 4 : *Justus meus ex fide vivit* : *non morietur in æternum*, idest morte æterna ; sed habebit vitam æternam. Supra VI, 40 : *Hæc est voluntas Patris mei, ut omnis qui videt* [1] *Filium et credit in eum, habeat vitam æternam.* Et hoc non est intelligendum quin moriatur ad tempus morte carnis ; sed quod aliquando sic morietur, ut tamen resuscitatus vivat in æternum in anima, donec resurgat caro nunquam postea moritura : unde subdit ibidem : *Et ego resuscitabo eum in novissimo die.*

8. Exposcit autem fidem, ut eam perficiat: unde dicit, *Credis hoc?* Et primo ponitur quæstio Domini dicentis, *Credis hoc?* Non interrogat Dominus quasi ignorans, sed sciens fidem ejus, quippe qui ipsam fidem sibi infuderat: credere enim a Deo est. Quærit autem ut fidem quam habebat in corde, confiteatur ore. Rom. x, 10: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Secundo ponitur responsio mulieris cum dicit: *Ait illi*: *Utique Domine, ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi.* Quæ quidem responsio impertinens videtur ad ea quæ Dominus dixerat. Dixit enim: *Ego sum resurrectio et vita*: et postea quæsivit utrum hoc crederet. Mulier autem non respondit: Credo quod tu es resurrectio et vita; sed *Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* Quod quidem dupliciter exponitur. Chrysostomus enim dicit, quod hæc mulier non intelligens alta verba Domini, quasi stupefacta respondit dicens : Domine, ego non intelligo hoc quod dicis, scilicet quod tu es resurrectio et vita ; sed hoc *credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi.* Augustinus vero dicit, quod mulier respondit hoc ideo quia hoc quod dicit est ratio omnium præmissorum a Domino; quasi diceret : Quicquid dicis de potestate tua et effectu salutis, totum credo : quia ego credo quod plus est, et radix omnium, scilicet *quia tu es Christus Filius Dei vivi.* Hæc autem confessio Marthæ perfecta est. Confitetur enim Christi dignitatem, naturam et dispensationem, scilicet incarnationis. Dignitatem quidem et regiam et sacerdotalem ; et hoc, cum dicit : *Tu es Christus* : Christus enim græce, latine dicitur unctus, Inunguntur autem reges et sacerdotes : est ergo Christus rex et sacerdos. Unde Angelus Luc. II, 11 : *Natus est nobis hodie salvator, qui est Christus Dominus.* Et vere ipse est singulariter Christus : quia alii unguntur oleo visibili, iste vero oleo invisibili, scilicet Spiritu sancto, et ceteris aliis abundantius. Psal. XLIV, 8 : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Ideo *præ consortibus*, quia, ut dicitur supra III, 34, *non ad mensuram dat ei Deus spiritum.* Naturam autem in Christo confitetur divinam Patri æqualem: unde dicit : *Filius Dei vivi* : nam ex hoc quod singulariter vocat eum Filium Dei vivi, veritatem filiationis annuntiat ; non

[1] Al. : « vivit. »

autem est verus Dei Filius, nisi sit Patri connaturalis: unde de Christo dicitur I Joan. ult. 20: *Ut simus in vero Filio ejus Christo: hic est verus Deus et vita æterna.* Dispensationis autem mysterium confitetur cum dicit: *Qui in hunc mundum venisti*, scilicet carnem assumens. Infra xvi, 28: *Exivi a Patre, et veni in mundum.* Simile confitetur Petrus, Math. xvi, 16: Tu es Christus Filius Dei vivi.

LECTIO V.

1. Et cum hæc dixisset, abiit, et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, et vocat te. 2. Illa, ut audivit, surrexit cito, et venit ad eum. 3. Nondum enim venerat Jesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco ubi occurrerat ei Martha. 4. Judæi ergo qui erant cum ea in domo, et consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quia cito surrexit et exiit, secuti sunt eam, dicentes, quia vadit ad monumentum ut ploret ibi. 5. Maria ergo cum venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus. 6. Et dixit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. 7. Jesus ergo, ut vidit eam plorantem, et Judæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, et turbavit seipsum. 8. Et dixit: Ubi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni, et vide. 9. Et lacrymatus est Jesus. 10. Dixerunt ergo Judæi: Ecce quomodo amabat eum. 11 Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati facere ut hic non moreretur?

1. Postquam Evangelista præmisit conditionnes sororum quantum ad Martham, hic describit eas quantum ad Mariam: et primo describit vocationem Mariæ; secundo occursum ejus ad Christum, ibi, *Illa, ut audivit*; tertio ejus devotionem, quam exhibuit Christo, ibi, *Maria ergo cum venisset ubi erat Jesus. . . cecidit ad pedes ejus.* Vocatur autem Maria per Martham, quæ consolata et instructa per Christum, nolens sororem suam esse tantæ consolationis expertem, *cum dixisset* verba prædicta cum Domino, *abiit* statim, *et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest et vocat te*, etc.

Ubi quidem duo dubitanda occurrunt. Primo de hoc quod dicit, *Silentio*: nam silentium nihil aliud est quam privatio locutionis vel soni. Non ergo eam silentio vocare potuisset. Responsio. Dicendum, secundum Augustinum, quod silentium suppressam vocem nuncupavit; quasi dicat, vocavit eam submisse: secundum illud Eccle. ix, 17: *Verba sapientium audiuntur in silentio.* Ideo autem eam silenter vocat, quia multitudo Judæorum erat cum ea, ut dictum est, et forte erant inter eos aliqui qui non diligerent Christum, qui vel recederent, vel hoc audito Mariam non sequerentur. Mystice autem per hoc datur intelligi quod ad Christum quis vocat exteriore voce tantum, sed efficacius silenter: unde dicitur Isai. xxx, 15: *In silentio et spe erit fortitudo vestra.*

Secundo dubitatur de hoc quod dicit: *Magister adest, et vocat te.* Videtur falsum dixisse: non enim dixit Dominus Marthæ quod vocaret Mariam. Responsio. Dicit Augustinus, quod Evangelista causa brevitatis dat intelligere quod in sua narratione intermiserat: nam forte Dominus dixit Marthæ quod eam vocaret. Alii autem dicunt, quod Martha ipsam præsentiam vocationem reputavit; quasi diceret: Inexcusabile est ut eo præsente tu non exeas obviam ipsi.

2. Consequenter cum dicit, *Illa, ut audivit, surrexit cito, et venit ad eum*, ponitur occursus Mariæ. Et circa hoc duo facit. Primo ponitur promptitudo Mariæ ad occurrendum; secundo locus in quo ei occurrit, ibi, *Nondum enim venerat Jesus in castellum;* tertio comitiva quæ eam sequitur, ibi, *Judæi ergo qui erant cum ea in domo..... secuti sunt eam.* Promptitudo autem Mariæ ad occurrendum describitur, quia non distulit propter luctum, non tardavit propter astantes, sed statim *ut audivit, surrexit cito*, de domo in qua erat, *et venit ad eum*, scilicet Jesum. Ex quo patet quod non illam prævenisset Martha, si ei a principio notus fuisset adventus Jesu. Datur etiam per hoc nobis exemplum non tardandi, cum vocamur ad Christum. Eccli. v, 8: *Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem.* Isa. L, 4: *Audiam eum quasi magistrum.*

3. Locus autem ubi Maria Christo occurrit, est idem ille ubi Martha cum Christo locuta fuerat: unde dicit: *Nondum enim venerat Jesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco ubi occurrerat ei Martha*; quod ideo ponit Evangelista ne credatur superfluus occursus Mariæ, cum Christus potuerit adeo cito in castellum venire sicut et Martha. Ideo autem Christus in illo remansit, ut non videatur seipsum ingerere miraculo; sed dum rogatus et inductus miraculum operatur, confiteantur ipsum mortuum esse, et miraculum nullam calumniam patiatur. Datur etiam per hoc intelligi, quod cum

volumus Christo frui, eum venientem anticipemus, non expectantes quod ipse nobis condescendat : sed ut ipsi potius condescendamus ad eum. Hier. xv, 19 : *Ipsi convertentur ad te, et tu non converteris ad eos.*

4. Comitiva autem quæ sequitur Mariam, describitur cum dicit : *Judæi ergo qui erant cum ea in domo..... secuti sunt eam.* Causam autem quare eam sequebatur ponit, dicens ; *Quia vadit ad monumentum ut ploret ibi.* Credebant enim quod ex impetu doloris hoc faceret : non enim audierant verba quæ Martha dixerat Mariæ. In quo quidem Judæi commendandi sunt : quia, ut dicitur Eccli. vii, 38, *Non desis plorantibus in consolationem.* Nihilominus divina providentia factum est ut eam sequerentur, ut dum [1] plures essent ibi cum Lazarus suscitatus est, tam grande miraculum quatriduani resurgentis testes plurimos inveniret, ut dicit Augustinus.

5. Consequenter cum dicit, *Maria ergo cum venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus*, commendatur devotio Mariæ ad Jesum : et primo devotio quam exhibuit facto ; secundo devotio quam exhibuit verbo, ibi, *Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.* Circa primum nota in Maria securitatem et humilitatem. Securitatem quidem, quia contra mandatum principum, quod nullus confiteretur Christum, non verecundatur turbam, nec suspicionem Judæorum de Christo veretur : cum aliqui inimicorum Christi interessent, ad Christum currit. Proverb. xxviii, 1 : *Justus quasi leo confidens, absque terrore erit.* Humilitatem autem, quia *cecidit ad pedes ejus*, quod non de Martha legitur. I Pet. v, 6 : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* Psal. cxxxi, 7 : *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.*

6. Verbo autem devotionem exhibuit, cum dixit ei : *Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.* Credebat enim esse vitam, et ubi ipse esset, mortem locum non habere. II Corinth. vi, 14 : *Non est conventio lucis ad tenebras.* Quasi dicat : « Dum [2] nobiscum præsens fuisti, ut Augustinus dicit, non morbus, non infirmitas aliqua apparere ausa est, apud quas vitam noverat hospitari. O infidelis conventio ! Te adhuc posito in sæculo Lazarus amicus tuus mortuus est. Si amicus moritur, inimicus quid patietur ? »

7. Consequenter cum dicit, *Jesus ergo ut vidit eam plorantem. . . . . infremuit spiritu, et turbavit se*, ponuntur ea quæ pertinent ad affectum [3] Christi. Christus enim non respondet eadem Mariæ quæ respondit Marthæ ; sed propter astantem turbam nihil loquitur, factis demonstrans suam virtutem. Primo ergo ponitur affectus Christi ostensus Mariæ; secundo subditur disceptatio de Christi affectu, ibi, *Dixerunt ergo Judæi : Ecce quomodo amabat eum.* Circa primum tria facit. Primo ponitur affectus Christi quem corde habuit; secundo quomodo eum verbis expressit, ibi, *Et dixit, Ubi posuitis eum?* tertio quomodo cum lacrymis demonstravit, ibi, *Et lacrymatus est.* Dicit ergo quantum ad primum : *Jesus ergo, ut vidit eam plorantem etc.* Ubi notandum est Christum verum Deum esse, et verum hominem : et ideo ubique fere in factis suis mixta leguntur humana divinis, et divina humanis ; et si quandoque ponitur aliquid humanum de Christo, statim additur aliquid divinum. Nihil enim infirmius de Christo legimus quam ejus passionem ; et tamen eo in cruce pendente, divina facta patent, quod sol obscuratur, petræ scinduntur, corpora sanctorum qui dormiebant resurgunt. In nativitate etiam et eo jacente in præsepio, sidus de cœlo fulget, Angelus laudes cecinit, Magi et reges munera offerunt. Simile autem habemus in hoc loco : nam Christus secundum humanitatis affectum aliquid infirmum patitur, turbationem quamdam de morte Lazari concipiens : unde dicit : *Infremuit spiritu et turbavit semetipsum.*

Circa quam quidem turbationem primo quidem attende pietatem, secundo discretionem, tertio potestatem. Pietatem quidem ex causa, quæ est justa. Tunc enim juste turbatur quis [4], si ex aliorum tristitia et malo turbetur : et quantum ad hoc dicit : *Ut vidit eam plorantem.* Rom. xiii, 15 : *Gaudete cum gaudentibus, et flete cum flentibus.* Discretionem autem, quia secundum judicium rationis turbatur : unde dicit, *Fremuit spiritu ;* quasi judicium rationis servans in turbatione. Spiritus enim dicitur meus, vel ratio, secundum illud Ephes. iv, 23 *Renovamini spiritu mentis vestræ.* Quandoque autem

[1] Parm. : « cum. » — [2] Al. : « Deus. » — [3] Al. : « effectum. » — [4] Al. omittitur : « quis. »

contingit quod hujusmodi passiones sensitivæ partis nec fiunt spiritu, nec servant moderamen rationis, quin potius ipsam perturbant : quod quidem in ipso non fuit, quia *infremuit spiritu.*

Sed quid significat fremitus Christi ? Videtur quod significet iram. Proverb. XIX, 12 : *Sicut fremitus leonis, ita et ira regis.* Item videtur quod significat indignationem ; secundum illud Psal. CXI, 10 : *Dentibus suis fremet, et tabescet.* Responsio. Dicendum, quod hic fremitus in Christo iram quamdam et indignationem cordis significat. Omnis autem ira et indignatio ex aliquo dolore et tristitia causatur. Duo autem hic suberant : unum de quo Christus turbabatur [1], quod erat mors homini inflicta propter peccatum ; aliud autem de quo indignabatur, erat sævitia mortis et diaboli. Unde, sicut quanto aliquis vult repellere hostem, dolet de malis illatis ab ipso, et indignatur ad animadvertendum in eum, ita et Christus doluit et indignatus est.

Potestatem autem, quia ipse suo imperio turbavit semetipsnm. Nam hujusmodi quidem passiones aliquando insurgunt ex causa indebita ; sicut cum aliquis de malis gaudet et de bonis tristatur. Proverb. II, 14 : *Qui lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis.* Et hoc non fuit in Christo : unde dicit : *Ut vidit eam plorantem... turbavit seipsum.* Aliquando insurgunt ex aliqua causa bona, non tamen ratione moderantur : et propter hoc dicit, *Infremuit spiritu.* Aliquando autem etsi moderentur ab aliquo, præveniunt tamen judicium rationis, cujusmodi sunt subiti motus. Quod quidem in Christo non fuit : quia omnis motus appetitus sensitivi fuit in eo secundum modum et imperium rationis : et ideo dicit, *Turbavit semetipsum;* quasi dicat : Judicio rationis hanc sibi tristitiam assumpsit.

Sed contra est quod dicitur Isa. XLVI, 4 : *Non erit tristis neque turbulentus.* Responsio. Dicendum, quod hoc intelligitur de tristitia præveniente et immoderata. Voluit etiam Christus se turbare et tristari ex triplici causa. Primo quidem ad probandum conditionem et veritatem humanæ naturæ; secundo ut cum tristatur et cohibet seipsum, doceat modum servandum esse in tristitiis. Stoici enim dixerunt quod nullus sapiens tristatur. Sed valde inhumanum esse videtur quod aliquis de morte alicujus non tristetur. Aliqui autem sunt qui in tristitiis de malo amicorum, nimis excedunt. Sed Dominus tristari voluit, ut significet tibi quod aliquando debeas contristari, quod est contra Stoicos : et modum in tristitia tenuit, quod est contra secundos. Unde Apostolus Thesal. IV, 12 : *Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut ceteri qui spem non habent.* Eccl. XXII, 10: *Super mortuum plora, quia deficit lux ejus.* Et postea subdit : *Modicum plora supra mortuum, quoniam requievit.* Tertia ratio est ut insinuet quod nos pro mortuis corporaliter tristari et plorare debemus : secundum illud Psal. XXVII, 2 : *Afflictus sum, et humiliatus sum nimis.*

8. Consequenter Dominus affectum sui cordis verbis demonstrat : unde dicit : *Ubi posuistis eum?*

Sed contra. Numquid Dominus locum ubi positus erat ignorabat? Videtur quod non : nam sicut virtute divinitatis absens scivit mortem ejus, ita scivit etiam locum sepulcri. Quare ergo quærit quod scivit?

Responsio. Dicendum, quod non ut ignorans interrogat; sed dum a populo sibi sepulcrum ostenditur, vult eos confiteri Lazarum mortuum et sepultum : ut sic [2] miraculum ab omnium suspicione eripiat. Sunt ad hoc etiam dum rationes mysticæ. Una est, quia qui interrogat, videtur nescire ea de quibus interrogat. Per Lazarum autem in monumentum, signantur mortui in peccatis. Ostendit ergo Dominus se ignorare locum Lazari, dans per hoc intelligere quod quasi nesciat peccatores, secundum illud Matth. VII, 23 : *Non novi vos* : et Genes. III, 9 : *Adam, ubi es?* Alia ratio est, quia quod aliqui a peccato resurgant ad statum justitiæ divinæ, est ex profundo prædestinationis divinæ : quod quidem profundum homines ignorant. Rom. II, 34 : *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Et Hier. XXIII, 18 : *Quis enim affuit in consilio Domini, et vidit et audivit sermonem ejus?* Et ideo Dominus hoc innuens, ad modum nescientis se habuit, cum et ipsi hoc nescimus.

Sic ergo ponitur Domini interrogatio ; et sequitur populi responsio : unde dicit : *Dicunt ei : Domine, veni, et vide. Ve-*

[1] Al. : « turbatur. » — [2] Al. : « et sic. »

ni, miserando, *vide*, considerando. Psal. XXIV, 18 : *Vide humilitatem meam et laborem meum*, *et dimitte universa delicta mea*.

9. Consequenter Dominus affectum suum lacrymis demonstrat : unde subditur : *Et lacrymatus est Jesus* : quæ quidem lacrymæ non erant ex necessitate, sed ex pietate et causa : fons enim pietatis erat ; et ideo flebat ut ostenderet non esse reprehensibile si aliquis ploret ex pietate. Eccli. XXXVIII, 16 : *Fili, super mortuum produc lacrymas*. Flevit ex causa, ut doceret hominem propter peccatum fletibus indigere : secundum illud Psal. VI, 7 : *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum*.

10. Consequenter cum dicit, *Dixerunt ergo Judæi* : *Ecce quomodo amabat eum,* ponit Evangelista [1] disceptationem de affectu Christi : et primo inducit quosdam admirantes Christi affectum ; secundo quosdam in dubium revocantes miraculum prius factum, ibi, *Quidam autem ex ipsis dixerunt* etc. Admirantes autem miraculum Christi inducit Evangelista per modum conclusionis, cum dicit : *Dixerunt ergo Judæi*, ostensis scilicet signis affectus Christi, tam verbis quam lacrymis : *Ecce quomodo amabat eum* : nam amor maxime in tristitiis hominum manifestatur. Proverb. XVII, 17 : *In tristitia amicus cognitus est*. Mystice autem per hoc datur intelligi quod Deus homines etiam in peccatis amat ; nisi enim eos amasset, non utique diceret : *Non veni vocare justos*, *sed peccatores ad pœnitentiam* : Matth. XIX, 13. Unde Hier. XXXI, 3 : *In caritate perpetua dilexi te*, *ideo attraxi te*, *miserans* [2].

11. Vertentes autem in dubium miraculum factum erant ex invidis Jesu : unde dicit : *Quidam autem ex ipsis*, scilicet Judæis, *dixerunt* : *Non potuit hic*, *qui aperuit oculos cæci nati*, *facere ut hic non moreretur?* quasi dicant : Si sic amabat eum ut etiam pro ejus morte lacrymaretur, videtur quod voluisset eum non mori : nam tristitia est de his quæ nobis non volentibus acciderunt. Si ergo eo nolente mortuus est, videtur quod non potuit mortem impedire : multo magis videtur quod non potuerit aperire oculos cæci nati. Vel dicendum, quod hoc dixerunt admirando, eo modo loquendi quo Eliseus dixit IV Reg. II, 14 : *Ubi est Deus Eliæ etiam nunc?* Et David in Psal. LXXXVIII, 50 : *Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ*, *Domine?*

LECTIO VI.

1. Jesus ergo rursum fremens in semetipso venit ad monumentum. 2. Erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei. Ait Jesus, Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror ejus qui mortuus fuerat : Domine, jam fœtet, quatriduanus enim est. Dixit ei Jesus : Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei ? Tulerunt ergo lapidem. 3. Jesus autem, elevatis sursum oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis ; sed propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti. 4. Hæc cum dixisset, voce magna clamavit : Lazare, veni foras. 5. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus et pedes institis, et facies ejus sudario erat ligata. 6. Dixit eis Jesus : Solvite eum, et sinite abire.

1. Postquam autem Evangelista posuit quædam præambula ad suscitationem, hic consequenter agit de ipsa suscitatione : circa quam quatuor agit. Primo de Christi ad monumentum perventione ; secundo de lapidis sublatione, ibi, *Erat autem spelunca* etc. ; tertio de Christi oratione, ibi, *Jesus autem*, *elevatis sursum oculis*, *dixit* etc. ; quarto de mortui resuscitatione, ibi, *Hæc cum dixisset*, *voce magna clamavit* : *Lazare, veni foras*. Dicit ergo quantum ad primum : *Jesus ergo rursum fremens in semetipso*, *venit ad monumentum*. Studiose autem Evangelista frequenter dicit, quod lacrymatus est et quod infremuit, ut Chrysostomus dicit, quia in futuro ostensurus erat suæ divinitatis potestatem. Ne ergo dubites de veritate suæ humanitatis, infirmiora et humiliora nostræ naturæ de Christo asserit. Et sicut Joannes ceteris Evangelistis expressius divinam naturam et potestatem ostendit, ita etiam quædam infirmiora de eo loquitur, sicut quod lacrymatus est, quod infremuit, et hujusmodi, quæ maxime affectum in Christo demonstrant humanæ naturæ. Mystice autem infremuit, ut detur intelligere, eos qui a peccatis resurgunt, in continuo debere persistere luctu : secundum illud Psalm. XXXVII, 7 : *Tota die contristatus ingrediebar*. Vel dicendum, quod supra infremuit spiritu, propter mortem La-

[1] Al. incipit : « ponit Evangelista, etc. » —

[2] Al. : « te mihi miserans. »

zari; hic autem rursum in semetipso propter infidelitatem Judæorum. Unde Evangelista præmiserat dubietatem miraculi, dicentium : *Non potuit hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur?* Qui quidem fremitus fuit ex miseratione et compassione ad Judæos. Matth. XIV, 14 : *Videns Jesus turbas, misertus est eis.*

2. *Erat autem spelunca.* Hic agit de lapidis sublatione : ubi quatuor facit. Primo describit lapidem ; secundo subdit mandatum Christi de lapide submovendo ; tertio addit disceptationem de lapidis amotione; quarto insinuat mandati impletionem. Lapis autem describitur superpositus monumento : unde dicit : *Erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei.* Sciendum est enim, quod in partibus illis cavernas quasdam in modum speluncæ habent ad hominum sepulturas, ubi possunt plura mortuorum corpora ponere diversis temporibus ; et ideo habent foramen quoddam, quod lapide claudunt et aperiunt quando est necesse : et ideo dicitur hic, quod *lapis erat superpositus ei,* scilicet ostio speluncæ. Simile habetur Genes. XXIII, ubi Abraham emit agrum et speluncam ad sepeliendum Saram uxorem suam. Mystice autem per speluncam intelligitur profunditas peccatorum; de qua habetur in Psal. LXVIII, 3 : *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia.* Per lapidem superpositum intelligitur lex, quæ in lapide scripta est, et peccatum non tollebat, sed tenebat eos in peccato : quia ex hoc gravius peccabant, quod contra legem faciebant : unde dicitur Galat. III, 22 : *Conclusit Scriptura omnia sub peccato.* Mandatum Christi de lapide submovendo ponit, dicens : *Ait Jesus, Tollite lapidem.*

Sed quæritur, cum majus sit suscitare mortuum quam removere lapidem, quare non etiam simul [1] cum hac sua virtute lapidem sustulit? Ad quod respondet Chrysostomus, quod hoc factum est ad majorem certitudinem miraculi : ut scilicet eos testes faciat miraculi, ut non dicant quod in cæco dixerunt : *Non est hic, qui mortuus fuit* : supra IX.

Mystice, secundum Augustinum, remotio lapidis signat amotionem ponderis legalium observantiarum a fidelibus Christi ex gentibus ad Ecclesiam venientibus, quod eis aliqui imponere volebant. Unde dicit Beatus Jacobus Actor. XV, 28 : *Visum est Spiritui sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris.* Et Petrus dicit eodem : *Cur tentatis imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* De hoc ergo dicit Dominus, *Tollite lapidem*, idest legis pondus, et gratiam prædicate. Vel per lapidem significat eos qui in Ecclesia corrupte vivunt, et offensioni sunt credere volentibus, dum eos a conversione retrahunt de quo lapide in Psal. XC, 12 : *Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Qui quidem Dominis præcipit ut removeatur. Isa. LVII, 14 : *Auferte offendicula de via populi mei.*

Disceptatio autem ponitur ex parte Marthæ; et primo ponuntur verba Marthæ disceptantis : secundo verba Christi respondentis. Verba quidem Marthæ ponit dicens : *Dixit ei Martha, soror ejus qui mortuus fuerat* : *Domine, jam fœtet, quatriduanus enim est.* Quod quidem ad litteram factum est ad ostensionem veritatis miraculi, quasi jam per putrefactionem inciperent membra resolvi.

Mystice autem de illo qui peccare [2] consuevit : *Jam fœtet*, scilicet per pessimam famam, cujus odor deterrimus per peccatum consurgit. Nam sicut ex bonis operibus fragrat odor bonus, secundum quod dicit Apostolus II Corinth. XV, 15 : *Christi bonus odor sumus Deo* : ita ex malis operibus fœtor et malus odor evaporat : qui etiam recte quatriduanus dicitur, quasi pressus pondere terrenorum peccatorum et cupiditatum carnalium : terra enim est ultimum de quatuor elementis. Joel. II, 20 : *Ascendet fœtor ejus, et ascendet putredo ejus, quia superbe egit.*

Illi autem Christus respondit dicens : *Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?* Ubi Dominus videtur Martham arguere, quod non memor erat ejus quod Christus ei dixerat : *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet* : nam Martha diffidebat an Christus posset resuscitare mortuum quatriduanum. Licet enim aliquos recenter mortuos suscitasset, impossibile tamen hoc de fratre credebat ob dierum diuturnitatem. Et ideo Dominus dixit ei : *Nonne dixi tibi* : *Si credideris, videbis gloriam Dei?* idest

[1] Al. : « sed quare quærit, cum majus esset sic suscitare mortuum quam removere lapidem? Quia non etiam simul, etc. » — [2] Al.: « peccata.»

suscitationem fratris tui, per quam Deus glorificabitur.

Sed cum supra Dominus hoc miraculum Apostolis dixerit futurum ad gloriam suam, inquiens : *Ut glorificetur Filius Dei per eam*, scilicet per mortem ; hic tamen dicit Marthæ hoc miraculum futurum ad gloriam Dei : et hoc ideo, quia eadem est gloria Patris et Filii [1] Ideo autem non expressit hic gloriam Filii, ne turbaret astantes Judæos, ad contradictionem promptos.

Innuitur autem in his Domini verbis duplex fructus fidei nostræ. Primus est miraculorum operatio, quæ debetur fidei. Matth. XVII, 19 : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc, et transibit : et nihil impossibile erit vobis.* Unde et Apostolus I Corinth. XIII, 2 : *Si habuero fidem, ita ut montes transferam.* Et Marc. ult., 20, dicitur : *Illi autem prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.* Quæ quidem miraculorum operatio est ad gloriam Dei : et ideo dicit : *Si credideris, videbis gloriam Dei.* Secundus fructus est visio æternæ gloriæ, quæ debetur fidei pro præmio : unde dicit : *Videbis gloriam Dei.* Is. VII, 9 : secundum aliam litteram. « Si non credideritis, non intelligetis. I Corinth. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum, et in ænigmate* per fidem : *tunc autem facie ad faciem.*

Impletionem mandati ponit inferens [2] : *Tulerunt ergo lapidem.* Ubi considerandum est, secundum Origenem, quod mora tollendi lapidem adjacentem, ex sorore defuncti causata est ; et ideo tamdiu resuscitatio fratris dilata est quamdiu Christum per verba detinuit ; sed statim cum Christi mandatum obediendo exequitur, frater resuscitatur : ut per hoc discamus nihil interponere inter jussa Jesu et ipsorum executionem, si cupimus quod statim salutis sequatur effectus. Psal. XVII, 45 : *In auditu auris obedivit mihi.*

3. *Jesus autem elevatis*, etc. Hic agitur de Christi oratione, in qua gratias agit : circa quam Evangelista quatuor ponit. Primo ponit orandi modum ; secundo orationis efficaciam ; tertio excludit orandi necessitatem : quarto subjungit orationis utilitatem. Modum autem orandi ponit congruentem : quia *elevatis sursum oculis* ; idest, intelligentiam suam erexit, adducens illam per orationem ad excelsum Patrem. Nobis autem, si ad exemplum orationis Christi orare volumus, necesse est levare oculos mentis nostræ ad eum, removendo illos a præsentibus rebus, memoria, cogitationibus et intentionibus. Levamus etiam oculos ad Deum quando non confidentes de meritis nostris, de sola misericordia speramus, secundnm illud Psal. CXXII, 1 : *Ad te levavi oculos meos qui habitas in cœlis.* Et : *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Thren. III, 41 : *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlis.* Orationis [3] autem efficaciam ponit, cum dicit : *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.* In quo argumentum habemus, quod Deus facilis est ad largiendum, secundum illud Psal. IX, 17 : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus* : ut sic desiderium [4] solum etiam antequam proferat verba, exaudiat. Isai. XXX, 19 : *Ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi.* Et LXV, 24 : *Adhuc illis loquentibus, dicam, Ecce adsum.* Multo ergo magis expedit arbitrari de Domino salvatore, quod Deus Pater præveniens ejus orationem eum [5] exaudierit : nam lacrymæ quas Christus pro morte Lazari fuderat, vocem [6] orationis habuerunt. Per hoc autem quod in principio orationis gratias agit, datur nobis exemplum quod cum orare volumus antequam futura petamus, pro perceptis beneficiis Deo gratias referamus. I Thess. 5, 18 ; *In omnibus gratias agite.*

Quod autem dicit, *Quoniam audisti me*, si exponatur de Christo, secundum quod homo, non habet difficultatem : sic enim Christus minor Patre erat : et secundum hoc competit sibi orare Patrem, et exaudiri ab eo. Si vero, ut Chrysostomus vult, exponatur de Christo secundum quod Deus, tunc verbum difficultatem habet : nam secundum hoc, ei orare non convenit, nec exaudiri ; sed potius aliorum orationes exaudire. Et ideo dicendum, quod tunc aliquis auditur quando voluntas ejus impletur. Voluntas autem Patris semper impletur : quia, ut dicitur in Psalm, CXIII, 3, *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit.* Cum ergo eadem sit voluntas Patris et

[1] Parm. addit. : « et Spiritus sancti. » — [2] Al. : « inferius. » — [3] Al. : « oris. » — [4] Parm. omittit : « solum. » — [5] Al. deest : « eum. » — [6] Parm : « vicem. »

Filii; quandocumque Pater implet voluntatem suam, implet voluntatem Filii. Dicit ergo Filius, secundum quod Verbum : *Quoniam audisti me* ; idest, fecisti quæ erant in Verbo tuo ut fierent. Dixit enim, et perfecta sunt.

Necessitatem autem orandi excludit dicens : *Ego autem sciebam quoniam semper me audis* etc. Ubi quasi obumbrate Dominus suam divinitatem ostendit, quasi diceret : Ad hoc ut fieret voluntas mea, non indigeo oratione, quia ab æterno voluntas mea impleta est. Hebr. v, 7 : *In omnibus exauditus pro sua reverentia.* Nam *ego sciebam*, scilicet certitudinaliter, *quoniam semper me*, Verbum, *audis* ; quia quicquid facis, in me est ut fiat. Item *me*, hominem, *semper audis* : quia voluntas mea semper est conformis voluntati tuæ. *Sed propter populum qui circumstat, ut credant quia tu me misisti.* In quo datur intelligi quod multa fecit et dixit propter utilitatem aliorum. Infra xiii, 15 : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Nam omnis Christi actio, nostra est instructio. Voluit autem Christus specialiter per istam orationem demonstrare, se non esse alienum a Patre ; sed recognoscebat eum ut suum principium : et ideo subdit : *Ut credant quia tu me misisti.* Infra xvii, 3 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum.* Galat. iv, 4 : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Et in hoc ponitur orationis utilitas.

4. *Hæc cum dixisset*, etc. Hic agitur de suscitatione Lazari : et circa hoc tria facit. Primo ponitur vox excitantis ; secundo vocis effectus, ibi, *Et statim prodiit qui fuerat mortuus* ; tertio mandatum de solutione excitati, ibi, *Dicit eis Jesus* : *Solvite eum.* Vox autem excitantis ponitur magna : unde dicit : *Hæc cum dixisset*, scilicet Jesus, *voce magna clamavit* : et hoc ad litteram, ut destrueret errorem Gentilium et quorumdam Judæorum, dicentium animas mortuorum commorari in tumulis cum corporibus : et ideo *clamat*, quasi animam ex longinquo evocans in tumulo non existentem. Vel dicendum, et melius, quod vox Christi magna dicitur propter virtutis ejus magnitudinem : nam tanta virtus ejus fuit quod suscitavit Lazarum quatriduanum a morte quemadmodum suscitatur [1] dormiens a somno. Psal. lxvii, 34 : *Dedit voci suæ vocem virtutis.* Vox etiam ista magna, repræsentativa est illius magnæ vocis quæ erit in communi resurrectione, per quam omnes de monumentis resuscitabuntur. Matth. xxv, 6 : *Media nocte clamor factus est* etc. Clamat, inquam, dicens : *Lazare veni foras.* Quem ideo ex proprio nomine vocat, quia tanta erat virtus vocis ejus quod pariter omnes mortui cogerentur exire, nisi per expressionem nominis virtutem suam ad unum determinasset, ut Augustinus dicit de Verbo Domini. Datur etiam per hoc intelligi quod Christus vocat peccatores foras exire de conversatione peccati. Apocal. xviii, 4 : *Exite de illa, populus meus.* Item de occultatione ejus, per confessionem ipsum peccatum manifestando. Job xxxi, 33 : *Si abscondi quasi homo peccatum meum.*

5. Consequenter cum dicit, *Et statim prodiit qui fuerat mortuus*, ponitur vocis effectus :et primo ponitur mortui resurrectio ; secundo resurgentis mortui dispositio. Resurrectio quidem mortui fuit festina ad Domini imperium : unde dicit : *Et statim prodiit qui fuerat mortuus.* Tanta enim erat virtus vocis Christi ut absque temporis dilatione vitam conferret : sicut erit in resurrectione communi, quando in ictu oculi, mortui audientes tubam canentem, « *mortui qui in Christo sunt*, *resurgent primi*, » ut dicitur I Thessal. iv, 15. Jam [2] autem anticipatur officium Christi, quod dicitur supra, v, 25 : *Venit hora*, *et nunc est*, *quando mortui qui in monumentis sunt*, *audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent.* Sic ergo impletum est quod dixerat Dominus : *Vado ut excitem eum.* Quantum autem ad dispositionem resurgentis, dicitur, *Ligatus* , idest habens ligatas *manus et pedes institis*, idest fasciis, quibus antiqui mortuos volvebant [3], *et facies ejus sudario erat ligata*, ne scilicet horrorem faceret. Ideo autem ligatum et coopertum resurgere jussit, ut miraculum magis approbaretur.

6. Consequenter cum dicit, *Solvite eum et sinite abire*, mandat ut solvatur. Cujus quidem ratio est, ut ipsimet qui solverent, fidentiores testes essent miraculi, et ejus quod fit tenaciorem memoriam haberent. Similiter etiam dum eum tan-

[1] Parm. : « quomodo excitaretur. » — [2] Al. : « excitavit. » — [3] Parm.: « enim anticipatur. » — [4] Parm.: « involvebant. »

gunt et sibi appropinquant, videant quod vere est ille. Ideo autem addit, *Et sinite abire*, ut ostendat miraculum non esse phantasticum. Aliqui enim magi visi sunt aliquando mortuos suscitasse, non tamen ad hoc eos perducere potuerunt ut pristina officia exquerentur : et hoc quidem erat, quia eorum resurrectio phantastica tantum erat, et non vera.

Sciendum est autem, quod hoc totum quod dicitur, *Et statim prodiit*, mystice exponitur ab Augustino ; et hoc dupliciter, secundum duplicem modum prodeundi. Prodit namque peccator quando exit pœnitendo a consuetudine peccati ad statum justitiæ. II Corinth. IV, 17 : *Exite de medio eorum, et separamini.* Qui tamen habet manus ligatas institis, idest carnalibus concupiscentiis : quia adhuc in corpore constituti, alieni a molestiis esse non possunt, etiam a peccatis resurgentes : unde Apostolus dicit, Rom. VII, 25 : *Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Quod autem facies ejus sudario tecta erat, hoc est quod in hac vita plenam cognitionem Dei habere non possumus. I Corinth. XIII : 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Et ideo solvere eum jubet, et sinere [1] abire : quia post hanc vitam auferentur a peccato surgentibus omnia velamina, ut Deum facie ad faciem contemplentur, ut dicitur I Corinth. XIII. Tunc enim solvetur corruptibilitas corporis, quæ est quasi quoddam vinculum ligans et aggravans animam, ab omni hujusmodi plena et clara contemplatione. Isa. LII, 2 : *Solve vincula colli tui, captiva filia Sion.* Sic ergo apparet unus modus spiritualiter prodeundi, qui ponitur ab Augustino, lib. LXXXIII *Quæst.* Alius modus prodeundi est per confessionem ; de quo dicitur Prov. XXVIII, 13 : *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur ; qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Sic enim prodire est ab occultis exeundo, per confessionem manifestari ; sed ut confitearis, Deus facit, voce, idest gratia magna vocando. Mortuus autem procedens adhuc ligatus, est confitens adhuc reus. Ut autem solvantur [2] peccata ejus, ministris mandatur ut solvant eum, et sinant abire. Nam quem Christus per seipsum interius vivificat, discipuli solvunt, quia ministerio sacerdotum vivificati absolvuntur, Matth. XVI, 19 : *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.*

Dicunt autem quidam hoc mysterium [3] prosequentes, quod sicut Christus Lazarum per seipsum vivificavit, vivificatum a discipulis absolvendum mandavit ; ita Deus interius vivificat animam per gratiam, remittendo culpam, et absolvendo a reatu pœnæ æternæ ; sed sacerdotes virtute clavium absolvunt a parte pœnæ temporalis. Sed hæc positio nimis parum attribuit Ecclesiæ clavibus. Hoc est enim proprium sacramentorum novæ legis quod in eis gratia conferatur. Sacramenta autem in dispensatione ministrorum consistunt : unde in sacramento pœnitentiæ contritio et confessio se tenent materialiter, ex parte suscipientis sacramentum ; vis autem causativa sacramenti est in absolutione sacerdotis, ex virtute clavium, per quas effectum dominicæ passionis quodammodo applicat ad eum quem absolvit, ut remissionem consequatur. Si ergo sacerdos non absolveret nisi solum a pœna, sacramentum pœnitentiæ non esset gratiæ collativum, per quam culpa remittitur ; et per consequens non esset sacramentum novæ legis. Est ergo dicendum, quod sicut in sacramento baptismi sacerdos verba proferens et exterius abluens, ministerium baptismi exhibet, Christo interius baptizante : ita sacerdos exterius virtute clavium ministerium absolutionis impendit, Christo per gratiam culpam remittente.

Sed hoc dubium facere videtur, quod ad baptismum plerumque accedunt pueri, non ante baptismum justificati, qui in baptismo remissionis gratiam consequuntur : sed ad absolutionem consequendam accedunt adulti plerumque antea per contritionem, peccatorum remissionem consecuti : ut sic sequens absolutio nihil facere videatur ad peccatorum remissionem. Sed si quis diligenter consideret, ex utraque parte adultos accipiens, invenietur omnimoda similitudo. Contingit enim aliquos adultos, antequam actu sacramentum baptismi consequantur, habentes illud in voto, remissionem peccatorum consequi, baptismo flaminis baptizari ; et tamen baptismus sequens, quantum est de se, remissionem peccatorum operatur, licet in isto cui jam sunt remissa, hoc locum non habeat, sed

[1] Parm. omittit : « sinere. » — [2] Al. : « solverentur. » — [3] Al. : « ministerium. »

solum augmentum gratiæ consequatur. Si quis autem adultus ante baptismum non perfecte fuisset dispositus ad consequendum remissionem peccatorum, in ipso actu dum baptizatur remissionem consequitur virtute baptismi, nisi ponat per fictionem obstaculum Spiritui sancto. Et similiter est dicendum de pœnitentia. Si quis enim ante absolutionem sacerdotis plene contritus fuerit, consequitur remissionem peccatorum, eo quod habet in voto ut subjiciat se Ecclesiæ clavibus, sine quo vera contritio non esset. Si autem antea non plena fuisset contritio sufficiens ad remissionem, in ipsa absolutione remissionem culpæ consequitur, dummodo ponat [1] obstaculum Spiritui sancto. Et similiter est in eucharistia et extrema unctione, et in aliis sacramentis novæ legis [2].

LECTIO VII.

1. Multi ergo ex Judæis qui venerant ad Mariam et Martham, et viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, et dixerunt eis quæ fecit Jesus. 2. Collegerunt ergo Pontifices et Pharisæi concilium, et dicebant : 3. Quid facimus, quia hic homo multa signa facit ? 4. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum : venient Romani et tollent nostrum locum et et gentem. 5. Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis : 6. Vos nescitis quicquam, nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. 7. Hoc autem a semetipso non dixit ; sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit quia Jesus moriturus erat pro gente. 8. Et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum. 9. Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum.

1. Postquam Evangelista posuit Lazari mortem et ejus resurrectionem, hic consequenter ponit effectum resurrectionis : et primo ponit effectum ejus in turba ; secundo ponit effectum ejus in principibus, ibi, *Collegerunt ergo Pontifices et Pharisæi concilium.* Circa primum duo facit. Primo inducit quosdam credentes, dicens : *Multi ergo ex Judæis qui venerant ad Mariam et Martham,* ad eas consolandas, *et viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum.* Nec mirum, quia tale miraculum non est auditum a sæculo, quod scilicet mortuus quatriduanus in monumento resuscitaretur ad vitam. Similiter etiam Dominus dicit, miraculum istud se [3] facturum propter populum qui circumstabat, ut scilicet credant in eum : et ideo verbum istud non ivit incassum : sed ex miraculo viso multi crediderunt. I Corinth. I, 22 *: Judæi signa quærunt.* Secundo inducit quosdam denuntiantes, dicens : *Quidam autem ex ipsis venerunt ad Pharisæos* etc. Quod quidem potest dupliciter intelligi. Uno modo quod dixerunt ea quæ Jesus fecit principibus sacerdotum, ut mitigarent eos adversus Jesum, et ut confutarent eos de hoc quod adversus Jesum, qui tam mira faciebat, machinarentur. Alio modo, et melius, quia hoc dixerunt ut concitarent eos contra Christum. Nam infideles erant et de miraculo scandalizabantur. Et hoc patet ex ipso modo loquendi : nam cum dixerat : *Multi ergo ex Judæis crediderunt in eum* : subjungit quasi adversantem, dicens : *Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos* etc. Hi sunt de quibus dicitur infra XII, 37, quod, *cum tanta signa fecisset Jesus coram eis, non crediderunt in eum... dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei.*

2. Consequenter cum dicit, *Collegerunt ergo Pontifices et Pharisæi concilium,* ponit Evangelista effectum miraculi in principibus : et primo ponit malitiam quam contra Christum excogitaverunt ; secundo ostendit quomodo Christus eam declinavit, ibi, *Jesus ergo jam non in palam ambulabat apud Judæos.* Circa primum tria facit. Primo ponit concilii congregationem ; secundo subdit congregatorum dubitationem, ibi, *Et dicebant : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit ?* tertio assignat dubitationis determinationem, ibi, *Unus autem ex ipsis* etc. Ostenditur autem circa primum Pontificum nequitia ex tribus. Primo ex personarum conditione, quia non plebeii, sed Pontifices et Pharisæi. Pontifices autem, quia erant principes sacrorum : Pharisæi vero, quia speciem religionis habebant : ut sic impleatur quod dicitur Genes. penult. V : *Simeon et Levi fratres, vasa bellantia iniquitatis.* Nam de Simeone fuerunt adinventores sectæ Pharisæorum. Pontifices autem manifestum est de tribu Levi fuisse. I Esd. IX, 1 : *Manus principum prima erat in transgressione hac.* Se-

[1] Al. : « dummodo non ponat. » — Parm. : « nisi. » — [2] Parm. omittit : « novæ legis. » — [3] Al. deest. : « se. »

cundo ex malitiæ deliberatione : unde dicit, *Collegerunt concilium,* quod est factum ad consiliandum. Genes. penult. VI : *In consilium eorum non veniat anima mea.* Psal. I, 1 : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum* etc. Sed ut dicitur Prov. XXI, 30, *Non est consilium contra Dominum.* Tertio ex prava intentione, quia adversus Jesum, idest salvatorem. Psalm. XL, 8 : *Adversum me loquebantur inimici mei, adversum me cogitabant mala mihi.* Hierem. XVIII, 18 : *Venite, cogitemus contra Hieremiam cogitationes.*

3. Consequenter cum dicit, *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* ponit ipsorum dubitationem : et primo ponit dubitationis motivum ; secundo dubitationis materiam, ibi, *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* Movebant autem eos ad dubitandum miracula Christi : unde dicebant : *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Cæci sunt, adhuc eum hominem vocantes, cujus tantam susceperunt divinitatis demonstrationem. Nam, ut ipse dicit supra V, 30, *opera quæ dedit mihi Pater ut faciam, ipsa, testimonium perhibent de me.* Sunt etiam non minus insipientes quam cæci : quia dubitant quid eos facere oporteat, cum nihil aliud eis faciendum erat, quam credere. Supra VI, 30 : *Quod signum facis, ut credamus tibi?* Sed ecce quod multa signa fecit, et adhuc dicunt : *Quia hic homo multa signa facit. Excæcavit enim eos malitia eorum* : Sapien.

4. Materia autem dubitationis fuit, quia timebant damna eos secutura. Et ponit duo quantum ad hoc. Primo amissionem principatus spiritualis ; et quantum ad hoc dicit : *Si dimittimus eum* etc., *omnes credent in eum* : quod quidem secundum rei veritatem optabile erat omnibus : nam fides quæ est ad Christum, salvat, et ad vitam æternam perducit. Infra XX, 31 : *Hæc scripta sunt ut credatis, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Sed quantum ad eorum pravam intentionem eis horrendum videbatur, cum crederent, nullum eorum qui crederent in Christum, eis obedire. Unde ex eorum ambitione seipsos et alios retrahunt a salute. Unde dicitur in III Canon. Joan. IX : *Is qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos.* Secundo ponit ambitionem possessionis temporalis cum dicit : *Et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem*: quod videtur ex hoc sequi, secundum Augustinum : quia si omnes in Christum crederent, nemo remaneret qui adversus Romanos templum Dei defenderet, quia desererent sanctum templum, et suas paternas leges contra quas doctrinam Christi esse sentiebant. Sed hoc non videtur multum ad propositum pertinere, cum adhuc servirent Romanis, nec excogitassent contra eos movere bellum : et ideo melius videtur dicendum, secundum Chrysostomum, quod ideo hoc dicebant quia videbant Christum honorari a populo tamquam rex : et quia mandatum Romanorum erat ut nullus nisi per eos rex nominaretur, ideo timebant quod si hoc audirent Romani, quod Christum haberent tamquam regem, reputarent ipsos Judæos rebelles; et venientes contra eos, destruerent civitatem et gentem, Infra XIX, 12 : *Omnis qui se Regem facit, contradicit Cæsari.*

Sed attende eorum miseriam, quia nihil timent perdere nisi temporalia, de vita æterna non cogitantes. Deuter XXIII, 28 : *Oculus Jacob ad terram.* Sed, ut dicitur Prover. XVI, 24, *Quod timet impius veniet super eum.* Ideo Romani post passionem Domini et glorificationem, tulerunt eis et locum et gentem, expugnando et transferendo.

5. Determinationem autem dubitationis ponit [1] cum dicit : *Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis.* Et primo ponitur determinatio ; secundo determinationis expositio, ibi, *Hoc a semetipso non dixit;* tertio sententiæ a congregatione acceptatio. ibi, *Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum.* Circa primum duo facit. Primo describit personam sententiantis ; secundo ponit verba sententiæ, ibi, *Vos nescitis quidquam* etc. Persona sententians describitur ex nomine et ex dignitate. Ex nomine quidem, quia *Caiphas* : quod quidem nomen convenit suæ malitiæ. Interpretatur enim primo investigans, quod attestatur suæ præsumptioni. Prov. XXV, 27 : *Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria.* Præsumpsit enim cum dixit Matth. XXVIII, 63 : *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus.* Secundo interpretatur sagax, quod attestatur ejus astutiæ, quia nititur mortem Christi procurare. Tertio interpretatur ore vomens, quod attestatur

[1] Al. deest : « ponit. »

ejus stultitiæ. Prov. xxvi, 11 ; *Sicut canis qui revertitur ad vomitum.* Ex dignitate autem describitur, quia *pontifex anni illius.*

Circa quod sciendum est, quod, ut habetur Levitic. viii, Dominus constituit unum summum sacerdotem, cui mortuo unus succederet, qui per totam vitam pontificii officium exerceret. Postmodum autem crescente ambitione et contentione inter Judæos, constitutum est ut plures essent pontifices, et ad omnes vicissim hujusmodi dignitas proveniret, et per annos singulos vicibus ministrarent. Et quandoque etiam hoc sibi pecunia procurabant; ut Josephus etiam [1] de isto narrat. Et ad hoc ostendendum dicit, *Anni illius.*

6. Consequenter cum dicit, *Vos nescitis quidquam* etc., ponit verba determinantis : qui quidem primo exprobat aliis ignaviam, dicens : *Vos nescitis quidquam nec cogitatis*, quasi dicat : Vos estis ignavi, et ad hanc [2] segnius rem attenditis : et ideo secundo ponit suam malitiam, dicens : *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo.* Quæ quidem verba alium intellectum habent secundum intentionem Caiphæ, et alium, secundum expositionem Evangelistæ, Ut ergo primo exponatur secundum ejus pravam intentionem, sciendum est quod, ut dicitur Deut. xiii, *mandatum est Domini* : *Si fuerit in medio tui Propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, et voluerit te a Domino retrahere* ; *Propheta ille, ut fictor somniorum, interficiatur.* Secundum hanc ergo legem credebat iste, quod Christus averteret populum a cultu Dei. Luc. xxiii, 2 : *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram.* Et ideo dicebat iste : *Vos nescitis*, scilicet legem, *nec cogitatis quia expedit vobis*, scilicet *ut unus*, idest iste homo, *moriatur*, ne totus populus seducatur ; quasi dicat : Unius hominis salutem pro communi republica oportet contemnere. Unde sequitur Deuter. xiii, 5 : *Et auferes malum de medio populi tui.* I Corinth. v, 13 : *Auferte malum ex vobis ipsis.*

7. Sed aliter Evangelista exponit, dicens : *Hoc autem a semetipso non dixit* etc. Ubi tria ponit. Primo horum verborum auctorem ; secundo ipsorum rectum sensum, ibi, *Quia Jesus moriturus erat pro gente ;* tertio addit Evangelista ad verba Caiphæ, ibi, *Et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum.* Circa primum sciendum est, quod [3] quia posset aliquis credere Caipham instinctu proprio verba dicta protulisse, Evangelista hoc excludens, dicit : *Hoc autem a semetipso non dixit.* In quo datur intelligi, quod aliquis aliquando a semetipso non [4] loquitur. Homo enim est illud quod principale est in ipso ; hoc autem est intellectus et ratio : unde homo id quod est, per rationem est. Quando ergo homo loquitur ex propria ratione, tunc loquitur a semetipso ; sed quando loquitur ab aliquo superiori, et exteriori instinctu, non loquitur a semetipso. Dupliciter tamen hoc contingit. Quandoque ut motus a Spiritu divino, secundum, illud Matth. x, 20 : *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Quandoque autem ut motus a spiritu maligno, sicut arreptitii : et utique aliquando dicuntur prophetare. Quod quidem moti a Spiritu divino prophetent, dicitur II Petr. i, 21 : *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed a Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Quod autem moti a spiritu maligno prophetent, habetur Hierem. xxix, 26 : *Dedit te Dominus sacerdotem pro Jojada sacerdote, ut sis dux in domo Domini super omnem virum arreptitium et prophetantem.* Sciendum est etiam, quod aliquando loquitur aliquis instinctu Spiritus sancti vel spiritus maligni, qui tamen amittit usum rationis, et arripitur. Aliquando autem manet ei liber usus rationis, nec arripitur. Nam quando superabundant vires sensitivæ ex superiori impressione, ligatur ratio, et movetur, et arreptus est. Quia vero dæmon habet potestatem imprimendi in phantasiam, cum sit potentia affixa organo, potest in eam aliquando sic imprimere quod ex impressionis abundantia ratio efficiatur quasi ligata, non tamen quod cogatur ad consensum ; et tunc homo arripitur a spiritu maligno.

Restat ergo quæstio an Caiphas verba ista instinctu Spiritus sancti dixerit, vel maligni. Et videtur quod non dixerit instinctu Spiritus sancti : nam Spiritus sanctus est spiritus veritatis ; ut dicitur Hierem. xv. Spiritus autem malignus est spiritus mendacii. III Reg. ult. 22 : *Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium*

[1] Parm. omittit : « etiam. » — [2] Parm. : « adhuc. » — [3] Al. deest : « quod. » — [4] Parm. omittit : « non. »

prophetarum. Constat autem quod Caiphas locutus fuerit mendacium, dicens : *Expedit vobis ut unus moriatur.* Non ergo locutus est instinctu Spiritus sancti, ut videtur, sed prophetavit instinctu spiritus maligni arreptitii. Hoc autem non videtur consonare dictis Evangelistæ : nam si ita esset, Joannes non addidisset : *Cum esset pontifex anni illius.* Ideo ergo Caiphæ dignitatem addidit ut insinuaret eum instinctu Spiritus sancti fuisse locutum. Ex quo datur nobis intelligi quod etiam malos in dignitate constitutos Spiritus sanctus movet ad loquendum aliqua vera et futura pro utilitate dumtaxat subditorum.

Ad illud ergo quod in contrarium dicitur, scilicet falsum esse quod dixit, *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo*, dupliciter responderi potest. Uno modo, quod mors Christi quantum est de se, expediens fuit omnibus, etiam his qui eum occiderunt. I Tim. IV, 10 : *Qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium.* Heb. II, 9 : *Ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Alio modo ut dicatur : *Expedit vobis*, idest populo. Unde Evangelista, ubi Caiphas dicit, *Ut moriatur pro vobis* ponit, *Pro gente.*

Sed videtur ex verbis Evangelistæ quod fuit Propheta, cum dicit, *Prophetavit.* Si enim prophetat quis, sequitur eum esse prophetam. Sed secundum Origenem, non sequitur quod quicumque prophetat sit propheta : sed si propheta est, utique prophetat : nam alicui quandoque conceditur actus alicujus rei, cujus tamen conditio ei non conceditur ; sicut non quicumque facit aliquid justum, est justus ; sed qui justus est, justa facit.

Notandum est autem, quod duplex actus concurrit ad hoc quod aliquis vere [1] prophetet : scilicet videre : I Reg. XI, 9 : *Qui nunc dicitur Propheta, olim vocabatur Videns* : Item annuntiare : I Cor. XIV : *Propheta omnibus loquitur ad ædificationem.* Contingit autem quandoque quod utrumque aliquis habet, non tamen proprie dicitur propheta : nam quandoque aliquis habet propheticam visionem, sicut Nabuchodonosor et Pharao ; et similiter ipsam visionem aliis annuntiaverunt ; non tamen prophetæ dici possunt, quia defuit eis aliquid, scilicet intelligentia visionis, qua opus est in visione, ut dicitur Daniel. X, 1. Caiphas autem licet visionem propheticam non habuerit, habuit tamen denuntiationem rei propheticæ ; inquantum scilicet denuntiat utilitatem mortis Christi. Quandoque namque Spiritus sanctus movet ad totum quod pertinet ad prophetiam, quandoque autem ad aliquid tantum. Caiphæ autem nec mentem illuminavit, nec imaginationem ; et ideo ejus mens et imaginatio ad malum intenta mansit : movit tamen linguam ejus, ut proferret modum quo salus populi impleretur. Unde non dicitur propheta nisi inquantum habuit propheticum actum in denuntiatione ; imaginatione et ratione ejus ad contrarium existente. Ex quo patet quod non magis potest dici propheta quam asina Balaam.

8. Consequenter cum dicit, *Et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum;* addit Evangelista ad verba pontificis, dicens quod Jesus non tantum moriturus erat pro gente populi, scilicet Judæorum, ut Caiphas dixit : Hebr. ult. 12 : *Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est* : sed addit quod [2] etiam pro toto mundo : unde subdit : *Ut filios Dei qui dispersi erant, congregaret in unum.*

Ubi cavenda est hæresis Manichæorum dicentium, animas aliquas esse de substantia divina, et vocari filios Dei : et ad has congregandas in unum dicunt Deum venisse. Sed hoc est erroneum : quia, ut dicitur Ezech. XVIII, 4, *Omnes animæ meæ sunt*, scilicet creatione : et ideo quod dicit, *Ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum*, non est intelligendum quod tunc jam accepissent adoptionis spiritum : quia, ut Gregorius dicit, nec oves ejus, neque filii Dei adhuc erant per adoptionem ; sed est intelligendum secundum prædestinationem, ut dicatur : *Ut filios Dei*, scilicet ab æterno prædestinatos : Rom. VIII, 29 : *Quos præscivit conformes fieri imagini Filii ejus, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* : *qui erant dispersi*, per diversos ritus et gentes, *congregaret in unum*, scilicet in unitatem fidei. Supra X, 16 : *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere... et fiet unum ovile et unus pastor.* Psal. CXLVI, 2 : *Ædificans Hierusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit.*

9. Consequenter cum dicit, *Ab illo ergo*

[1] Parm. omittit : « vere. » — [2] Parm. omittit : « quod. »

die cogitaverunt ut interficerent eum, ponit Evangelista consensum Judæorum in mortem Christi.

Sed numquid non ante cogitaverunt eum occidere? Videtur quod sic : quia supra in pluribus locis dicitur quod Judæi quærebant eum interficere. Responsio. Dicendum quod ante habuerun quidem [1] instinctum ad eum occidendum; sed *ab illo die* concitati ad iram ex verbis Caiphæ, tractaverunt firmo proposito occidere Dominum [2]. Proverb. I, 16 : *Pedes eorum ad malum currunt.*

LECTIO VIII.

1. Jesus ergo jam non in palam ambulabat apud Judæos; sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis. 2. Proximum autem erat pascha Judæorum, et ascenderunt multi Hierosolymam de regione, ante pascha ut sanctificarent seipsos. 3. Quærebant ergo Jesum, et colloquebantur ad invicem, in templo stantes : Quid putatis, quia non venit ad diem festum istum? 4. Dederant autem Pontifices et Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.

1. Hic Evangelista ponit quomodo Christus eorum malitiam declinavit : et primo ponit modum declinationis ex parte Christi; secundo effectum admirationis ex parte populi, ibi : *Proximum autem erat pascha Judæorum.* Modus autem declinationis fuit per occultationem, et recessum Christi a Judæis : nam Jesus [3] post consilium cautius se observans, *non in palam ambulabat apud Judæos*; sed nec ad aliquam civitatem abiit populatam, *sed in regionem* remotam, *juxta desertum in civitatem quæ dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis.*

Sed numquid defecerat potentia ejus, in qua, si vellet, inter Judæos palam conversaretur, et nihil ei facerent? Absit. Sed hoc fecit non propter defectum potentiæ; sed ut exemplum discipulis demonstraret. In quo apparet non esse peccatum, si fideles ejus, oculis persequentium se subtraherent et furorem sceleratorum latendo potius evitarent, quam se ostendendo eis, magis accenderent : secundum illud Matth. x, 23 : *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Origenes autem dicit quod nullus debet se periculis ingerere; tamen valde laudabile est quando jam pericula imminent, nec Jesu vitare confessionem, nec recusare subire mortem, gratia veritatis : et hoc propter duas rationes. Primo, quia valde præsumptuosum [4] est periculis se ingerere propter inexperientiam propriæ virtutis, quæ quandoque fragilis invenitur, et propter futuri eventus incertitudinem. I Corinth. x, 12 : *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Secundo ne nos ingerentes persecutoribus, occasionem præstemus eis, ut magis impii et noxii fiant. I Corinth. x, 32 [5] : *Sine offensione estote Judæis et Gentibus et Ecclesiæ Dei.*

2. Consequenter cum dicit : *Proximum*, etc. Ponitur effectus admirationis in populo : et primo ponitur admirandi occasio; secundo ponitur ipsa admiratio; tertio admirationis ratio. Occasio autem quærendi et admirandi ponitur duplex. Prima quidem ex conditione temporis, quia *proximum erat pascha Judæorum* : in quo recolitur memoria transitus Hebræorum de Ægypto. Exod. xii, 11 : *Est enim phase, id est transitus Domini.* Addit autem, *Judæorum*, quia ipsum pascha Judæi male et indebite celebrabant [6] : nam quando devote pascha celebramus, tunc dicitur pascha Dei. Isaiæ I, 13 : *Solemnitates vestras non feram.* Secunda vero ex concursu populi : quia *ascenderunt multi Hierosolymam de regione* : nam, ut legitur Exod. xxiii, tribus temporibus in anno, seu festivitatibus, filii Israel se debebant Domino præsentare : inter quæ primum erat pascha; et ideo magna multitudo ascendebat Hierosolymam, ubi erat templum. Sed quia nondum erat tempus paschæ, quo debebant ascendere, ideo Evangelista consequenter causam ascensus assignat, subdens : *Ut sanctificarent seipsos* : nullus enim audebat comedere agnum nisi mundus : et ideo præveniebant tempus paschæ, ut interim purificantes seipsos, possent in pascha agnum rite comedere. In quo datur nobis exem-

[1] Al. omittitur : « quidem. » — [2] Parm. : « eum. » — [3] Parm. omittit : « Jesus. » — [4] Al. : « quia præsumptuosum. » — [5] Al. omittitur : « sequens sententia. » — [6] Parm. : « credebant. »

plum, ut tempore quadragesimali jejuniis et bonis operibus nos purificemus, ut in pascha rite sumamus corpus Domini nostri Jesu Christi.

3. Admiratio autem ponitur ex causa absentiæ Domini : et hoc est quod dicit : *Quærebant ergo Jesum*, non quidem ad honorandum, sed ad occidendum, *et colloquebantur adinvicem in templo stantes* : *Quid putatis, quia non venit ad diem festum istum?*

Sed notandum, quod quando dies festus agitur sancte [1], semper Dominus [2] est in die festo. Matth. xviii, 20 : *Ubicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et ideo nos [3] congregati in domo Dei, quæramus Jesum, mutuo nos consolando et exorando ut veniat ad diem festum nostrum. Quando vero non sancte agitur festum, tunc non venit Jesus. Isa. i, 14 : *Kalendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea.*

4. Ratio autem admirationis et absentiæ Jesu subditur : quia *dederant Pontifices et Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit;* scilicet Jesus, *indicet ut apprehendant eum*, scilicet ad occidendum. Supra viii : *Quæretis me, et in peccato vestro moriemini.* Sed, ut Augustinus dicit, nos qui scimus ubi Christus est, quia ad dexteram Patris, indicemus eis, ut sic utinam apprehendant eum per fidem.

[1] Al. deest : « sancte. » — [2] Parm. omittit « Dominus. » — [3] Al. : « non. »

CAPUT DUODECIMUM

LECTIO I.

1. Jesus ergo ante sex dies paschæ, 2. Venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus. 3. Fecerunt autem ei cœnam ibi. 4. Et Martha ministrabat; Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxit pedes Jesu, et extersit pedes ejus capillis suis: et domus impleta est ex odore unguenti. 5. Dixit ergo unus ex discipulis ejus Judas Iscariotis, qui erat eum traditurus: 6. Quare hoc unguentum non veniit trecentis denaris, et datum est egenis? 7. Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea quæ mittebantur portabat.

1. In præcedentibus Evangelista ostendit divinitatis Christi virtutem per ea quæ in vita fecit et docuit; hic autem incipit ostendere virtutem divinitatis ipsius quantum ad passionem et mortem ejus: et primo agit de passione et morte ejus; secundo de resurrectione ipsius, XX capitulo ibi, *Una autem sabbati* etc. Prima pars dividitur in tres. In prima ostendit causas sive occasiones passionis et mortis ejus; in secunda ponitur præparatio discipulorum, a quibus per mortem erat corporaliter recessurus, XIII capitulo, ibi, *Ante diem festum paschæ* etc.; in tertia agitur de ipsa passione et morte ejus, XVIII capitulo, ibi, *Hæc cum dixisset Jesus, egressus est* etc. Causa autem sive occasio passionis Christi fuit duplex: scilicet gloria ipsius Christi, quæ invidiam excitavit; et infidelitas Judæorum, quæ ipsos excæcavit. Primo agit de gloria Christi; secundo de infidelitate Judæorum, ibi, *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum.* Circa primum tria facit. Primo ostendit quomodo Christus glorificatus est ab hominibus; secundo quomodo glorificatus est a Deo, ibi, *Nunc anima mea turbata est* etc. Circa primum tria facit. Primo ostendit quomodo glorificatus est a familiaribus et domesticis; secundo quomodo glorificatus est a turbis Judæorum, ibi, *Cognovit ergo turba multa* etc.; tertio quomodo glorificatus est a Gentilibus, ibi, *Erant autem Gentiles* etc. Circa primum duo facit. Primo proponit gloriam Christi in ministerio sibi a familiaribus exhibito; secundo zelum proditoris ex hoc concitatum, ibi, *Dixit ergo unus ex discipulis* etc. Circa primum tria facit. Primo describit tempus; secundo locum, ibi, *Venit Jesus in Bethaniam* etc.; tertio obsequium Christi exhibitum, ibi, *Fecerunt autem ei cœnam* etc. Dicit ergo primo: Dictum est, quod Christus ante festum paschæ abiit in regionem juxta desertum, et quod imminente solemnitate paschali quærebatur a Judæis. Ergo imminente paschali tempore, quo agnus typicus immolabatur, ipse tamquam verus agnus ad locum passionis accessit, pro salute mundi voluntarie immolandus: secundum illud Isa. 53, 7: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Dicit autem, *Ante sex dies paschæ*, ut intelligas diem paschæ non quidem quartam decimum diem primi mensis, in qua ad vesperam immolabatur paschalis agnus, ut habetur Exod. XII: sed potius hic dicitur pascha decimaquinta dies, quæ tota erat festiva: et illo anno occurrit feria sexta in qua passus est Dominus, ita quod sextus dies ante pascha, fuit prima feria [1], id est dies dominicus, in qua Dominus ramis palmarum Hierosolymam intravit: et in die præcedenti, scilicet sabbato, Christus venit in Bethaniam: et hoc est quod dicitur: *Ante sex dies Paschæ.*

Convenit autem hic numerus mysteriis. Primo quidem quantum ad numerum: numerus enim senarius perfectus est: unde et Deus opera creationis perfecit sex diebus, ut dicitur Gen. I. Et propter [2] hoc decuit quod sex diebus quodammodo compleretur opus passionis, quo omnia sunt restaurata: secundum illud Colos. I, 20: *Pacificans per sanguinem suum sive quæ in cœlis sive quæ in terris sunt* etc.

[1] Al.: « ista feria. » — [2] Al.: « et primo propter. »

Et II Corinth. 5, 19 : *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Secundo congruit mysterio quantum ad figuram. Mandatur enim Exod. XII, quod decima die mensis primi tollat unusquique per familias suas agnum paschalem immolandum. Unde et Dominus decimo die primi mensis, hoc est sexta die ante decimum quintum diem [1], Hierusalem intrare voluit, quasi ad locum immolationis accedens ; ut patet per id quod dicitur infra eodem : *In crastino autem turba multa quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Jesus Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei.*

2. Deinde describitur locus : *Venit Bethaniam*, etc. Bethania autem erat vicus prope Hierusalem ; et interpretatur domus obedientiæ : unde congruit mysterio : primo quidem quantum ad causam passionis, secundum illud Philip. II, 8 : *Factus est obediens Patri usque ad mortem* : secundo quantum ad fructum passionis, quem consequuntur soli illi qui ei obediunt, secundum illud Heb. v, 9 : *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ* etc. Signanter autem additur : *Ubi fuerat Lazarus mortuus quem suscitavit Jesus* : quia in domo obedientiæ illi qui sunt spiritualiter mortui in peccatis, recuscitantur reducti ad viam justitiæ. Rom. v, 19 : *Per unius hominis obedientiam justi constituentur multi.* Sed secundum litteram hoc dicitur ad ostendendum quod Christus in Bethaniam venit ut memoriam resurrectionis Lazari renovaret [2]. Psal. CX, 4 : *Memoriam fecit mirabilium suorum miserisors et miserator Dominus.*

3. Deinde cum dicit [3], *Fecerunt autem ei cœnam ibi*, ponit obsequium Christo exhibitum a suis familiaribus : et primo in communi quantum ad omnes ; secundo in speciali quantum ad singulos, ibi, *Et Martha ministrabat.* Convenit autem mysterio, quod *ibi*, idest in Bethania, *fecerunt ei cœnam* : quia Dominus in Domo obedientiæ spiritualiter reficitur, delectatus in obedientia nostra : secundum illud Apoc. III, 20 : *Si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi januam, introibo ad illum* [4], *et cœnabo cum illo, et ipse mecum.*

4. Deinde ponuntur tres personæ ei assistentes vel ministrantes : scilicet Martha, Lazarus et Maria. Per Martham significantur prælati, qui ad ministerium in Ecclesiis instituuntur, secundum illud I Corinth. IV, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Unde dicitur, *Et Martha ministrabat.* Luc. x, 40 : *Martha autem satagebat circa frequens ministerium.* Per Lazarum autem resuscitatum significantur subditi ministerio prælatorum a peccatis ad statum justitiæ reducti, qui cum aliis justis spiritualiter cum Domino epulantur : unde dicitur : *Lazarus autem unus erat ex discumbentibus cum eo.* Psal. LXVII, 4 : *Justi epulentur et exultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia.* Per Mariam significantur contemplativi. Dicitur enim Luc. x, 39, quod *Maria sedens secus pedes Domini, audiebat verba illius.* Circa cujus ministerium tria tanguntur, quantum ad litteram pertinet. Primo enim tangitur unguentum in quo obsecuta est ; secundo obsequium quod exhibuit, ibi, *Et unxit pedes Jesu ;* tertio effectum obsequii, ibi, *Et domus impleta est ex odore unguenti.* Circa primum tria tangit. Primo quantitatem unguenti, quia multum fuit : unde dicit, *Libram unguenti.* Tob. IV, 9 : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue.* Secundo materiam, quia fuit ex nardo confectum : unde dicit, *Nardi.* Cant. I, 11 : *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Est autem nardus herba brevis et spicosa et nigra, ex qua fit unguentum, quod vim confortandi habet ex sua aromaticitate. Tertio compositionis formam, in eo quod dicit, *Pistici pretiosi.* Et, secundum Augustinum, dicitur *pistici* a loco, in quo nardus oriebatur. Sed melius est quod exponatur *pistici*, idest fidelis ; hoc est, non sophisticati per aliquam admixtionem : nam pistis in græco idem est quod fides. Addit autem *pretiosi*, quia confectum erat ex spica nardi, ex qua pretiosum unguentum fit et forte admixtis aliis pretiosis rebus. In quo docemur quod ea quæ pretiosissima sunt apud nos, Deo debemus offerre, secundum illud Psalm. LXV, 15 : *Holocausta offeram tibi cum incenso arietum.* Et Malach. I, 14 : *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens, offert Domino debile.* Circa obsequium ejus primo nota humilitatem in hoc quod di-

[1] Al. deest : « diem. — [2] » Parm. : « revocaret. » — [3] Al. : « deinde dicit. » — [4] Al. : « introibo cum illo, etc. »

citur, *Unxit pedes Jesu*, ad pedes procidens, secundum illud Ps. CXXXI, 7 : *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Secundo devotionem, quia *extersit capillis suis*, ut de seipsa quodammodo obsequium offerret. Roman. VI, 13 : *Exhibete membra vestra arma justitiæ Deo.* Effectus autem obsequii tangitur consequenter, cum dicit : *Et domus impleta est ex odore unguenti* : per quod insinuatur unguenti bonitas, cujus odor totam domum implevit. Cantic. I, 13 : *Curremus in odorem unguentorum tuorum.*

Dubitatur autem utrum hæc eadem mulier fuerit de qua dicitur hic quod unxit Dominum, et de qua dicitur Luc. VII et Matth. XXVI et Marc. XIV. Multis quidem videtur, secundum Hieronymum et Chrysostomum, quod mulier peccatrix de qua Lucas narrat, non sit Maria soror Lazari, quæ Dominum dicitur unxisse. Origenes autem addit, quod non sit eadem etiam de qua Matthæus et Marcus narrant, sed illa sit quædam alia tertia : et hoc vult probare ex tribus. Primo quidem ex tempore : nam hæc unxit Dominum ante sex dies paschæ; illa vero de quo Matthæus et Marcus narrant, infra biduum ante pascha. Præmittit enim Matthæus XXVI, 2 Dominum dixisse : *Scitis quia post biduum pascha fiet.* Marcus autem XIV : *Erat pascha et azyma post biduum.* Secundo ex loco : nam illa mulier legitur Dominum unxisse in domo Simonis leprosi; hoc autem colligitur esse factum in domo Marthæ, ex hoc quod dicitur quod Martha ministrabat, ut etiam Augustinus dicit. Tertio ex ipso facto : nam illa mulier legitur unxisse caput, hæc autem pedes. Augustinus vero et Gregorius dicunt, quod una et eadem mulier fuit quam quatuor Evangelistæ narrant Dominum unxisse; sed bis hoc fecit. Primo quidem in principio suæ conversionis intermedio tempore prædicationis Christi, quod Lucas narrat; secundo vero imminente Christi passione hoc fecit, quod tres alii Evangelistæ narrant : unde idem factum est quod hic narratur, et quod habetur Matth. XXVI et et Marc. XIV. Ad primum ergo quod dicitur de dissonantia temporis, dicendum est, secundum Augustinum, quod Joannes ipse servat ordinem historiæ; Matthæus et Marcus per recordationem interponunt quod prius fuerat factum immediate ante proditionem Judæ, quæ ex hoc facto creditur occasionem habuisse. Ad secundum quod objicitur de dissonantia loci, potest intelligi quod eadem sit domus Simonis leprosi, et etiam Mariæ et Marthæ, ita quod Simon fuerit paterfamilias domus. Dicitur autem leprosus, quia primo leprosus fuerat et a Christo curatus. Ad tertium quod objicitur de dissonantia facti, dicendum est, secundum Augustinum, quod mulier unxit et pedes et caput.

Et si quis objiciat quod Marcus dicit, quod, fracto alabastro, effudit super caput ipsius recumbentis : potest dupliciter responderi. Uno modo, quod non fuit ita fractum quin aliquid remanserit, unde pedes possent [1] injungi. Alio modo potest dici quod prius inunxit pedes ; postea, fracto alabastro, totum supra caput effudit.

Secundum mysterium autem, per libram quam Maria accepit, designatur opus justitiæ : nam ad justitiam pertinet singula librare et ponderare. Ezech. XLV, 11 : *Juxta mensuram cori, erit libratio eorum.* Opus autem justitiæ debet quadruplici virtute adjuncta esse perfectum. Primo quidem pietate : unde dicit, *Unguenti;* quod quia lenitivum est, misericordiam significat. Jac. II, 13 : *Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.* Secundo humilitate : unde dicit, *Nardi;* quæ cum sit herba brevis, significat humilitatem. Eccl. III, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Tertio fide : unde dicit, *Pistici*, idest fidelis. Habac. II, 4 : *Justus autem meus ex fide vivit.* Quarto caritate : unde dicit, *Pretiosi :* sola enim caritas pretium præstat vitæ æternæ. I Corinth. XIII, 3 : *Si distribuero pauperibus omnes facultates meas...* caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Opere autem justitiæ unguntur pedes Jesu, et caput suum. Per pedes intelligimus mysterium humanitatis ; per caput vero divinitatem : secundum illud I Cor. XI, 3 : *Caput Christi Deus* : ut intelligatur [2] caput et pedes Christi ungere qui divinitatem et humanitatem ejus veneratur. Vel per caput possumus intelligere ipsam Christi personam : secundum illud Ephes, I, 22 : *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Per pedes autem, Christi fideles, de quibus Matth. XXV, 40 : *Quod uni ex minimis meis fecistis,*

[1] Al. : « possunt. » — [2] Al. : « ut ergo intelligatur. »

mihi fecistis. Isa. LII, 7 : *Quam pulchri pedes supra montem annuntiantis et prædicantis pacem!* Unde caput Christi inungit qui ipsum Christum veneratur ; pedes autem qui ejus fidelibus obsequitur. Quia vero capilli ex superfluitate generantur : pedes Domini capillis terguntur, quando aliquis ex ipsis quæ sibi superfluunt, defectui subvenit proximorum. Luc. XI, 41 : *Verumtamen quod superest, date eleemosynam.* Unde Augustinus dicit : « Si habes superflua, da pauperibus, et Domini pedes tersisti. » Per hoc autem quod dicitur, *Et domus impleta est ex odore unguenti*, significatur quod propter opera justitiæ, bona fama totam replet Ecclesiam. II Cor. II, 14 : *Odorem suæ notitiæ manifestat per nos in omni loco : quia Christi bonus odor sumus.*

5. Deinde cum dicit, *Dixit ergo unus ex discipulis ejus* etc., ponitur zelus proditoris ex prædicto ministerio concitatus. Et circa hoc duo facit. Primo ostendit proditoris zelum : secundo ponitur zeli repressio, ibi, *Dixit ergo ei Jesus* etc. Circa primum tria facit. Primo describitur persona proditoris ; secundo ponuntur verba ejus, ibi, *Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis?* etc. ; tertio manifestatur ejus malitiosa intentio, ibi, *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat.* Persona autem ejus manifestatur ex tribus. Primo quidem ex dignitate, cum dicitur : *Dixit ergo unus ex discipulis ejus* : ut ostendatur quod nullus in quacumque excellentia constitutus de se præsumere debet; quia, ut dicitur Job. IV, 18 *: in Angelis suis reperit pravitatem.* Secundo ex nomine, cum dicit, *Judas Iscariotis*, nomine. Interpretatur autem Judas, Confitens, ut significetur quod præter confessionem virtuosam, de qua Rom. x, 10 : dicitur, *Confessio fit ad salutem* : est quædam confessio vituperabilis et mercenaria, de qua dicitur in Psal. XLVIII, 19 : *Confitebitur tibi cum benefeceris ei.* Tertio describitur ex crimine, cum dicitur : *Qui erat eum traditurus.* Psalm, XL, 10 : *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.*

6. Deinde ponuntur verba ipsius, ex quibus ostenditur quod de bono odore unguenti spiritualiter mortuus erat : secundum illud II Cor. II, 15 : *Christi bonus odor sumus : aliis odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.* Displicebat enim ei quod unguentum non erat venditum, sed effusum in obsequium Christi : unde dicit : *Quare hoc unguentum non veniit*, idest venditum est [1], *trecentis denariis?* Sed sicut dicitur II Cor. XI, ministri satanæ transfigurantur velut ministri justitiæ. Unde iniquitatem suam sub specie pietatis occultavit, dicens : *Et datum est egenis.* Isa. XXXII, 6 : *Cor ejus faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem, et loquatur ad Dominum fraudulenter.*

7. Unde Evangelista ejus fraudulentam aperit intentionem, subdens : *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat.* Non enim curabat quod eis subveniretur [2] : quia Proverb. XII, 10, dicitur : *Viscera impiorum crudelia*; *sed quia fur erat*, consuetudinem furandi habens, dolebat [3] sibi occasionem furandi sublatam per effusionem unguenti, et ex hac avaritia ductus est ad proditionem : dicitur enim Eccl. x, 9 : *Avaro nihil est scelestius.* Et supra x, 10 : *Fur non venit nisi ut furetur et mactet et perdat.* Unde autem furari consueverit, exponit subdens : *Et loculos habens;* idest, custos loculorum Domini constitutus, *ea quæ mittebantur*, scilicet in loculis, donata a fidelibus ad usum Christi et pauperum *portabat* ministerio [4] sed asportabat furto.

Ubi duo notantur. Primo quod Christus tamquam pauper de eleemosynis vivebat. Psalm. XXXIX, 18 : *Ego autem mendicus sum et pauper.* Secundo, quod non derogat perfectioni, si eleemosynæ in loculis reserventur : unde quod dicitur Matth. VI, 34 : *Nolite solliciti esse in crastinum*, non intelligitur quod nihil in crastinum debeat reservari : cum Dominus hoc fecerit, qui fuit summum exemplar perfectionis.

Sed quæritur quare Dominus Judæ, quem furem sciebat, custodiam loculorum commisit? Ad quod respondendum est tripliciter. Primo quidem, secundum Augustinum, hoc fecit Christus, ut ejus Ecclesia fures cum patitur toleraret : non enim est bonus qui malos tolerare non potuit : unde dicitur Cant. II, 2 : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Secundo ei loculos Dominus commisit, ut perditionis occasionem auferret, cum haberet ex loculis concupiscentiæ mitigationem ; sed, sicut dicitur Ec-

[1] Al. : « venditur. » — [2] Al. : « subveniret. » — [3] Al. : « et dolebat. » — [4] Al. : « mysterio. »

le. v, 9 : *Avarus non implebitur pecunia.* Tertio, secundum alios, ut doceret quod spiritualia sunt majoribus committenda, temporalia vero minus dignis : unde dicitur Act. vi, 3, ab Apostolis : *Non est æquum relinquere nos verbum Dei, et ministrare mensis* : sed uni de diaconibus hoc ministerium commiserunt.

Quæritur etiam quomodo hic [1] dicatur, quod solus Judas de hoc unguento effuso dixerit, cum Matthæus narret discipulos hoc dixisse. Sed dicendum est, quod Matthæus ponit numerum pluralem pro numero singulari; sicut Matthæi ii, 20, dicitur : *Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.* Vel potest dici, quod Judas primo murmuravit, et ab eo sunt postmodum alii provocati ut similia verba proferrent, licet non ex eadem intentione.

LECTIO II.

1. Dixit ergo Jesus : Sinite illam ut in diem sepulturæ meæ servet illud. 2. Pauperes enim semper habebitis vobiscum; me autem non semper habebitis. 3. Cognovit ergo turba multa ex Judæis quia illic est, et venerunt non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis. 4. Cogitaverunt autem principes sacerdotum ut et Lazarum interficerent : quia multi propter illum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum.

1. Posito zelo proditoris contra [2] obsequium mulieris, hic consequenter ponitur ipsius zeli repressio. Et primo Dominus repellit calumniam quam mulieri Judas injecerat; secundo excludit piam causam quam prætenderat, ibi, *Pauperes enim semper habebitis vobiscum* etc. Dicit ergo, *Sinite illam;* idest, ne prohibeatis eam. Sciendum enim, quod multa bona opera fiunt, de quibus si peteretur consilium antequam fiant, non consuleremus quod fierent, quia forte possent fieri meliora; postquam tamen incipiunt fieri, dummodo jam bona sint, non sunt prohibenda. Et, ut Chrysostomus dicit, forte Jesus antequam mulier effudisset unguetum, potius illud dari pauperibus elegisset; nunc vero quia jam factum erat, prohibentes comprimit, dicens, *Sinite illam.* Proverb. iii, 27 : *Nolite prohibere eum qui bene facit : si vales, et ipse benefac.* Et subdit : *Ut in diem sepulturæ meæ servet illud* : ubi primo prænuntiat suam mortem imminere, et obsequium hujus mulieris, quod parata fuit ei impendere in sepultura, nisi præventa fuisset celeri Christi resurrectione : nam, ut in Marco legitur cap. xvi, Maria Magdalena cum aliis emit aromata, ut venientes ungerent Jesum. Ideo ergo dicit : *Ut in diem sepulturæ meæ servet illud*, scilicet non idem quod effusum fuit, sed simile in specie vel in genere, vel etiam opere; quasi dicat : Non prohibeatis eam facere mihi jam vivo quod non poterit facere mortuo : nam, ut dictum est, fuit celeri Christi resurrectione præventa. Et hoc magis exprimitur Marc. xiv, 8 : ibi enim dicitur [3] : *Prævenit enim ungere corpus meum in sepulturam.*

Sed numquid præscivit mortem Christi? Dicendum, quod non : non enim intelligebat quod fecit ; sed quodam instinctu interiori mota est ad hoc faciendum. Frequenter enim aliqui moventur ad faciendum quod non intelligunt, sicut Caiphas, supra xi, 49, *cum esset pontifex anni illius, dixit eis : Vos nescitis quidquam.* Et hujusmodi vocantur præsagia, inquantum primo ante facta aguntur.

2. Consequenter cum dicit, *Pauperes enim semper habebitis vobiscum* etc., excludit piam causam quam Judas prætendebat, dicens : *Quare hoc unguentum non venditur trecentis denariis, et datur egenis?* Unde Dominus subdit : *Pauperes enim semper habebitis vobiscum.* Ubi sciendum est, quod quandoque faciendum est illud [4] quod minus est necessarium, si remanet locus implendi quod est magis necessarium, præsertim [5] si tollatur locus faciendi id quod est minus necessarium, et ideo Dominus, licet magis necessarium esset quod hoc unguentum daretur pauperibus quam quod ungerentur pedes ejus ex eo; quia tamen adhuc potest fieri, cum pauperes semper habeamus nobiscum, ideo Dominus permisit fieri istud, quod est minus necessarium. In hoc autem quod dicit, *Pauperes semper habebitis vobiscum*, datur intelligi familiaritas quam divites debent habere ad pauperes etc. Eccli. iv, 7 : *Congregationi pauperum affabilem te facito. Me autem non semper habebitis.*

[1] Al. : « hoc. » — [2] Parm. : « propter. » — [3] Al. deest : « ibi enim dicitur. » — [4] Al. omittitur : « illud. » — [5] Parm. omittit : « præsertim si tollatur. »

Sed contra. Matth. ult. 10 : *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Responsio, secundum Augustinum. Dominus dicens, *Me autem non semper habebitis*, loquebatur de præsentia corporis sui, prout in sua specie apparet, secundum quam iturus erat ad cœlum. Infra XVI 28 : *Iterum relinquo mundum.* Sed quantum ad præsentiam divinitatis semper est nobiscum ; et etiam sacramentaliter in Ecclesia. Vel aliter dicendum, quod Dominus hoc dicens, intelligit de præsentia divinitatis suæ. Quidam enim videntur habere Christum spiritualiter vel in sacramento vel in confessione fidei, qui tamen non sunt semper eum [1] habituri, cum sint tantum de Ecclesia quantum ad numerum, non quantum ad meritum : et hujusmodi sunt servi. Filii autem semper sunt eum habituri : quia, ut dicitur supra VIII, 35, *Filius manet in domo in æternum.* Dicit ergo Judæ : *Me autem non semper habebitis* : quia indignum te fecisti ad hoc. Ut autem Chrysostomus dicit, in hoc Dominus objurgat Judam : nam per hoc quod moleste tulit obsequium Christo [2] impensum, videtur gravari de præsentia Christi : et ideo Christus dicit : *Me autem non semper habebitis* : quasi diceret : Gravis sum tibi et onerosus; sed expecta parum, et abibo.

3. Consequenter cum dicit, *Cognovit ergo turba multa ex Judæis quia illic est* etc., ostendit quomodo Jesus glorificatus est a turbis Judæorum : et primo quomodo a turbis Christum visitantibus ; secundo quomodo a turbis ei obviantibus, ibi, *In crastinum autem* etc. Circa primum duo facit. Primo ponitur devotio turbarum visitantium : secundo exagitatur concitatus zelus Pharisæorum invidentium, ibi, *Cogitaverunt autem principes sacerdotum.* Prima pars dividitur in duas. In prima ponitur turbarum visitatio; in secunda subditur visitationis occasio. Quantum ad primum dicit : *Cognovit ergo turba multa ex Judæis quia Jesus illic esset*, in Bethania, *et venerunt*; ad quod Dominus invitat, Matth. XXVIII : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Et ideo ubi scimus esse eum, debemus festinanter accedere. Causa autem visitationis ponitur duplex. Una, ut fruerentur visione et doctrina Christi ; alia ut viderent Lazarum. Et hoc propter duo. Primo, quia illud quod factum erat circa ipsum, inquantum quatriduanus in monumento suscitatus fuit, valde mirabile erat, et hoc homines videre desiderant. Psal. CXXXVIII, 14 : *Mirabilia opera tua, et anima mea cognoscet nimis;* idest laborabit ad cognoscendum. Secundo, quia separabant, Lazaro referente, aliquod de alia vita perpendere et audire ; cujus cognitionis desiderium innatum est hominibus. Hoc autem est contra illud quod stulti dicunt, Sap. II, 1 : *Exiguum, et cum tædio est tempus vitæ nostræ, et non est refrigerium in fine hominis ; et non est qui agnitus sit reversus ab inferis.* Ecce enim Lazarus, quem suscitavit a mortuis, ab inferis rediit.

4. Concitatum autem zelum Pharisæorum invidentium ponit, dicens : *Cogitaverunt autem principes sacerdotum ut et Lazarum interficerent;* in quo videbantur obviare Deo : ipse enim vivificavit [3] Lazarum, et isti volebant occidere. Job. XV, 26: *Cucurrit adversus eum* [4] *erecto collo, et pingui cervice armatus est.* Ratio autem zeli ponitur : *Quia multi propter illum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum.*

Sed contra. Christus multos sanaverat, puta paralyticum, supra V. Cæcum natum, supra IX. Quare Lazarum tantum volebant occidere? Ad quod Chrysostomus quatuor rationes assignat. Unam, quia istud miraculum erat evidentius, coram multis factum, et inopinabile, videre mortuum quatriduanum, ambulantem et [5] loquentem. Alia ratio erat, quia Lazarus persona insignis erat, cæcus autem persona ignobilis : unde et ejecerunt eum de templo. Tertia ratio est, quia miraculum istud factum est imminente festivitate, quando totus populus Judæorum ad diem festum conveniens admirabantur, et dimittentes festivitates, Bethaniam veniebant. Quarta ratio, quia in aliis Christi miraculis nitebantur criminari violationem sabbati, et per hoc ab eo turbas abducere [6] sed hic nihil tale facere poterant [7]. Unde quia in nullo habebant conqueri contra Jesum, adversus Lazarum faciunt conatum, tamquam hæc esset potissima via ad miraculum occultandum. Proverb. I, 16 : *Pedes eorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem.*

[1] Al.: « per eum. » — [2] Al. omittitur : « Christo. » — [3] Al. : « vivificat : » item « vivificabit. » — [4] Al. : « Deum. » — [5] Al. : « etiam. » — [6] Parm. : « adducere. » [7] Al. : « sed hoc tale facere non poterant. »

LECTIO III.

1. In crastinum autem turba multa quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Jesus Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant : Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel. 2. Et invenit Jesus asellum, et sedit super eum : 3. Sicut scriptum est : Noli timere filia Sion : Ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ. 4. Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum ; sed quando glorificatus est Jesus, tunc recordati sunt quia hæc erant scripta de eo, et hæc fecerunt ei. 5. Testimonium ergo perhibebat turba quæ erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a mortuis. Propterea et obviam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum. 6. Pharisæi ergo diexerunt ad semetipsos : Videtis quia nihil proficimus ! Ecce mundus totus post eum abiit.

1. Hic ponitur devotio turbæ obviantis Christo : et primo ponitur obviatio turbarum; secundo zelus Pharisæorum, ibi, *Pharisæi autem dicebant* etc. Circa primum tria facit. Primo ponitur turbæ obviatio; secundo adventus Domini, ibi, *Et invenit Jesus asellum* etc. ; tertio obviationis causa, ibi, *Testimonium perhibebat turba*. Obviatio autem describitur quo ad quatuor. Primo quantum ad tempus, quia *in crastinum*, scilicet ab illo die de quo dixerat, *Ante sex dies paschæ*, qui est decimus dies mensis. Et congruit figuræ, Exod. XII, ubi dicitur, quod agnus paschalis qui immolandus erat quartodecimo die ad vesperam, debebat accipi decimo die mensis. Secundo describitur quantum ad personas obviantes : quia *turba multa quæ convenerat ad diem festum* : per quod significatur populorum multitudo qui convertendi erant ad Christum. Psalm. VII, 8 : *Synagoga populorum circumdabit me*. Dicit autem, *Ad diem festum*, quia ad hoc fideles convertuntur ad Christum ut ad diem festum cœlestis Hierusalem perveniant. Matth. VIII, 11 : *Multi venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum*. Tertio describitur quantum ad motivum obviandi, quod est auditus de adventu Jesu : unde dicit : *Cum audissent quia venit Jesum Hierosolymam*. Ad Christum enim omnes fideles convertuntur propter auditum fidei. Rom. x, 17 : *Fides ex auditu ; auditus autem verbum Christi*. Exod. IV, 31 : *Audierunt filii Israel quod visitasset Dominus filios Israel, et credidit populus*. Quarto describitur quantum ad modum obviandi : et primo quantum ad ea quæ fecerunt : quia *receperunt ramos palmarum* : palma enim, quia viriditatem suam conservat, significat victoriam : unde et apud antiquos triumphantibus in signum victoriæ dabatur. Et de martyribus triumphantibus legitur Apocal. VII, 9, quod *palmæ erant in manibus eorum*. Rami ergo palmarum, secundum Augustinum, laudes sunt, significantes victoriam, quia Dominus erat mortem moriendo superaturus, in trophæo crucis de diabolo mortis principe triumphaturus. *Et processerunt obviam ei*. Amos IV, 12 : *Præparare in occursum Dei tui, Israel*. Secundo quantum ad ea quæ dixerunt : quia *clamabant : Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel*. Ubi ponit petitionem, et laudem. Petitionem quidem cum dicunt, *Hosanna* ; idest, salva obsecro ; quasi dicant : Hosy, quod est salva, et anna, quod est obsecro. Quod, secundum Augustinum, non est verbum, sed interjectio deprecantis. Recte a Domino Jesu salutem petunt : quia dicitur Isai [1]. XXXV, 4 : *Dominus ipse veniet, et salvabit nos*. Psal. LXXIX, 3 : *Excita potentiam tuam, et veni*. Laudant autem quantum ejus ad duo : scilicet quantum ad adventum, et quantum ad potentiam regni ejus. Adventum quidem ejus laudant, dicentes : *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Unde sciendum est, quod benedicere est bonum dicere. Aliter autem Deus benedicit nobis, aliter nos Deo. Deus enim benedicendo nobis, facit nos bonos : nam dicere suum, est ejus facere : *dixit enim, et facta sunt* : Psal. CXLVIII, 5. Nos autem benedicendo Deo, confitemur ejus bonitatem. Psalm. CXVII, 26 : « Benediximus vobis de domo Domini. » Genes. XXVII, 29 : « Qui benedixerit tibi, sit ille benedictus etc. » *Benedictus* ergo *qui venit in nomine Domini*. Christus enim operabatur in nomine Dei : quia omnia opera quæ faciebat, ad gloriam Dei ordinabat. Quia vero et Pater Dominus est, et Filius Dominus est ; ideo hoc quod dicitur, *In nomine Domini*, potest intelligi dupliciter. Uno modo : *Benedictus qui venit in nomine Domini*, idest, in nomine [2]

[1] Al. : « recte ad Deum in Hierusalem petunt : quia ut dicitur Isai, etc. » — [2] Al. : « in nomine Jesus ipsius. »

sui ipsius, tamquam Dominus. Isa. xxxii, 22 : *Dominus legifer noster*, Moyses ergo hoc modo non venit in nomine Domini, quia venit sicut servus. Heb. iii, 5 : *Moyses in omni domo sua tamquam famulus fidelis erat, in testimonium eorum quæ dicenda erant.* Sed, secundum Augustinum, melius dicitur, *In nomine Domini*, scilicet Patris. Nam verba ejus ad hoc nostrum dirigunt intellectum. Supra, v, 43 : *Ego veni in nomine Patris mei* etc. Dupliciter autem dicitur venire in nomine Patris. Primo quidem ut quantum venit ut Filius, per quod datur intelligi Pater ; secundo inquantum venit ut manifestans Patrem. Infra xvii, 6 : *Manifestavi nomen tuum hominibus.* Potentiam vero regni ejus laudant cum dicunt, *Rex Israel.* Ad litteram enim credebant Judæi quod venisset regnaturus temporaliter super eos, et redempturus eos a servitute Romanorum ; et ideo applaudebant ei tamquam regi. Hier. xxiii, 5 : *Regnabit rex, et sapiens erit.* Isa. xxxii, 1 : *Ecce in justitia regnabit rex, et principes in judicio præerunt.*

Sed sciendum quod omnia verba prædicta poterant habere ex Psalmis : nam cum Psalm. cxvii, 22, diceret : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes* : subdit vers. 25 : *O Domine salvum me fac.... Benedictus qui venit in nomine Domini.* Ubi Hieronymus, secundum Hebræam veritatatem, transtulit Hosanna, Benedictus. Sed hoc quod subdunt, *rex Israel*, non est in Psalmis ; sed est ibi, vers. 27 : *Deus Dominus, et illuxit nobis.* In quo ex eorum cæcitate minuunt ejus laudem : quia Psalmus laudat eum tamquam Deum, ipsi vero tamquam regem temporalem.

2. Consequenter cum dicit, *Et invenit Jesus asellum, et sedit super eum*, ponit Domini adventum : et primo ponit modum veniendi ; secundo inducit prophetiam ; tertio ostendit dispositionem discipulorum circa hoc factum. Notandum est circa primum quod Joannes Evangelista Evangelium suum post omnes alios Evangelistas conscripsit : unde omnia Evangelia diligenter perlegerat ; et quæ per alios diffuse dicta erant, ipse compendio tradidit ; quæ vero omiserant, ipse supplevit. Quia vero diffuse in aliis Evangelistis habetur quomodo Dominus misit duos de discipulis suis ut asinam adducerent, ideo hoc Joannes breviter pertransivit, dicens : *Et invenit Jesus asellum, et sedit super eum.* Sciendum autem quod facta Christi sunt quasi media inter facta veteris testamenti et novi : et ideo turba tam quæ præcedebat quam quæ sequebatur, eum laudabat, inquantum facta Christi sunt regula et exemplar eorum quæ fiunt in novo testamento, et præfigurata a patribus veteris testamenti. Asellus autem quod est animal rude, significat populum gentium, super quem sedit, ut significaret quod ipse redempturus esset gentes. Isai. xlix, 6 : *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Ibid. xxxii, 20 : *Beati qui seminatis super omnes aquas, mittentes pedes bovis et asinæ ;* idest, conjungentes in unitatem fidei populum Judæorum et gentium. Quia autem Matthæus Evangelium suum scripsit Judæis, mentionem facit de asina, per quam signatur synagoga Judæorum, quæ fuit quasi mater gentium in spiritualibus : quia *de Sion exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem* : Isai ii,. 5. Alii vero Evangelistæ, quia gentibus Evangelia scripsere, faciunt etiam mentionem de pullo, etc.

3. Consequenter cum dicit, *Sicut scriptum est*, etc., inducit prophetiam quæ scripta est Zachar. ix, 9 : in qua primo dat securitatem ; secundo promittit regiam majestatem ; tertio subdit utilitatem regis. Securitatem dat cum dicit : *Noli timere filia Sion.* Sion arx erat in Hierusalem, ubi erat habitatio regis. Filia ergo Sion est plebs Hierosolymorum, et Judæorum qui subditi erant regi Hierusalem. Judæis ergo dicitur, *Noli timere*, quia Dominus defensor tuus. Isai. li, 12 : *Quis tu ut timeas ab homine mortali?* Psal. xxvi, 1 : *Dominus defensor vitæ meæ : a quo trepidabo?* In quo excludit Evangelista timorem mundanum et servilem. Regiam autem majestatem promittit, dicens : *Ecce rex tuus venit*, etc. Isai. ix, 6, *Parvulus datus est nobis.* Et infra, ibid. 7 : *Super solium David et super regnum ejus sedebit.* Dicit autem *tuus*, idest ex te carnem sumens ; quia *nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ* : Hebr. ii, 16. Iterum *tuus*, idest ad utilitatem tuam ; unde subdit, *Venit tibi.* Luc. xix, 42 : *Si cognovisses et tu, et quidem nunc quæ ad pacem tibi : nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Sed tamen ipsi resistendo, eorum utilitatem impedierunt. *Venit*, inquam, *tibi*, non ad terrorem, sed ad liberationem : unde subdit, *Sedens super pullum asinæ* : in quo signatur regis clementia, quæ valde est accepta subditis.

Proverb. xx, 28 : *Clementia roboratur thronus ejus.* Et contra dicitur Prov. xix, 12 : *Sicut fremitus leonis, ita et regis ira.* Quasi dicat : Non venit in fastu regio, propter quod posset esse odiosus ; sed venit in mansuetudine. Eccli. xxxii, 1 : *Rectorem te posuerunt? Noli extolli.* Noli ergo timere regni oppressionem. Vetus autem lex in timore data est, quia lex [1] in servitutem generabat. Item signatur in hoc regis potentia : inquantum in humilitate et infirmitate veniens, totum mundum attraxit. I Cor. i, 25 : *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.*

4. Consequenter cum dicit, *Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum*, ponit dispositionem discipulorum ad prophetiam inductam; in quo Evangelista confitetur ignorantiam et sui et discipulorum : quia, ut dicitur Prov. xviii, 17, *justus in principio accusator est sui.* Unde dicit, quod *hæc* quæ prædicta sunt, *non cognoverunt discipuli ejus primum*, idest ante passionem; *sed quando glorificatus est Jesus*, idest quando virtutem suæ resurrectionis ostendit, *tunc recordati sunt quia hæc erant scripta de eo.* Ideo autem quando glorificatus est cognoverunt, quia tunc receperunt virtutem Spiritus sancti, ex qua effecti sunt omnibus sapientibus sapientiores. Job xxxii, 8 : *Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.* Hoc autem ideo introducit Evangelista, ut ostendat non fuisse quod factum est, serio a discipulis procuratum.

5. Consequenter cum dicit, *Testimonium ergo perhibebat turba*, etc., *ponit causam obviatonis, quæ fuit exhibitio testimonii, quod perhibebat turba quæ cum eo erat, de resurrectione Lazari*; *quando* scilicet *vocavit Lazarum de monumento... Propterea et obviam venit ei turba.* I Corinth. i, 22 : *Judæi signa quærunt.* Istud enim evidentius signum erat, et mirabilius; et ideo ultimo ipsum reservavit, ut magis imprimeretur eorum memoriæ.

6. Consequenter cum dicit, *Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos* etc., ponit Pharisæorum zelum, qui concitabatur ex frustratione conatus eorum : unde dicebant : *Videtis quia nihil proficimus?* etc. : quod quidem est verbum Pharisæorum invidentium, ut dicans : *Nihil proficimus*, scilicet in malitia nostra, non valentes eum impedire. Hoc modo accipitur pros ficere II Tim. iii, 13 : *Mali autem homine- et seductores proficient in pejus, errantes et in errorem mittentes.* Sed quid invidet cæca turba? Quia *post eum abiit mundus*, per quem factus est mundus. Sed tamen signatur per hoc, quod totus mundus eum secuturus erat. Oseæ vi, 3 : *Vivemus in conspectu ejus, sequemurque, ut cognoscamus Dominum.* Chrysostomus autem vult quod hæc sint verba Pharisæorum credentium, occulte tamen propter metum Judæorum; et dicunt hoc, ut retraharent eos a persecutione Christi ; ac si dicerent : Quantumcumque insidiamini, tanto hic augetur, et gloria ejus intenditur. Quid ergo non desistitis a tantis insidiis? Quod quidem quasi idem est cum consilio Gamalielis, de quo habetur. Act. v.

LECTIO IV.

1. Erant autem quidam Gentiles ex his qui ascenderant ut adorarent in die festo. 2. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ, et rogabant eum dicentes : Domine, volumus Jesum videre. 3. Venit Philippus, et dicit Andreæ ; Andreas, et Philippus rursum dixerunt Jesu. 4. Jesus autem respondit eis, dicens : Venit hora ut clarificetur Filius hominis. 5. Amen amen dico vobis : nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. 6. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. 7. Qui amat animam suam, perdet eam. 8. Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. 9. Si quis mihi ministrat, me sequatur ; et ubi sum ego, illic et minister meus erit. 10. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.

1. Posita gloria quam Christus habuit ex ministerio domesticorum et ex devotione turbarum, hic Evangelista ponit gloriam quam Christus habuit ex devotione Gentilium. Et primo ponitur Gentilium devotio; secundo devotionis ipsorum denuntiatio, ibi, *Venit Philippus* etc. ; tertio passionis Christi prænuntiatio, ibi, *Jesus autem respondit : Venit hora ut clarificetur Filius hominis.* Devotio autem Gentilium ponitur quantum ad duo. Primo ponitur quantum ad sacramenta veteris testamenti; secundo quantum ad Christum, ibi, *Hi ergo accesserunt ad Philippum.* Devotio autem Gentilium ad sacramenta veteris testamenti ostenditur per hoc quod templum visitabant : unde dicit : *Erant autem Gentiles quidam qui*

[1] Parm. : « lex servitutem generabat. »

ascenderant, supple in Hierusalem, *ut adorarent in die festo*; quasi dicat : Non solum turba Judæorum, sed etiam ipsi Gentiles honorabant Christum. Ratio autem quare ascendebant, secundum interlinearem quamdam, assignatur, quia erant proselyti, et conversi ad ritum Judæorum, ad prædicationem Judæorum : quia per mundum habitabant, et conabantur multos ad se convertere : Matth. xxiii, 15 : *Circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum* : et ideo secundum ritum Judæorum ascendebant cum aliis. Vel melius dicendum est, secundum Chrysostomum, quod, sicut habetur II Mach. iii, templum Dei quod erat in Hierusalem, in veneratione habebatur cunctis populis et regibus universæ terræ, ita ut ipsum templum maximis muneribus illustrarent ; et ideo contingebat quod in diebus festivis multi etiam Gentiles ascenderent Hierusalem. Simile habetur Act. viii, de Eunucho Candacis Reginæ Æthiopum, qui venerat adorare in Hierusalem. Unde et Isai. lvi, 7, dicitur : *Dominus mea domus orationis vocabitur cunctis Gentibus, ait Dominus.* Isti autem Gentiles ex devotione quam habebant, ad templum ascenderant : in quo præfigurabatur conversio Gentilium ad Christum [1].

2. Devotio autem Gentilium ad Christum ostenditur per hoc quod desiderabant eum videre : unde dicit : *Hi ergo*, scilicet Gentiles, *accesserunt ad Philippum*, etc. Sciendum autem, quod Christus Judæis tantum personaliter prædicavit. Rom. xv, 8 : *Dico Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum.* Gentilibus autem prædicavit per Apostolos. Isai. ult, 19, *Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad Gentes... et annuntiabunt gloriam meam Gentibus.* Matth. ult. 19, *Euntes, docete omnes Gentes* etc. Hoc ergo hic jam præsagiebatur, inquantum Gentiles Christum videre volentes, non venerunt immediate ad eum, sed ad unum ex discipulis ejus, scilicet ad Philippum : et hoc congruenter, quia ipse primus prædicavit his qui erant extra ritum Judæorum, scilicet Samaritanis, ut habetur Act. viii, 5 : *Philippus autem descendit in civitatem Samariæ, et prædicabat illis Christum.* Et hoc convenit ei secundum nominis interpretationem : Philippus enim interpretatur os lampadis. Prædicatores autem sunt os Christi. Hier. xv, 19 : *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Christus autem lampas est. Isa. xlii, 6 : *Dedi te in lucem Gentium* etc. Convenit etiam ei quantum ad locum : *Qui erat a Bethsaida*, quæ interpretatur venatio : quia prædicatores venantur eos quos ad Christum convertunt. Hier. xvi, 16 : *Mittam eis piscatores, et piscabuntur eos.* Item *Galilææ*, quæ interpretatur transmigratio ; et Gentiles ad prædicationem Apostolorum transmigrati sunt de statu gentilitatis ad statum fidei. Ezech. xii, 3 : *Fili hominis, fac tibi vasa transmigrationis et transmigrabis per diem coram eis.* Accedentes autem ad Philippum exprimunt eorum desiderium, dicentes, quia *volumus Jesum videre*; in quo signatur quod Gentiles qui Christum corporaliter non viderant, ministerio Apostolorum ad fidem conversi, desiderant eum videre glorificatum in patria. III Reg. x, 24 : *Omnis terra desiderium videre faciem Salomonis.*

3. *Venit Philippus*, etc. Hic ponitur denuntiatio devotionis Gentilium ad Christum : in qua quidem ordo attenditur : quia, ut dicitur Rom. xiii, 1, *Quæ a Deo sunt, ordinata sunt.* Est autem hic divinus ordo, ut inferiora reducantur in Deum per superiora ; Andreas autem superior fuit in Apostolatu Philippo, quia prius eo conversus fuit : et ideo Philippus non per seipsum tantum, sed per Andream istos Gentiles voluit ad Christum adducere, memor forte ejus quod Dominus dixerat, Matth. x, 5 : *In viam Gentium ne abieritis.* Et hoc est quod dicit, quod *Philippus dicit Andreæ*; *Andreas et Philippus rursum dixerunt Jesu*; in quo datur nobis exemplum, omnia de consilio majorum facienda. Sic et Paulus ascendit Hierosolymam, et contulit Apostolis Evangelium quod in Gentibus prædicabat, ut habetur ad Galat. ii. Possumus autem in nominibus istorum duorum intelligere duo necessaria prædicatoribus, ut homines ad Christum adducant. Primum est discretitudo [2] ordinatæ locutionis, quæ notatur in nomine Philippi, quod interpretatur os lampadis. Secundum est virtus bonæ operationis, quod notatur in nomine Andreæ, quod interpretatur virilis. Psal. xxxii, 6 : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

4. *Jesus autem respondit*, etc. Hic præ-

[1] Parm. : « ad fidem. » — [2] Parm. : « dissertitudo. »

nuntiatur passio Christi. Et primo prænuntiat Christus imminere suæ passionis tempus; secundo insinuat passionis necessitatem, ibi, *Amen amen dico vobis* : *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit* etc.; tertio inducit necessitatem passionis aliorum, ibi, *Qui amat animam suam, perdet eam*. Dicit ergo : *Venit hora ut clarificetur Filius hominis*. Ubi notandum est, quod Dominus videns Gentiles istos properare ad fidem, et intelligens in eis quodammodo conversionem Gentium inchoari, prænuntiavit suæ passionis tempus imminere, a simili, sicut qui videt segetem dealbatam, dicit : Venit hora ut falx mittatur in messem. Supra IV, 35 : *Videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem*. Sic ergo hic Dominus loquitur. Ex quo, inquit, Gentes quærunt me videre, *venit hora ut glorificetur Filius hominis* : qui quidem glorificatus est tripliciter. Primo in sua passione Hebr. V, 5 : *Non semetipsum glorificavit ut Pontifex fieret* scilicet in ara crucis, *sed qui locutus est ad eum* : *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Et secundum hoc dicit : *Venit hora ut glorificetur Filius hominis*, idest patiatur : quia ante ejus passionem Gentes non convertentur ad eum : in qua quidem passione clarificatus fuit et quantum ad signa visibilia, sicut in obscuritate solis, in scissione veli et aliis hujusmodi; et quantum ad signa invisibilia, sicut in triumpho quo palam in semetipso de tartareis principibus triumphavit, ut dicitur Coloss. II. Ideo autem supra II, 4, dixit : *Nondum venit hora mea* : quia nondum parata erat devotio Gentium sicut modo. Secundum clarificatus fuit in resurrectione et ascensione. Prius enim oportuit Christum resurgere, et in cœlum ascendere, et sic clarificatum mittere Spiritum sanctum in Apostolos, per quos gentes convertendæ erant. Supra VII, 39 : *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*. Psal. LXVII, 19 : *Ascendens Christus in altum, cepit captivitatem*. Tertio glorificatus est per conversionem gentium. Philip. II, 11 : *Omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*.

5. Consequenter cum dicit, *Amen amen dico vobis* etc., insinuat necessitatem suæ passionis : et primo ponit eam; secundo ejus utilitatem, ibi, *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Necessitas autem suæ passionis causatur ex conversione Gentium, quæ esse non potest nisi Filio hominis per passionem et resurrectionem glorificato : et hoc est quod dicit : *Amen amen dico vobis*, idest in veritate : *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*. Circa quod quantum ad litteram sciendum est, quod grano frumenti utimur ad duo; scilicet ad panem, et ad semen. Hoc autem quod dicitur hic, intelligitur de frumento secundum quod est semen, non prout est materia panis : quia secundum hoc nunquam pullulat, ut faciat fructum. Dicit autem, *Mortuum fuerit*; non quod amittat virtutem seminativam, sed quia mutatur in aliam speciem. I Corinth. XV, 36 : *Tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur*. Sicut autem verbum Dei est semen in anima hominis, secundum quod est voce sensibili inductum, ad fructum bonæ operationis producendum : Luc. VIII, 2 : *Semen est Verbum Dei*: ita Verbum Dei carne indutum, est semen missum in mundum, ex quo maxima seges pullulare debebat : unde et grano sinapis comparatur, Matth. XIII. Dicit ergo : Ego veni ut semen ad [1] fructificandum; et ideo vere dico vobis : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*; idest, nisi ego moriar, fructus conversionis gentium non sequetur. Ideo autem grano frumenti se comparat, quia ad hoc venit ut reficeret et sustentaret mentes humanas : hoc autem præcipue efficit panis frumenti, Psal. CIII, 15 : *Panis cor hominis confirmat*. Supra VI, 52 : *Panis quem ego dabo vobis, caro mea est pro mundi vita*.

Sed numquid non erat convertenda multitudo Gentium nisi per mortem Christi? Erat quidem secundum Dei virtutem; sed non secundum Dei determinationem ordinatam ab ipso ut per hunc modum fieret, utpote qui congruentior erat. Hebr. IX, 22 : *Sine sanguinis effusione non fit remissio*. Infra XVI, 7 : *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*.

6. Utilitas autem passionis ponitur cum dicit : *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert;* quasi diceret : Nisi cadens in terram passionis humilitatem : Philipp. II, 2 : *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem;* nulla

[1] Al. deest : « ad. »

utilitas sequitur, quia *ipsum solum manet. Sed si mortuum fuerit*, idest mortificatus et occisus a Judæis, *multum fructum affert*. Et primo quidem fructum remissionis peccati. Isa. XXVII, 9 : *Hic est omnis fructus ut tollatur peccatum*. Quem quidem fructum attulit passio Christi, secundum illud. I Petr. II, 18 : *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo*. Secundo vero fructum conversionis. Gentium ad Deum. Infra XV, 16 : *Posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat*. Quem fructum attulit passio Christi. Infra eodem : *Ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*. Tertio fructum gloriæ. Sap. III, 15 : *Bonorum laborum gloriosus est fructus*. Supra IV, 36 : *Qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam*. Et hunc fructum etiam attulit passio Christi. Hebr. X, 19 : *Habemus fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, qui initiavit vobis viam novam*[1] *et viventem per velamen, idest carnem suam*.

7. Hic ponit necessitatem mortis aliorum, qui amore Christi passionibus se exponunt : et primo ponit hujus necessitatem ; secundo ad mortem ipsam hortatur, ibi, *Si quis mihi ministrat, me sequatur*. Circa primum duo facit. Primo præmittit, subeundæ[2] necessitatem mortis propter Christum ; secundo subdit mortis hujus utilitatem, ibi, *Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*. Dicit ergo quantum ad primum : *Qui amat animam suam*. Et quidem omnis homo animam suam amat. Sed quidam simpliciter, et quidam secundum quid. Amare enim aliquem est velle ei bonum : ille ergo animam suam amat, qui vult ei bonum. Qui ergo vult animæ suæ id quod est bonum simpliciter, simpliciter amat eam ; qui autem vult ei aliquod particulare bonum, amat eam secundum quid. Bona autem animæ simpliciter sunt illa quibus anima fit bona, scilicet summum bonum, quod est Deus. Qui ergo vult animæ suæ bonum divinum et spirituale, simpliciter amat eam ; qui autem vult ei bona terrena, puta divitias et honores, voluptates et hujusmodi, amat eam secundum quid. Psal. X, 6 : *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*. Eccli. XVIII, 31 : *Si præstes animæ tuæ concupiscentias suas, faciet te in gaudium inimicis tuis*. Potest ergo hæc littera dupliciter intelligi. Uno modo sic : *Qui animam suam amat*, supple simpliciter ad bona æterna, *perdet eam* ; idest, exponet se morti propter Christum . Sed hic non est sensus verus : et ideo dicitur : *Qui animam suam*, secundum quid scilicet ad bona temporalia, *perdet eam*, simpliciter scilicet. Matth. XVI, 26 : *Quid enim proficit homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur ?* Et veritas hujus sensus patet ex hoc quod sequitur : *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*. Igitur *qui amat animam suam*, in hoc mundo, idest ad bona mundana, *perdet eam*, quantum ad bona æterna. Luc. VI, 25 : *Væ vobis qui ridetis, quia flebitis* : et ib. XVI, 25 : *Recordare quia recepisti bona in vita, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris*.

8. Utilitas autem hujus mortis subditur cum dicit : *Et qui odit animam suam in hoc mundo*, idest, qui denegat bona præsentia animæ suæ, et sustinet propter Deum quæ videntur mala in hoc mundo : *in vitam æternam custodit eam*. Matth. V, 10 : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Luc. XIV, 26 : *Si quis venit ad me, et non odit patrem, et matrem.... adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus*. Attendendum autem, quod illud quod supra de grano frumenti dictum est, competit huic sententiæ : nam sicut Christus missus fuit in mundum quasi quoddam semen ad fructificandum, ita quicquid nobis temporaliter datur a Deo non confertur ut fructus : sed ut[3] per illud ad fructum æternæ remunerationis perveniamus[4]. Vita autem nostra est quoddam temporale donum a Deo nobis collatum. Qui ergo eam propter Christum exponit, fructum multum affert. Hic ergo est qui odit animam suam ; idest qui vitam suam exponit et seminat propter Christum in vitam æternam. Psalm. CXXV, 6 : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua ; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos*. Et similiter qui divitias suas et alia bona quæ habet, exponit propter Christum, et

[1] Al. : « bonam. » — [2] Al. : « secundum. » — [3] Parm. : « subeundam. » — [4] Parm. omittit : « ut. » — [5] Parm. : « pervenimus. »

communicat aliis in vitam æternam I Corinth. viii, 6 : *Qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet.*

9. Sed quia durum videtur quod homo habeat animam suam odio, ideo Dominus ad hoc consequenter hortatur dicens : *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* Et primo ponitur exhortatio : secundo exhortationis ratio, ibi, *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Circa primum tria facit. Primo describit suorum fidelium conditionem ; secundo inducit ad sui imitationem ; tertio subdit imitantium remunerationem. Et quidem attende, quantum ad primum, fidelium Christi dignitatem, quia ministri Christi. II Cor. xi, 23 : *Ministri Christi sunt, et ego.* Illi ergo Christo ministrant, qui ea quæ sunt Christi, quærunt : qui commoda propria quærunt, non sunt ministri Christi, sed sui ipsorum. Phil. ii, 21 : *Omnes quæ sua sunt quærunt.* Prælati autem sunt ministri Christi [1] inquantum ejus sacramenta fidelibus dispensant. I Cor. iv, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Item quilibet fidelis qui mandata Christi servat. II Corinth. vi, 4 : *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros*, etc. Quantum ad secundum, attende fidelium Christi gloriam et nobilitatem : unde dicit : *Me sequatur* ; quasi dicat : Homines sequuntur dominos suos, quibus ministrant : *qui* ergo *mihi ministrat, me sequatur;* ut scilicet sicut ego mortem subeo ut multum fructum afferam, ita et ipse. Sequi autem Christum est magna gloria. Eccl. xxiii, 38 : *Magna gloria est sequi Dominum.* Supra x, 27 : *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas et sequuntur me.* Quantum ad tertium attende fidelium beatitudinem : quia *ubi ego sum*, non solum in loco, sed etiam in ipsa participatione gloriæ, *illic et minister meus erit.* Matth. xxiv, 28 : *Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ.* Apoc. iii, 21 : *Qui vicerit, faciam illum sedere mecum in throno meo.*

10. Ratio autem exhortationis subditur cum dicit : *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus* ; qui enim ministrat Christo, honorat eum Pater. Sed supra, v, 23 : dicitur : *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Idem est ergo honorificare Filium et honorificare Patrem. Pater autem dicit, I Reg. ii, 30 : *Qui glorificaverit me, glorificabo eum*, etc. Qui ergo ministrat Jesu, non sua quærens, sed quæ Jesu Christi ; honorificabit eum Pater Jesu. Non autem dixit, Ego honorificabo eum, sed *Pater meus,* quia nondum opinionem de eo habebant quod scilicet esset æqualis Patri. Vel dicendum quod hæc dicit in signum majoris familiaritatis, inquantum ab eodem honorificabuntur a quo et Filius. Nam honorem quem habet Filius per naturam, ipsi habebunt per gratiam. Unde Augustinus dicit : « Majorem honorem non poterit recipere adoptatus, quam ut sit ubi est unicus. » Rom. viii, 26 : *Quos prædestinavit conformes fieri imaginis Filii, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*

LECTIO V.

1. Nunc anima mea turbata est. 2. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. Pater, clarifica nomen tuum. 3. Venit ergo vox de cœlo, dicens : Et clarificavi, et iterum clarificabo. 4. Turba ergo quæ stabat et audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alii autem dicebant : Angelus ei locutus est. 5. Respondit Jesus, et dixit : Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. 6. Nunc judicium est mundi. 7. Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. 8. Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus.

1. Supra actum est de gloria Christo exhibita a diversis hominibus; hic agit de gloria Christo exhibita a Deo. Et primo ponitur hujus gloriæ petitio ; secundo subditur gloriæ promissio, ibi, *Venit ergo vox de cœlo,* etc. Circa primum duo facit. Primo promittit animæ suæ affectionem, secundo proponit petitionem, ibi, *Et quid dicam* ? etc. Sed attende circa primum quod valde [2] est mirabile quod dicit : *Nunc anima mea turbata est.* Supra enim fideles suos exhortatus est animam suam in hoc mundo odio habere ; et nunc imminente morte, audivimus ipsum Dominum dicentem : *Nunc anima mea turbata est.* Propter quod Augustinus dicit : « Domine, sequi jubes animam meam, turbari video animam tuam : quale fundamentum quæram, si petra succumbit? » Et ideo videndum est primum quid sit hæc turbatio in Christo ; secundo quare voluit eam subire.

[1] Parm. omittit : « Christi. » — [2] Parm. omittit : « valde. »

Sciendum est autem quantum ad primum quod proprie dicitur turbari aliquid quando commovetur : unde et mare commotum, dicimus esse turbatum. Quandocumque ergo aliquid excedit modum suæ quietis et tranquillitatis, tunc illud dicitur turbari. In anima autem humana est pars sensitiva, et pars rationalis. In sensitiva quidem parte animæ accidit turbatio, quando aliquibus motibus commovetur; puta cum timore contrahitur, spe elevatur, gaudio dilatatur, seu aliqua alia passione afficitur. Sed hæc quidem turbatio quandoque quidem sub ratione sistit; quandoque vero limitem rationis excedit, cum scilicet ipsa ratio perturbatur; quod quidem pluries in nobis contingit; sed in Christo hoc locum non habet, cum sit ipsa sapientia Patris, nec etiam in aliquo sapiente : unde sententia Stoicorum est quod sapiens non turbatur, scilicet quantum ad rationem. Secundum hoc ergo est sensus : *Nunc anima mea turbata est;* idest, affecta est passionibus timoris et tristitiæ, quantum ad sensitivam; quibus tamen ratio non turbabatur [1] nec suum ordinem deserebat. Marc. XIV, 33 : *Cœpit Jesus pavere et tædere.* Hujusmodi autem passiones aliter sunt in nobis, et aliter fuerunt in Christo. In nobis enim sunt ex necessitate, inquantum quasi ab extrinseco commovemur et afficimur; in Christo autem non sunt ex necessitate, sed ex imperio rationis, cum in eo nulla passio fuerit [2], nisi quam ipse concitavit : nam intantum inferiores vires erant subditæ rationi in Christo quod nihil agere et pati poterant nisi quod eis ratio ordinabat : et ideo dicitur supra XI, 33, quod Jesus *infremuit spiritu, et turbavit semetipsum.* Psal. LIX, 4 : *Commovisti terram* idest, humanam naturam *et conturbasti eam.* Sic ergo turbata est anima Christi quod nec contra rationem, sed secundum rationis ordinem turbatio in eo fuit.

Quantum ad secundum autem sciendum est, quod Dominus turbari voluit propter duo. Primo quidem propter fidei documenta, ut scilicet veritatem humanæ naturæ approbaret : et ideo jam ad passionem appropinquans omnia humanitus agit. Secundo propter exemplum : nam si omnia constanter egisset, et nullam passionem sensisset in anima, non fuisset sufficiens exemplum ad mortem sustinendam hominibus : et ideo turbari voluit, ut cum turbamur, non recusemus mortem sustinere, nec deficiamus. Hebr. IV, 15 : *Non habemus Pontificem qui non possit compati* [3] *infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Unde ex hoc apparet continuatio cum præcedentibus : quia enim dixerat : *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam* : in quo ad passionem discipulos exhortatus fuerat : ne dicant aliqui : O Domine, securus potes disputare et philosophari [4] de morte, qui extra dolores humanos existens, propter mortem non turbaris : et ideo ut hoc excluderet, turbari voluit. Hæc autem Christi turbatio naturalis fuit : nam sicut anima naturaliter amat corporis unionem, ita et naturaliter refugit ejus separationem; præsertim cum ratio Christi permiserit agere animæ et viribus inferioribus quæ eis propria erant.

Propter hoc etiam quod dicit, *Nunc anima mea turbata est* etc., destruitur error Arii et Apollinaris dicentium, in Christo non esse animam, sed Verbum loco ejus.

2. Consequenter ponit Dominus petitionem gloriæ, dicens : *Et quid dicam? Pater salvifica me ex hac hora* : ubi Dominus transfert ad se affectum hominis turbati : ad cujus modum quatuor circa suam petitionem facit : primo enim ponit quæstionem deliberantis ; secundo proponit petitionem, quæ ex uno motu procedit ; tertio per rationem illum motum excludit ; quarto ponit aliam petitionem ex alio motu causatam. Quæstionem autem dubitantis proponit, quia naturale est hominibus in angustiis constitutis, quod deliberent : unde Philosophus in *Rhetoricis* dicit, quod timor facit consiliativos. Ideo Christus post manifestationem suæ turbationis, statim subdit : *Et quid dicam?* quasi diceret : Quid faciendum est post turbationem ? Simile habetur in Psal. LIV, 6 : *Timor et tremor venerunt super me.* Et statim sequitur : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* Nam et angustiati, et passione turbati gravantur, et auxilium quærunt quo liberentur. Petitionem ex uno motu causatam ponit : quia cum quis est in ambiguo quid agere debeat, debet recurrere ad

[1] Al. : « turbatur. » — [2] Al. : « cum nulla passio fuerit. » — [3] Al. : « comparari. » — [4] Al.: « prophetari. »

Deum. II. Paralip. xx, 12 : *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus refugii, ut oculos nostros dirigamus ad te, Deus noster.* Psal. cxx, 1 : *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Et ideo ad Patrem recurrens, dicit : *Pater salvifica me*; idest, libera me a tribulatione quæ imminet in hora passionis. Psal. LXVIII, 1 : *Salvum me fac Domine, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Et, ut Augustinus dicit, idem est quod hic Dominus dicit, *Nunc anima mea turbata est, Pater salvifica me*, cum eo quod dicit, Matth. xxvi, 38 : *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

Sed notandum quod hæc petitio non proponitur ex proprio motu rationis; sed ipsa ratio quasi advocata loquitur in persona naturalis affectionis, quæ desiderabat non mori : et ideo ratio designat motum affectionis naturalis in hac petitione. Ex quo solvitur quæstio quæ fieri consuevit : quia, ut dicitur ad Hebr. v, 7 : *In omnibus exauditus est pro sua reverentia.* Et tamen in hoc quod petiit, non fuit exauditus. Ad quod dicendum, quod in illis est exauditus quæ ipsa ratio ex parte sua petebat, et ut exaudienda. Hoc autem quod hic petit, non proponit ex parte sua, nec ut exaudienda, sed ut exprimens naturalem affectum : et ideo, secundum Chrysostomum, legitur interrogative. *Et quid dicam?* Numquid hoc, *Pater salvifica me ex hac hora?* quasi diceret, non dicam hoc. Petitionem autem hanc ex motu naturalis appetitus propositam repellit, dicens : *Propterea veni in horam hanc*; quasi diceret : Non est justum ut liberer ex hac hora passionis, quia ideo venit ut paterer, non fatali necessitate ductus, non humana violentia coactus : sed sponte oblatus. Isa. LIII, 7 : *Oblatus est, quia ipse voluit.* Supra x, 18 : *Nemo tollet eam*, scilicet animam meam, *a me; sed ego pono eam.* Petitionem autem suam proponit ratio, cum dicit : *Pater clarifica nomen tuum.* Ubi per nomen tuum possumus duo intelligere. Scilicet ipsum Filium. Nomen enim a notitia dicitur, quasi notamen : unde nomen est quo manifestatur res; Filius autem manifestat Patrem [1]. Infra xvii, 6 : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus.* Et de hoc nomine dicitur Isa. xxx, 27 : *Ecce nomen Domini venit de longinquo.* Est ergo sensus : *Pater clarifica nomen tuum*, idest Filium tuum. Infra xvii, 5 : *Clarifica me, Pater, claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te.* Vel nomen Domini est notitia Patris; et tunc est sensus : Fac hoc, *Pater clarifica nomen tuum*; idest, fac illud quod gloria est nominis; et in idem redit : quia clarificato Filio, clarificatum est nomen Patris. Ideo autem hoc dicit, quia passione Filius glorificandus erat. Philip. ii, 8 : *Factus est obediens* (Patri) *usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum.* Quasi dicat : Affectus naturalis petit ut salver; sed ratio petit ut clarificetur nomen tuum; idest, ut Filius patiatur : quia scilicet passione Christi notitia Dei clarificanda erat : nam ante passionem Deus notus erat in Judæa tantum, et in Israel magnum nomen ejus; sed post passionem suam nomen ejus clarificatum est in Gentibus.

3. Consequenter cum dicit, *Venit ergo vox de cœlo* etc., ponitur gloriæ promissio : et primo inducitur vox gloriam promittentis; secundo ponitur opinio turbæ devotæ dubitantis, ibi, *Turba autem quæ stabat, et audierat, dicebat tonitruum factum esse;* tertio ponitur expositio prolatæ vocis, ibi, *Respondit Jesus, et dixit* : *Non propter me hæc vox venit.* Dicit ergo quantum ad primum : *Venit ergo vox de cœlo.* Vox ista, vox est Dei Patris, sicut [2] vox quæ venit supra Christum baptizatum, Matth. iii, 17 : *Hic est Filius meus dilectus.* Et similiter quæ venit super eum transfiguratum, Matth. xvii. Licet autem omnis talis vox formata sit virtute totius Trinitatis, specialiter tamen formatur ad repræsentandum personam Patris : unde et vox Patris dicitur : sicut columba formata est a tota Trinitate, ad significandum personam Spiritus sancti; et similiter corpus Christi a tota Trinitate formatum est, sed specialiter a persona Verbi assumptum, quia ad hoc formatum est ut ei uniretur. Vox ergo ista duo facit. Primo manifestat præteritum, dicens, *Et clarificavi*; idest, clarum genui ab æterno, quia Filius non est nisi quædam claritas et splendor Patris. Sap. vii, 26 : *Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis.* Hebr. i, 3 : *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus.* Vel *clarificavi*, in nativitate, quando Angeli cecinerunt : *Gloria in excelsis Deo*; Luc. ii, 14 : et in miraculis per eum

[1] Al. : « quo manifestat Patrem, » intermediis omissis. — [2] Parm. : « sicut illa quæ. »

factis. Secundo prænuntiat futurum : *Et iterum glorificabo*, in passione, in qua triumphavit de diabolo, et in resurrectione et ascensione, et in totius mundi conversione. Actor. III, 13 : *Deus patrum nostrorum clarificavit Filium suum Jesum.*

4. Opinio turbæ dubitantis de voce ponitur, cum dicit : *Turba ergo quæ stabat, et audierat, dicebat tonitruum esse factum* : in qua quidam erant grossioris et tardioris intellectus, quidam vero acutioris ; quamvis omnes imperfecte se haberent ad ipsius vocis cognitionem. Nam desidiosi et carnales non perceperunt vocem ipsam nisi quantum ad sonum ; et ideo dicebant, *tonitruum factum esse* : sed non usquequaque decipiebantur : vox enim Domini tonitruum erat : tum quia mirabilem significationem habebat, tum quia maxima continebat. Job. XXVI, 13 : *Cum vix parvam scintillam sermonum ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Psal. LXXVI, 14 : *Vox tonitrui tui in rota.* Acutiores vero perceperunt de ipsa voce quod esset sonus vocis articulatæ et significativæ : unde dixerunt eam esse locutionem. Sed credentes Christum esse purum hominem, defecerunt, locutionem illam Angelo tribuentes : unde dicebant : *Angelus ei locutus est* : qui quidem similia patiebantur diabolo, qui credebat Christum Angelorum adminiculo indigere ; unde dicebat, Matth. IV : *Angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te.* Non enim Angelorum custodia indiget et adjutorio ; sed ipse Angelos glorificat et custodit.

5. Expositio vocis subditur, cum dicit : *Respondit Jesus, et dixit* etc. Et primo exponit vocem prolatam ; secundo ponit contradictionem, ibi, *Respondit ei turba* ; tertio subdit Domini responsionem, ibi, *Dixit ergo eis Jesus.* Circa primum duo facit. Primo ponit causam vocis ; secundo subdit ejus significationem, ibi, *Nunc judicium est mundi* etc. Sciendum est circa primum, quod quia dixerant : *Angelus locutus est ei* : Angelus autem loquitur alicui revelando ad utilitatem ejus cui loquitur, sicut patet Apocal. I, et Ezech. I ; ideo Dominus ostendens se non indigere alicujus vocis, seu angelicæ revelationis adminiculo, dicit : *Non propter me*, scilicet instruendum, *venit hæc vox, sed propter vos.* Nihil enim significavit quod ipse ante nesciret : quia *in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi* : Coloss. II, 3 : ita ut noverit omnia quæ Pater novit. *Sed propter vos venit*, scilicet instruendos. In quo datur intelligi, quod multa dispensative circa Christum propter nos facta sunt, non quod eis Christus indigeret. Rom. XV, 4 : *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.*

6. Consequenter cum dicit, *Nunc judicium est mundi*, ponit vocis significationem : et primo ponit judicium quo erat glorificandus : secundo subdit judicii effectum, ibi, *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras* ; et tertio clarificationis modum, ibi, *Et si ego exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Dicit ergo : *Nunc judicium est mundi.*

Sed si hoc est, quid ergo expectamus quod Dominus veniat iterum judicaturus ? Ad quod dicendum, quod jam venit ad judicandum judicio discretionis, quo discerneret suos a non suis. Supra IX, 39 : *In judicium ego in hunc mundum veni* : et de hoc dicit : *Nunc judicium est mundi.* Sed venturus est ad judicandum judicio condemnationis, ad quod primo non venit. Supra III, 17 : *Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet*[1] *mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Vel dicendum, quod duplex est judicium. Unum quo condemnatur mundus, et de hoc non dicitur hic : aliud est judicium mundi quo judicatur pro mundo, inquantum mundus a servitute diaboli liberatur. Hoc modo intelligitur illud Psal. XXXIV, 1 : *Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me* etc. Et hæc duo in idem redeunt : quia hoc ipso quod judicatur pro mundo, excluso diabolo, discernuntur boni a malis.

7. Effectus judicii est exclusio diaboli : unde dicit : *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*, per virtutem passionis Christi : unde sua passio est ejus clarificatio ; ut quasi per hoc exponat quod dicit, *Et clarificabo* ; inquantum scilicet *princeps hujus mundi ejicietur foras*, quasi per passionem victoriam de diabolo habeat. I Joan. III, 8 : *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.*

Sed circa hoc dubitatur de tribus. Primo de hoc quod dicit diabolum principem hujus mundi, ex quo Manichæi dicunt eum creatorem et dominum omnium visibilium. Ad hoc dicendum, quod

[1] Al. : « judicaret. »

diabolus dicitur princeps mundi hujus, non naturali dominio, sed usurpatione, inquantum homines mundani, contempto vero Domino, se sibi subdiderunt. II Corinth. IV, 4 : *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium.* Est ergo princeps mundi hujus, inquantum in mundanis hominibus principatur, ut Augustinus dicit, qui toto orbe terrarum diffusi sunt. Nam nomen mundi quandoque accipitur in malam partem pro hominibus mundum amantibus : supra I, 10 : *Mundus eum non cognovit* : quandoque autem in bonam pro bonis hominibus sic in mundo [1] viventibus ut tamen eorum conversatio sit in cœlis. II Corinth. V, 19 : *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.*

Secundo dubitatur de hoc quod dicit, *Ejicietur foras* : nam si ejectus esset foras, non ita tentaret nunc sicut ante tentabat, cum tamen tentare non desierit : non ergo ejectus est. Ad quod dicendum est, secundum Augustinum, quod licet diabolus tentet homines qui desierunt esse de mundo, non tamen eo modo tentat quo prius : quia [2] tunc tentabat et regnabat ab interiori ; sed postmodum ab exteriori tantum. Nam quamdiu homines sunt in peccato, tunc regnat ab interiori, et tentat. Rom. VI, 12 : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Sic ergo ejectus est foras, quia effectus peccati in homine non est ab interiori, sed ab exteriori.

Tertio quæritur de hoc quod dicit : *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* : ex quo videtur sequi quod ante passionem Christi non erat ejectus foras, et per consequens, cum tunc ejiciatur foras quando homines liberantur a peccatis, quod Abraham, Isaac, et alii veteris testamenti non fuerunt liberati a peccato. Ad quod dicendum est, secundum Augustinum, quod ante passionem Christi ejectus erat a singularibus personis, sed non a mundo, sicut post. Nam illud quod tunc in paucissimis hominibus factum est, nunc in multis magnisque populis Judæorum et Gentium ad Christum conversis, virtute passionis Christi factum esse dignoscitur. Vel dicendum, quod diabolus ejicitur per hoc quod homines liberantur a peccato ; sed ante passionem Christi, omnes justi liberati erant a peccato, sed non totaliter, quia adhuc detinebantur ne introducerentur in regnum : et quantum ad hoc in eis aliquid juris habebat, quod tamen per passionem Christi totaliter sublatum est, quando flammeus gladius amotus est, quando dictum est homini Luc. XXIII, 43 : *Hodie mecum eris in paradiso.*

8. Modus autem passionis est per exaltationem : unde dicit : *Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Circa quod sciendum, quod Chrysostomus utitur tali exemplo : quod si aliquis tyrannus, qui consuevisset aliquos subditos opprimere, ferire, et in vincula mittere, deinde ex eadem dementia etiam eum qui in nullo sibi subditur eodem modo afficiat, ut in eumdem carcerem ducat ; merito hoc etiam aliorum qui sibi subjiciebantur dominio privari debet : ita et Christus contra diabolum fecit. Diabolus enim propter peccatum primi parentis, aliquod jus habebat in hominibus : unde poterat aliquo modo juste in eos sævire. Quia vero etiam in Christo, in quo nullum jus habebat, similia tentare ausus est, dum eum tentator invasit in quem non habebat quicquam, ut dicitur infra XIII, ideo dignum [3] fuit ut etiam omni [4] dominio privaretur per mortem Christi. Et hoc est [5] quod dicit : *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* Ubi primo præmittit modum mortis ; secundo Evangelista exponit quod dicit, ibi, *Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus.* Modus autem mortis est per exaltationem in ligno crucis. Expositio autem est, quod in hoc signavit *qua morte esset moriturus.*

Sciendum est autem, quod duplici de causa Dominus voluit mori morte crucis. Una quidem propter mortis turpitudinem. Sapient. II, 20 : *Morte turpissima condemnemus eum.* Unde et Augustinus dicit : « Ideo hoc modo Dominus mori voluit, ut hominem neque ipsa mortis turpitudo a perfectione justitiæ repellat. » Secundo, quia sic mors est per modum exaltationis : unde et Dominus dicit : *Si exaltatus fuero.* Quod quidem genus mortis conveniebat fructui, causæ et figuræ passionis. Fructui quidem, quia per passionem erat exaltandus. Philip. II, 8 : *Factus est obediens usque ad mortem,*

[1] Al. : « sicut hoc in mundo. » — [2] Al. deest : « quia. » — [3] Al. : « signum. » — [4] Parm. omittit : « omni. » — [5] Al. : « etiam. »

mortem autem crucis : propter quod Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen. Et ideo Psal. xx, 14, dicebat : *Exaltare, Domine, in virtute tua.* Causæ vero passionis conveniebat dupliciter : quia et ex parte hominum et ex parte dæmonum [1]. Ex parte quidem hominum, quia pro ipsorum salute moriebatur; ipsi autem perierant, quia dejecti et demersi erunt ad terrena. Psal. xvi, 11 : *Statuerunt oculos suos declinare in terram.* Voluit ergo mori exaltatus, ut corda nostra ad cœlestia elevaret. Sic enim ipse est via nostra in cœlum. Ex parte vero dæmonum, ut scilicet eos qui in aere principatum et potestatem exercebant, ipse elevatus in aere conculcaret [2]. Figuræ vero conveniebat, quia Dominus fieri præcepit serpentem æneum in deserto, ut habetur Num. xxi. Supra iii, 14 : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis* etc. Sic ergo exaltatus *omnia traham*, per caritatem, *ad meipsum.* Hierem. xxxi, 3 : *In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans.* In hoc etiam maxime apparet caritas Dei ad hominem, inquantum pro ipsis mori dignatus est. Rom. v, 8 : *Commendat Deus suam caritatem in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est.* In hoc complevit quod sponsa petit Cant. i, 3 : *Trahe me post te, et curremus in odorem unguentorum tuorum.*

Notandum est autem quod trahit Pater, trahit et Filius. Supra vi, 44 : *Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Ideo autem dicit hic, *Omnia traham*, ut ostendat quod eadem est operatio utriusque. Dicit autem, *Omnia*, non Omnes, quia non omnes trahuntur ad Filium. *Omnia*, inquam, *traham*, idest animam et corpus. Vel omnia genera hominum, scilicet Gentiles et Judæos, servos et liberos, mares et feminas. Vel omnia prædestinata ad salutem.

Et notandum quod hoc ipsum quod dicit omnia trahere ad seipsum, est principem hujus mundi foras ejicere : non enim est conventio Christi ad Belial, nec lucis ad tenebras, II Corinth. vi.

LECTIO VI.

1. Respondit ei turba : Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum. Et quomodo tu dicis : Oportet exaltari Filium hominis ? Et quis est iste Filius hominis ? 2. Dixit ergo eis Jesus : Adhuc modicum lumen in vobis est. 3. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant. 4. Et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. 5. Dum lucem habetis, credite in lucem ut filii lucis sitis. 6. Hæc locutus est Jesus, et abiit, et abscondit se ab eis.

1. Posita promissione de glorificatione Domini, et expositione vocis, hic consequenter ponitur dubitatio turbæ : ubi primo introducit auctoritatem legis; secundo ex ea dubitationem movet, ibi, *Et quomodo tu dicis*, etc. Dicit ergo quantum ad primum : *Respondit ei turba*, scilicet Domino de sua morte loquenti : *Nos audivimus ex lege.* Lex hic accipitur communiter pro tota Scriptura veteris testamenti, *quod Christus in æternum manet.* Et hoc potest ex multis locis veteris testamenti haberi, et præcipue Isa. ix, 7 : *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis* [3] *non erit finis.* Daniel. vii, xiv : *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur.* Et ex hac autoritate duas dubitationes formant : unam de facto, aliam de persona. De facto, cum dicunt : *Quomodo tu dicis : Oportet exaltari Filium hominis?*

Sed cum Christus non dixerit, *Oportet exaltari Filium hominis;* sed *Ego si exaltatus fuero*, etc., quomodo Judæi dicunt : *Oportet exaltari Filium hominis?* Sed dicendum quod Judæi jam assueti erant verbis [4] Domini : unde memoriter tenuerunt quod dicebat se esse Filium hominis. Ideo cum dixit : *Ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* : pro eodem intellexerunt ac si dixisset : Si Filius hominis esset exaltatus : ut Augustinus dicit. Vel dicendum quod licet hic non fecerit mentionem de Filio hominis, tamen supra iii, 14, hoc dixit : *Oportet*, inquam, *exaltari Filium hominis.*

Sed videtur hoc quod ipsi dicunt, *Oportet exaltari Filium hominis*, in nullo contrariari ei quod dixerat, *quod Christus manet in æternum.* Sed dicendum ad hoc

[1] Parm. : « ex parte dæmonis, et ex parte, etc. » — [2] Parm. : « conculcet. » — [3] Al. : « et pacis ejus. » — [4] Al. : « in verbis. »

quod quia Dominus consueverat eis parabolice loqui : ideo multa eorum quæ dicebantur, intelligebant. Unde et hoc quod Dominus dixit, exaltationem in mortem crucis suspicati sunt. Supra VIII, 28 : *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Vel dicendum quod hoc ideo intellexerunt, quia jam id facere cogitabant. Unde eis verborum istorum intellectum non aperuit acumen scientiæ, sed simulata conscientia malitiæ.

Sed attende eorum malitiam : quia non dicunt : *Nos audivimus ex lege* quod Christus nihil patitur : nam in multis locis [1] Scripturarum de passione et resurrectione ejus agitur, sicut illud Isai. LIII, 7 : *Tamquam ovis ad occisionem ducetur :* et illud Psal. III, 6 : *Ego dormivi et soporatus sum, et exsurrexi.* Sed dicunt : *Quoniam Christus manet in æternum.* Cujus ratio est, quia in hoc nulla fuisset contrarietas, cum immortalitati Christi ex passione ejus nullum factum fuisset impedimentum. Volebant enim ostendere eum ideo non esse Christum, *quoniam Christus manet in æternum*; ut Chrysostomus dicit.

De persona autem quæstionem movent, cum dicunt : *Quis est iste Filius hominis?* Hoc ideo quærunt, quia Dan. VII, 13, dicitur : *Vidi, et ecce quasi Filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit* : quia per illum Filium hominis intelligebant Christum; quasi dicerent : Dicis quod oportet exaltari Filium hominis; et Filius hominis, quem intelligimus Christum, manet in æternum : *quis est* ergo *iste Filius hominis?* Si non manet in æternum, nec est Christus. In hoc autem reprehendenda est eorum tarditas : quia adhuc dubitant post tot visa, tot audita, an ipse esset Christus. Eccl. XXII, 9 : *Cum dormiente loquitur qui narrat stulto sapientiam.*

2. Consequenter cum dicit, *Dixit ergo eis Jesus* etc., satisfacit Dominus eorum dubitationi aliqualiter : et primo commendat bonum quod habebant; secundo hortatur eos ad profectum, ibi, *Ambulate dum lucem habetis*; tertio admonitionem exponit dicens : *Dum lucem habetis, credite in lucem.* Dixit ergo eis Jesus : *Adhuc modicum lumen in vobis est.* Quod quidem potest dupliciter legi. Uno modo, secundum Augustinum, ut scilicet *modicum* sit adjectivum determinans hoc quod dicit, *lumen;* quasi dicat : Quoddam lumen in vobis est, inquantum recognoscitis quod Christus manet in æternum. Hæc enim veritas quædam est : omnis autem manifestatio veritatis est quoddam lumen infusum a Deo. Sed tamen lumen istud quod est in vobis, *modicum est* : quia licet cognoscatis Christi æternitatem, ejus tamen mortem et resurrectionem non creditis : in quo patet quod non habetis fidem perfectam. Istis ergo convenit quod dictum est Petro, Matth. XIV, 31 : *Modicæ fidei, quare dubitasti ?* Secundum Chrysostomum vero dicitur : *Adhuc modicum,* scilicet tempus extat, quod *lumen in vobis est*, idest ego, qui sum lumen; quasi diceret : Parvo tempore ego lux vobiscum sum. Infra XVI, 16 : *Modicum, et jam non videbitis me.*

3. Et ideo consequenter exhortatur eos ad complementum et profectum boni habiti[2] : et primo ponit suam exhortationem; secundo ostendit periculum imminens, nisi proficiant, ibi, *Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.* Dicit ergo : Dico quod modicum lumen habetis; tamen dum illud habetis, *ambulate*; idest accedite et proficite, ut simul cum æternitate intelligatis moriturum Christum, et resurrecturum. Et hoc secundum primam expositionem. Vel *ambulate dum lucem habetis* ; idest, dum vobiscum sum, proficite, et satagite sic me habere ut nunquam perdatis. Psal. XXXVIII, 16 : *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt.* Et hoc *ne tenebræ*, infidelitatis, ignorantiæ et perpetuæ damnationis, *vos comprehendant*; et sic ulterius procedere non possitis. Tunc enim homo comprehenditur tenebris [3] quando totaliter in infidelitate demergitur : quod esset, si eo modo credideritis Christi æternitatem ut negetis in eo mortis humilitatem. Job III, 23 : *Viro cui abscondita est via.* Ibid. XXXVII, 19, *Omnes involvimur quippe tenebris.*

4. Periculum imminens nisi proficiant, subdit dicens : *Et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.* Nam lumen, sive exterius sive interius, dirigit hominem. Exterius quidem dirigit quantum ad exteriores actus corporales; sed interius dirigit ipsam voluntatem. Qui ergo non ambulat in luce, non perfecte credendo

[1] Parm. omittit : « scripturarum. » — [2] Parm. omittit : « habiti. » — [3] Al. : « in tenebris. »

in Christum, sed *ambulat in tenebris, nescit quo vadit*; idest, ad quem terminum dirigatur. Ps. LXXXI, 5 : *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Quod quidem et ipsis Judæis contingit : quia nesciunt quid agant; sed ut in tenebris ambulantes, putant quidem rectam incedere viam, et unde Deo placere credunt, magis displicent. Similiter et hæretici unde errantes [1] credunt lumine veritatis et gratiæ privati potius demerentur. Proverb. XIV, 12 : *Est via quæ videtur homini recta*; *novissima autem ejus deducunt ad mortem.*

5. Consequenter cum dicit, *Dum lucem habetis, credite in lucem*, exponit quod dixit, scilicet quid sit ambulare : et hoc dupliciter, secundum duas præmissas expositiones. Primo secundum primam : *Dum lucem habetis* idest, dum aliquid habetis de notitia et lumine veritatis ; *credit in lucem* [2], idest in veritatem perfectam, *ut filii lucis sitis*; idest, ut renascamini veritati. I Thessal. v, 6 : *Non sumus noctis neque tenebrarum : igitur non dormiamus.* Vel secundum aliam expositionem : *Dum lucem habetis*, idest me qui sum lux : supra I, 9 : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* : *credite in lucem*, idest in me; hoc est, proficite in cognitione mea; *ut filii lucis sitis;* quia ex hoc quod creditis in me, eritis filii Dei. Supra I, 12 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.*

6. Hic Evangelista narrat factum quod fecit Jesus, scilicet quod abscondit se [3].

Sed cum supra VIII, legerimus Christum hoc idem fecisse, in promptu est ratio, quia *tulerunt lapides, ut jacerent in eum;* sed hic suæ absconsionis nulla ratio assignatur, cum nec lapides levarent, nec eum blasphemarent : quare ergo abscondit se? Ad quod dicendum, quod Dominus scrutans eorum corda, cognovit furorem et malitiam eorum, quam jam conceperant de eo occidendo. Unde volens eos prævenire, non expectavit ut in opus exirent; sed abscondendo se, eorum invidiam et iracundiam mitigavit. In quo nobis dedit exemplum, ut cum de aliquorum malitia nobis constat, jam antequam patrare opere tentent, fugere debemus. Nihilominus Dominus ostendit facto quod dixit verbo : dixerat enim : *Ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant.* Has tenebras cujusmodi sint, insinuavit per suam absconsionem [4]. Isa, VIII, 17 : *Expectabo eum qui abscondit se a domo Jacob.*

LECTIO VII.

1. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum. 2. Ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est? 3. Propterea non poterant credere. 4. Quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et non intelligant corde et convertantur, et sanem eos. 5. Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus et locutus est de eo.

1. Supra Evangelista tractavit multipliciter de gloria Christi, ex qua Judæi ex invidia commoti sunt ad occidendum eum; hic agit de alia occasione passionis ejus, scilicet de infidelitate Judæorum. Et primo tangitur eorum infidelitas ; secundo ipsa reprehenditur a Domino, ibi, *Jesus autem clamavit* etc. Circa primum duo facit. Primo reprehendit infidelitatem omnino non credentium; secundo infidelitatem eorum qui credebant, tamen in occulto, ibi, *Verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum.* Circa primum duo facit. Primo proponit eorum mirabilem infidelitatis duritiam; secundo ne credatur irrationabiliter vel fortuito inducit prophetiam, ibi, *Ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur.* Dicit ergo Evangelista, quasi admirans : Dictum est, quod Dominus multa signa fecit : puta quod aquam mutavit in vinum supra II : quod paralyticum curavit, supra v : quod illuminavit cæcum, supra IX : quod resuscitavit mortuum, supra XI : et tamen *cum tanta signa fecisset coram, eis non credebant in eum.* Consueverunt ergo dicere supra VI, 30 : *Quod signum ostendis nobis, ut credamus tibi ?* Sed ecce quod Evangelista dicit : *Cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum.* Infra XV, 24 : *Si opera non fecissem in eis quæ*

[1] Parm. : « hæretici errantes, etc. » — [2] Al. : « lumen. » — [3] Parm.: « te. » — [4] Parm. : « ascensionem. »

nemo alius fecit, peccatum non haberent. Unde non poterant dicere illud Psalm. LXXIII, 9 : *Signa nostra non vidimus.*

2. Consequenter cum dicit, *Ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur*, introducuntur ad hoc testimonia Prophetarum : et primo introducuntur prophetiæ ; secundo ostenditur quod de Christo loquuntur, ibi, *Hæc dicit Isaias* etc. Circa primum duo facit. Primo inducit prophetiam prædicentem eorum infidelitatem ; secundo subdit prophetiam prædicentem infidelitatis causam, ibi, *Propterea non poterant credere.* Dicit ergo : Dico quod non credebant in eum, *ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur* etc.

Ubi sciendum est, quod ly *ut* in sacra Scriptura quandoque accipitur causaliter, sicut illud supra X, 10 : *Ego veni ut vitam habeant* : quandoque autem tenetur consecutive, et significat eventum futurum : et sic accipitur hic. Non enim ideo non credebant quia prædixerat Isaias [1] ; sed quia non erant credituri, ideo prædixit : unde ex non credentibus sermo Isaiæ impletur. Luc. ult., LIV : *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt.* Matth. V, 10 : *Jota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.*

Sed si necesse erat ut impleretur sermo Isaiæ, videtur quod Judæi sint excusabiles de eo quod non crediderunt : non enim poterant facere contra prophetiam. Responsio. Dicendum, quod sic prophetatum erat, ut eorum arbitrio uterentur : Deus enim futurorum præscius eorum infidelitatem per prophetiam prædixit, non fecit : non enim propterea Deus quemquam ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata jam novit. Illud ergo peccatum [2] quod Judæi fecerunt, Dominus, quem nihil latet, facturos eos prædixit. Quid autem Propheta dicat, subjungit dicens : *Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est?*

Ubi sciendum est quod duplex est modus credendi. Aliquando quidem per instructionem alterius ; et hic est communis modus credendi. Rom. X, 17 : *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Aliquando autem per revelationem divinam ; et hic est singularis modus, de quo Apostolus dicit Galat. I, 12 : *Neque ab homine didici illud neque accepi, sed per revelationem Jesu Christi.* Isaias LIII, ergo prædixit quidem credentium raritatem, dicens : *Domine, quis credidit auditui nostro?* Et primo quantum ad modum communem, qui est per instructionem, cum dicit : *Quis credidit auditui nostro?* Quod quidem habetur *loc. cit.*, et potest dupliciter intelligi. Uno modo ut sit sensus : *Quis credidit auditui nostro?* quod scilicet nos audivimus a te. Abdiæ I, *Auditum audivimus a Domino exercituum* etc. Psal. LXXXIV, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Quasi dicant : Nos audivimus a te ; sed Domine, quis credet nobis quæ de nativitate et passione tua te loquente audivimus? Unde et totum illud capitulum Isaiæ loquitur de his. Dicit autem Prophetas audire, ut insinuet modum illuminationis Prophetarum. Nam per visum accipit homo cognitionem immediate de re visa ; sed per auditum non habetur immediate cognitio a re visa, sed ab aliquo signo illius rei. Quia ergo Prophetæ non immediate videbant essentiam divinam, sed quædam signa divinorum, ideo dicit eos audire. Num. XII, 6 : *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*, quasi per quædam signa. Filius autem æternaliter videt ipsam divinam essentiam. Supra I, 18 : *Deum nemo vidit unquam : unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Quis ergo credidit auditui nostro?* idest, quis credidit his quæ audivimus et narravimus? Isa. XXI, 10 : *Quæ audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis.* Alio modo : *quis credidit auditui nostro?* idest, his quæ a nobis audiunt Ezech. XXXIII, 31 : *Audiunt sermones meos ex ore tuo, et non faciunt eos : quia in canticum oris sui vertunt illos.* Quantum autem ad modum singularem, qui est per revelationem, dicit : *Et brachium Domini cui revelatum est?* Brachium dicitur Filius, per quem Pater omnia operatur, sicut brachium hominis dicitur per quod homo operatur. Et si homo solo verbo interiori operaretur, tunc verbum ejus posset dici brachium suum. Sic ergo dicitur brachium Dei, non quod Deus Pater figura determinetur carnis humanæ, et brachium habeat corporale ; sed quia *per ipsum omnia facta sunt* : supra II, 3. Et Job, XL, 4 : *Si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas?* Luc. I, 51 : *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.*

Notandum ergo, quod ex hoc verbo

[1] Al. deest : « Isaisa. » — [2] Al. : « per peccatum. »

occasionem sumpsit erroris sui Sabellius, dicens, eamdem personam esse Patris et Filii; et Arius dicens. Filium esse Patre minorem. Non enim duæ personæ, sed una, est homo et brachium ejus; nec brachium homini æquale dici potest. Ad quod dicendum est, quod in talibus non est sufficiens similitudo : nam ea quæ in creaturis sunt, non perfecte repræsentant ea quæ sunt in Deo. Unde Dionysius dicit quod symbolica Theologia non est argumentativa. Non ergo dicitur brachium Filius quasi ejusdem personæ cum Patre sit, vel minor eo; sed quia per eum omnia operatur. Dicit ergo : *Et brachium Domini cui revelatum est*? quasi dicat, paucis, scilicet ipsis Apostolis. I Corinth. II, 10 : *Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum.*

3. Consequenter cum dicit, *Propterea non poterant credere*, ponit prophetiam prædicentem infidelitatis causam. Et si intendamus hæc verba Evangelistæ, videntur quidem secundum superficiem litteræ habere obscurum intellectum [1]. Et primo quia si dicatur quod *propterea non poterant credere* quia hoc dixit Isaias, videntur Judæi excusabiles esse. Quod enim peccatum est hominis non [2] facientis quod non potest facere? Et, quod gravius est, in Deum culpa retorquetur, quod excæcavit oculos eorum. Tolerabile autem esset, si hoc de diabolo diceretur : quia, ut dicitur II Corinth. IV, 4, *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium.* Sed hic dicitur de Domino nostro. Nam Isa. VI, 1, dicit: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum.* Et sequitur vers. 10 : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude*; *ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur et sanem eum.*

Sed ad evidentiam hujus, primo exponamus hoc quod dicit : *Propterea* [3] *non poterant credere.* Ubi sciendum, quod aliquid dicitur impossibile vel necessarium dupliciter : absolute scilicet, et ex suppositione. Absolute quidem, sicut impossibile est hominem esse asinum ; ex suppositione vero, sicut impossibile est me esse extra domum, dum intus in ea sedeo. Secundum hoc ergo dicendum, quod homo excusatur, si non facit ea quæ absolute sunt sibi impossibilia [4]; sed si non facit ea si qua sunt sibi impossibilia ex suppositione, non excusatur : sicut si detur quod aliquis habeat malam voluntatem omnino furandi, et dicat impossibile sibi esse non [5] peccare quamdiu voluntatem obstinatam illam habeat, non excusatur : quia hujusmodi impossibilitas non est simpliciter, sed ex suppositione; potest enim voluntatem malam deponere. Dicit ergo : *Propterea non poterant credere*, quia scilicet habent voluntatem obstinatam in sua malitia [6]. Hier. XIII, 23, 23 : *Quomodo scilicet potest Æthiops mutare pellem suam, et pardus varietates suas* ; *et vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.* Matth. XII, 34 : *Quomodo potestis bona facere, cum sitis mali* ? Et simile est sicut si dicerem de aliquo : Ego nullo modo possum eum diligere : sed habeo cum odio. Quantum ad secundum, sciendum [7], quod excæcatio et induratio Dei non intelligitur quasi Deus immittat malitiam, vel ad peccandum impellat; sed per hoc quod non infundat gratiam : quam quidem gratiam infundit ex sua misericordia ; sed causa hujus quod non infundit, est ex parte nostra, inquantum scilicet in nobis est aliquid gratiæ divinæ repugnans. Nam ipse, quantum in se est, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* : supra I, 9. I Tim. II, 4 : « *Vult omnes homines salvos fieri.* Sed quia nos a Deo recedimus, ideo gratiam suam nobis subtrahit, Oseæ IV, 6, *Quia tu scientiam repulisti repellam te.* Ibid. XIII, 9 : *Perditio tua, Israel, ex te* : *tantummodo in me auxilium tuum.* Et est simile sicut si aliquis clausisset fenestram domus, et diceretur ei [8]. Tu non potes videre, quia privaris lumine solis. Sed hoc non esset ex defectu solis, sed quia ipse sibi lumen solare interclusisset. Et similiter hic dicitur quod *non poterant credere*, quia Deus excæcavit eos : quia scilicet ipsi causam præstiterant ut excæcarentur : secundum illud Sap. II, 21 : *Excæcavit illos malitia eorum.*

4. His ergo visis, consideranda sunt verba prophetiæ hujus, quæ quidem habentur Isa. VI, 10, non secundum eadem verba, sed secundum eamdem senten-

[1] Al. : « et intenduntur verba Evangelistæ nunc in superficiæ litteræ habere obscurum intellectum. » — [2] Al. deest : « non. » — [3] Al. : « quod propterea. » — [4] Al. : « impossibilia ex suppositione, non excusatur, » intermediis omissis. — [5] Al. : « non esse. » — [6] Al. : « voluntatem in sua malitia. » — [7] Al. : « ad secundum dicit. » — [8] Al. deest : « ei. »

tiam. In his ergo verbis tria continentur, Primo Judæorum induratio et excæcatio; secundo utriusque effectus, ibi, *Ut non videant*; tertio finis, ibi, *Et convertantur, et sanem eos*. Circa primum considerandum est, quod Dominus inducebat ad fidem dupliciter: scilicet miraculis et doctrina; unde utrumque eis improperat, infra xv, 24: *Si opera non fecissem in eis quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent.* Et iterum vers. 22: *Si non venissem, et non loquutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Utrumque enim contempserunt. In quantum ergo Christi miracula non attendebant diligentia debita, dicit: *Excæcavit oculos eorum*, scilicet cordis: de quibus habetur Ephes, I, 18: *Illuminatos oculos cordis vestri;* si per intellectum considerarent quod talia miracula, fieri non poterant nisi [1] virtute divina, Isa. XLII, 20: *Qui vides multa, nonne consideras?* Et iterum ibid. 19: *Quis cæcus, nisi servus meus; et surdus, nisi ad quem nuntios meos misi?* Quia quantum ad doctrinam Christi non movebantur, subdit: *Et induravit cor eorum.* Videtur enim durissimum quod forti calore non resolvitur, et divina percussione non conteritur. Verba autem Christi *sunt quasi ignis, et sicut malleus conterens petras*, ut dicitur Hier. XXIII, 29. Ignis quidem, quia inflammant per caritatem; malleus autem, quia terrent per comminationem, et confringunt per manifestissimam veritatem. Et tamen verbum Christi cor Judæorum non attendebat. Unde patet quod fuit induratum. Job XLI, 15: *Cor ejus indurabitur quasi malleatoris incus.* Rom. IX, 18: *Cujus vult miseretur et quem vult indurat.* Effectus autem excæcationis ponitur cum dicit: *Ut non videant oculis*, scilicet spiritualibus, intelligendo Christi divinitatem. Psal. CXIII, 5: *Oculos habent, et non videbunt.* E contra dicitur Luc. x, 23: *Beati oculi qui vident quæ non videtis.* Effectus indurationis ponitur cum dicit contra: *Nec intelligant corde:* ut subintelligatur, *Ut non intelligant corde.* Job IV, 20: *Et quia nullus intelligit, in æternum peribit.* Psal. XXXV, 4: *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Est autem hic advertendum, quod ly *ut* non ponitur hic causaliter, sed consecutive. Finis autem excæcationis et indurationis ponitur consequenter cum dicit: *Et convertantur et sanem eos.* Et potest intelligi dupliciter, ut Augustinus dicit in libro *De quæstionibus Evangel.* Uno modo, ut repetatur hæc dictio *non*, ut sit sensus: Et non convertantur, et non sanem eos. Via enim salvationis a peccato est conversio ad Deum. Thren. v, 21: *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.* Et statim subditur: *Innova dies nostros sicut a principio.* Illis autem qui indignos se præstiterunt quibus remitterentur peccata non præstat Deus beneficia, quibus convertantur et sanentur; sicut patet de omnibus non [2] probatis sed reprobatis. Alio modo potest intelligi, ut non reiteretur hæc dictio *non*, ut sit sensus: Ideo excæcati sunt et indurati ut ad tempus nec viderent nec intelligerent; et sic non videntes et non intelligentes, idest non credentes in Christum, eum occiderent, et postmodum compuncti converterentur et sanarentur. Permittit enim aliquos quandoque cadere in peccatum, ut humiliati ad justitiam firmius resurgant. Et utraque expositio locum habet in diversis Judæis. Prima quidem in illis qui in sua incredulitate finaliter permanserunt; secunda vero in illis qui post Christi passionem sunt ad Christum conversi, qui scilicet compuncti corde ex verbis Petri, dixerunt Apostolis: *Quid faciemus, viri fratres?* ut dicitur Act.

5. Deinde cum dicit, *Hæc dixit Isaias* etc., ostendit prædicta ad propositum pertinere: unde dicit: *Hæc dixit Isaias quando vidit gloriam Dei.* Simul enim vidit gloriam Dei et excæcationem Judæorum, ut patet Isa. VI: ubi primo dicitur vers. 1: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum.* et postea vers. 10: subditur: *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur et sanem eum.* Et quia quod viderat conveniens erat ut testaretur, ut dicitur I Joan. I, ideo sequitur: *Et locutus est de eo*, scilicet de Christo, cujus gloriam vidit; secundum illud Act. x, 43: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent.* Rom. I, 2: *Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo.*

Circa prima duo quæ hic tanguntur, cavendus est error Arianorum, qui dicunt solum Patrem invisibilem omni creaturæ, Filium autem visum fuisse in visionibus

[1] Al.: « in virtute. » — [2] Parm.: « non approbatis. »

veteris testamenti. Sed cum dicatur infra XIV, 9, *Qui videt me, videt et Patrem meum;* manifestum est quod uno et eodem modo est Filius visibilis et[1] Pater. Videns ergo Isaias gloriam Filii, vidit et gloriam Patris; immo totius Trinitatis, quæ est unus Deus sedens super solium excelsum, cui Seraphim proclamant : Sanctus, sanctus, sanctus. Non autem ita quod Isaias essentiam Trinitatis viderit, sed imaginaria visione, cum intelligentia, quædam signa majestatis expressit, secundum illud Num. XII, 6 : *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, per somnium*[2] *aut in visione loquar ad eum.* Per illud vero quod secundo dicitur, *Et locutus est de eo*, excluditur error Manichæorum qui dixerunt nullas prophetias in veteri testamento præcessisse de Christo, ut Augustinus narrat in lib. *Contra Faustum*, et Theodorum Mopsuestenum, qui dixit omnes Prophetias veteris testamenti esse de alio[3] negotio dictas, per quamdam tamen appropriationem esse adductas ab Apostolis et Evangelistis[4], ad ministerium Christi : sicut ea quæ dicuntur[5] in uno facto, possunt adaptari ad aliud factum. Omnia autem excluduntur per hoc quod dicitur : *Et locutus est de eo* : de me, sicut de Moyse[6] supra V, 46, dixit Christus : *De me enim ille scripsit.*

LECTIO VIII.

1. Verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum. 2. Sed propter Pharisæos non confitebantur, ut de synagoga non ejicerentur. 3. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei. 4. Jesus autem clamavit, et dixit : Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. 5. Et qui videt me, videt eum qui misit me. 6. Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. 7. Et si quis audierit verba mea et non custodierit ; ego non judico eum. Non enim veni ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum. 8. Qui spernit eum et non accipit verba mea, habet qui judicet eum. 9. Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. 10. Quia ego ex meipso non sum locutus. 11. Sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam et quid loquar. Et scio quia mandatum ejus vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

1. Supra Evangelista exposuit defectum omnino non credentium ; hic exponit defectum credentium in occulto, qui pusillamines erant : et primo proponit eorum dignitatem ; secundo ostendit eorum defectum, *Sed propter Pharisæos non confitebantur* : tertio insinuat defectus radicem, ibi, *Dilexerunt enim magis gloriam hominum quam gloriam Dei.* Dignitas autem eorum qui in occulto credebant magna est, quia principes : et quantum ad hoc dicit : *Verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum* ; quasi dicat : Dixi, quod *cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum* : quod quidem verum est pro majori parte, non tamen quin aliqui in eum crederent, quia *ex principibus*, scilicet populi, *multi crediderunt in eum* ; quorum unus fuit Nicodemus, qui venit ad Jesum nocte, ut dicitur supra III. Sic impletur quod in Psal. XLVI, 10, dicitur : *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* Sic etiam falsum ostenditur quod Pharisæi dixerunt supra VII, 48 : *Numquid ex principibus aliquis credit in eum, aut ex Pharisæis?*

2. Defectus horum principum est pusillanimitas : unde dicit : *Sed propter Pharisæos non confitebantur* : ut enim supra IX, 22, dictum est, Pharisæi conspiraverant, *ut si quis eum confiteretur Christum, extra synagogam fieret.* Nolentes ergo extra synagogam fieri,[7] licet crederent corde, non tamen confitebantur ore. Sed eorum fides insufficiens erat : quia, ut dicitur Rom. X, 10, *corde creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem*, Luc. IX, 26 : *Qui erubuerit me et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet.*

3. Radix autem defectus istorum est inanis gloria : unde sequitur : *Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei* : ex hoc enim quod publice confitebantur, amittebant gloriam hominum ; sed ex hoc consequebantur gloriam Dei. Isti autem magis elegerunt privari gloria Dei, nolentes[8] publice confiteri, quam gloria hominum, cupientes in mundanis gloriari. Supra V, 44 : *Quomodo potestis credere qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis?* Galat. I 10 : *Si adhuc hominibus placerem, servus Christi non essem.*

4. *Jesus autem clamavit* etc. Hic ostendit quomodo Christus Judæorum infideli-

[1] Parm.: « ut. » — [2] Al.: « autem. » — [3] Parm.: « aliquo. » — [4] Al. : « adductas Apostolis Evangelistis. » — [5] Parm. : « dicunt. » Al. : « quæ Domini. » — [6] Al. : « sicut et de Moyse, etc. » — [7] Parm. omittit : « nolentes, etc. » — [8] Parm. : « volentes. »

tatem redarguit : et primo ostendit credendi debitum : secundo subdit fidei fructum, ibi, *Ego lux in mundum veni* etc.; tertio comminatur infidelium supplicium, ibi, *Et si quis audierit verba mea, et non custodierit, ego non judico eum* etc. Quia autem fidei succedit visio, ideo circa primum primo agit de fide ; secundo de visione, ibi, *Qui videt me, videt eum qui misit me*. Quantum ad primum dicit : *Jesus autem clamavit*, et propter magnitudinem dicendorum, et propter libertatem animi ad redarguendum peccata. Isa. LVIII, 1 : *Clama, ne cesses ; quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum.*

Et dixit : *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me* : quod quidem videtur contradictionem implicare : dicit enim : *Qui credit in me, non credit in me*. Ad cujus intellectum sciendum est primo, secundum Augustinum, hoc esse dictum a Domino ad distinguendum in se naturam divinam et naturam humanam. Cum enim proprium objectum fidei sit Deus, possumus quidem credere creaturam esse, sed non debemus credere in creaturam, sed [1] in Deum solum. In Christo autem est natura creata, et natura increata. Requiritur ergo ad fidei veritatem ut fides nostra tendat in Christum, quantum ad naturam increatam; et secundum hoc dicit : *Qui credit in me*, scilicet in personam, *non credit in me*, secundum quod homo, *sed in eum qui me misit*, idest in me secundum quod sum missus a Patre. Supra VII, 16 : *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me*. Secundum Chrysostomum vero notandum est, quod Dominus dicit hoc ad insinuandum ejus originem tantum; et est similis modus loquendi, sicut si aliquis [2] hauriens de aqua fluminis dicat : Ista aqua non est fluminis, sed est fontis : non est quidem fluminis originaliter [3]. Sic ergo Dominus dicit : *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me* ; quasi dicat : Non sum principium mei ipsius, sed divinitas est mihi ab alio, idest a Patre : unde *qui credit in me, in tantum credit in me* [4] in quantum sum a Patre.

5. Consequenter cum dicit, *Et qui videt me, videt eum qui misit me*, agit de visione. Circa quod sciendum est, quod sicut Pater misit Filium ad convertendum Judæos, ita et Christus misit discipulos suos. Infra XX, 21 : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*. Nullus autem discipulorum ausus fuit dicere, nec debuit, quod crederetur in eum; quamvis dicere potuisset quod crederetur ei : quia hoc non potuisset esse sine hoc quod derogaret mittenti : quia si crederent in discipulum, desinererent credere in magistrum. Possent ergo Judæi dicere, quod eodem modo, cum sis missus a Patre, qui credit in te, desinit credere in Patrem : et ideo Dominus contra hoc ostendit quod qui non credit in eum, non credit in Patrem : et hoc est quod dicit : *Qui videt me, videt eum qui misit me*. Visio hic dicitur non corporalis intuitus, sed veri consideratio, quæ est per intellectum. Ideo autem qui videt Filium, videt et Patrem, quia est in eo per essentiæ unitatem. Dicitur enim [5] aliquid videri in aliquo, vel quia sunt idem, vel omnino conformes. Pater autem et Filius sunt idem in natura, et omnino conformes : quia Filius est imago Patris in nullo dissimilis. Colos. I, 15 : *Qui est imago invisibilis Dei*. Hebr. I, 3 : *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus*. Et ideo, sicut credit in Patrem, ita et in me. Infra XIV, 9 : *Philippe, qui videt me, videt in Patrem. Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est*? quasi dicat : Ista est ratio quare qui videt me, videt et Patrem, quia Pater in me est, et ego in eo. Sic ergo apparet fidei debitum, ut scilicet fides tendat in Christum inquantum Deus, sicut in Patrem.

6. Fructum autem fidei consequenter ostendit : et primo ostendit suam dignitatem et virtutem, cum dicit : *Ego lux in mundum veni*. Quomodo Christus sit lux, expositum est supra I, 9 : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem* : et VIII, 12 : *Ego sum lux mundi*. In hoc etiam ostendit se habere divinam naturam : esse enim lucem est proprium Dei ; alia vero sunt lucentia, idest participantia lucem ; sed Deus lux est per essentiam. I Joan. I, 5 : *Deus lux est, et tenebræ non sunt in eo ullæ*. Sed quia I ad Timoth. VI, 14, dicitur, quod *lucem habitat inaccessibilem, quam nemo hominum*

[1] Al. : « nisi. » — [2] Al. : « aliquid. » — [3] Parm.: « originalis, etc. » — [4] Parm. : « non credit in me, nisi in quantum, etc. » — Item : « credit in me inquantum sum a Patre. » — [5] Al. deest : « enim. »

videt; non poteramus accedere ad eum : et ideo oportuit quod ipse ad nos veniret; et hoc est quod subdit : *In mundum veni;* scilicet, ego sum lux inaccessibilis, qui ab errore eripio, et intellectuales tenebras solvo. Infra xvi, 28 : *Exivi a Patre, et veni in mundum.* Supra i, 11 : *In propria venit* etc. Licet Apostoli dicantur lux, Matth. v, 14 : *Vos estis lux mundi*; non tamen ea ratione qua Christus : ipsi enim sunt lux illuminata, quamvis aliquo modo, scilicet ministerio, illuminantes essent. Nec alicui Apostolorum convenit dicere : *Ego lux in mundum veni* : quia quando in mundum venerunt, adhuc tenebræ erant, et non lux : quia, ut dicitur Job, xxxvii 19, *omnes involvimur tenebris.* Secundo subdit dicens : *Ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.* Illuminatio ergo est fructus [1] fidei. Supra viii, 12 : *Ut omnis qui credit in me, non ambulet in tenebris. In tenebris non maneat*, scilicet ignorantiæ, infidelitatis, et damnationis perpetuæ : per quod patet quod omnes nascuntur in tenebris culpæ. Ephes. v, 8 : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Item in tenebris ignorantiæ. Job. iii, 23 : *Viro cui abscondita est via, et circumdedit eum Deus tenebris.* Et tandem nisi convertantur ad Christum, deducentur ad tenebras damnationis perpetuæ. Qui ergo non credit in me, in tenebris manet. Supra iii, 36 : *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

7. Supplicium autem infidelium insinuat dicens : *Et si quis audierit verba mea, et non custodierit; ego non judico eum* : quod incurrent per judicii condemnationem. Et primo proponit dilationem judicii; secundo pronuntiat ipsum judicium futurum esse, ibi, *Qui spernit me, et non accipit verba mea, habet qui judicet eum*; tertio ostendit dilationis causam, ibi, *Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.* Circa primum duo facit. Primo proponit judicii dilationem; secundo assignat dilationis rationem. Dicit ergo quantum ad primum : *Et si quis audierit verba mea, et non custodierit*; *ego non judico eum.*

Notandum ergo, quod illi beatificantur qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud, credendo interius in corde, et exequendo exterius in opere. Qui vero audiunt istud et custodire non satagunt, magis rei ex hoc efficiuntur. Rom. ii, 13 : *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Et Jac. i, 22 : *Estote factores, et non auditores tantum.* Et ideo *si quis audierit verba mea et non custodierit*; *ego non judico eum.*

Sed hoc videtur contrarium ei quod dicitur supra v, 22 : *Pater omne judicium dedit Filio* : et ideo intelligendum est, *Non judico eum*, scilicet modo. Potuisset enim sibi ad infirmitatem putari, si qui ipsum contemnunt [2], illos dimittit; et ideo dicit, quod hujusmodi judicabuntur, sed non modo : nam, ut dicitur Eccle. xii, 14, *omnia quæ fecit Deus, adducet in judicium.* Et Job xix, 29 : *Fugite a facie iniquitatis, quoniam ultor iniquitatis est gladius, et scitote esse judicium.*

Causam vero dubitationis dilationis subdit dicens : *Non veni ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum.* Duplex enim est adventus Filii Dei : unus quo venit ut salvator : alius quo venit ut judex. Sed cum omnes essent in peccatis, si primo venisset ut judex, nullum salvasset, quia omnes eramus [3] filii iræ : et ideo oportuit ut veniret primo ad salvandum credentes, et postmodum ad judicandum infideles [4] et peccatores. Et hoc est quod dicit : Ideo scilicet non judico eum modo, *quia non veni,* scilicet in primo adventu, *ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum.* Supra iii, 17 : *Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.*

8. Consequenter cum dicit, *Qui spernit me, et non accipit verba mea, habet qui judicet eum*, prænuntiat judicium futurum : quasi dicat : Licet qui verba mea non custodiunt, non judicentur modo, tamen non evadent impunes, quicumque sint illi : quia *qui spernit me, et non accipit verba mea,* credendo et opere implendo, *habet qui judicet eum.* Cujus ratio est, quia si non accipit verba ejus, contemnit dictum Dei, cujus ipse est Verbum; sicut qui non obedit mandato domini sui. Job xix, 29 : *Fugite a facie iniquitatis, quoniam ultor iniquitatis est gladius, et scitote esse judicium.* Eccle. xii, 14 : *Cuncta quæ fecit Deus adducet in judicium pro omni errato.* Isa. xxxiii, 1 : *Væ qui sper-*

[1] Parm. : « effectus. » — [2] Al. : « si cum quos ipsi contemnunt. » — [3] Al. : « essemus. » — [4] Parm. : « et fideles. »

nis, nonne et ipse sperneris? I Reg. II, 30 : *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

9. Consequenter cum dicit, *Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die*, assignat causam dilationis judicii. Et primo ponitur causa dilationis judicii; secundo assignatur sufficientia ipsius causæ, ibi, *Quia ego ex meipso non sum locutus.* Dicit ergo : Dico quod qui est hujusmodi, *habet qui judicet eum.* Quis autem hic erit? *Sermo*, inquit, *quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.* Quod tantum valet, ut dicit Augustinus, ac si dixisset : Ego judicabo eum in novissimo die. Seipsum quippe Christus expressit in suo sermone, seipsum annuntiavit. Ipse ergo est sermo quem locutus est : quia de se locutus est. Supra XIII, 14 : *Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum, quia scio unde veni et quo vado.* Quasi dicat : Hoc ipsum quod locutus sum eis, et tamen contempserunt, judicabit eos. Act. x, 42 : *Hic est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum : huic omnes Prophetæ testimonium perhibent.*

10. Sufficientiam autem causæ ostendit, dicens : *Quia ex meipso non sum locutus* : et primo ostendit eam ex origine sermonis, secundo ex dignitate ipsius, ibi, *Et scio quia mandatum ejus vita æterna est.* Circa primum duo facit. Primo excludit falsitatem; secundo adstruit veritatem. Falsitas quidem est quod Filius aliquid operetur vel loquatur, vel sit a seipso tantum, et non ab alio : hoc enim esset ponere quod Filius non sit a Patre; et hoc est quod dicit : Ideo dico, quod verbum quod ego locutus sum, judicabit eos : *quia ego ex meipso non sum locutus.* Supra v, 19 : *Non potest Filius a se facere quicquam.* Et infra XIV, 10 : *A meipso non loquor.* Idem autem est, *Ex meipso non sum locutus*, quod Ego non ex me sum natus, sed ex Patre; quasi dicat : Judicabo eum in novissimo die, in forma servi apparens. Supra v, 27 : *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Sed tamen non judicabo ex potestate humana, quia scilicet Filius sum hominis; sed ex potestate divina, quia sum Filius Dei. Non ergo judicabo ex meipso, sed ex Patre, ex quo virtutem judicandi habeo.

11. Veritatem astruit, dicens : *Sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam et quid loquar.* Ex quibus quidem verbis, nisi pie intelligantur, patet locus duplici errori. Primo quidem, quia mandans major est eo cui mandat : Arriani[1] ergo ex hoc sic arguebant : Pater mandat Filio; ergo est major eo. Deinde, quia illud quod datur alicui, non habebatur ab eo antequam sibi daretur; et per consequens nesciebat illud. Si ergo Pater dat mandatum Filio, sequitur quod Filius quandoque illud non habuerit, et per consequens ignoraverit : ergo est ei aliquid additum. Non igitur Filius ejus est verus Deus.

Ad quod sciendum est, quod omnia mandata divina sunt in mente Patris, cum ipsa mandata nihil aliud sint quam rationes agendorum. Sicut ergo in mente Patris sunt rationes omnium creaturarum quæ a Deo producuntur, quas ideas vocamus, ita et in ea sunt rationes omnium per nos agendorum. Sicut ergo a Patre derivantur in Filium, qui est sapientia Patris, rationes omnium rerum, ita et rationes omnium agendorum. Sic ergo dicit Filius : *Sed qui misit me Pater, ipse mihi dedit*, inquantum Deus [2], *mandatum;* idest per æternam generationem communicavit, *quid dicam* interius, et *quid loquor* exterius : sicut [3] etiam nostrum verbum si vera fateri volumus, ea profert quæ suggerit mens.

Chrysostomus autem hæc omnia, scilicet, *Si quis audierit verba mea et non custodierit, ego non judico sum* etc., aliter exponit, et planius : ut dicatur : *Si quis audierit verba mea et non custodierit, non judico eum.* Dupliciter enim potest dici aliquis aliquem condemnare : vel sicut judex, vel sicut causa condemnationis. Homicidam enim condemnat ad suspendium et judex qui profert sententiam, et ipsum homicidium perpetratum, quod est causa suæ condemnationis. Dicit ergo : *Ego non judico eum*; idest, non sum causa suæ condemnationis, sed ipse. Oseæ XIII, 9 : *Perditio tua, Israel, ex te* scilicet est; *tantummodo in me auxilium tuum.* Ex hoc ideo, *quia non veni ut judicem mundum;* idest, non sum missus

[1] Parm. omittit: « Arriani, etc. » — [2] Al. : « inquam, Deus. » — [3] Al. : « et sicut. »

ad condemnandum, sed ad salvandum [1].

Sed numquid talis non judicabitur? Immo : *quia qui spernit me, et non accipit verba mea, habet qui judicet eum.* Quis autem sit iste qui judicat, ostendit dicens : *Sermo quem locutus sum*, auditus a nobis, qui stabit in ordine accusatoris, *ille judicabit eum in novissimo die.* Infra xv, 22 : *Si non venissem, et eis locutus non fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Quod autem [2] sermo quem locutus est, judicabit eos, ostendit dicens : *Quia ego ex meipso non sum locutus.* Quod quidem non ponitur causaliter, sed quasi materialiter : ut sit sensus : Dicis, quod sermo tuus judicabit eum : sed quis est iste sermo? Ille scilicet quem dixi : *quia ego ex meipso non sum locutus;* idest, quem ego locutus sum a Patre, et ea [3] quæ mihi dedit ut dicerem et loquerer : alias si fuissem locutus contrarium Patri, vel quæ ab eo non habuerim; et non credidissent mihi, excusationem haberent; sed quia sic locutus sum, certum est quod non solum me, sed etiam Patrem meum contempserunt.

Et secundum hanc expositionem, hoc quod dixit, *Qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam et quid loquar*, ostendit sufficientiam causæ ex parte dignitatis ipsius sermonis. Et primo ponitur ejus dignitas; secundo concluditur ipsius sermonis executio. Dignitas quidem, cum dicit : *Et scio quia mandatum ejus vita æterna est. Est*, inquam, *vita æterna.* I Joan. ult. 20 : *Hic est verus Deus, et vita æterna.* Ipse enim Filius est mandatum Patris. Vel *est vita æterna*, idest ducens in vitam æternam. Matth. xix, 17 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Quia ergo Pater dedit mihi mandatum, quod quidem mandatum est vita æterna; ego autem ad hoc veni ut homines ducam in vitam æternam : ideo mandatum Patris per omnia exequor. Et hoc est quod dicit : *Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* Quod, secundum Chrysostomum, planum est : ut sit sensus : *Quæ ego loquor*, exterius prædicando *sicut dixit mihi Pater, sic loquor* idest, inquantum [4] accepi notitiam ab eo : ut intelligantur de Christo secundum quod homo.

Sed si intelligantur, secundum Augustinum, de Christo secundum quod Filius Dei : quomodo dicit ei Pater, cum ipse sit Verbum? Ad quod dicendum, quod non ita dixit ei quasi per verba locutus sit unico Verbo suo; sed sic dixit Pater Filio sicut generavit eum Pater, et sicut dedit ei vitam habere in semetipso. Psal. ii, 7 : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu.*

[1] Cod. Mazarin. 177 : « solvendum. » — [2] Al. : « quis enim. » — [3] Al. : « eam. » — [4] Al. : « inquam. »

CAPUT DECIMUMTERTIUM

LECTIO I.

1. Ante diem festum paschæ sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo in finem dilexit eos. 2. Et cœna facta. 3. Cum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas Simonis Iscariotes : 4. Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit et ad Deum vadit.

1. Supra Evangelista posuit quasdam occasiones passionis et mortis Christi; in parte ista ostendit quomodo Christus discipulos suos præparat ante suam passionem : et primo ostendit quomodo informavit eos exemplo; secundo quomodo confortavit verbo, et hoc infra XIV capit. : *Non turbetur cor vestrum;* tertio quomodo præmunivit eos orationum suffragio, infra XVII : *Hæc locutus est Jesus, et sublevatis oculis in cœlum, dixit* etc. Circa primum duo facit. Primo ponit exemplum quod Christus præbuit suis discipulis imitandum; secundo discipulorum defectum, qui nondum erant idonei ad sequendum, ibi, *Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est.* Circa primum tria facit. Primo ponit exemplum; secundo subdit exempli utilitatem, ibi, *Venit ergo ad Simonem Petrum*; tertio ad imitandum inducit, ibi, *Postquam ergo lavit pedes eorum.... dixit eis.* Circa primum duo facit. Primo proponit Christi, exemplum dantis, affectum; secundo innuit factum in quo dedit exemplum, ibi, *Et cœna facta* etc. Circa primum tria tanguntur. Primo quidem festum præsens; secundo mors Christi imminens; tertio Christi dilectio fervens. Festum præsens, pascha erat; et hoc est quod dicit : *Ante diem festum paschæ* etc.

Hic notandum est, quod hoc nomen *Pascha* quidam dicunt esse græcum, ita quod dicatur a passione, quasi inde festum istud vocetur pascha, quia tunc celebratur passio dominica : et quidem concordat cum græco : nam pascha in græco idem est quod pati. Prima autem origo hujus vocabuli ex hebræo habetur : pascha enim dicitur quasi phase, idest transitus Domini, ut dicitur Exod. XII. Interpretatur autem hic isto modo Evangelista propter duplicem transitum [1]. Unum qui præcessit, scilicet Angeli percutientis primogenita Ægypti, et salvantis primogenita Hebræorum : alium qui sequitur, filiorum Israel transeuntium mare rubrum. Et ideo bene factum est ut vocetur pascha festum istud. Et sic possumus dicere, quod pascha nostrum habet significationem utriusque linguæ, Hebrææ scilicet, et Græcæ, quia in ipsa passione Domini fuit transitus Christi ex hoc mundo ad Patrem. Actor. x, 38 : *Pertransivit bene faciendo et sanando.* Item transitus omnium nostrum, sequendo Christum, vel per pœnitentiam et martyrium : secundum illud Psal. LXV, 12 : *Transivimus per ignem et aquam ; et eduxisti nos in refrigerium :* vel mentis desiderio ad cœlestia anhelando : secundum illud Eccli. XXVI, 26 : *Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini.*

Hoc autem quod dicit, *Diem festum*, antonomastice dicitur : nam, ut legitur Exod. XXIII, tres dies anni solemnes erant, in quibus Judæi convenire debebant in locum quem elegerat Dominus : scilicet phase, quando immolabatur pascha, et pentecosten, et festum tabernaculorum, scilicet scenopegiæ. Sed dies paschæ inter alios celeberrimus erat.

Sed dubium hic incidit de hoc quod dicit : *Ante diem festum paschæ* : nam dies festus paschæ dicitur ille dies in quo immolabatur agnus quod erat luna quartadecima. Cum ergo dicat quod hoc fuit ante diem festum paschæ, videtur quod hoc fuerit factum luna tertia decima, quæ præcedebat quartamdecimam lunam : quod quidem græci sequentes, dicunt quod Dominus passus est luna quartadecima quando Judæi suum pascha celebrare debebant : et ideo Dominus sciens

[1] Al. : « interpretatio autem hæc est enumerata propter duplicem transitum. »

sibi imminere passionem, prævenit celebrationem paschæ, et in præcedenti die celebravit pascha suum, ante festum paschæ Judæorum. Sed quia Exod. XII, præcipitur ut a decimaquarta die ad vesperam usque ad vigesimam primam diem mensis non inveniretur fermentatum [1] apud Hebræos, dicunt ulterius quod Dominus confecit non in azymis, sed in fermentato : nam *ante diem festum paschæ*, idest tertiadecima luna, inveniebatur fermentatum apud Hebræos.

Huic autem sententiæ tres alii Evangelistæ contrariantur : nam ipsi dicunt, scilicet Matth. XXVI, Marc. XIV, et Luc. XXII, quod fuit prima die azymorum quando debebat immolari pascha. Ex quo sequitur quod cœna Domini eo die facta fuit quo immolabatur pascha Judæorum. Ad quod quidem græci respondent dicentes, alios Evangelistas non vere narrasse hoc factum; et ideo Joannes qui ultimum Evangelium scripsit, eos correxit. Sed hæreticum est dicere quod aliquid falsum, non solum in Evangeliis, sed etiam in quacumque canonica Scriptura inveniatur : et ideo necessarium est dicere quod omnes Evangelistæ dicunt idem, et in nullo discordant.

Ad hujus igitur evidentiam sciendum est quod, sicut habetur Lev. XXIII, solemnitates Judæorum incipiebant a vespera præcedentis diei. Cujus ratio est, quia numerabant dies secundum lunam, quæ de sero primo apparet : unde et diem [2] computabant de uno sero in alium; et sic apud eos solemnitas paschæ incipiebat a vespera [3] præcedentis diei, et terminabatur in vespere diei paschæ; sicut et apud nos festa celebrantur. Sic ergo aliquid factum apud nos in vigilia Natalis Domini, potest dici factum esse in festo Natalis. Quem quidem modum servantes, alii Evangelistæ dixerunt cœnam esse factam primo die azymorum : quia facta fuit die præcedenti ad vesperam, qui jam pertinebat ad primum diem azymorum. Joannes autem Evangelista hic diem festum paschæ accipit pro illo die qui totus celebris erat, non autem pro illo cujus vespere solum erat celebre, qui erat dies præcedens pascha : et ideo dicit : *Ante diem festum paschæ.*

Patet ergo quod cœna Domini facta est luna quartadecima ad vesperam. Mors autem Christi imminens, erat transitus ejus ex hoc mundo per passionem : et quantum ad hoc dicit : *Sciens Jesus quia venit hora ejus* : nam illa solemnitas Judæorum, figura erat passionis Christi *omnia enim in figura contingebant illis* : I Cor. X, 11 : et ideo statim ponit veritatem, scilicet passionem Christi; et quasi exponens quod pascha dicatur a phase, idest transitu, mentionem facit de transitu : *Ut transeat*, inquit, *ex hoc mundo ad Patrem.* Ubi tria ponit circa passionem Christi. Primo quod fuit prævisa; secundo quod fuit congrua; tertio quod fuit promotiva et exaltativa. Prævisa quidem fuit, non casualis : et quantum ad hoc dicit, *Sciens Jesus;* quasi dicat *:* Non invitus, non inscius, sed *sciens* et voluntarius passus est, etc. Infra XVIII, 4 : *Sciens Jesus omnia quæ ventura erant.* E converso dicitur de nobis. Eccl. VIII, 6 : *Multa hominis afflictio* : *quia nescit præterita, et quæ ventura sunt nullo modo scire potest.* Congrua autem fuit quantum ad tempus; et quantum ad hoc dicit : *Quia venit hora ejus*, idest ipse dies paschæ, quo transiret per crucem. Eccl. VIII, 6 : *Omni negotio tempus est et opportunitas.* Hæc est hora illa de qua dicitur supra II, 4 *: Nondum venit hora mea.* Nec est intelligenda hora ista fatalis, quasi subjecta cursui et dispositioni stellarum, sed determinata dispositione et providentia divina. Ideo, inquam, determinata in pascha Judæorum, quia congruebat solemnitati Judæorum ut veritas sequeretur figuram, dum quando agnus, qui figurabat Christum, immolaretur Christus, qui est vere agnus Dei. I Petr. I, 18 : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis*; *sed pretioso sanguine agni immaculati Christi et incontaminati.* Congruebat etiam negotiis. Jam enim Christus clarificatus erat. Infra eodem : *Nunc clarificatus est Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo.* Jam Patrem manifestaverat mundo. Infra XVII, 6 : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.* Restabat ergo ut consummaret opus passionis et humanæ redemptionis, de quo dicitur infra XIX, 30 : *Consummatum est* : et sequitur : *inclinato capite, emisit spiritum.* Promotiva fuit passio Christi et exaltativa, et non oppressiva : quia *ut transeat ex hoc*

[1] Al. : « frumentum. » — [2] Parm. : « fermentum. » — [3] Al. : « et idem. » — [4] Al. : « idest vespere. »

mundo ad Patrem, idest, faciendo humanam naturam participem paternæ gloriæ. Infra XXII, 17 : *Ascendo ad Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum.* Non autem intelligendum est quod transeat de loco ad locum, cum Deus Pater non comprehendatur loco. Hierem. XXIII, 24 : *Cælum et terram ego impleo.* Sed sicut Christus dicitur venisse a Patre non eum descendendo, sed assumendo naturam inferiorem similem nobis, ita et intantum dicitur ad eum rediisse inquantum etiam secundum humanitatem factum est consors paternæ gloriæ. Roman. VI, 10 : *Quod autem vivit, vivit Deo.* Philip. II, 11 : *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.*

Consequenter cum dicit, *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, commendatur fervens Christi dilectio : et hoc quantum ad quatuor. Primo quantum ad hoc quod fuit præveniens, secundum illud I Joan. IV, 10 : *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Et quantum ad hoc dicit : *Cum dilexisset suos,* quasi antea : dilexit, inquam, antequam crearet. Sap. XI, 25 : *Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti.* Dilexit antequam vocaret. Hier. XXXI, 3 : *In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.* Dilexit antequam redimeret. Infra XV, 13 : *Majorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Secundo commendatur ejus dilectio quantum ad hoc quod fuit congrua : quia *dilexit suos.*

Ubi sciendum est quod secundum quod aliqui diversimode sunt sui, secundum hoc a Deo diversimode diliguntur. Sunt autem aliqui sui tripliciter. Primo creatione : et hos diligit conservando eis bona naturæ. Supra I, 2 : *In propria venit, et sui*, per creationem, *eum non receperunt.* Aliqui vero sunt sui dedicatione, qui scilicet nati sunt a Deo Patre per fidem. Infra XVII, 7 : *Tui erant, et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt.* Et hos diligit conservando in bonis gratiæ. Aliqui vero sunt sui speciali devotione. I Paral. XI, 1 : *Tui sumus, o David, et caro tua.* Hos diligit specialiter consolando.

Tertio commendatur dilectio Christi quantum ad hoc quod fuit necessaria : quia *dilexit suos qui erant in mundo.* Nam aliqui sunt sui, qui jam erant in gloria Patris, quia etiam antiqui patres sui erant, inquantum speraverunt liberari per eam. Deut. XXXIII, 3 : *Omnes sancti in manu illius sunt.* Sed isti non tantum indigent hujusmodi dilectione quantum hi qui erant in mundo; et ideo dicit : *Qui erant in mundo*, corpore scilicet, sed non mente. Quarto commendatur quantum ad hoc quod fuit perfecta; unde dicit : *In finem dilexit eos.* Finis autem dicitur dupliciter : quia finis intentionis, et finis executionis. Illud quidem est finis intentionis ad quod nostra ordinatur intentio, et hujusmodi finis debet esse vita æterna, secundum illud Rom. VI, 22 : *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.* Iterum finis hujusmodi Christus debet esse. Rom. X, 4 : *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti.* Et hæc duo sunt unus finis : quia nihil est aliud vita æterna quam fruitio Christi, secundum divinitatem. Infra XVII, 3 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum.* Secundum hoc ergo dicit : *In finem dilexit eos*; ut perduceret in se finem, vel in vitam æternam, quæ nihil aliud est. Hier. XXXI, 3 : *In caritate dilexi te, propterea attraxi te, miserans.* Illud autem est finis executionis quod est terminus rei : et sic mors potest dici finis : ut dicatur : *In finem dilexit eos*, idest in mortem : quod potest habere triplicem sensum. Uno modo, secundum Augustinum, ut quodam humano modo dicatur : Christus dilexit suos usque ad mortem tantum, et non ultra. Sed hic sensus est falsus : absit enim ut dilectionem morte finierit qui non est in morte finitus. Alio modo potest intelligi, ut ly *in* indicet causam ; et sic est sensus : *In finem dilexit eos;* idest, usque ad mortem illum dilectio ipsorum perduxit, Galat. II, 20 : *Dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis.* Tertio modo potest intelligi ut sit sensus : *In finem;* idest, cum multa signa dilectionis ostenderit eis ante, *in finem*, inest circa mortem, majoris eis signa dilectionis ostendit. Infra XVI, 5 : *Hæc ab initio vobis non dixi quia vobiscum eram*: quasi diceret : Non tunc necessarium fuit vobis, ut ostenderem quantum vos diligerem, nisi in recessu, ut sic amor et memoria mei in cordibus vestris profundius imprimeretur.

2. Consequenter cum dicit, *Et cœna facta*, innuit factum, in quo dabat exemplum ; et primo describit horam facti ; secundo subdit dignitatem facientis, ibi, *Sciens itaque Jesus quod omnia dedit ei Pater in manus* etc. ; tertio prosequitur

de facti humilitate, ibi, *Surgit a cœna.* Tempus autem describit ex duobus. Ex uno quod pertinebat ad ejus caritatem, et ex alio quod exaggerabat Judæ [1] iniquitatem, ibi, *Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotes.* Dicit ergo quantum ad primum : *Et cœna facta.* Ubi sciendum est, quod aliter dicitur esse factum in permanentibus, et aliter in successivis. In permanentibus, autem dicitur aliquid esse factum quando pervenit ad perfectionem propriæ speciei et formæ, sicut domus dicitur esse facta quando habet propriam formam : in successivis vero dicitur aliquid esse factum quando jam est consummatum; sicut ludus [2] factus esse dicitur quando est completus. Hoc etiam modo aliquid factum esse dicitur propter quod [3] accipit propriam speciem. Cum ergo dicit, *Et cœna facta*, non intelligendum est quod cœna fuerit completa et peracta : quia postquam lavit pedes discipulorum, recubuit et bucellam tradidit Judæ. Est ergo intelligendum, *Cœna facta*, idest parata, et ad propriam speciem jam perducta : jam enim cœnare inceperant, et postea surrexit. Unde inter cœnandum lavit pedes discipulorum. De ista cœna habetur Luc. XIV, 16 : *Homo quidam facit cœnam magnam.* Differt autem prandium a cœna. Prandium enim dicitur quod fit in prima parte diei ; cœna vero quæ fit in ultima. Sic ergo spiritualis refectio dicitur prandium, secundum quod congruit incipientibus ; cœna vero secundum quod congruit perfectis.

3. Consequenter cum dicit, *Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotes*, describit tempus: ex eo quod exaggerat iniquitatem proditoris : quod quidem describit Evangelista propter duo. Primo quidem ut ostendatur magis iniquitas Judæ, qui inter tot caritatis indicia, et tot humilitatis officia, tantam iniquitatem committere cogitabat. Psal. XL, 10 : *Qui manducabat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Secundo vero ut reddatur magis admirabilis caritas Christi, qui licet hoc sciret, tamen ei caritatis et humilitatis præbens officium, ejus pedes lavit. Psal. CXIX, 6 : *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus.*

Sed numquid diabolus aliquid mittere potest in cor hominis ? Videtur quod sic. In Psalm. LXXVII, 49, enim dicitur : *Immissiones per angelos malos.* Sed ad hoc dicendum, quod id dicitur esse in corde hominis, quod est in cogitatione et voluntate ejus : unde quod dicitur, *Cum jam misissset in cor* etc., intelligendum est, idest in voluntate ejus.

Sed sic mittere in cor, potest esse dupliciter. Directe ; et sic solus ille potest aliquid mittere in cor hominis qui habet potestatem movendi interius voluntatem ejus : et hoc potest solus Deus ; et ideo solus ipse potest directe in voluntatem hominis imprimere. Prov. XXI, 1 : *Cor regum in manu*, idest in potestate, *Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.* Quia vero voluntas movetur ab exteriori objecto sicut a bono apprehenso, inde est quod qui suggerit aliquid esse bonum, dicitur illud mittere in cor hominis, indirecte faciendo ipsum apprehendere aliquid ut bonum, ex quo voluntas movetur. Sed hoc contingit dupliciter : quia aut suggerendo exterius ; et hoc modo etiam homo potest in cor aliquid mittere : aut suggerendo interius ; et hoc modo immittit diabolus. Nam vis imaginativa cum sit corporalis, quando Deus permittit, subjecta est potestati dæmonis. Unde, sive vigilando sive dormiendo, format in ea aliquas species, ex quibus apprehensis movetur voluntas hominis ad aliquid appetendum. Sic ergo immittit diabolus in cor hominis, non directe per modum moventis, sed indirecte per modum suggerentis.

4. Consequenter cum dicit, *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*, agit de dignitate facientis : quia Eccli. III, 20, dicitur : *Quanto major es, humilia te.* Ideo Evangelista dicturus de Christi humilitate, præmittit ejus maximam dignitatem ; et hoc quantum ad quatuor. Primo quantum ad scientiam ; et quantum ad hoc dicit : *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Talia enim sunt spiritualia dona, quod data non ignorantur. I Corinth. II, 12 : *Nos spiritum non hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* Et ideo Christus sciebat ea quæ sibi data erant a Deo. Hoc autem ideo dicit ut humilitas magis sit commendabilis. Quandoque enim contingit quod aliquis magnæ dignitatis est, et tamen propter simplicitatem suam, dignitatem suam non reco-

[1] Al. : « inde. » — [2] Parm. : « mundus. » et infra omittit : « est » — [3] Parm. : « quando. »

gnoscit. Talis ergo si faceret aliquid humile, non reputaretur sibi ad magnam laudem, secundum illud Cantic. I, 7 : *Si ignoras te, pulcherrima inter mulieres*. Sed si aliquis cognoscit suæ dignitatis statum, et tamen affectus ejus ad humilia inclinatur, ejus humilitas est commendanda. Et ideo dicit Evangelista : *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*, tamen non omisit quæ humilia sunt facere. Secundo quantum ad potestatem : *quia omnia dedit ei Pater in manus*; idest, in potestate ejus. Dedit Deus Christo homini ex tempore, quæ tamen fuerunt in potestate Filii ab æterno. Matth. ult. 18 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra*. Dicit autem : *Omnia dedit ei Pater in manus*, propter duo : ut ostendat quod Christus non invitus patiebatur : nam si [1] omnia erant in manu ejus, idest in potestate, manifestum est quod ejus adversarii inde nihil ei contra ejus voluntatem facere poterant. Secundo, quia quando aliquis parvi momenti exaltatur, de facili superbit, nec aliquid humile facit, ne videatur derogare suæ dignitati; sed qui in magno statu existens exaltatur, non negligit humilia : et ideo de dignitate Christi mentionem facit. Tertio quantum ad nobilitatem ejus ; et quantum ad hoc dicit : *Qui a Deo exivit, et ad Deum vadit*. Sap. VIII, 3 : *Contubernium habens Dei*. Quarto quantum ad sanctitatem : quia *ad Deum vadit*. In hoc est sanctitas hominis quod ad Deum vadat. Et hoc ideo ponit infra, quia ex quo ipse ad Deum vadit, proprium est sibi alios ad Deum reducere : quod quidem specialiter fit per humilitatem, et caritatem ; et ideo humilitatis et caritatis eis exemplum præbuit.

LECTIO II.

1. Surgit a cœna ; et ponit vestimenta sua, et cum accepisset linteum, præcinxit se. 2. Deinde misit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo quo erat præcinctus. 3. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dixit ei Petrus : Domine, tu mihi lavas pedes ? 4. Respondit Jesus, et dixit ei : Quod ego facio tu nescis modo : scies autem postea. 5. Dixit ei Petrus : Non lavabis mihi pedes in æternum. 6. Respondit ei Jesus : Si non lavero te, non habebis partem mecum. 7. Dixit ei Simon Petrus : Domine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput. 8. Dixit ei Jesus : Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet : sed est mundus totus. 9. Et vos mundi estis ; sed non omnes. 10. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum : propterea dixit : Non estis mundi omnes.

1. Postquam Evangelista commendavit Christi majestatem, hic commendat ejus humilitatem, quam ostendit in pedum ablutione. Et primo præmittitur præparatio Christi ad humilitatis obsequium ; secundo describitur ipsum obsequium, ibi, *Deinde misit aquam in pelvim* etc. Cicra primum sciendum est, quod Christus in humilitatis obsequio se ministrum exhibet, secundum illud Matth. xx, 28 : *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis*. Ad bonum autem ministrum tria requiruntur. Primo quod sit circumspectus ad omnia videnda quæ deesse possunt ministerio ; et hoc maxime impediretur, si sederet vel jaceret : unde ministrorum est stare ; et ideo dixit, *Surgit a cœna*. Luc. XXII, 27 : *Quis major est, qui recumbit, an qui ministrat ?* Secundo, quod sit expeditus ut possit omnia congrue peragere quæ necessaria sunt ministerio ; et ad hoc multum impedit vestium multitudo : et ideo Dominus *ponit vestimenta sua*. Quod quidem significatum est Gen. XVII, quod Abraham elegit expeditos vernaculos. Tertio, quod sit promptus ad serviendum, ut scilicet omnia habeat quæ ad ministerium necessaria sunt. Luc. x, 40, dicitur de Martha, *quod satagebat circa frequens ministerium*. Et inde est quod Dominus *cum accepisset linteum, præcinxit se*, ut sic paratus esset non solum ad lavandum pedes, sed etiam ad tergendum : ex quo universum conculcat tumorem, dum is qui ad Deum vadit et a Deo exivit, pedes lavit.

Mystice autem potest hoc factum ad duo referri : scilicet ad incarnationem Christi, et ad passionem ejus. Si quidem referatur ad incarnationem, sic tria hic accipiuntur de Christo. Primo quidem voluntas subveniendi humano generi, in hoc quod *surgit a cœna* : nam Deus quamdiu patitur nos tribulari, residere videtur ; sed cum nos a tribulatione eripit, videtur exurgere. Psal. XLIII, 26 : *Exurge, Domine, adjuva nos*. Secundo exinanitio ejus : non quidem quod suæ

[1] Al. omittitur : « si. »

dignitatis majestatem deponeret, sed eam occultaret, parvitatem nostram [1] assumendo. Isai. XLV, 15 : *Vere tu es Deus absconditus*. Et hoc signatur in hoc quod *ponit vestimenta sua*. Philip. II, 7 : *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*. Tertio assumptio nostræ mortalitatis in hoc quod *præcinxit se linteo*. Philipp. II, 7 : *Formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*. Si vero referatur ad passionem Christi, tunc ad litteram vestimenta deposuit quando milites exuerunt eum, et super vestem suam miserunt sortem : infra XIX. Tunc etiam linteo præcinctus est in sepulcro. In passione etiam deposuit vestimenta nostræ mortalitatis, et assumpsit linteum, idest candorem immortalitatis. Rom. VI, 9 : *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur*.

2. Consequenter cum dicit, *Deinde misit aquam in pelvim* etc., ponit Christi obsequium : in quo commendatur ejus humilitas quantum ad tria. Primo quidem quantum ad obsequii genus ; quod fuit valde humile, ut Dominus majestatis se ad lavandum pedes servorum inclinaret ; secundo quantum ad obsequii multitudinem, quia misit aquam in pelvim, lavit pedes, et tersit etc. ; tertio quantum ad faciendi modum, quia non per alios, nec aliorum subsidio, sed per seipsum. Eccli. III, 20 : *Quanto major es, humilia te in omnibus*.

Mystice autem per hæc, tria possunt intelligi. Nam primo per hoc quod aquam misit in pelvim, signatur effusio sanguinis ejus in terram. Sanguis enim Jesu aqua dici potest, quia habet vim ablutivam. Apoc. I, 5 : *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*. Et inde est quod simul exivit aqua et sanguis de latere ejus, ut daretur intelligi quod sanguis ille peccatorum ablutivus esset. Vel per aquam potest intelligi passio Christi : nam in Scriptura aqua tribulationes significat. Psal. LXVIII, 1 : *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam*, idest tribulationes. *Misit* ergo *aquam in pelvim* ; idest, memoriam passionis fidelium animabus impressit per fidem et devotionem. Thren. III, 19 : *Recordare paupertatis meæ et transgressionis meæ, absinthii et fellis*. Secundo per hoc quod dixit, *Et cœpit lavare*, insinuatur humana imperfectio : nam Apostoli post Christum perfectiores erant, et tamen lotione indigebant aliquas habentes immunditias : ut sic detur intelligi quod quantumcumque homo sit perfectus, nihilominus tamen magis perfici indiget, et aliquas immunditias contrahit : secundum illud Prov. XX, 9 : *Quis potest dicere : Mundum est cor meum, et purus sum a peccato?* Sed tamen hujusmodi immunditias habent in pedibus tantum. Quidam autem non solum in pedibus, sed etiam totaliter sunt infecti. Illi enim totaliter terrenis immunditiis sordidantur qui supra eas jacent : unde qui totaliter et secundum affectum et secundum sensum amori terrenorum inhærent, totaliter immundi sunt ; sed illi qui stant, idest mente et desiderio tendunt ad cœlestia, immunditiam contrahunt solum in pedibus. Sicut enim hominem stantem oportet ad minus pedibus terram contingere, ita quamdiu vivimus in hac vita mortali, quæ rebus terrenis ad sustentationem corporis indiget, ad minus ex parte sensualitatis aliquid mundanum [2] contrahimus. Et ideo Dominus præcepit discipulis, Luc. IX, quod excuterent pulverem de pedibus eorum. Dixit autem, *Cœpit lavare*, quia ablutio affectuum terrenorum hic incipit, et in futuro consummatur. Tunc enim implebitur quod dicitur Isa. XXXV, 8 : *Via sancta vocabitur*. Sed attendendum, secundum Origenem, quod discipulorum pedes imminente passione cœpit lavare : quia si diu ante lavisset eos, fuissent iterum sordidati. Unde tunc incepit quando post modicum abluturus erat eos aqua Spiritus sancti, scilicet post passionem. Actor. I, 5 : *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies*. Sic ergo apparet sanguinis ejus effusio per hoc quod misit aquam in pelvim ; et peccatorum nostrorum ablutio per hoc quod cœpit lavare pedes discipulorum. Apparet tertio pœnarum nostrarum in seipso susceptio : non enim solum maculas nostras lavit, sed pœnas pro eis debitas in seipso assumpsit. Non enim pœnæ et pœnitentiæ nostræ sufficerent, nisi fundarentur in merito et virtute passionis Christi. Quod quidem apparet in hoc quod extersit pedes discipulorum

[1] Parm. omittit : « nostram. » — [2] Parm. omittit : « mundanum. »

linteo, scilicet corporis sui : I Petr. II : *Peccata nostra pertulit in corpus suum super lignum.*

3. Consequenter cum dicit, *Venit ergo ad Simonem Petrum* etc., ponit exempli utilitatem per quamdam concertationem discipuli et magistri : in qua quidem concertatione Dominus ostendit de isto exemplo, primo quod sit mysticum, et quod sit necessarium, ibi, *Dixit ei Petrus* : *Non lavabis mihi pedes;* secundo quod sit congruum, ibi, *Dixit ei Simon Petrus* : *Domine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput.* Circa primum duo facit. Primo ponitur occasio verborum Christi; secundo ipsa verba Christi subduntur, ibi, *Respondit Jesus, et dixit ei* etc. Occasio quidem verborum Christi fuit recusatio Petri recusantis suscipere humilitatis exemplum : et hoc est quod dicit : *Venit ergo ad Simonem Petrum* etc. Quod quidem tripliciter exponitur. Primo quidem, secundum Origenem, quod Dominus cœpit lavare ab ultimis; et hoc ideo, quia sicut medicus plurimorum ægrorum intentus curæ, ab his qui magis indigent, propriam curam incipit; sic et Christus, qui pedes abluit discipulorum fœdos, exorditur ab his qui erant magis fœdi, et sic venit ad Petrum quasi minus aliis indigentem. Matth. xx, 8 : *Incipiens a novissimis usque ad primos.* Et hoc quidem sonare videntur verba Evangelii : *Cœpit lavare pedes discipulorum*; et postmodum sequitur : *Venit ergo ad Simonem Petrum.* Ex quo videtur quod prius lavit pedes aliorum.

Si vero quæratur quare Petrus hoc præ aliis recusavit, respondet Origenes, quia hoc fecit propter nimium fervorem amoris quem habebat ad Christum. Alii vero discipuli cum timore quodam reverebantur Christum; et ideo absque discussione causæ factum [1] sustinebant. Petrus vero eis ferventior : secundum illud Joan. ult., 15 : *Simon Jona diligis me plus his? Dicit ei : Etiam, Domine, tu scis quia amo te* : ex amore fiduciam assumens, ferre recusat factum, et causam inquirit. Eccli. VI, 11 : *Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi coæqualis, et in domesticis tuis fiducialiter aget.* Et ideo Petrus invenitur in Scriptura frequenter inquirere, et prompte proferre quæ sibi meliora videntur.

Secundo exponitur, secundum Chrysostomum, ut scilicet Christus inceperit prius lavare pedes a primis Apostolorum. Sed quia proditor ille stultus erat et superbus, scilicet Judas, prior ad pedum ablutionem recubuit ante Petrum. Nullus enim aliorum ausus fuisset Petrum prævenire : unde de Juda loquitur Evangelista, dicens : *Cœpit lavare pedes discipulorum*, scilicet Judæ, qui quidem utpote superbus et stultus, in nullo renisus est, nec recusavit ferre quod Dominus faciebat. Sed postquam venit ad Petrum, qui reverebatur et diligebat magistrum cum timore recusat, et causam facti inquirit : et simile fecisset quilibet aliorum.

Tertio vero exponitur, secundum Augustinum, quod ex verbis Evangelistæ non debemus intelligere quod Dominus laverit prius pedes aliis discipulis, et postmodum venerit ad Petrum; sed quod Evangelista, secundum consuetudinem suam, primo ponit factum, et postmodum narrat ordinem facti, sicut et supra VI, facit. Unde primo insinuat totum factum, scilicet quod lavit pedes discipulorum; et postmodum si quæratur quomodo factum fuit, dicit quod primo venit ad Simonem Petrum. Et ideo primo ipse recusavit dicens : *Domine, tu mihi lavas pedes?* Quæ quidem verba magnum pondus habent. *Domine*, inquit, *tu*, qui es Filius Dei vivi, *mihi lavas pedes?* qui sum Simon Bariona, idest Simon Jona, Matth. XVI. Item *Domine, tu*, qui es agnus incontaminatus, speculum sine macula, et candor lucis æternæ, *mihi lavas pedes*, qui homo peccator sum? secundum illud Luc. V, 8 : *Exi a me, quia homo peccator sum. Domine, tu*, qui es creator, *mihi lavas pedes*, qui sum creatura, et modicæ fidei? Hæc dicebat Petrus territus ex consideratione majestatis Christi : secundum illud Habac. III, 1 : *Consideravi opera tua, et expavi.*

4. Consequenter cum dicit, *Respondit Jesus* etc., ponuntur verba Christi, ex quibus ostenditur factum illud esse mysticum : unde dixit ei : *Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea.* Quod quidem factum, exemplum est et mysterium. Exemplum quidem humilitatis [2] exhibendæ. Infra eodem : *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Mysterium autem interioris mundationis. Infra eodem : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavit* etc.

[1] Parm. : « absque discussione omne factum .» —[2] Parm. : « humanitatis. »

Dupliciter ergo potest intelligi hoc quod dicit, *Quod ego facio*. Uno modo : *Quod ego facio*, idest, quomodo ego facio in exemplum, *tu nescis modo*, idest non intelligis : *scies autem postea*, tunc scilicet quando exposuit eis dicens : *Scitis quid ego fecerim vobis?* infra eodem. Alio modo: *Quod ego facio, tu nescis modo*; idest, hoc mysterium est, et secretum est, et significat interiorem mundationem, quæ non potest fieri nisi per me, quod non intelligis modo; *scies autem postea*, scilicet recipiens Spiritum sanctum. Infra XVI, 12 : *Multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

5. Consequenter cum dicit, *Dixit ei Petrus* etc., ostendit factum illud esse mysticum : et primo ponit verba Petri præstantia occasionem verbis Christi ; secundo subjungit Christi verba. Dicit ergo primo Petrus : *Non lavabis mihi pedes in æternum*, idest nunquam ; quasi diceret : Absit a me ut hoc sustineam a Magistro, Domino et Deo meo. Et licet Petrus hoc ex zelo faceret, ejus tamen zelus indiscretus et inordinatus erat. Rom. X, 2 : *Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam.* Qui quidem zelus inordinatus erat propter tria. Quia recusat quod utile erat et necessarium : nam, sicut dicitur Roman. VIII, 26, *Quid oremus, sicut oportet, nescimus :* et ideo indiscrete recusamus recipere quod Deus nobis largitur, etiam si contrarium videatur. Sic etiam et Paulus petebat remotionem stimuli, II Corinth. XI, qui tamen ei utilis erat. Item, quia videtur quamdam irreverentiam ad Christum importare in hoc quod ejus ordinationem intelligere [1] vult. Item, quia videtur vergere in derogationem sociorum, dum quod alii, secundum Origenem, a Christo absque contradictione susceperant, ipse accipere recusabat, dicens : *Non lavabis mihi pedes in æternum.*

6. Et ideo redarguit eum Dominus dicens : *Si non lavero te, non habebis patrem mecum* : quod quidem ad duo referri potest, videlicet ad factum quod Christus faciebat, et ad signatum ejus. Sed si quidem referatur ad signatum, tunc planum est quod dicitur. Nullus enim æternæ hereditatis particeps fieri potest et Christi coheres, nisi spiritualiter sit mundatus : quia hoc dicitur Apoc. XXI, 27 : *Nihil coinquinatum intrabit* [2]. In Psal. XIV, 1 : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* Et respondens subdit: *Innocens manibus et mundo corde.* Quasi ergo dicat : *Si non lavero te*, non eris mundus ; et si non es mundus, *non habebis partem mecum.*

Sed si referatur ad factum, tunc dubium est utrum hæc ablutio sit de necessitate salutis. Ad quod dicendum est, quod sicut quædam sunt prohibita quia mala, et quædam mala quia prohibita, ita quædam sunt præcepta quia necessaria, et quædam necessaria quia præcepta. Hoc ergo ablutionis factum de quo Dominus dicit, *Si non lavero, te non habebis partem mecum*, in se consideratum non est necessarium ad salutem ; sed supposito quod mandetur a Christo, jam factum est necessarium. I Reg. XV, 22 : *Melior est obedientia quam victima* : et ita, *quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.*

Dicit ei Simon, etc. Hic ostendit factum illud esse congruum. Et ponuntur primo verba Petri ; secundo subditur responsio Christi. Sed in verbis Petri insinuatur ferventissimus amor ejus ad Christum. Nam supra, quando Dominus dixit ei, *Quod ego facio, tu nescis modo*, dederat ei intelligere hoc factum utile fore ; tamen, hac utilitate neglecta, induci non poterat ad pedum ablutionem recipiendam. Sed quando Dominus comminatus est separationem suam ab ipso, dicens, *Non habebis partem mecum*, non solum ad illa, sed ad ulteriora recipienda se obtulit dicens : *Domine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput.* In hac enim responsione territus totum se offert ad abluendum, amore turbatus et timore. Ut enim legitur in itinerario Clementis Petrus adeo afficiebatur ad Christi corporalem præsentiam, quam ferventissime dilexerat, quod post Christi ascensionem cum dulcissimæ præsentiæ et sanctissimæ conversationis memor erat, totus resolvebatur in Lacrymas, ita ut genæ ejus viderentur adustæ.

Sciendum est autem, quod in homine tria sunt: caput, quod est summum ; pedes, qui sunt infimi ; manus, quæ sunt mediæ. Et similiter in interiori homine, scilicet in anima, est caput, ratio scilicet superior, qua anima inhæret Deo : I Cor. XI, 3 : *Caput mulieris vir*, idest superior ratio : manus autem, idest inferior ratio, quæ vacat operibus activæ : pedes autem

[1] Parm. : « infringere. » — [2] Al.: « incurrit. »

sunt [1] sensualitas. Sed Dominus sciebat discipulos suos mundos quantum ad caput, quia Deo conjuncti erant per fidem et caritatem; et quantum ad manus, quia eorum sancta opera: sed quantum ad pedes, aliquos effectus terrenorum ex sensualitate habebant. Petrus autem timens Christi comminationem, consentit non solum ad ablutionem pedum, sed etiam manus et capitis, dicens: *Domine non tantum pedes meos sed et manus et caput*; quasi dicat: Nescio an indigeam ablutione manus et capitis: *nihil enim mihi* [2] *conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*: I Cor. IV, 4, et ideo paratus sum lavare *non tantum pedes*, idest affectus inferiores: Cant. V, 5: *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos*: *sed et manus*, idest opera: Psalm. XXV, 6: *Lavabo inter innocentes manus meas*: *et caput*, idest rationem superiorem. Matth. VI, 17, *Faciem tuam lava.*

8. Consequenter cum dicit, *Dixit eis Jesus*, ponitur responsio Domini. Et primo dat quoddam generale documentum; secundo adaptat illud ad propositum, ibi, *Et vos mundi estis, sed non omnes;* tertio Evangelista exponit verba Christi ibi, *Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum*, Dicit ergo primo: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet*; *sed est mundus totus*; supple, præter pedes, quibus terram tangit. Per quod datur intelligi quod Apostoli jam baptizati erant. Dicit enim: *Qui lotus est* etc.; et postea subdit: *Vos mundi estis* etc.: quia scilicet baptizati erant.

Sed quidam dicunt, quod baptizati erant solum baptismate Joannis: quod non videtur verum, quia sic non erant loti: nam baptisma Joannis non mundabat interius a culpa. Et ideo dicendum. quod baptizati erant baptismo Christi, secundum Augustinum.

Et si objicis, quod Christus [3] non baptizabat sed disciputi ejus, ut dicitur supra IV, dico, quod non baptizabat turbas; sed discipulos suos sibi familiares et domesticos baptizavit.

Sed cum baptismus abstergat etiam sordes pedum, videtur quod qui lotus est, idest baptizatus non indiget ut [4] pedes lavet. Sed ad hoc dicendum, quod si statim post baptismum transirent de mundo, non utique indigerent hac ablutione; quia cum sint mundi toti, statim evolarent. Sed qui post baptismum vivunt in hac vita mortali non possunt ad tantum culmen perfectionis ascendere quin etiam inordinati motus sensualitatis de affectibus terrenis insurgant: et ideo oportet quod pedes lavent: vel per martyrium, quod est baptismus sanguinis, vel per pœnitentiam, quæ est baptismus flaminis, ut evolare possint.

9. Consequenter cum dicit, *Et vos mundi estis, sed non omnes* adaptat Dominus ad propositum generale documentum.

Sed si mundi erant, quare iterum Dominus eos abluebat? Ad quod Augustinus dicit, quod mundi erant quantum ad manus et caput: sed indigebant quantum ad pedes. Chrysostomus vero dicit, quod mundi erant non quidem simpliciter, quia nondum mundi erant ab immunditia originali; cum nondum Christus passus esset, nondum solutum esset pretium nostræ redemptionis: sed quantum ad aliquid, mundi erant, scilicet ab erroribus Judæorum. Origenes vero dicit, quod mundi erant, sed adhuc majori mundatione opus erat: quia semper ratio æmulari debet charismata meliora, semper debet virtutum alta conscendere, justitiæ candore nitescere. Apocal. ult. 2: *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Sed non omnes*: quia unus eorum et caput et manus immundas habebat.

10. Et ideo consequenter Evangelista ponit verba Domini, dicens: *Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum*; quasi dicat: Ideo dixit, *Non omnes*, quia sciebat immunditiam Judæ proditoris. Duo enim hominem universaliter emundant: scilicet eleemosyna et misericordia in pauperes: Luc. XI, 41: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis:* et amor Dei: Luc. VII, 47: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Prov. X, 12: *Universa delicta operit caritas.* Hæc autem duo deficiebant Judæ. Misericordia quidem, quia fur erat, et loculos habens, et defraudabat eleemosynas pauperum. Item amor ad Christum, quia jam diabolus miserat in cor ejus ut traderet eum principibus sacerdotum ad crucifigendum etc.

[1] Al. deest: « sunt. » — [2] Al. omittitur: « mihi. » — [3] Al. deest: « Christus. » — [4] Al.: « nisi ut. »

LECTIO III.

1. Postquam ergo lavit pedes eorum, accepit vestimenta sua, et cum recubuisset iterum, dixit eis : 2. Scitis quid fecerim vobis ? Vos vocatis me Magister et Domine : et benedicitis : sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. 3. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. 4. Amen amen dico vobis : non est servus major domino suo, neque Apostolus major est eo qui misit illum. 5. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. 6. Non de omnibus vobis dico. Ego scio quos elegerim. 7. Sed ut adimpleatur Scriptura : Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum. 8. Amodo dico vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis quia ego sum. 9. Amen amen dico vobis : qui accipit si quem misero, me accipit; qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.

1. Postquam Dominus ostendit humilitatis obsequium esse necessarium, hic consequenter inducit ad imitationem : et primo præmittit circumstantias admonitionis ; secundo ipsam admonitionem proponit, ibi, *Scitis quid fecerim vobis ?* etc. Circa primum duo facit. Primo insinuat Evangelista admonitionis ordinem ; secundo manifestat admonentis dispositionem, ibi, *Accepit vestimenta sua* etc. Ordo autem admonitionis est ut quod primo fecit opere, doceat sermone ; et quantum ad hoc dicit : *Postquam ergo lavit pedes eorum, accepit vestimenta sua* etc. Act. I, 1 : *Cœpit Jesus* [1] *facere et docere*. Matth. V, 19 : *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum*. Dispositio autem admonentis insinuatur et quantum ad habitum, et quantum ad situm. Ad habitum quidem ; quia diversus habitus diversis personis convenit, secundum propriorem actuum diversitatem. Eccl. XIX, 27 : *Amictus* [2] *hominis annuntiat de illo*. Alius ergo habitus competit ministro, alius doctori. Ministro autem, quia debet esse expeditus ad obsequium, competit ut vestium impedimenta deponat ; et ideo Christus cum ministrare voluit, *surgit a cœna, et ponit vestimenta sua*. Doctori [3] autem, qui debet esse gravis, et auctoritate præeminens, competit vestium decens ornatus : et ideo Dominus docere volens, *accepit vestimenta sua*. Quantum ad situm vero: quia ministrare volens, surrexit ; unde dicit, *Surrexit a cœna* ; nunc autem volens docere, recumbit: unde dicit: *Et cum recubuisset iterum, dixit eis* ; et hoc ideo, quia doctrina debet esse in tranquillitate. Sedendo enim et quiescendo anima fit sapiens et prudens.

Possunt hæc tria habere mysterium. Cum enim Christus perfectam doctrinam discipulis præbuerit, quando Spiritum sanctum eis misit. Infra XIV, 26 : *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ipse vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*. Tria præcesserunt ipsam missionem. Scilicet peccatorum ablutio per passionem. Apoc. I, 5 : *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*. Et quantum ad hoc dicit : *Postquam ergo lavit pedes eorum*, idest, impleta purgatione per sanguinem. Item resurrectio : Christus enim ante passionem suam mortale corpus habuit : quæ quidem mortalitas non competebat ei ex parte personæ Filii Dei, sed ex parte humanæ naturæ assumptæ : sed postquam resurrexit ex virtute divinitatis, accepit corporis immortalitatem : et quantum ad hoc dicit : *Accepit vestimenta sua*; idest, surgens factus est immortalis. Et dicit *sua*, quia sua virtute immortalitatem [4] accepit. Rom. VI, 10 : *Quod autem vivit, vivit Deo*, idest virtute Dei. De istis vestimentis dicitur Apoc. III, 5 : *Qui vicerit, vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ*. Item præcessit sessio ; et hoc in ascensione. Infra XVI, 7 : *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos* etc. Et quantum ad hoc dicit : *Cum recubuisset iterum*, scilicet ad dexteram Patris residens et sedens. Marc. ult. 19 : *Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est, assumptus est in cœlis, et sedet a dextris Dei* [5]. Et dicit *iterum*, non quod inquantum Filius Dei unquam sedere desierit, quinimmo ab æterno est in sinu Patris ; sed quia inquantum homo exaltatus est ad potiora bona Patris. Phil. II, 9 : *Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen*. Sic ergo antequam Spiritum sanctum perfecte docentem infunderet, lavit sanguine fuso ; accepit vestimenta, resurgendo ; recubuit, in gloria ascendendo.

2. Consequenter cum dicit, *Scitis quid fecerim vobis?* proponit ipsam admonitio-

[1] Al. omittitur : « Jesus. » — [2] Al.: « amicus. » — [3] Al.: « doctor. » — [4] Parm. omittit : « immortalitatem. » — [5] Al. : « a dextris Dei Patris omnipotentis. »

nem : et primo interrogat; secundo assumit; tertio concludit; quarto conclusionem confirmat. Interrogat quidem, cum dicit : *Scitis quid fecerim vobis?* quasi dicat : Facta quidem vidistis, sed tamen quare hoc fecerim, non intelligitis : et ideo sic quærit ut ostendat facti magnitudinem, et ad considerandum inducat. Opera enim Dei consideranda sunt, quia sunt [1] profunda. Psalm. xci, 6 : *Quam magnificata sunt opera tua, Domine. Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.* Vix enim sufficienter opera Dei scire possumus : secundum illud Eccle. viii, 17 : *Intellexi quod rationem operum Dei nullam possit homo invenire.* Sunt etiam delectabilia ad considerandum. Psalm. xci, 5 : *Delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exultabo.* Sunt etiam utilia, quia ducunt in cognitionem auctoris. Sap. xiii : *Si operibus intendissent* etc. Supra v, 36 : *Opera enim quæ dedit mihi Pater ut faciam, ipsa sunt quæ testimonium perhibent de me.* Potest etiam, secundum Origenem, hoc quod dicitur, *Scitis quid fecerim vobis?* accipi imperative; quasi dicat : Sciatis quid fecerim vobis. Et tunc hoc dicit Dominus, ut eorum erigat intellectum.

Assumit eorum confessionem, dicens : *Vos vocatis me Magister et Domine.* Et primo proponit eorum confessionem; secundo commendat eam, ibi, *Et bene dicitis.* Circa primum sciendum est, quod Apostolus, I Corinth. i, duo dicit de Christo : scilicet quod sit Dei virtus et Dei sapientia. Inquantum est virtus Dei, omnibus dominatur; ut enim dicit Ambrosius, *Dominus nomen est potestatis*; inquantum est Dei sapientia, omnes instruit; et ideo discipuli vocabant eum Dominum. Supra vi, 69 : *Domine, ad quem ibimus?* Et magistrum. Supra iv, 31 : *Rabbi, manduca.* Et merito : ipse enim Dominus est solus creans et recreans. Psalm. xcix, 3 : *Scitote quoniam ipse est Dominus* : ipse solus est magister interius docens : Matth. xxiii, 10 : *Magister vester unus est Christus, omnes autem vos fratres estis.* Consequenter cum dicit, *Et bene dicitis*, commendat eorum confessionem. Circa quod sciendum est, quod aliquid redditur commendabile dupliciter. Uno modo si id quod dicitur conveniat rei de qua dicitur; quod fit per veritatem, quia si sit falsum, non convenit ei : unde bene dicitur Ephes. iv, 25 : *Deponentes mendacium loquimini veritatem.* Adeo enim vitanda sunt mendacia, ut etiam si cedere [2] videantur ad laudem Dei, non sunt dicenda. Quantum ad hoc ergo dicit, *Bene dicitis*; et hoc ideo, quia verum est quod dicitis; quia competit mihi : *sum etenim*, scilicet Magister et Dominus. Magister, inquam, propter sapientiam quam doceo verbis; Dominus propter potentiam quam ostendo miraculis. Alio modo redditur commendabile, si quod dicitur conveniat personæ dicentis. Aliqui enim sunt qui vocant Christum Magistrum et Dominum, quibus non competit, cum non subjiciant se disciplinæ et mandato Dei; et isti non bene dicunt : unde Matth. xxvi, 12, illis qui dicunt, *Domine aperi nobis*, respondetur : *Amen amen dico vobis, nescio vos* : quia hoc non corde dicunt, sed ore tantum. Istud Apostoli bene dicebant, quia hoc eis competebat : unde dicit eis, *Et bene dicitis*, idest verum : *sum etenim*, scilicet vobis [3] Magister et Dominus : nam me auditis ut Magistrum : supra vi, 69 : *Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes* : me [4] sequimini ut Dominum : Matth. xix, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te.*

Sed contra hoc est quod dicitur Prov. xxvii, 2 : *Laudet te alienus, et non os tuum; extraneus, et non labia tua.* Videtur ergo quod Dominus non bene fecerit laudando se. Sed ad hoc respondet Augustinus dupliciter. Uno modo, quia vituperabile est quod quis se commendet propter periculum superbiendi : nam periculosum est sibi placere cui [5] cavendum est superbire. Ubi ergo non imminet periculum superbiendi, non est vituperium propria commendatio. In Christo autem hoc periculum non timebatur; ille enim qui super omnia est, quantumcumque se laudet, non se extollit excelsius. Alio modo, quia aliquando laudabile est quod homo se commendet, quando scilicet cedit ad utilitatem fidelium : et sic Apostolus commendat se, II Corinth. xi. Sed valde nobis utile est, et per omnem modum necessarium, ut Deum cognoscamus, cum in hoc consistat tota perfectio nostra : unde expedit nobis ut revelet nobis magnitudinem suam; alioquin nullo modo

[1] Parm. omittit : « sunt. » — [2] Al. : « credere. » — [3] Al. : « verbis. » — [4] Parm. omittit : « me. » — [5] Al. : « cum. »

eam scire possemus, si non indicet se ipse qui novit : et ideo oportet quod ipse se nobis laudet, quia, ut dicit Augustinus, si non se laudando quasi arrogantiam vitare voluerit, nobis sapientiam denegabit. Eccl. XXIV, 1 : *Sapientia laudabit animam suam.*

Concludit vero cum dicit : *Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes.* Ubi arguit ab eo quod minus videtur ad id quod magis. Minus enim videtur quod major debeat facere aliquid humile, quam minor; et secundum hoc concludit : *Si ergo ego*, qui sum major, quia Magister et Dominus, *lavi pedes vestros, et vos* multo magis, qui estis minores, qui estis discipuli et servi, *debetis alter alterius lavare pedes.* Matth. XX, 26 : *Qui major est vestrum, sit vester minister..... nam Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.*

Sed contra, videtur quod hoc quod dicitur, *Vos debetis alter alterius lavare pedes*, habeat rationem præcepti : sed qui negligit præceptum peccat mortaliter; ergo etc. Responsio. Dicendum, secundum Augustinum, quod omnis homo debet lavare pedes alterius vel corporaliter vel spiritualiter; et multo melius est, et sine controversia verius, ut aliquis faciat opere, ne dedignetur [1] quod fecit Christus, facere Christianus. Cum enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipso vel [2] excitatur, vel, si jam inerat, confirmatur humilitatis [3] affectus. Quod si non fiat opere, saltem hoc corde facere debemus. In lotione enim pedum datur intelligi ablutio [4] macularum. Tunc ergo spiritualiter lavas pedes fratris tui, cum, quantum in te est, abluis maculas ejus. Et hoc fit tripliciter : remittendo scilicet ei offensam : secundum illud Coloss. III, 13 : *Donantes invicem vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam; sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos.* Item orando pro peccatis ejus : secundum illud Jacob. ult. 16 : *Orate pro invicem ut salvemini.* Et iste duplex lavandi modus commmunis est omnibus fidelibus. Tertius modus pertinet ad prælatos, qui lavare debent remittendo peccata auctoritate clavium : secundum illud infra XX, 22 : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Possumus etiam dicere, quod hoc in facto Dominus ostendit omnia opera misericordiæ. Nam qui dat panem esurienti, pedes ejus lavat, similiter qui eum hospitio recipit, et qui operit nudum, et sic de aliis. Roman. XII, 13 : *Necessitatibus sanctorum communicantes.*

3. Confirmat autem conclusionem cum dicit : *Exemplum enim dedi vobis* etc., et hoc quidem ex quatuor. Primo quidem ex sua intentione ; secundo vero ex auctoritate, ibi, *Amen amen dico vobis;* tertio ex præmio quod ipsi operi debetur, ibi, *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea*; quarto ex dignitate eorum quibus pedes lavat, ibi : *Amen amen dico vobis : qui accipit, si quem misero, me accipit.* Dixit ergo, quod hoc ideo feci ut darem vobis exemplum : et ideo *debetis alter alterius lavare pedes* : quia hoc in facto illo intendebam. Nam in actibus hominum plus movent exempla quam verba. Id enim homo agit et eligit quod videtur ei bonum : unde magis ostendit esse bonum quod ipsemet eligit, quam quod docet esse eligendum. Et inde est quod quando aliquis dicit aliquid, et tamen aliud facit, magis suadet aliis quod facit, quam illud quod docet : et ideo maxime necessarium est ex ipso facto exemplum dare. Sed exemplum quidem puri hominis humano generi non erat sufficiens ad imitandum : tum quia ratio humana ab omni consideratione deficit; tum quia in ipsa rerum consideratione decipitur : et ideo datur nobis exemplum Filii Dei, quod est infallibile [5], et ad omnia sufficiens. Unde dicit Augustinus : « Quæ superbia non sanatur, si humilitate divina non sanatur; » similiter quæ avaritia ; et sic de aliis. Sed attende, quod satis convenienter Filius Dei est nobis in exemplum virtutum : ipse enim est ars Patris, ut sicut fuit exemplar creationis, esset etiam exemplar justificationis. I Pet. II, 21 : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.* Job XXIII, 11 : *Vestigia ejus secutus est pes meus : viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea.*

4. Consequenter cum dicit, *Amen amen dico vobis : non est servus major domino suo* etc., confirmat conclusionem ex auctoritate : et primo tangit discipulorum conditionem; secundo ipsorum officium.

[1] Al. : « ne dignetur. » — [2] Al. deest : « vel. » — [3] Parm.: « humanitatis. » — [4] Parm.: « lotio. » — [5] Al. : « ineffabile. »

Conditio autem discipulorum est quod sunt servi. Luc. xvii, 10 : *Cum omnia bene feceritis, dicite quia servi inutiles sumus.* Officium autem eorum est quod sint Apostoli. Luc. vi, 13 : *Elegit duodecim, quos Apostolos nominavit.* Sic ergo dicit : Dico, quod *debetis alter alterius lavare pedes, sicut et ego lavi* : quia *non est servus major domino suo,* quantum ad primum, *neque Apostolus,* idest missus, *major eo qui misit illum.* Licet autem ipse Filius Dei, qui est Apostolus confessionis nostræ, ut dicitur ad Hebr. iii, sit æqualis illi qui misit eum, scilicet Patri : de omnibus tamen aliis verum est quod hic dicitur : *Neque Apostolus major est eo qui misit illum.*

Sed contra : infra enim xv, 15, Dominus dicit discipulis suis : *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus.* Respondeo dicendum, quod duplex est servitus. Una, quæ procedit ex timore filiali, quæ facit bonum servum : secundum illud Matth. xxv, 23 : *Euge, serve bone et fidelis* : et hoc modo Dominus vocat eos servos. Alia est servitus quam facit timor servilis : de qua dicitur Matth. xviii, 32 : *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me:* et de hac dicit Dominus : *Jam non dicam vos servos* etc.

5. Consequenter cum dicit, *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea,* confirmat conclusionem ex præmio : et primo proponit præmium ; secundo excipit aliquem ab eo, ibi, *Non de omnibus vobis dico.* Dicit ergo : *Si hæc scitis* ; quasi dicat : Tu hæc dicis nobis, quæ quidem non ignoramus. Quare ergo dicis nobis ? Ideo, inquam, quia et *si hæc scitis,* quod quidem est omnium, tamen *beati eritis, si feceritis ea,* quod est paucorum. Et dicitur, *Si scitis et feceritis,* scilicet quia, ut dicitur Luc. 11, 29 : *Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.* Et Psal. cx, 10 : *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* E contra dicitur Jacob. iv, 17 : *Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi.*

6. Excipit autem quemdam [1], cum dicit : *Non de omnibus vobis dico* : et primo proponit exceptionem ; secundo assignat exceptionis rationem, ibi, *Sed ut impleatur Scriptura* ; tertio assignat rationem quare ponit exceptionem, ibi, *Amodo dico vobis priusquam fiat.* Circa primum duo facit. Primo ponit exceptionem ; secundo respondet tacitæ quæstioni. Exceptionem ponit cum dicit : *Non de omnibus vobis dico,* etc. ; quasi dicat : Beati eritis, tamen non omnes : quia *non dico de omnibus vobis,* quod ad beatitudinem perveniatis. I Corinth. ix, 24 : *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.* Est enim aliquis inter vos, idest Judas, qui non erit beatus ; neque faciet ea. Sed, secundum Origenem, Dominus non dicit, *Beati eritis* absolute, sed apposuit conditionem, dicens : *Si feceritis ea* : quod quidem verum est in omnibus, etiam in Juda : si enim Judas fecisset ea, beatus fuisset. Unde vult quod magis excipiat hoc quod dicit : *Non est servus major domino suo* etc. : quasi diceret : Dico quod estis servi et Apostoli ; *non tamen de omnibus hoc dico* : Judas enim dum esset servus peccati, non erat servus divini Verbi, neque Apostolus, diabolo ingresso in cor ejus.

Sed quia posset aliquis dicere : Ex quo non dicit de omnibus ut sint beati, vel ejus Apostoli, ergo ex improviso aliquis est de ejus collegio periturus : ideo [2] Dominus ad hæc respondens, dicit : *Ego scio quos elegerim* ; quasi diceret : Electi non peribunt ; sed non omnes sunt electi. Ille ergo peribit qui electus non est, scilicet Judas. Infra xv, 16 : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.*

Sed contra est quod dicitur supra vi, 71 : *Nonne ego vos elegi duodecim ?* Cum ergo Judas esset unus ex duodecim, videtur quod fuerit electus. Sed dicendum, quod duplex est electio. Una est ad præsentem justitiam ; et ad hanc electus fuit Judas : alia electio est ad finalem gloriam ; et secundum hanc Judas non fuit electus.

7. Ratio autem hujus exceptionis est, *ut impleatur Scriptura* : quæ hic prædicit, non quod cogat, sed quia hoc quod futurum erat, non tacuit. Luc. ult. 44 : *Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me.* Matth. v, 18 : *Iota unum aut unus apex non præteribit a lege donec omnia fiant.* Quæ quidem Scriptura dicit : *Qui manducat panem mecum, levabit contra me calcaneum suum.* Hoc est, secundum aliam translationem, ubi nos habemus Psal. xl, 10 : *Etenim homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem* : ubi ostenditur Judæ ad

[1] Al. : « quædam. » — [2] Al. : « et ideo. »

Christum familiaritas, cum dicit : *Qui manducat panem mecum* : Judas enim panem cum aliis discipulis cum Christo comedit, etiam consecratum. Item ostenditur ejus malignus conatus contra Christum cum dicit : *Levabit contra me calcaneum suum*; idest, conabitur ad meam conculcationem. Calcaneo enim comprimimus hostes. Genes. III, 15 : *Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Tunc ergo dicitur aliquis levare calcaneum suum contra aliquem, quando conatur eum opprimere. Sed hoc Judas non poterit : quia unde ipse credit me opprimere, inde exaltabor. Supra, XII, 32 : *Ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* In quo habemus exemplum, ut si quando a famulis aut ab aliquibus vilioribus patiamur aliquod malum, non scandalizemur, respicientes Judæ exemplum, qui infinitis potitus [1] bonis, in contrarium remuneravit benefactorem. Ideo autem Dominus Judam, quem futurum noverat esse malum, elegit, ut daret intelligere quod nulla societas hominum sine alicujus mali admixtione futura erat. Cant. II, 2 : *Sicut lilium inter spinas, sic anima mea inter filias.* Unde Augustinus dicit in quadam epistola : « Non audeo mihi arrogare quod domus mea sit melior cœtu Apostolorum. » Item ut si contingat quod aliquis ab aliquo prælato in societatem Ecclesiæ assumptus, malus efficiatur, non sit in condemnationem ipsius prælati. Ecce enim quod Judas electus a Christo, proditor efficitur. Sic etiam Act. VIII, Philippus assumpsit Simonem magnum. Hier. XVIII, 20 : *Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ?* Matth. X, 36 : *Inimici hominis, domestici ejus.*

8. Consequenter cum dicit, *Amodo dico vobis priusquam fiat*, assignat causam quare exceptionem posuit; quasi dicat : Diu tacui ejus malitiam; sed quia tempus est ut prodeat in publicum, ideo *dico vobis*, idest manifesto, *antequam fiat, ut credatis quia ego sum*, qui futura prædico, et occulta cordis manifesto; quod est proprium Dei. Hier. XVII, 9 : *Pravum est cor hominis et inscrutabile : quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes.* Isai. XLI, 23 : *Sequutura quoque annuntiate nobis, et sciemus quia dii estis vos.* Vel *Ego sum qui sum* : Exod. III, 14.

9. Consequenter cum dicit, *Amen amen dico vobis* etc., confirmat conclusionem inductam ex dignitate eorum quibus pedes lavit : quorum tanta est dignitas ut obsequia eis impensa quodammodo videantur redundare in Deum : sed tamen secundum quemdam gradum : quia quæ fiunt fidelibus per Christum, redundant in Deum Patrem. Ostendit ergo primo quomodo ea quæ fiunt discipulis Christi, redundant in Christum : et quantum ad hoc dicit : *Amen amen dico vobis*; quasi diceret; Vere, debetis lavare pedes, quia *qui recipit si quem misero, me accipit*; idest, obsequium quod exhibetur his quos ego mitto, mihi attribuo factum. Matth. X, 40 : *Qui vos recipit, me recipit.* Secundo ostendit quomodo obsequium Christo exhibitum redundat in Patrem, dicens : *Qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.* Supra V, 23 : *Ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem.* Secundum autem Origenem, potest intelligi dupliciter. Uno modo connexim; et sic est sensus : *Qui accipit si quem misero, me accipit* etc., idest, qui recipit missos a me, recipit et Patrem. Qui ergo recipit si quem misero, recipit Patrem. Alio modo distinctim; et sic est sensus : *Qui recipit si quem misero, me accipit* : verum est corporaliter : sed *qui recipit me*, scilicet spiritualiter ad animas venientem : secundum illud Ephes. III, 17 : *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris* : *accipit eum qui me misit*, scilicet Patrem. Non tantum ego in eo manebo, sed et Pater. Infra XIV, 23 : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

Sed ex hoc Arius errorem suum confirmare nititur hoc modo. Dominus dicit, quod [2] qui recipit ipsum, recipit Patrem : ergo eadem est comparatio Patris mittentis ad Filium, quæ Filii mittentis ad discipulos : sed Christus mittens, est major discipulis missis : ergo Pater est major Filio. Sed ad hoc dicendum, secundum Augustinum, quod in Christo fuerunt duæ naturæ, humana scilicet, et divina : et secundum hoc loquitur ex una parte secundum humanam naturam, dicens : *Qui accipit si quem misero, me*, hominem, *accipit*, qui communico cum eis in una natura : et ex alia parte loquitur secundum divinitatem : *Qui autem me*, Deum, *accipit, accipit eum qui me misit*, qui cum eo sum unius naturæ. Vel qui accipit eum

[1] Al. : « potius, » item : « ponitur. » — [2] Al. deest : « quod. »

quem ego mitto, accipit me, cujus auctoritas est in eis : et qui me accipit, accipit Patrem, cujus auctoritas est in me : ut sic in verbis istis importetur quasi mediatio Christi inter Deum et hominem : secundum illud I Tim. II, 5 : *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.*

LECTIO IV.

1. Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu, et protestatus est, et dixit : Amen amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me. 2. Aspiciebant ergo ad invicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. 3. Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus. 4. Innuit ergo huic Simon Petrus, et dixit ei : Quis est de quo dicit? 5. Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu, dicit ei : Domine, quis est? 6. Respondit Jesus : Ille est cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ. 7. Et post bucellam introivit in eum satanas.

1. Supra ostendit exemplum Evangelista quod Christus præbuit suis discipulis ad imitandum ; hic ostendit defectum discipulorum, quem prænuntiat eis Jesus, qui nondum erant idonei ad sequendum : et primo ponit defectum discipuli qui eum tradidit; secundo defectum discipuli qui eum negavit, ibi, *Dixit ei Simon Petrus : Domine, quo vadis?* Circa primum duo facit. Primo denuntiat discipuli proditionem; secundo ejus separationem, ibi, *Cum ergo exisset dixit Jesus* etc. Circa primum duo facit. Primo ponitur prænuntiatio futuræ proditionis : secundo ipsius proditionis executio, ad veritatem prænuntiantis comprobandam, ibi, *Quod facis, fac citius.* Circa primum duo facit. Primo prænuntiat scelus proditionis ; secundo personam proditoris, ibi, *Aspiciebant ergo discipuli ad invicem.* Circa primum primo præmittit prænuntiantis affectum ; secundo ponit prænuntiatum effectum. Prænuntians ergo Christus est, qui afficitur ad turbationem : et quantum ad hoc dicit : *Cum hoc dixisset Jesus*, reinvitans eos ad caritatem, qua privatum videbat proditorem discipulum, *turbatus est spiritu.*

Circa quod sciendum est, quod turbatio designat commotionem quamdam : et hoc apparet per hoc quod habetur supra V, 4 : *Angelus Domini descendebat secundum tempus in piscinam, et movebatur aqua* : et postea sequitur : *Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam :* quod pro eodem accipit aquam turbari, et moveri. Secundum hunc etiam modum dicimus mare turbatum, quando est commotum. Turbatio animi, ejus commotionem designat. Sed sunt quidam actus animæ sine commotione corporis, idest actus intellectivæ partis. Actus autem [1] appetitus sensitivi sunt cum corporis commotione : unde affectiones appetitus sensitivi, passiones dicuntur. Inter omnes autem affectiones seu passiones appetitus sensitivi, tristitia magis vim commotionis habet. Delectatio enim, cum dicat quietem in bono præsenti, magis rationem quietis habet quam commotionis. Timor etiam, cum sit de malo futuro, minus movet quam tristitia, quæ est de malo præsenti. Et inde est quod turbatio animi præcipue dicitur tristitia. Turbatus est ergo Jesus, idest tristatus.

Sed attendendum, quod quidam philosophi fuerunt, scilicet Stoici, dicentes, quod hujusmodi turbatio et hujusmodi passiones in sapientem non cadunt : quamvis enim sapiens secundum eos timeat, gaudeat, et desideret ; nullo modo tamen tristatur. Sed horum falsitas manifeste apparet ex hoc quod Jesus, qui est summa sapientia, turbatur.

Sciendum tamen, quod duplex est turbatio [2]. Quædam procedit ex carne, quando scilicet quis tristatur [3] seu turbatur præter [4] judicium rationis ex apprehensione sensuali : quæ quidem turbatio quandoque quidem consistit intra limites rationis, in nullo eam obnubilans ; quæ non perfecta passio, sed propassio dicitur a Hieronymo ; et hæc in sapientem cadit : quandoque autem rationis limitem excedit, et eam turbat, et est non solum passio sed etiam turbatio ; et hæc in sapientem non cadit. Alia est turbatio quæ procedit ex ratione, quando scilicet judicio et deliberatione turbatur quis in appetitu sensitivo : et hæc turbatio fuit in Christo : unde signanter dicit Evangelista, quod *turbatus est spiritu* ; idest turbatio quæ fuit in appetitu sensitivo, in Christo fuit ex judicio rationis. Unde supra XI, 33,

[1] Al. deest : « autem. » — [2] Al. : « est hic turbatio. » — [3] Parm. omittit : « tristatur seu. » — [4] Al. : « post. »

dicit, quod *turbavit semetipsum.* In Christo enim omnia ex deliberatione rationis etiam in inferiori appetitu sensitivo proveniebant : unde nec subiti motus sensualitatis in Christo fuerunt.

Voluit autem hic Jesus turbari propter duo. Primo quidem propter fidei nostræ instructionem. Nam imminebat ei passio, et mors, quam naturaliter refugit natura humana; et cum eam sibi sentit imminere, tristatur tamquam de malo et nocivo sibi præsente. Ut ergo ostenderet se veram naturam humanam habere, voluit turbationis affectum ex judicio rationis etiam quantum ad ipsam animam pati. Per quod excluditur error Apollinaris dicentis, in Christo non fuisse animam, sed Verbum loco animæ. Secundo propter nostram ædificationem. Videbat enim, secundum Augustinum, quod proditor ille exiturus erat, ut Judæos qui eum caperent, adduceret : ex quo separabatur a collegio sanctorum, et sententiam mortis contra se accipiebat : et ideo ex quodam pietatis affectu ad eum tristabatur, dans per hoc exemplum prælatis, quod si duram sententiam quandoque contra subditos proferre contingat, cum dolore cordis proferant : secundum illud Psal. CXL, 5 : *Corripiet me justus in misericordia.* Nam ipse proditionem Judæ aliis manifestare volens, *turbatus est spiritu, et protestatus est*, ne scilicet quasi ignorans proderetur, *et dixit* : *Amen amen dico vobis, quia unus ex vobis me tradet.* Signanter autem dicit, *Unus ex vobis*, electis scilicet ad sanctum collegium, ut det intelligere quod nullum futurum foret adeo sanctum collegium quin aliquis peccator et malus in ipso inveniatur. Job. I, 6 : *Cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam satan.* Dicit autem, *Unus*, non duo vel plures, ne collegium detestari videatur, sed proditorem ex collegio: nam propter unum malum ex collegio, collegium malum reputari non debet. Cum autem [1] plures mali essent, collegium posset malum reputari, *Unus*, inquit, *ex vobis*, numero, non merito, et spiritus vinculo: I Joan. II, 19 : *Ex nobis prodierunt ; sed non erant ex nobis : nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum : me tradet.* Ecce enuntiatio : me, inquam, Magistrum, me Dominum, me Salvatorem.

2. Consequenter cum dicit, *Aspiciebant ergo ad invicem discipuli* etc., occulte designat personam proditoris. Et primo ponitur designationis occasio : secundo personæ designatio, ibi, *Respondit Jesus* : *Ille est cui intinctum panem porrexero* ; tertio designationis effectus, ibi, *Et post bucellam introivit in eum satanas.* Est autem designationis duplex occasio. Una discipulorum communis hæsitatio ; alia fuit prædilecti [2] interrogatio. Primo ergo ponit primam ; secundo secundam, ibi, *Erat ergo recumbens.* Sciendum est circa primum, quod boni discipuli habebant ad Christum maximam caritatem, et maximam caritatem, fidei firmitatem. Ex caritate quidem præsumebat quilibet ex se, quod nullus eum erat negaturus ; sed ex fidei firmitate certissime tenebant quod verbum Christi falsum esse non poterat : et ideo licet nullius [3] sibi ipsis conscii essent mali, tamen prænuntiationem Christi propriis cogitationibus veriorem et credibilem esse putabant. Unde se homines esse memores, et alterabilem esse affectum, etiam ad hoc provectorum, ita ut contrarium velit ei quod prius voluit, magis de se dubitabant quam de Christi veritate : et ideo *aspiciebant ad invicem, hæsitantes de quo diceret.* I Corinth. X, 12 : *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Job. IX. 30 : *Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ ; tamen sordibus intinges me.*

3. Consequenter cum dicit, *Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu*, ponitur inquisitio discipuli : et primo describitur ejus ad Christum familiaritas ; secundo excitatio ejus ad interrogandum, ibi, *Innuit huic ergo Simon Petrus ;* tertio subditur ejus interrogatio, ibi, *Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu, dicit ei.* Familiaritas autem discipuli ad Christum ostenditur in hoc quod super eum recumbit ; unde dicit : *Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu.* Discipulus iste Joannes Evangelista fuit, qui hoc Evangelium scripsit, et de se in persona alterius loquitur, volens vitare jactantiam, secutus morem aliorum qui sacras Scripturas conscripserunt. Sic enim Moyses in libris suis de se sicut de quodam altero loquitur, dicens, *Locutus est Dominus ad Moysen dicens* etc. Sic et Matthæus IX, 9 : *Vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine* etc. Et Paulus II Corinth. XII, 2 : *Scio hominem in*

[1] Parm. : « Ideo autem quia. » — [2] Parm. : « prædicta. » — [3] Al. : « nulli. »

Christo..... raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum. Tria autem hic Joannes de se tangit. Primo quidem amorem quo quiescebat in Christo, dicens, quod *erat recumbens*, idest quiescens. Job. XXII, 26 : *Tunc super Omnipotentem deliciis afflues, et elevabis ad Deum faciem tuam.* Psal. XXII, 3 : *Super aquas refectionis educavit me.* Secundo secretorum notitiam, quæ ei Christus revelabat, et specialiter in conscriptione hujus Evangelii : unde dicit, quod recubuit *in sinu Jesu* : per sinum enim secretum significatur. Supra I, 18 : *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Tertio specialem dilectionem [1] qua eum Christus diligebat : unde dicit : *Quem diligebat Jesus* : non quidem singulariter, sed quasi quodammodo excellentius præ aliis dilexit. Quomodo autem eum [2] excellentius præ aliis dilexerit, magis in fine hujus libri dicetur. Quantum ad præsens autem sciendum, quod Joannes fuit magis dilectus a Christo propter tria. Primo quidem propter munditiam puritatis : quia virgo est electus a Domino, et virgo in ævum permansit. Et Prov. XXII, 11 : *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem.* Secundo propter sublimitatem suæ sapientiæ, quia ceteris altius arcana divinitatis intuitus est : unde et aquilæ comparatur. Proverb. IV, 35 : *Acceptus est regi minister intelligens.* Tertio propter vehementem fervorem affectus sui ad Christum. Prov. VIII, 17 : *Ego diligentes me diligo.*

4. Consequenter cum dicit, *Innuit ergo huic Simon Petrus*, ponitur excitatio ad interrogandum.

Sed cum innuere sit absque verbo insinuare; ad quid est hoc quod dicit : *Innuit ergo..... et dicit*? Ad hoc dicendum, quod nos dicimur aliquid innuere quando aliquid interius cogitamus ; secundum illud Psal. LII, 1 : *Dixit insipiens in corde* etc. Multo ergo magis dicimur aliquid dicere innuendo jam exterius quibuscumque vel qualibuscumque signis, quod fuerat corde conceptum. Et sic est sensus : *Innuit..... et dicit* ; idest, innuendo dicit. Vel potest dici, quod primo innuit signo, et postea dicit verbo, hoc scilicet quod sequitur : *Quis est de quo dicit?* quod scilicet eum tradet.

Sed cum Petrus ubique in Evangeliis semper audax, et primus ad respondendum propter amoris fervorem inveniatur, quid est quod hic tacet? Quid est quod alteri [3] interrogationem committit? Cujus quidem ratio potest esse triplex, secundum Chrysostomum. Una, quia cum supra est reprehensus a Domino de hoc quod lavari sibi pedes non patiebatur a Domino, et audivisset : *Si non lavero te, non habetis partem mecum* : dubitabat nunc de hoc Dominum molestare. Alia ratio est, quia Petrus nolebat quod Dominus hoc publice, ita quod [4] alii possent audire, manifestaret. Unde, quia ipse remotus erat a Christo, nec ipse tantum audivisset, Joannem, qui proximus erat Christo, ad interrogandum excitat. Habet etiam rationem mysticam. Per Joannem enim contemplativa ; per Petrum activa vita signatur. Petrus vero mediante Joanne instruitur a Christo : quia vita activa de divinis instruitur mediante contemplativa. *Maria enim sedens secus pedes Domini audiebat verba illius; sed Martha satagebat circa frequens ministerium.* Luc. X, 39 :

5. Consequenter cum dicit, *Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesus, dicit ei* etc., ponitur interrogatio.

Sed notandum, quod cum Petrus innuit ut interrogaret, recumbebat Joannes in sinu Jesu; nunc vero eum interrogat Joannes, qui supra pectus ejus recumbit. Pectus enim vicinius est ori quam sinus. Joannes ergo secretius audire volens responsum, et magis silenter, de sinu conscendit ad pectus.

Mystice autem per hoc datur intelligi, quod quanto magis homo vult divinæ sapientiæ secreta capere, tanto magis conari debet, ut propinquior fiat Jesu : secundum illud Psalm. XXXIII, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini.* Nam divinæ sapientiæ secreta illis præcipue revelantur qui Deo juncti sunt per amorem. Job. XXXVI, 33 : *Annuntiat de ea amico suo, quod possessio ejus sit.* Prov. XVIII, 17 : *Venit amicus ejus, et investigavit eum.*

6. Consequenter cum dicit, *Respondit Jesus* etc., designat personam proditoris : et primo verbo ; secundo facto. Verbo quidem, cum dicit : *Ille est cui intinctum panem porrexero* : quod potest duo significare, secundum quod potest dupli-

[1] Al. : « specialis dilectio. » — [2] Al. omittitur: « eum. » — [3] Al. : « quod quidem alteri. » —

[4] Al. : « et quod. »

citer accipi. Quia si accipiatur hic in malum, significat Judæ simulationem : nam sicut panis intinctus infectus est ex eo quod intingitur, et mutat colorem ; ita et simulator, dum aliud gerit in corde, et aliud prætendit ore; et sic erat Judas, qui exterius prætendebat se Magistrum diligere, in corde proditionem tractabat. Psal. XXVII, 3 : *Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Si vero accipiatur in bonum, sic ponitur ad exaggerandam ejus ingratitudinem [1]. Panis enim intinctus magis sapidus est. Ut ergo ostendat quod licet multa bona a Christo receperit Judas, eorum tamen immemor prodit eum, panem sibi intinctum porrigit. Psal. LIV, 14 : *Tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus, qui dulces simul mecum capiebas cibos.* Facto autem ostendit, cum dicit : *Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ.* Hinc aliqui dicunt hunc [2] panem fuisse corpus Christi consecratum. Sed hoc, secundum Augustinum, non est verum : nam sicut ex aliis Evangeliis habetur, Dominus cum cœnaret, discipulis corpus suum dedit : et ideo patet quod Judas cum aliis discipulis simul corpus Christi accepit in cœna. Christus autem postquam aliquantulum in cœna processerat, surrexit a cœna, et lavit pedes discipulorum, quibus lotis resedit, et postmodum panem tinctum Judæ tradidit. Unde patet quod non erat corpus Christi.

7. Sequitur designationis effectus, cum dicit : *Et post bucellam introivit in eum satanas.*

Sed quæritur hic quomodo satanas in hominem intrat? Ad quod dicendum, quod satanam intrare in hominem, potest intelligi dupliciter. Quia intrare potest in corpus hominis, sicut patet in his qui corporaliter a dæmonio vexantur; et sic potest diabolus essentialiter in hominem intrare. Vel potest intelligi in mentem, ita quod menti dæmon essentialiter illabatur. Et sic nullus potest intrare in hominem nisi solus Deus. Anima enim rationalis non habet dimensiones quantitatis, ut aliquid in ea esse dicatur, quasi infra ejus dimensionem contentum [3], et sic nihil potest in ea esse nisi quod ei dat esse, quod est ibi per virtutem suam [4]. Dico ergo [5] : qui animam in esse producit est in animam per suam virtutem. Ubi autem est virtus Dei, ibi est et essentia Dei : in Deo enim [6] idem est essentia et virtus. Manifestum [7] est ergo quod Deus essentialiter est in anima. Dicitur tamen diabolus illabi menti humanæ per effectum et affectum malitiæ, inquantum scilicet homo ab eo seductus, sequitur eum ad perpetrandum malum quod suggerit [8] et hoc modo intravit in Judam.

Sed cum supra dixerit : *Cum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas*; hic autem dicit, *Introivit in eum satanas* : videtur aliud esse mittere et intrare. Sed ad hoc dicendum, quod hoc non est dictum ad significandum differentiam, sed ad insinuandum augmentum malitiæ [9]. Tunc enim dicitur diabolus immittere aliquod malum in cor hominis cum homo præbet ei assensum ad malum, tamen cum quadam trepidatione an hoc facere debeat; sed tunc intrat in cor quando homo totaliter dat se ad sequendum ejus instinctum, et in nullo ei resistit. *Intravit ergo in eum satanas*, ut plenius possideret, et ad perpetrandum malitiam duceret, in quem prius miserat ut desiperet [10].

Quæritur quare Luc. XXII, dicatur, quod intravit satanas in eum; quod quidem fuit antequam buccellam acciperet. Et hoc est contra illud quod Joannes hic dicit, scilicet quod *post bucellam introivit satanas in eum.* Responsio. Dicendum, quod tunc introivit ad proditionem faciendam; sed nunc introivit ad eam [11] exequendam et complendam.

Sed numquid buccella [12] per quam introivit in eum satanas, fuit malum? Responsio. Dicendum, quod non. Sed ipse Judas cum esset malus, bono usus est male. Sic cum quis indigne accipit eucharistiam, quod bonum est et optimum, male accipit, et vertitur sibi in malum, quia *judicium sibi manducat et bibit* : I Corinth. XI, 29 :

[1] Parm. : « malignitatem. » — [2] Al. omittitur : « hunc. » — [3] Parm. : « contentum sit. Nihil. » — [4] Al. : « nisi quod est ibi per virtutem suam. » — [5] Parm. omittit : « dico ergo, etc. » — [6] Al. : « autem. » — [7] Al. : « manifestatum. » — [8] Parm. omittit : « suggerit, etc... » — [9] Al. : « scilicet augmentum malitiæ. » — [10] Parm.: « deciperet » — [11] Al. deest : « eam. » — [12] Parm. : « bucellam dare Judæ, post. »

LECTIO V.

1. Et dicit ei Jesus : Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quod dixisset ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus : Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum : aut egenis ut aliquid daret. 2. Cum ergo accepisset ille bucellam, exivit continuo. Erat autem nox.

1. Posita prænuntiatione futuræ proditionis, hic ponitur consummatio ipsius rei prænuntiatæ, scilicet perpetratio proditionis; et primo permittit [1] Judæ adimplere quod dixerat; secundo ostendit quomodo adimpletur, ibi. *Cum ergo accepisset ille bucellam, exivit continuo*. Circa primum tria facit. Primo ponit verba Domini permittentis; secundo manifestat ipsorum verborum obscuritatem; tertio subdit quomodo illa verba fuerunt ab Apostolis intellecta. Verba autem Domini sunt ista : *Quod facis, fac citius :* quæ quidem verba non sunt præcipientis, seu consulentis, cum peccatum cadere non possit sub præcepto et consilio divino, quia dicitur in Psalm. XVIII, 9 : *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos :* sed sunt verba permittentis. Nam ut dictum est, diabolus miserat in cor Judæ ut traderet eum, scilicet Jesum quod jam tractaverat cum principibus; sed implere non poterat nisi ipse Christus permitteret : quia supra X, 18 : *Nemo tollet a me animam meam; sed ego pono eam a me ipso*. Isa. LIII, 7 : *Oblatus est quia ipse voluit*. Sunt etiam verba crimen proditionis exprobantis, ut ostenderet quod dum ille conferret beneficia, iste intentaret mortem. Psal. XLIX, 21, *Arguam te et statuam contra faciem tuam*. Sunt etiam verba ad opus nostræ redemptionis anhelantis, ut Augustinus dicit. Non tam in præcepit facinus, sed prædixit, non tamen perniciem perfidi sæviendo, quam ad salutem fidelium festinando. Luc. XII, 50 : *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor donec perficiatur?* Verba autem Domini obscura erant quantum ad discipulos; et ideo dicit : *Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit*. In quo datur intelligi quod verba Christi adeo profunda sunt et humanum intellectum excedentia quod non plus inde capere possumus nisi quantum ipse revelat. Prov. XXV, 2 : *Gloria Domini est celare verbum*.

Sed hic oritur quæstio : cum enim Joanni Dominus personam praditoris designasset, dicens : *Ille cui intinctum panem porrexero;* et dedisset panem intinctum Judæ : nimium videntur rudes fuisse discipuli, quod verbum Domini non intellexerunt. Ad quod dicendum est, quod Dominus verba illa occulte dixerat Joanni tantum, ut non fieret proditor manifestus. Cujus ratio est, quia Petrus ita fervidus erat in amore Christi quod si pro certo scivisset Judam fuisse Christum traditurum, statim occidisset eum.

Sed cum Joannes unus esset ex discumbentibus, adhuc incidit alia quæstio, cur dixerit, quod *nemo scivit discumbentium*. Ad quod dicendum est, quod consuetudo boni animi et innocentis est ut etiam alios procul ab iniquitate esse credat, a qua seipsos noverunt immunes. Quia igitur Joannes innocentissimus erat, et a proditionis iniquitate semotus, nequaquam suspicabatur quod discipulus in tantum iniquitatis prodiret.

Quid autem discipuli veram causam verborum ignorantes de ipsis verbis æstimarent, subdit Evangelista, dicens : *Quidam autem ex ipsis*, scilicet discipulis, *putabant, quia loculos habebat Judas* etc. Ubi sciendum est, quod Dominus Deus cœli, qui dat escam omni carni, loculos habuit, non quod possideret aliquid terrenum, sed a fidelibus oblata conservans, suis necessitatibus et aliis indigentibus subveniret : quos quidem loculos Judas conferebat. In quo datur exemplum, ut Augustinus dicit quod Ecclesia potest [2] habere pecuniam et reservare pro necessitatibus imminentibus. In quo etiam instruimur, quod ecclesiastica pecunia sit expendenda solum in duobus. Primo quidem in his quæ pertinent ad cultum divinum : unde dicit : *Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum*, idest quibus Deum colere possumus in die festo. Malach. III, 10 : *Inferte omnem decimam in horreum meum, et sit cibus in domo mea*. Deinde vero in his quæ pertinent ad pauperum sustentationem, ut subdit : *Aut egenis aliquid daret*.

Sed si objicias contra id quod dicit Dominus, Matth. VI, 34 : *Nolite cogitare in*

[1] Parm. : « promittit. » — [2] Al. : « quod etiam potest. »

crastinum ad hoc respondet Augustinus, et dicit, quod hoc non fuit præceptum a Domino ad hoc ut nihil pecuniæ seu aliarum rerum unius diei a sanctis servetur in crastinum; sed ideo Dominus dixit, *Nolite cogitare in crastinum*, ne scilicet prædicaremus et alia Dei servitia faceremus ut provideatur nobis in posterum : vel ne desistamus ab his quæ virtutis sunt propter dici crastini sollicitudinem. Ex quo patet quod Dominus dicens, *Nolite solliciti esse de crastino*, duo prohibet. Unum, ut non faciamus bona propter crastinum; aliud, ut non retrahamur a bonis propter timorem crastinæ inopiæ etc. Chrysostomus autem planius exponit dicens : « Nolite cogitare de crastino ; idest, curam quæ incumbit diei crastino, nolite anticipare in diem hodiernum : sufficit enim diei malitia sua. »

Dubitatur etiam hic, quod Dominus præcepit discipulis suis Luc. x, 4 : *Nolite portare in via sacculum neque peram, neque calceamenta*. Quomodo ergo ipse loculos habebat? Sed, secundum Chrysostomum, Dominus loculos ferebat ad inopum ministerium, ut hinc discas quod quantumcumque pauperem et mundo crucifixum, oportet de pauperibus curam habere : secundum illud Psal cxi, 9 : *Dispersit, dedit pauperibus* etc. Vel dicendum, quod hoc quod dicit, *Nihil tuleritis in via* etc., referendum est ad singulares prædicatores et Apostolos, qui nihil portare debent quando ad prædicandum vadunt. Non autem referendum est ad totum collegium, quod oportet aliquid habere et pro seipsis et pro egenis.

2. Consequenter cum dicit, *Cum ergo accepisset ille bucellam, exivit continuo*, ponitur adimpletio rei prænuntiatæ : et primo ponitur executio : secundo temporis determinatio. Executio quidem festina : quia *cum buccellam accepisset, exivit continuo*. Ubi attende, secundum Origenem, quod non dicit Evangelista, Cum comedisset bucellam; sed *Accepisset* : quod potest dupliciter intelligi. Uno modo quod proditor in hoc tantum sollicitus obedire magistro, accepto pane non comederit eum ; sed forte in mensa dimisso, nullam traxit moram, vadens ad proditionem perpetrandam. Cujus quidem ratio esse potest, quod diabolus, qui jam intraverat in cor Judæ, timens ne si panem comederet eum cedere oporteret, non valentem in eodem loco cum Jesu esse, non permisit Judam panem comedere. II Corinth. vi, 15 : *Quæ conventio Christi ad Belial*? I Corinth. x, 21 : *Non potestis simul esse participes mensæ Domini et mensæ dæmoniorum*. Alio modo potest intelligi quod panem acceptum comedit; et sic est sensus : *Cum ergo accepisset ille bucellam*, non solum in manu, sed etiam comedendo, sic *exivit continuo*, male utens bono. Sicut et qui indigne manducat panem Domini, aut bibit ejus calicem, in præjudicium sibi manducat atque bibit et magis aggravatur peccatis; sic panis a Jesu datus Judæ, fuit in damnum, ut post panem intraret in eum satanas.

Tempus autem seu hora determinatur tenebrosa : unde dicit : *Erat autem nox* : quod quidem determinat propter duo. Primo ad ejus malitiam aggravandam, quæ intantum invaluerat in cor ejus, ut nec propter temporis inopportunitatem usque mane perstitisset. Job xxiv, 14 : *Mane primo consurgit homicida..... et de nocte efficitur fur*. Secundo ad designandam mentis qualitatem : *Erat enim nox* : quia mens Judæ proditoris obscura erat a luce divina : supra xi, 9 : *Qui ambulat in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt; qui autem ambulat in nocte, offendit, quia lux non est in eo*.

LECTIO VI.

Cum ergo exisset, dixit Jesus : Nunc clarificatus est Filius hominis ; et Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipso ; et continuo clarificabit eum.

Post egressum Judæ ad mortem Domini procurandam, agit Dominus de recessu suo ad gloriam : et primo annuntiat eis gloriam ad quam vadit, ut inde consolentur; secundo prænuntiat eis suum recessum, ibi, *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum* etc. Gloria autem ad quam vadit est glorificatio et exaltatio Christi, inquantum est Filius hominis : et hoc est quod dicit : *Cum ergo exisset*, scilicet Judas, *dixit Jesus*, discipulis suis : *Nunc clarificatus est Filius hominis* etc. Ubi sciendum est quod clarificari idem est quod glorificari : gloria enim dicitur quasi claria. Unde secundum Ambrosium, « gloria est clara cum laude notitia. » Unde expositores ubi in græco est

clarificare, transferunt *glorificare*, et e converso. Et sic idem est quod hic dicitur, *Nunc clarificatus est Filius hominis*, quod glorificatus. Potest ergo exponi quadrupliciter, scilicet referendo ad quadruplicem gloriam Christi. Primo quidem ad gloriam crucis; secundo ad gloriam. judiciariæ potestatis; tertio ad gloriam resurrectionis; quarto ad gloriam cognitionis Christi in fide populorum. Hanc enim quadruplicem gloriam Scriptura attribuit Christo. Primo ergo Christus clarificatus fuit in crucis exaltatione : unde etiam Paulus in ipsa cruce gloriam suam dicit esse, Galat. ult. 14 : *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Et de hac gloria exponit Chrysostomus. Unde circa hoc Dominus quatuor tangit de gloria crucis. Primo ipsam gloriam; secundo gloriæ fructum; tertio gloriæ actorem; quarto gloriæ tempus. Quantum ad primum dicit : *Nunc clarificatus est Filius hominis* etc. Sciendum est enim, quod quando aliquid incipit fieri, videtur quasi esse factum. Juda autem exeunte ad ducendum milites, videtur negotium passionis Christi, per quam glorificandus erat, inchoatum esse; et ideo dicit : *Nunc glorificatus est Filius hominis* etc., idest, incipit passio in qua glorificabitur. Clarificatus est enim Christus per passionem crucis, quia per eam de inimicis, scilicet morte et diabolo, triumphavit. Hebr. II, 14 : *Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium.* Item quia per eam conjunxit terrena cœlestibus. Colos. I, 20 : *Pacificans per sanguinem crucis sive quæ in terris, sive quæ in cœlis.* Item quia per eam omnia regna obtinuit. Psal. XCV, 9, secundum aliam litteram : *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit a ligno.* Item quia in ea multa miracula ostendit : nam *velum templi scissum est, mota est terra, petræ sunt scissæ, et sol obscuratus est, et multa corpora sanctorum surrexerunt*, ut dicitur, Matt. VII. Propter hoc ergo imminente passione dicit : *Nunc clarificatus est Filius hominis* : quasi, nunc incipit passio mea, quæ est mea glorificatio. Fructus autem hujus gloriæ est quod inde Deus glorificetur; et ideo dicit : *Et Deus clarificatus est in eo;* idest, in Filio hominis glorificato : quia gloria passionis ad hoc tendit, ut Deus inde glorificetur. Si enim Deus glorificatur de morte Petri : infra ult. 19, *Hoc dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum* : multo magis clarificatus est per mortem Christi. Auctor autem hujus gloriæ non est Angelus neque homo, sed ipsemet Deus : et ideo dicit : *Si Deus glorificatus est in eo;* idest, si tanta est gloria quod Deus inde glorificetur, non debuit per alium clarificari; sed *ipse Deus glorificavit ipsum in semetipso,* idest per semetipsum. Infra XVII, 5 : *Clarifica me, Pater, claritate quam habui priusquam mundus esset, apud te.* Tempus autem hujus gloriæ est festinum, quia *continuo*, idest statim, *clarificabit eum;* idest, dabit ei clarificationem crucis. Crux enim, licet gentibus et his qui pereunt sit stultitia, nobis tamen credentibus est maxima Dei sapientia, et Dei virtus : I Corinth. I.

Secunda autem gloria Christi, est gloria judiciariæ potestatis. Marc. XIII, 16 : *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus, cum virtute multa et gloria.* Et de hæc gloria exponit Augustinus, ut in *Glossa* tangitur. Unde secundum hoc quatuor hic facit. Primo ponit gloriam judiciariæ potestatis ; secundo ostendit meritum quo ad hanc pervenitur ; tertio hoc exponit ; quarto demonstrat hujus gloriæ principium. Dicit ergo quantum ad primum : *Nunc clarificatus est Filius hominis.* Ubi sciendum est quod in sacra Scriptura res significatæ appellantur nomine rerum significantium [1], significatione non expressa, secundum illud I Corinth. X, 4 : *Petra autem erat Christus*. Ubi non dicit, Petra significat Christum. In hoc autem facto quod Judas exivit ab Apostolis : repræsentatur figura futuri judicii, ubi mali separabuntur a bonis, cum statuet oves a dextris, hædos autem a sinistris, ut habetur Matth. XXV. In hoc ergo quod Judas exivit, quia futurum judicium figurabatur ; ideo Dominus post exitum Judæ agit de gloria judiciariæ potestatis, qua judicaturus est, dicens : *Nunc clarificatus est Filius hominis*, idest, per ejus exitum repræsentata est gloria Filii hominis quam habebit in judicio, ubi malorum nullus erit, ubi bonorum nullus perit. Non autem dicitur : Nunc significata est glorificatio Filii hominis ; sed *Nunc glorificatus est Filius hominis*, more Scripturæ sacræ prædicto. Meritum autem hujus glorificationis est ut Deus glorificetur in eo. In illis enim clarificatus Deus qui quærunt facere voluntatem ejus,

[1] Al. : « res signatæ appellantur nomine rerum signantium. »

non suam; talis autem erat Christus. Supra VI, 58 : *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Et ideo *Deus clarificatus est in eo.* Exponit autem hoc cum dicit : *Si Deus clarificatus est in eo*; idest, si voluntatem Dei faciens, Deum clarificat[1], merito *Deus clarificabit eum in semetipso*, ut scilicet natura humana quæ a Verbo æterno suscepta est, etiam immortali æternitate donetur[2]; et ideo *in semetipso*, idest in gloria sua. Philip. II, 9 : *Propter quod exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Ipsa ergo glorificatio qua Deus glorificatus est in Christo, est metirum in quo Christus secundum quod homo glorificatus est *in semetipso*, idest in gloria Dei. Et hoc fuit quando humana natura, deposita infirmitate per mortem crucis, accepit gloriam immortalitatis in resurrectione. Inde ipsa resurrectio fuit principium quo inchoata est ista gloria. Ideo dicit : *Et continuo clarificabit eum*, in resurrectione quæ scilicet statim erit : secundum illud Psal. CVII, 3 : *Exurgam diluculo.* Et alibi, Psal. XV. 10 : *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

Tertia Christi gloria, est gloria resurrectionis, de qua dicitur Rom. VI, 4 : *Quomodo surrexit Christus per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Et de hac gloria exponit hoc[3] Hilarius, et etiam partim Augustinus. Et secundum hoc primo prænuntiat Christus hanc suam gloriam, dicens : *Nunc clarificatus est Filius hominis.* Et loquitur de futuro per modum præteriti : quia quæ statim fieri credimus, quasi facta habemus. Gloria autem resurrectionis in proximo imminebat; et ideo dicit : *Nunc clarificatus est* : quasi, corpus naturæ divinæ consociatione[4], gloriam quodammodo divinitatis adeptus est. Secundo subjungit causam hujus glorificationis, et valde subtiliter : nam, ut ipse dicit, humanitas Christi in resurrectione glorificata est ex conjunctione divinæ naturæ eam assumentis in persona Verbi, quia hoc dicitur in Psal. XV, 10 : *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum* qui est Sanctus sanctorum *videre corruptionem.* Debetur etiam Christo homini talis gloria inquantum est Deus. Nos etiam intantum gloriam resurrectionis habebimus, inquantum participes sumus divinitatis. Rom. VIII, 11 : *Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, resuscitabit et mortalia corpora vestra*[5] *propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Et ideo dicit, quod *Filius hominis*, scilicet Christus, secundum humanam naturam, *clarificatus est*, per resurrectionem. Et quis clarificabit eum? *Deus*, inquit, *clarificabit eum in semetipso*, ut scilicet Christus homo, qui regnat in gloria quæ ex Dei gloria est, et ipse[6] exinde in Dei gloriam transeat, scilicet mansurus totus in Deo; quasi deificatus ex ea homo qua est dispensatione; sicut si dicerem : Lampas clara est, quia ignis clarescit in ea. Illud ergo quod emittit radios claritatis ad humanitatem Christi, est Deus; et sic humanitas Christi clarificatur a gloria divinitatis ejus, et humanitas Christi inducitur in gloriam divinitatis, non per transumptionem[7] naturæ, sed per participationem gloriæ, inquantum ipse Christus homo adoratur tamquam Deus. Philip. II, 9 : *Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen ut in nomine Jesu omne genu flectatur.* Et ideo dicit : *Et Deus clarificatus est in eo*; idest, si ita est quod gloria divinitatis ad gloriam humanitatis redundet, *Deus clarificavit eum*; idest, fecit eum participem sua gloriæ, eum ad suam gloriam assumendo. Philip. II, 11 : *Omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris.* Et sic duplex est gloria Christi. Una quæ est in humanitate ejus a divinitate derivata; alia est divinitatis, ad quam quodammodo assumitur humanitas, ut dictum est : sed aliter et aliter. Nam prima gloria habuit principium temporis; et ideo de ipsa[8] loquitur in præterito dicens : *Et Deus clarificavit eum in semetipso*, quod fuit in die resurrectionis. Secunda gloria est perpetua, quia ab æterno Verbum Dei est Deus, ad quam humanitas Christi assumpta in perpetuum glorificabitur : unde de ista loquitur in futuro dicens : *Et continuo clarificabit eum*; idest, semper faciet eum in illa gloria in perpetuum esse.

Quarta gloria Christi est gloria cognitionis[9] in fide populorum; et de hac

[1] Al. : « eum clarificavit. » — [2] Al. : « etiam immortali æternitati debetur. » — [3] Al.: « hoc. » — [4] Al. : « consolatione. » — [5] Al. : « suscitabit et mortalia corpora nostra. » — [6] Al : « qui regnat in gloria Dei est, ipse, etc. » — [7] Parm : « transmutationem. » — [8] Al. : « de ipso. » Parm. : « hic. » — [9] Parm. : « cogitationem. »

exponit Origenes. Ubi notandum est quod gloria, secundum eum, aliter accipitur in communi usu hominum, et aliter in Scriptura. Nam secundum communem usum, gloria nihil aliud est quam a pluribus collata præconia, vel « clara cum laude notitia, » ut Ambrosius dicit : in sacra Scriptura gloria importat aliquod divinum judicium super homines. Unde Exod. xl, 32 : *Gloria Domini apparuit super tabernaculum* [1]; idest, aliquod divinum indicium [2] requievit super ipsum. Et similiter illud quod dicitur de facie Moysi quod glorificata esset. Et sicut gloria corporaliter dicit aliquod divinum indicium super homines, ita etiam et spiritualiter intellectus hominis dicitur glorificari quando ita deificatus, ac transcendens omnia materialia, elevatur ad Dei cognitionem : per hoc enim efficitur particeps gloriæ ipsius. II Cor. iii, 18 : *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur.* Si ergo quicumque cognoscit Deum, glorificatur, et particeps gloriæ effectus est, manifestum est quod Christus, qui perfectissime Deum cognovit, utpote totius divinæ gloriæ splendor existens, Hebr. i, et totius gloriæ divinæ fulgorem capere valens, Luc. xi, si, inquam, ita est; Christus perfectissime est glorificatus, et etiam omnes qui Deum cognoscunt, hoc a Christo habent. Sed Christum sic glorificatum esse in perfectissima cognitione et participatione divinitatis, nondum homines cognoscebant : et ideo, licet in se glorificatus esset, non tamen glorificatus erat in notitia hominum. Sed hanc gloriam incepit habere in resurrectione et in passione, in quibus homines cognoscere cœperunt suam virtutem et suam divinitatem. De hac ergo sua glorificatione Dominus hic loquens, dicit : *Nunc clarificatus est Filius hominis*; scilicet, secundum humanitatem, in sua passione, quæ imminebat, clarus effectus est in notitia hominum; *et Deus*, scilicet Pater, *glorificatus est in eo*. Filius enim non solum revelat se, sed etiam Patrem [3]. Infra xvii, 6 : *Pater, manifestavi nomen tuum* : Et ideo non solum clarificatus est Filius, sed etiam Pater. Matth. xi, 27 : *Patrem nemo novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Et dicit, *In eo* : quia qui videt Filium, videt et Patrem : infra xiv. Majoris autem est ut semper [4] aliquid majus rependat; et ideo subdit : *Et si Deus clarificatus est in eo*; idest, si ex claritate [5] Filii hominis quodammodo crescit gloria Deo Patri, inquantum magis ab hominibus [6] cognoscitur, *et Deus clarificavit eum in semetipso ;* idest, notificavit quod Christus Jesus est in sua gloria. Et hoc non differtur, quia *continuo clarificabit eum*, idest statim, etc.

LECTIO VII.

1. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. 2. Quæretis me, et sicut dixi Judæis, Quo ego vado, vos non potestis venire, et vobis dico modo. 3. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, et ut vos diligatis invicem. 4. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

1. Supra posuit Dominus claritatem quam adepturus erat per suum recessum; hic ipsum suum recessum prænuntiat eis : et primo prænuntiat eis suum recessum; secundo ostendit quod nondum discipuli idonei erant ad eum sequendum, ibi, *Quæretis me*; tertio docet quomodo idonei fiant, ibi, *Mandatum novum do vobis*. Recessum autem futurum in brevi prænuntiat eis, dicens, *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum.* Et utitur verbo filiationis ad amorem inflammante [7]. Nam quando amici ab invicem discedunt, tunc maxime affectu amoris inardescunt. Supra eodem. *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Sed dicit, *Filioli mei*, in diminutivo, ut ostendat eorum imperfectionem : nondum enim erant perfecte filii, quia nondum perfecte diligebant : nondum erant in caritate perfecti. Galat. iv, 19 : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Nihilominus tamen satis creverant in perfectione : quia ex servis facti sunt filioli, ut hic habetur, et fratres, infra xx, 17 : Vade ad fratres meos, et dic eis, etc. Notandum tamen quod hoc quod dicitur, *Adhuc modicum*, tripliciter exponi

[1] Al. : « operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud. » — [2] Parm. : « judicium. » Idem infra. — [3] Al. : « Pater. » — [4] Parm. omititt : « semper. » — [5] Al. : « caritate. » — [6] Parm. : « omnibus. » — [7] Parm. : « ad majorem inflammationem. »

potest, secundum quod Christus est tripliciter cum suis discipulis. Christus enim cum suis discipulis erat corporaliter. Corpus autem ejus potest considerari dupliciter. Primo secundum similitudinem conditionis naturæ humanæ : nam Christus secundum corpus mortalis erat, sicut et ceteri homines; et sic ly *modicum* accipitur pro tempore quod erat inter verba sermonis hujusmodi, et mortem suam : ut sit sensus : *Adhuc modicum vobiscum sum*; idest, modicum temporis extat quod capiar et moriar, et tunc resurgam, deinceps immortalis, etiam secundum corpus, existens : Rom. VI, 9 : *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Et ideo dicitur Luc. ult. 44 : *Hæc dicebam vobis, dum adhuc essem vobiscum,* etc. Secundo fuit cum eis præsentia corporali, sed secundum quod corpus ejus erat jam glorificatum; et sic ly *modicum* accipitur pro tempore quod erat usque ad ascensionem. Infra XVI, 16, *Modicum, et jam non videbitis me*; *et iterum modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem.* Aggæi II, 7 : *Adhuc modicum, et ego movebo cœlum et terram et mare et aridam.* Tertio exponitur secundum quod Christus fuit cum eis spiritualiter secundum suæ divinitatis præsentiam, et in sacramentis; et sic ly *modicum* accipitur pro tempore quod existebat usque ad consummationem sæculi : quod quidem tempus dicitur esse modicum in comparatione ad æternitatem. I Joan. II, 18 : *Filioli mei, novissima hora est.* Et sic est sensus : *Modicum vobiscum sum*; idest, licet a vobis corporaliter discedam, tamen spiritualiter adhuc *sum vobiscum modicum* istud temporis quod extat usque ad consummationem sæculi. Matth. ult. 20 : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Sed hæc expositio non congruit secundum præsentiam divinitatis suæ, quia non solum usque ad consummationem sæculi, sed etiam in perpetuum erit cum eis; et ideo Origenes aliter exponit, dicens quod Christus cum perfectis non peccantibus mortaliter, est semper; sed cum imperfectis non est; quia cum peccant, recedit ab eis. Discipuli vero post modicum tempus recessuri erant a Christo, et scandalum passuri, et eum relicturi. Matth. XXVI, 31 : *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.* Et sic Christus spiritualiter[1] recedebat ab eis : et quantum ad hoc dicit : *Adhuc modicum vobiscum sum*; idest, modicum temporis est quod vos fugietis, me relicto, et sic non ero vobiscum.

2. Consequenter cum dicit, *Quæretis me,* etc., ostendit eorum insufficientiam ad sequendum : et primo ponit eorum conatum, dicens : *Quæretis me,* quem spiritualiter dereliquistis, et fugientes et negantes. *Quæretis,* inquam, per pœnitentiam, sicut Petrus qui flevit amare. Isai. LV, 6 : *Quærite Dominum dum inveniri potest.* Oseæ VI, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Vel *quæretis me,* idest præsentiam corporalem per desiderium. Luc. XVII, 22 : *Venient dies in quibus desiderabitis videre unum diem Filii hominis, et non videbitis.* Secundo eorum defectum ostendit dicens : *Et sicut dixit Judæis* supra VIII, 22, *Quo ego vado, vos non potestis venire.* Sed aliter et aliter : quia cum inter Judæos essent aliqui qui nunquam convertendi erant, de illis dictum est simpliciter, quod non poterant ire quo Christus ibat : sed jam Juda egresso, nullus erat inter discipulos a Christo separandus : et ideo non dixit simpliciter, *Non potestis venire* : sed addidit, *Vobis dico modo;* quasi dicat : Judæis dixi, quod nunquam, scilicet quantum ad obstinatos; *sed vobis dico,* quod *modo* non potestis me sequi : quia[2] nondum estis perfecti in caritate, ut velitis mori pro me : ego enim per mortem discessurus sum. Item ego iturus sum ad gloriam Patris, ad quam nullus venire potest, nisi sit caritate perfectus. Item ego sum glorificandus modo : quia, ut dictum est, *nunc clarificatus est Filius hominis;* sed nondum est tempus quod corpora vestra glorificentur : et ideo *quo ego vado, vos non potestis venire.*

3. Consequenter cum dicit, *Mandatum novum do vobis,* docet quomodo idonei efficiantur ad sequendum. Et primo ponit conditionem mandati; secundo ostendit causam quare illud debeant implere, ibi, *In hoc cognoscent omnes quod mei discipuli estis.* Circa primum tria facit. Primo ponit mandati qualitatem ; secundo ejus tenorem; et tertio tenoris exemplum. Sed qualitas mandati commendatur ex novitate : unde dicit : *Mandatum novum.*

Sed numquid in veteri testamento vel lege datum non est mandatum de dilec-

[1] Al. : « spiritualiter etiam. » — [2] Parm. : « non. »

tione proximi? Datum quippe est, quia Matth. XXII, 37, Christus interrogatus a legisperito quod esset [1] primum mandatum, respondit : *Diliges Dominum Deum tuum* : et subditur : *et proximum tuum sicut te ipsum* Quod habetur Levit. XIX, 18 : *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Specialiter autem mandatum istud dicitur novum propter tria. Primo propter effectum innovationis quem efficit. Coloss. III, 9 : *Exuentes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum.* Hæc autem novitas est per caritatem, ad quam hortatur Christus. Secundo istud mandatum dicitur novum propter causam quæ hoc efficit, quia est a novo spiritu. Est enim duplex spiritus, scilicet vetus et novus. Vetus quidem est spiritus servitutis; novus autem spiritus amoris : ille generat servos, hic filios adoptionis. Rom. VIII, 15 : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Ezech. XXXVI, 26 : *Dabo vobis cor novum* [2], *et spiritum novum ponam in medio vestri.* Et hic spiritus [3] imflammat ad caritatem : quia *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum* : Rom. V, 5. Tertio per effectum quem constituit, scilicet novum testamentum. Nam brevis differentia novi et veteris testamenti est timor et amor ut Augustinus dicit [4] Hier. XXXI, 31, *Feriam domui* [5] *Israel fœdus novum.* Quod autem mandatum istud in veteri testamento ex timore et amore sancto erat, pertinebat ad novum testamentum : unde hoc mandatum erat in veteri lege, non tamquam proprium ejus, sed ut præparativum novæ legis.

Tenor autem mandati est mutua dilectio : unde dicit : *Ut diligatis invicem* etc. De ratione enim amicitiæ est quod non sit latens; alias enim non esset amicitia, sed benevolentia quædam : et ideo oportet ad veram amicitiam et firmam, quod amici se mutuo diligant; quia tunc amicitia justa est et firma, quasi duplicata. Dominus ergo volens inter suos fideles et discipulos perfectam amicitiam esse, dedit eis præceptum de mutua dilectione. Eccli. VI, 17 : *Qui timet Deum, habebit amicitiam bonam.* Exemplum tenoris ponit cum dicit : *Sicut dilexi vos.* Tripliciter enim dilexit nos Christus : gratuite, efficaciter et recte. Gratuite, quia ipse incepit, nec expectavit quod nos inciperemus amare. I Joan. IV, 10 : *Non quasi dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos* [6]. Sic et nos debemus prius diligere proximos, nec expectare præveniri, seu beneficari. Efficaciter autem dilexit : quod patet per opus : probatio enim dilectio exhibitio est operis. Majus autem quod homo pro amico potest, facere, est ut det seipsum pro eo, quod et Christus fecit. Ephes. V, 2 : *Dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis* : unde dicebat, infra [7] XV, 13 *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Nos ergo hujus exemplo efficaciter et fructuose invicem diligamus. I Joan. III, 18 : *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.* Recte vero, quia cum omnis amicitia fundetur super aliquam communicationem (similitudo enim est causa amoris), illa est recta amicitia quæ est propter similitudinem, seu communicationem in bono. Christus autem intantum dilexit nos, inquantum similes sumus ei per gratiam adoptionis, diligendo secundum hanc similitudinem ut ad Deum traheret. Hierem. XXXI, 3 : *In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.* Sic ergo et nos in amato [8] non tantum quod beneficii est, seu delectationis, sed quod Dei est, debemus diligere. Et in tali dilectione proximi includitur etiam dilectio Dei.

4. Consequenter cum dicit, *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis* etc., ponitur ratio implendi hoc præceptum. Sciendum est autem, quod quicumque connumeratur militiæ alicujus regis, debet portare ejus insignia. Insigni autem Christi sunt insignia caritatis. Quicumque ergo vult annumerari militiæ Christi, debet caritatis charactere insigniri : et hoc est quod dicit : *In hoc cognoscent omnes quod mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* : dilectionem, inquam, sanctam. Eccli. XXIV, 24 : *Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei.*

Attende autem, quod cum Apostoli

[1] Al. : « legisperitus interrogatus a Christo quod esset, etc. » — [2] Al. : « meum. » — [3] Al. : « et spiritus. » — [4] Parm. omittit : « Augustinus dicit. » et habet : « ut enim dicit Hier. » — [5] Al. : « Domini. » — [6] Al. omittitur : « nos. » — [7] Al. : « dicebat supra. » — [8] Al. : « in amico. »

multa dona receperunt a Christo, sicut vita, et intellectus, et bona habitudo corporis; quædam vero spiritualia, sicut opera miraculorum : Luc. XXI, 15 : *Ego dabo vobis os et sapientiam* etc. : omnia ista non sunt signa discipulatus Christi, cum possint esse communia bonis et malis. Sed speciale discipulatus Christi signum est caritas, et mutua dilectio II Cor. I, 22 : *Signavit nos et dedit Spiritum.*

LECTIO VIII.

1. Dicit ei Simon Petrus : Domine, quo vadis Respondit Jesus : Quo ego vado, non potes me moo sequi ; sequeris autem postea. 2. Dicit ei Petrus Quare non possum te sequi modo ? Animam meam ponam pro te. 3. Respondit ei Jesus : Animam tuam pro me pones ? 4. Amen amen dico tibi : non cantabit gallus donec ter me neges.

1. Posito defectu discipuli, scilicet Judæ tradentis, hic ponit defectum discipuli, scilicet Petri negantis. Et primo ponitur prænuntiandi occasio ; secundo negationis prænuntiatio, ibi, *Respondit Jesus* : *Animam tuam pro me pones*? Circa primum duo facit. Primo ponit Petri desiderium ; secundo ponit ejus fiduciam, ibi, *Dicit ei Petrus*: *Quare non possum te sequi modo* ? Circa primum duo facit. Primo ponit desiderii ostensionem; secundo dilationem, ibi, *Respondit Jesus* : *Quo ego vado, non potes me modo sequi.* Ostenditur autem Petri desiderium in prompta interrogatione, cum dicit, *Dicit ei Simon Petrus* : *Domine quo vadis* ? Audierat enim a Domino quod adhuc modicum cum eis esset : ex quo sollicitus est de Christi recessu ab eis ; et ideo quærit dicens : *Quo vadis*? ubi Chrysostomus dicit : « Magnus profectio est Petri amor, et ipso igne vehementior, cujus nulla prohibitio [1] promptum impetum impedire potest. » Et inde est quod etiam Christo dicente supra hoc cap. *Quo ego vado, vos non potestis venire* : ipsum Petrus sequi volebat : et ideo interrogabat quo iret, quasi una de adolescentulis [2] quærentibus in Cant. V, 17 : *Quo abiit dilectus tuus* [3], *o pulcherrima mulierum, quo abiit? et quæremus eum tecum.* Dilatio autem hujus desiderii est, quia ad præsens impeditur a sequendo : et hoc est quod dicit : *Quo ego vado non potes me modo sequi* ; *sequeris autem postea* ; quasi dicat : Adhuc imperfectus es, et ideo non potes me modo sequi ; postea autem, quando perfectus eris, sequeris me. Simile est quod dicit infra ult., 18 : *Amen dico tibi, cum esses junior*, quasi imperfectus, *cingebas te... Cum autem senueris*, et perfectionis arcem conscenderis, *extendes manus tuas, et alius te cinget.*

2. Consequenter cum dicit, *Dicit eis Petrus* etc., ponit Petri fiduciam. Intellexerat enim Petrus quod Dominus verba prædicta dixerat, quasi de perfectione sui amoris diffidens. Perfectus autem amor est cum quis seipsum pro amicis exponit morti. Infra XV, 13 : *Majorem hanc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quia ergo Petrus paratus erat pro Christo mori, ostendebat se in amore perfectum, cum dicit : *Animam meam ponam pro te* ; idest, paratus sum pro te mori. Hoc dicebat, quantum sibi videbatur non ficto animo. Sed tamen nescit homo virtutem affectus sui, tunc potissime cum periculum imminet, I Corinth. IV, 4 : *Nihil mihi conscius sum* ; *sed non in hoc justificatus sum.*

3. Consequenter cum dicit, *Respondit ei Jesus etc.*, negationem Petri prænuntiat : et prima redarguit præsumptionem ; secundo prædicit negationem, ibi, *Amen amen dico tibi* : *non cantabit gallus donec ter me neges.* Circa primum sciendum est, quod Petrus de se præsumens, Christo sibi dicente, *Non potes me modo sequi*, dicebat se eum sequi posse, et mori pro ipso : et ideo Dominus eum reprimens, dicit : *Animam tuam pro me pones*? quasi diceret : Considera quid loquaris. Magis scio quid in te sit, quam tu scias ; tu non scis ponderare amoris tui pondus. Noli ergo de te ultra modum præsumere. Rom. XI, 20 : *Noli altum sapere, sed time.* Et hujusmodi ratio assignatur Matth. XXVI, 41 : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Permisit autem Dominus Petrum tentari et cadere, ut exaltatus ad principatum Ecclesiæ, discat de se humilia sentire, et peccantibus subditis compati. Hebr. IV, 15 : *Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitu-*

[1] Al. : « cui perfecte nulla prohibitio, etc. » — [2] Al. : « de adolescentibus. » — [3] Al. deest : « tuus. »

dine, absque peccato. Sed in Petro invaluit tentatio usque ad culpam ; in Christo autem fuit tentatio usque ad similitudinem pœnæ : quia oeccatum non fecit.

4. Negationem prædicit, dicens *Amen amen dico tibi : non cantabit gallus donec ter me neges.*

Hic primo dubitatur de hoc quod dicit : *Non cantabit gallus donec ter me neges.* Videtur enim esse falsum : quia statim post primam negationem Petri, gallus cantavit, ut habetur Marc. XIV. Sed ad hoc Augustinus respondet dupliciter. Uno modo, ut Dominus magis affectionem Petri, quam actus expresserit [1] : nam animam Petri tantus timor invaserat quod paratus erat ad primum cantum galli, non solum semel, sed ter negare ; et sic est sensus : Antequam gallus cantet, paratus eris ter me negare. Alio modo, ut referatur ad negationis initium : quia aliquid dicitur fieri ante aliud [2], etiam si incipiat tantum fieri. Dominus autem prædixit trinam negationem, quæ incepit ante primum galli cantum, licet non ante perfecta fuerit ; et tunc est sensus : *Non cantabit gallus donec ter me neges;* idest, trinam negationem incipies antequam gallus cantet.

Item quæritur de loco ubi hæc verba fuerunt : nam et Matthæus et Marcus dicunt [3], quod Dominus dixit hæc verba Petro postquam exiverat de loco ubi cum discipulis cœnaverat ; Lucas autem et Joannes dicunt quod hæc verba dixit in loco ubi cœnaverat : nam post sermonem istum Dominus dixit infra XIV, 21 : *Surgite, eamus hinc.* Ad hoc autem dicendum, quod verum est Dominum hæc verba dixisse in loco in quo cœnaverat ; Matthæus autem et Marcus sequuntur ordinem memoriæ, non historiæ. Potest autem dici, secundum Augustinum, quod Dominus hæc verba tripliciter [4] dixerat. Nam si quis diligenter consideret verba Domini, ex quibus processum est ad prænuntiationem negationis Petri ; inveniet tripliciter esse dicta : nam in Matthæo et Marco habetur, quod dixit Dominus, Matth. XXVI, 31 : *Omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista.* Et Petrus respondet : *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Et ait illi Jesus : *Quia hodie in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.* In Luca autem XXII, 31, habetur : *Dixit eis Jesus : Ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Et tunc Petrus dixit ei : *Domine tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire.* Et Dominus illi : *Dico tibi Petre : non cantabit hodie gallus donec ter abneges nosse me.* Hic autem cum Petrus quæreret a Domino. *Quo vadis?* etc., dixit ei Dominus : *Amen amen dico tibi : non cantabit gallus donec ter me neges.* Unde colligitur quod pluries Dominus negationem Petri prædixerat.

[1] Al. : « expressit. » — [2] Al. : « ante aliquid. » — [3] Al. deest : « dicunt. » — [4] Parm. : » verbaliter dixit. »

CAPUT DECIMUMQUARTUM

LECTIO I.

1. Et ait discipulis suis : Non turbetur cor vestrum. 2. Creditis in Deum, et in me credite. 3. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. 4. Si quo minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. 5. Et si abiero et præparavero vobis locum, iterum veniam, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis.

1. Supra Dominus informavit discipulos suos exemplis; hic confortat eos verbis. Et primo ponitur multiplex verborum exhortatio; secundo ipsorum quæ dicta sunt explicatio, cap. XVI : *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.* Circa primum sciendum est, quod duo imminebant discipulis, de quibus conturbari poterant. Unum de præsenti, scilicet recessus Christi imminens ; aliud de futuro, scilicet tribulationes quas passuri erant. Primo ergo confortat eos contra primum, scilicet contra ejus recessum ; secundo contra tribulationes quas passuri erant, XV cap., *Ego sum vitis vera* etc. Circa primum duo facit. Primo confortat eos ex parte ipsorum remanentium ; secundo ex parte suis recedentis, ibi, *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Circa primum tria facit. Primo præmittit suum accessum ad Patrem ; secundo premittit eis donum Spiritus sancti ; ibi, *Si diligitis me, mandata mea servate* ; tertio suam præsentiam, ibi, *Non relinquam vos orphanos* etc. Circa primum duo facit. Primo præmittit suum accessum ad Patrem ; secundo agit de via per quam accessurus erat, ibi, *Et quo ego vado scitis, et viam scitis.* Circa primum tria facit. Primo excludit turbationem ; secundo innuit sui potestatem, ibi, *Creditis in Deum, et in me credite* ; tertio subjungit promissionem, ibi, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Circa primum sciendum est, quod discipuli perturbari poterant ex verbis Domini supradictis de proditione Judæ, et negatione Petri, et recessu suo. Et vêre omnia turbationem et dolorem ingerebant. Psalm. LIX, 4 : *Commovisti terram*, scilicet cordium discipulorum, *et conturbasti eam.* Et ideo Dominus sanare volens eorum contritionem, dicit : *Non turbetur cor vestrum.*

Sed contra. Act. I, 1 : *Cœpit Jesus facere et docere.* Sed supra. XIII, 21, dicitur: *Turbatus est Jesus spiritu* etc. Quomodo ergo docet non turbari qui primo turbatus est? Responsio. Dicendum, quod non docuit contrarium ejus quod fecit. De eo autem dicitur quod turbatus est spiritu, non quod spiritus ejus sit turbatus. Hic autem non prohibet quin turbentur spiritu ; sed prohibet quod eorum cor, idest spiritus, non turbetur. Est enim quædam turbatio ex spiritu, ex ratione procedens, quæ laudabilis est, nec prohibetur. II Corinth. III, 10 : *Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam*[1] *in salutem stabilem operatur.* Alia est tristitia seu turbatio ipsius rationis ; quæ non est laudabilis[2], quia abducit a propria rectitudine : et hæc prohibetur Psalm. XXXVI, 24 : *Justus non conturbabitur, quia Dominus supponit manum suam.* Non enim turbari potest qui Deum semper habet.

2. Et ideo Dominus suæ divinitatis potestatem subjungit, dicens : *Creditis in Deum, et in me credite* : ubi unum supponit, et aliud præcipit. Supponit quidem eorum fidem in Deum, dicens : *Creditis in Deum* : in hoc enim jam instructi erant ab ipso. Heb, XI, 6. *Accedentem ad Deum oportet credere.* Præcipit autem ut credant in ipsum, dicens : *Et in me credite.* Si enim in Deum creditis ; ego autem sum Deus : consequens est quod in me credatis. Et tenet hæc consequentia, sive ly *Deus* teneatur essentialiter, cum ipse Filius sit Deus, sive ly *Deus* supponat pro persona Patris. Nullus enim potest in

[1] Al. : « præsentiam. » — [2] Al. : « alia tristitia seu turbatio ipsius rationis non est laudabilis. »

Patrem credere nisi credat in Filium. Supra v, 33 : *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem.* In hoc autem quod dicit, *Et in me credite*, contestatur se verum esse Deum : nam etsi homini vel creaturæ [1] credere liceat, in nullum tamen nisi in Deum credere debemus. Est ergo in Christum credendum sicut in Deum. I Joan. ult. xx : *Ut sitis in vero Filio ejus Christo. Hic est verus Deus et vita æterna.* Supra vi, 29 : *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.*

3. Consequenter cum dicit, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, subjungit promissionem quæ est ut per Christum accedant, et introducantur ad Patrem. Promissio autem de accessu aliorum ad aliquem locum duo includit. Unum est præcedens, scilicet loci præparatio ; aliud sequens, scilicet in locum introductio ; et ideo Dominus duas hic promissiones facit : unam quæ pertinet ad loci præparationem, aliam ad loci introductionem. Prima autem non est necessaria, cum jam locus sit præparatus ; sed secunda : et ideo circa hoc duo facit. Primo excludit necessitatem primæ promissionis ; secundo ponit secundam promissionem, ibi, *Et si abiero, et præparavero vobis locum, iterum veniam, et accipiam vos ad meipsum.* Circa primum duo facit. Primo excludit necessitatem præparationis ; secundo ostendit facultatem suam ad præparandum, si necesse esset, ibi, *Si quo minus ; dixissem vobis, quia vado parare vobis locum.* Dicit ergo : *in domo Patris mei mansiones multæ sunt.*

Ubi sciendum est, quod cum uniuscujusque domus sit in qua habitat, illa dicitur domus Dei in qua habitat Deus ; Deus autem habitat in sanctis. Hierem. xiv. 9 : *Tu in nobis es, Domine* etc. Sed in quibusdam quidem per fidem. II Corinth. vi, 16 : *Inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos.* In quibusdam vero per fruitionem perfectam. I Cor. xv, 28 : *Ut sit Deus omnia in omnibus.* Duplex est ergo domus Dei. Una est militans Ecclesia, scilicet congregatio fidelium. I Timoth. iii, 15 : *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi.* Et hanc inhabitat Deus per fidem. Apocal. xxi, 3 : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabo in illis.* Alia est triumphans, scilicet sanctorum collectio in gloria Patris, Psal. lxiv, 6 : *Replebimur in bonis domus tuæ* [2] *Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.*

Sed domus Patris dicitur non solum illa quam ipse inhabitat, sed etiam ipsemet, quia ipse in seipso est. Et in hac domo nos colligit. Quod autem ipse Deus sit domus, habetur II Corinth. v, 1 : *Domum habemus a Deo, non manufactam, æternam in cœlis.* Et hæc domus est gloriæ, quæ est ipse Deus. Hierem. xvii, 12 : *Solium altitudinis gloriæ tuæ a principio, locus sanctificationis nostræ.* Manet autem homo in hoc loco, scilicet Deo, quantum ad voluntatem et affectum per fruitionem caritatis : I Joan. iv, 16 : *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo* : et quantum ad intellectum per notitiam veritatis. Infra, xvii, 17 : *Sanctifica eos in veritate.* In hac ergo domo, idest in gloria, quæ Deus est, *mansiones multæ sunt*, idest diversæ participationes beatitudinis ipsius : quia qui plus cognoscit, majorem locum habebit. Diversæ ergo participationes divinæ cognitionis et fruitionis, sunt diversæ mansiones.

Sed hic est quæstio utrum unus possit esse beatior alio. Videtur quod non. Beatitudo enim est finis ; et perfectum non recipit majus et minus : ergo non potest magis et minus haberi. Responsio. Dicendum, quod aliquid dicitur perfectum dupliciter : absolute, et secundum quid. Perfectio quidem beatitudinis absoluta est solius Dei : quia solus ipse tantum cognoscit se et amat quantum cognoscibilis est et amabilis infinite enim cognoscit, et amat infinitam veritatem et bonitatem suam : et quantum ad hoc, ipsum summum bonum, quod est beatitudinis objectum, et causa, non potest esse majus et minus : non enim est nisi unum summum bonum, quod est Deus. Secundum quid autem, idest secundum aliquas conditiones [3] temporis, naturæ et gratiæ ; et sic unus potest esse beatior alio secundum adeptionem hujus boni, et capacitatem uniuscujusque hominis : quia quanto homo magis est ejus capax, tanto magis participat ipsam, inquantum scilicet est melius dispositus et ordinatus ad ejus fruitionem : ad quod disponitur dupliciter [4]. Consistit enim beatitudo in duobus : scilicet in divina visione ; et ad hanc disponitur per munditiam : et ideo quanto

[1] Al. : « nam si homini alicui creaturæ. » — [2] Al. : « replebitur ab ubertate domus tuæ, etc. » — [3] Al. : « secundum aliquas conditiones. » — [4] Al. deest : « dupliciter. »

quis habet cor magis elevatum a terrenis, tanto magis et perfectius Deum videbit. Item in fruitionis delectatione; et ad hanc disponitur per amorem : et ideo qui habet cor magis fervens amore Dei, magis delectabitur in divina fruitione. De prima dicitur Matth. v, 8 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Item quæritur de hoc quod dicitur Matth. xx, quod unus denarius datur omnibus laborantibus. Hic autem denarius nihil aliud est quam mansio in domo Patris. Non ergo sunt multæ mansiones. Responsio. Dicendum, quod merces vitæ æternæ et una est, et multæ. Multæ quidem secundum diversam capacitatem participantium, secundum quam sunt diversæ mansiones in domo Patris; una vero tripliciter. Primo quidem propter unitatem objecti : idem enim est quod omnes beati vident, et quo omnes fruuntur; et ideo unus denarius : sed diversimode videbitur et amabitur. Job xxii, 26 : *Tunc super Omnipotentem deliciis afflues.* Isa. xxviii, 5 : *In illo die erit Dominus* [1] *exercituum sceptrum* * *exultationis residuo populi sui, et corona gloriæ.* Et simile est ac si aliquis præberet alicui fontem, ut ad libitum omnes biberent; de quo qui majus vas haberet, plus acciperet, et qui minus, minus. Unus ergo fons ex parte sua est; sed non eamdem mensura recipientium. Et hæc est sententia Beati Gregorii, XXII *Moral.* Secundo propter eamdem æternitatis mensuram, secundum Augustinum : quia omnes habebunt æternam beatitudinem, quia ibunt justi in vitam æternam ; sed diversæ sunt propter capacitatem. Tertio propter caritatem, quæ omnia unit, gaudia singulorum faciens omnium, et e converso : Rom. xii, 15 : *Gaudere cum gaudentibus* etc.

Sed notandum, quod ex hoc verbo Pelagiani acceperunt occasionem errandi. Dicunt enim, quod pueri non baptizati decedentes, erunt in domo Dei salvati, sed non in regno : quia supra iii, 5, dicitur : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei.* Sed contra hoc dicit Augustinus quod Dominus dicit, quod mansiones hujusmodi sunt in domo Dei; nihil autem magis est in regno quam domus : nam regnum constituitur ex civitatibus; civitates autem ex vicis; vici autem ex domibus. Si ergo mansiones sunt in domo, manifestum est quod sunt in regno.

4. Consequenter cum dicit, *Si quo minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum*, ostendit facultatem suam ad præparandum eis locum, si necesse esset. Posset enim aliquis dicere, Verum est quod in domo Patris sui mansiones multæ paratæ sunt : quod si non esset, non posset eas parare. Et ideo Dominus hoc excludens dicit, quod *si minus*; idest mansiones non essent paratæ, *dixissem vobis, quia vado parare vobis locum.* Ubi videndum est quid est hoc quod dixit, *Parare vobis locum.* Paratur autem locus dupliciter. Uno modo cum in se disponitur, puta cum purgatur vel ampliatur locus. Isa. liv, 2 : *Dilata locum tentorii tui.* Alio modo cum datur alicui facultas intrandi : unde Psal. lxx, 3, petebat : *Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum*; quasi diceret : Semper sit mihi facultas intrandi. Et secundum hoc potest dupliciter intelligi. Si enim locus iste esset tale aliquid quod defectum haberet, aut quodcumque creatum, subjaceret meæ potestati ut perficerem illum : nam omnis creatura potestati Verbi subjecta est. Supra i, 3 : *Omnia per ipsum facta sunt.* Si ergo ita esset, quod haberet defectum, *dixissem vobis, quia vado parare vobis locum.* Sed locus in se paratus est. Locus enim iste est ipse Deus, ut dictum est, in quo est omnium perfectionum excellentia. Sed forte non est vobis facultas intrandi; et ideo *si quo minus*, idest si non haberetis facultatem intrandi, et non essetis prædestinati ad locum illum, *dixissem vobis, quia vado parare vobis locum.* Nam in potestate mea est ut prædestinarem vos ad locum illud. Nam ipse cum Patre et Spiritu sancto prædestinavit nos [2] ad vitam æternam. Ephes. i, 4 : « *Elegit nos in ipso.* »

5. Sed quia supra dixerat : *Quo ego vado, non potestis me modo sequi* : ne crederent se finaliter ab eo abscissos esse, ideo subjungit : *Et si abiero, et præparavero vobis locum iterum veniam, et accipiam vos ad meipsum* : ubi ponit secundam promissionem, scilicet inductionem in regnum.

Ubi videtur esse verborum contrarietas. Dixit enim : *Si quo minus, dixissem quia vado parare vobis locum* : ubi innuit quod non vadit ad parandum locum. Hic autem

[1] Al. : « domus. » — [2] Parm. : « eos. »

dicitur : *Si abiero, et præparavero vobis locum* : ubi innuit, quod vadit ad parandum locum. Sec dicendum quod uno modo posset legi conjunctim ut sit sensus : *Si quo minus*, idest si necesse esset, *dixissem vobis, quia vado parare vobis locum*. Et iterum : *Si quo minus*, idest si necesse esset, *dixissem vobis* idest *si abiero et præparavero vobis locum*. Secundum Augustinum autem legitur distinctim, ut scilicet hæc sit alia clausula ab illa; sed dicendum [1]: Dominus præparavit ab æterno prædestinando, et præparavit exequendo et prædestinavit per recessum suum : unde illud quod primo dixit, quod mansiones paratæ erant, hoc intelligitur quantum ad primam præparationem ab æterno : quod autem hic dicit, *Si abiero et præparavero*, intelligitur quantum ad executionem æternæ prædestinationis. Præparavit autem Dominus per recessum suum nobis locum quinque modis. Primo quidem dando locum fidei. Fides enim cum sit eorum quæ non videntur, non erat de Christo apud discipulos. quando eum personaliter videbant. Subtraxit ergo se eis, ut quem habebant præsentia corporali, et videbant oculis corporis, haberent præsentia spirituali, et cernerent oculo mentis : quod est habere per fidem. Secundo demonstrando eis viam ad locum eundi. Mich. II, 13 : *Ascendit pandens iter ante eos*. Tertio pro eis orando. VII, 25 : *Accedens per semetipsum ad Deum salvare potest*. Deut. XXXIII, 26 : *Ascensor cœli auxiliator tuus*. Quarto sursum attrahendo. Cant. I, 3 : *Trahe me post te*. Coloss. 3, 1 : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite*. Quinto Spiritum sanctum eis mittendo. Supra VII, 39 : *Nondum erat Spiritus datus, quia nondum erat Jesus glorificatus*. Complementum autem glorificationis Christi fuit in ejus Ascensione : et ideo statim cum ascendit, Spiritum sanctum misit discipulis suis. Sic ergo prædixit eis corporalem recessum, dicens : *Si abiero et præparavero vobis locum* ; deinde promittit eis spiritualem reditum, dicens : *Iterum veniam et recipiam*. Veniam in fine mundi. Act. I, 2 : *Quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum, sic veniet. Et accipiam vos ad me ipsum* ; glorificatos in anima et corpore. I Thessal. IV, 16 : *Similiter rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera*.

Sed numquid spiritus ' Apostolorum non [2] accipiuntur a Christo ante [3] finem mundi? Ad quod dicendum est, quod Græcorum opinio est, quod sancti non vadunt ad paradisum usque ad diem judicii. Sed si hoc esset, tunc Apostolus frustra haberet desiderium esse cum Christo, Phil. I. Et ideo dicendum, quod statim dissoluta hujus habitationis domo, quantum ad animam sumus cum Christo. Et sic hoc quod dicit, *Iterum veniam et accipiam vos ad meipsum*, potest exponi de adventu spirituali, quo Christus semper visitat Ecclesiam fidelium, et quemlibet sanctorum vivificat in morte : ut sit sensus : *Iterum veniam* ad Ecclesiam spiritualiter continue et *accipiam vos ad me ipsum* : idest firmabo in fide et dilectione mea. Cant. VI, 1 : *Dilectus meus ascendit ad areolam aromatum* (idest ad congregationem sanctorum) *ut pascatur* (idest delectetur in virtutibus) et *lilia colligat* ; idest, animas puras ad se trahat, cum vivificat sanctos in morte.

Deinde subdit fructum, dicens : *Ut ubi ego sum, et vos sitis* ; idest, ubi est caput, sint membra ; ubi Magister, sint discipuli. Matth. XXIV, 18 : *Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ*. Supra XII, 26 : *Ubi ego sum, illic et minister meus erit*.

LECTIO II.

1. Et quo ego vado scitis et viam scitis. 2. Dicit ei Thomas : Domine, nescimus quo vadis. Et quomodo possumus viam scire? 3. Dicit eis Jesu : Ego sum via, veritas et vita. 4. Nemo venit ad Patrem nisi per me. 5. Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis. 6. Et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum.

1. Supra Dominus confortavit discipulos de suo recessu, promittens eis quod accessum haberent ad Patrem ; hic consequenter agit [4] de via per quam ad Patrem accedunt. Via autem non cognoscitur sine termino ; et ideo etiam agit de termino. Et primo proponit viam et terminum, ut eis nota : secundo quæ proposuit manifestat, ibi, *Dicit ei Thomas*: *Domine, nescimus quo vadis*. Circa primum sciendum, quod Dominus dixerat : *Si abiero et præparavero vobis locum, iterum*

[1] Parm. : « ab illa Dominus præparavit. » — [2] Al. deest : « non. » [3] Parm. : « usque in. » — [3] Parm. omittit : « agit. »

veniam ad vos. Quia forte discipuli quærerent ab eo quo iret, sicut supra XIII, 36 : quæsivit Petrus : *Domino quo vadis?* ideo Dominus hæc sciens, dixit eis : *Et quo ego vado scitis et viam scitis.* Vado enim ad Patrem quem scitis per me vobis manifestatum. Infra XVII, 9 : *Manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi.* Via autem per quam vado, sum ego, quem scitis. Supra, I, 14 : *Vidimus gloriam ejus.* Recte ergo dixit : *Quo ego vado scitis, et viam scitis* : quia Patrem sciebant per Christum, et Christum per suam conversationem et præsentiam noverant.

2. Consequenter cum dicit, *Dicit ei Thomas* etc., manifestat Dominus quæ proposuit. Et primo præmittitur manifestationis occasio ; secundo subditur propositorum manifestatio, ibi, *Dicit eis Jesus : Ego sum via, veritas et vita.* Occasio autem manifestationis fuit dubitatio Thomæ interrogantis. Unde *dicit ei Thomas : Domine, nescimus quo vadis*, etc. Ubi attende, quod Thomas utrumque negat, quod Dominus affirmavit : nam Dominus dixit, eos et viam et terminum viæ scire ; Thomas autem negat se scire viam et terminum : tamen utrumque verum est. Verum est enim quod sciebant, tamen nesciebant se scire. Multa enim sciebant de Patre et Filio, quæ a Christo didicerant ; sed ignorabant Patrem esse ad quem Christus iret, et Filium esse viam qua iret. Difficile enim est quod eatur ad Patrem. Nec mirum, si ignorabant : quia licet Christum perfecte secundum hominem scirent, ejus tamen divinitatem imperfecte cognoscebant. Job XXVIII, 7 : *Semitam ejus ignoravit avis.* Et subdit : *Quomodo possumus viam scire?* Cognitio enim viæ dependet ex cognitione termini : quia ergo terminus ignotus est nobis : I Tim. VI, 16 : *Lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest* ; ideo via ejus ėst nobis investigabilis : secundum illud Rom. XI, 33 : *Investigabiles viæ ejus.*

3. Consequenter cum dicit : *Dixit eis Jesus : Ego sum via, veritas et vita*, ponitur quæsitorum manifestatio. Duo autem Dominus manifestanda proposuerat eis. Primo quidem viam et terminum ejus : secundo quod utrumque scirent. Primo ergo manifestat primum : secundo secundum, ibi, *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis.* Circa primum duo facit. Primo manifestat quid sit via ; secundo quid sit terminus, ibi, *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Via autem, ut dictum est, est ipse Christus : et ideo dicit : *Ego sum via* etc. Quod quidem satis habet rationem : nam per ipsum accessum habemus ad Patrem, ut dicitur Rom. V. Competit etiam proposito quo intendit declarare [2] dubitationem discipuli dubitantis. Sed quia ista via non est distans a termino, sed conjuncta, addit ; *Veritas et vita* : et sic ipse simul est via, et [3] terminus. Via quidem secundum humanitatem, terminus secundum divinitatem. Sic ergo secundum quod homo [4], dicit, *Ego sum via ;* secundum quod Deus, addit, *Veritas et vita.* Per quæ duo terminus hujus vitæ convenienter designatur : nam terminus hujus viæ finis est desiderii humani homo autem duo præcipue desiderat : primo quidem veritatis cognitionem, quæ est sibi propria ; secundo sui esse continuationem, quod est commune omnibus rebus. Christus autem est via perveniendi ad veritatis cognitionem, cum tamen ipse sit veritas. Psal. LXXXV, 11 : *Deduc me, Domine, in veritate, et ingrediar in vita tua.* Christus etiam est via perveniendi ad vitam, cum tamen ipse sit vita : Psal. XV, 11 : *Notas fecisti vias vitæ.* Et ideo hujus viæ [5] terminum per veritatem et vitam designavit : quæ duo supra I de Christo dicta sunt. Primo quidem quod ipse sit vita : unde supra I, 4 : *in ipso vita erat* ; deinde quod sit veritas, quia *erat lux hominum* ; lux autem veritas est.

Sed notandum, quod hæc duo proprie et per se Christo conveniunt. Veritas enim convenit ei per se, quia ipse est Verbum. Nihil enim aliud est veritas quam adæquatio rei ad intellectum, quod fit quando intellectus concipit rem prout est. Veritas ergo intellectus nostri pertinet ad verbum nostrum, quod est conceptio ejus. Sed tamen licet verbum nostrum sit verum, non tamen est ipsa veritas, cum non sit a seipso, sed ex hoc quod rei conceptæ adæquatur. Veritas ergo intellectus divini pertinet ad Verbum Dei. Sed quia Verbum Dei est verum a seipso, cum non mensuretur a rebus, sed res intantum sint veræ inquantum ad

[1] Al. : « *ad me*, etc. » — [2] Al. : « declinare. » — [3] Al. : « etc. » — [4] Al. deest : « homo. » —

[5] Al. : « vitæ. »

similitudinem ejus accedunt : inde est quod Verbum Dei est ipsa veritas. Et quia nullus potest veritatem cognoscere nisi adhæreat veritati, oportet omnem qui veritatem cognoscere desiderat, huic Verbo adhærere. Vita autem proprie convenit sibi : quia omne quod aliquam operationem ex se habet, dicitur vivens; non viventia autem dicuntur quæ ex seipsis motum non habent. Inter operationes vitæ præcipuæ sunt operationes intellectuales : unde et ipse intellectus dicitur vivens, et actio ejus est vita quædam. In Deo autem idem est intelligere et intellectus : unde manifestum est quod Filius, qui est Verbum intellectus Patris, est vita sua. Sic ergo Christus seipsum designavit viam, et conjunctam termino : quia ipse est terminus, habens in se quicquid desiderari potest, scilicet existens veritas et vita. Si ergo quæras, qua transeas, accipe Christum, quia ipse est via, Isa. xxx, 21 : *Hæc est via, ambulate in ea.* Et Augustinus dicit : « Ambula per hominem, et pervenies ad Deum. Melius est enim in via claudicare, quam præter viam fortiter ambulare. Nam qui in via claudicat, etiam si parum proficiscatur, appropinquat ad terminum ; qui vero extra viam ambulat, quanto fortius currit, tanto magis a termino elongatur. Si vero quæras quo vadis : adhære[1] Christo, quia ipse est veritas, ad quam desideramus pervenire. Prover. viii, 7 : *Veritatem meditabitur guttur meum* etc. Si quæris quo permaneas; adhære Christo, quia ipse est vita. Prover. viii, 35 : *Qui me inveniet, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino.* Adhære ergo Christo, si vis esse securus : non enim poteris deviare, quia ipse est via. Unde qui ei adhærent, non ambulant in invio, sed per viam rectam. Proverb. iv, 11 : *Viam sapientiæ monstrabo tibi.* E contra dicitur de quibusdam, Psal. cvi, 4 : *Viam veritatis habitaculi non invenerunt.* Item non potest decipi, quia ipse est veritas, et docet omnem veritatem. Infra xviii, 37 : *In hoc natus sum et ad hoc veni, ut testimonium perhibeam veritati.* Item non potest perturbari, quia ipse est vita et vitam dans. Supra x, 10 : *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant*. Nam, ut Augusnus dicit, Dominus dixit : *Ego sum via, veritas et vita* ; tamquam diceret : Qua vis ire? *Ego sum via.* Quo vis ire? *Ego sum veritas.* Ubi vis permanere? *Ego sum vita.* Non enim, ut Hilarius dicit, in erratica ducit ille qui est via, nec illudit per falsa qui veritas est, neque in mortis relinquit errore qui vita est. Vel aliter. Tria sunt in homine quæ ad sanctitatem pertinent, scilicet actio et contemplatio et intentio[2] : et ista perficiuntur a Christo : nam activam exercentibus Christum est via ; in contemplativa vero perserverantibus Christus est veritas : sed activorum et contemplantium intentionem dirigit ad vitam, scilicet æternam. Docet enim ire, et prædicare pro futuro sæculo. Sic ergo Dominus est nobis via qua imus ad ipsum et per ipsum ad Patrem.

Sed cum ipsemet qui via est, vadit ad Patrem, numquid ipse est sibi via? Sed, ut Augustinus dicit, ipse est via, et qui vadit per viam, et quo vadit : unde ipse per seipsum ad seipsum vadit. Nam ipse inquantum est homo, via est : unde per carnem venit, manens ubi erat; et per carnem vadit, non relinquens quo venerat; per carnem etiam ac se redit veritatem et vitam : nam Deus venerat per carnem ad hominem, veritas ad mendaces, vita ad mortales. *Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax*; Rom. iii, 4. Cum autem se ab hominibus abstulit, atque illuc ubi nemo mentitur, carnem suam levavit, idem ipse qui Verbum caro factum est, per carnem suam ad veritatem, quæ est ipse, remeavit. Et simile est si dicerem : Et mens mea dum loquor aliquibus, ad eos exit, nec tamen me relinquit; cum autem tacuero, quodammodo ad me redeo, et cum illis quibus loquor maneo. Sic ergo Christus, qui nobis est via, etiam sibi ipsi, idest carni, factus est via, ut ad veritatem et vitam iret.

4. Consequenter cum dicit, *Nemo venit ad Patrem nisi per me*, manifestat quod quæsitum fuerat quantum ad terminum viæ. Via autem, quæ est Christus, ut dictum est, ducit ad Patrem. Sed quia Pater et Filius sunt unum, ideo hæc via ducit etiam ad seipsum : et ideo dicit Christus se esse terminum viæ. *Nemo*, inquit, *venit ad Patrem nisi per me.*

Sed sciendum quod, sicut Apostolus dicit I Corinth. ii, 11, *nemo novit quæ sunt hominis, nisi spiritus ejus qui in ipso est.* Quod intelligendum est nisi inquantum homo vult se manifestare. Secretum

[1] Al. : « adhærere. » — [2] Al. omittitur : « et intentio. »

autem suum manifestat quis per verbum suum : et ideo nullus potest venire ad secretum hominis nisi per verbum hominis. Quia ergo et *quæ Dei sunt nemo novit nisi spiritus Dei*, ibid., nullus potest venire ad notitiam Patris nisi per verbum suum, quod est Filius ejus [1] Matth. xi, 27 : *Neque Patrem quis novit nisi Filius.* Et sicut homo volens revelare se verbo cordis, quo profert, induit [2] quodammodo ipsum verbum litteris vel voce, ita Deus volens se manifestare hominibus, Verbum suum conceptum [3] ab æterno, carne induit in tempore. Et sic nullus ad notitiam Patris pervenire potest nisi per Filium. Unde supra x, 9, dicit : *Ego sum ostium. Per me si quis introierit salvabitur.*

Sed notandum, secundum Chrysostomum, quod supra vi, 44, Dominus dicit : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum* : hic autem dicit : *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* In quo ostenditur æqualitas Filii ad Patrem.

Patet ergo quæ sit via, quia Christus ; quis terminus, quia Pater.

5. Consequenter cum dicit, *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis*, ostendit quod discipuli utrumque cognoscunt, scilicet quo vadit, et viam. Et primo proponit manifestationem ; secundo excludit emergentem dubitationem, ibi, *Dicit ei Philippus : Domine, ostende nobis Patrem.* Circa primum duo facit. Primo ostendit concomitantiam notitiæ habitæ de Filio ad notitiam habitam de Patre ; secundo manifestat quomodo discipuli se habeant ad notitiam Patris, ibi, *Et amodo cognoscetis eum.* Dicit ergo primo : Dixi quod sum via, et quod scitis viam, scilicet me : ergo et quo vado scitis, quia notitia de me non potest haberi sine notitia Patris. Et hoc est quod dicit : *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis.*

Supra viii, 19, Judæis dicit : *Si me sciretis, et Patrem meum forsitan sciretis.* Quid est ergo quod dicit : *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis* : ibi autem dicit, *Forsitan.* Videtur quod ibi dubitaverit de eo quod hic asserit. Sed dicendum, quod ibi loquebatur Judæis quos increpabat ; et ideo addit *forsitan*, non dubitans, sed increpans eos. Hic autem loquitur discipulis quos instruit ; et ideo veritatem eis cum assertione proponit, dicens : *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis* ; quasi dicat : Si sciretis meam gratiam et dignitatem, et eam utique quæ Patris est sciretis. Per nihil enim aliud res melius scitur quam per verbum et imaginem suam ; Filius autem est Verbum Patris. Supra i, *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.* Ibid. xiv : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis ; et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.* Filius etiam est imago Patris. Coloss. i, 15 : *Qui est imago invisibilis Dei.* Hebr. i, 3 : *Qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus.* In Filio ergo cognoscitur Pater, ut Verbo et imagine propria.

Sed notandum, quod inquantum aliquid accedit ad similitudinem paterni Verbi, intantum in ipso cognoscitur Pater, et similiter inquantum habet de imagine Patris. Cum autem omne verbum creatum [4] sit aliqua similitudo illius Verbi, et in qualibet re inveniatur similitudo divinitatis, vel imaginis vel vestigii, sed imperfecta : inde est quod per nullam creaturam et a nulla intelligentia et conceptione intellectus creati potest cognosci perfecte idipsum quod Deus est ; sed solum Verbum unigenitum quod est perfectum et perfecta imago Patris, idipsum quod quid est Patris cognoscit et comprehendit. Unde, secundum Hilarium, possunt hæc verba aliter continuari. Nam cum Dominus dicit, *Nemo venit ad Patrem nisi per me*, interrogatus [5] Arius, quomodo itur ad Patrem per Filium, respondet, quod per doctrinæ admonitionem, inquantum scilicet Filius sua doctrina instruit homines de Patre : secundum illud infra xvii, 6 : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus.* Sed Dominus hoc excludens dicit : *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis* ; quasi dicat : Arius vel alius quicumque homo annuntiare quidem potest de Patre ; sed nullus est tantus quod eo cognito, cognoscatur Pater, nisi solus Filius, qui est ejusdem naturæ cum ipso.

6. Consequenter cum dicit, *Et amodo cognoscetis eum*, ostendit quomodo discipuli se habeant ad cognitionem Patris. Dixerat autem Dominus supra discipulis, quod Patrem cognoscunt. *Quo*, inquiens,

[1] Al. deest : « ejus. » — [2] Al. : « inducit. » — [3] Al. : « conspectum. » — [4] Al. deest : « creatum. » — [5] Al. : « interrogans. »

vado scitis. Et hoc Thomas negavit, dicens : *Domine nescimus quo vadis*. Et ideo hic Dominus ostendit quod aliquo modo cognoscunt Patrem, ut ostendat verbum suum verum esse ; et aliquo modo non cognoscunt, ut verbum Thomæ sit verum. Et ponit ad hoc duplicem Patris cognitionem : unam quæ erit in futuro : aliam quæ fuit in præterito. Dicit ergo, quod *amodo cognoscetis eum*. Dicit autem *Amodo*, quia duplex cognitio habetur de Patre. Una perfecta, quæ est per immediatam ejus visionem, quæ erit in patria. I Joan. III, 2 : *Cum apparuerit, similes ei erimus;* alis est imperfecta, quæ est per speculum et in ænigmate, quam habemus per fidem. I Cor. III, 11 : *Videmus nunc per speculum et in ænigmate* : Potest ergo hic intelligi de utraque; ut sit sensus : *Palam de Patre annuntiabo vobis*; quasi dicat : Verum est, quod non cognoscetis eum perfecta cognitione; sed *amodo cognoscetis eum*, peracto mysterio passionis meæ. Vel *amodo*, idest post resurrectionem meam et ascensionem et missionem Spiritus sancti, *cognoscetis eum*, cognitione fidei perfecta : quia cum venerit Spiritus Paraclitus, *ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis* : infra XIV, 26. Sic ergo verum dicis, quod nescis eum cognitione perfecta; sed ego verum dico, quia *vidistis eum*. Baruch. III, 38 : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est*. Viderunt enim Christum, secundum carnem assumptam, in qua erat Verbum, et in Verbo Pater : unde in ipso viderunt Patrem. Supra VIII, 29 : *Qui me misit, mecum est*.

Sed attende, quod Pater non erat in carne per unitatem personæ, sed erat in Verbo incarnato per unitatem naturæ, et in Christo incarnato videbatur Pater. Supra I, 14 : *Vidimus gloriam ejus, quasi Unigeniti a Patre*.

LECTIO III.

1. Dicit ei Philippus : Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. 2. Dicit ei Jesus : Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis : Ostende nobis Patrem? Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est? 3. Verba quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor. Pater autem in me manens ipse facit opera. 4. Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite. 5. Amen amen dico vobis : qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet : quia ego ad Patrem vado. 6 Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam : 7. Ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

1. Hic Dominus solvit emergentem dubitationem discipuli. Et primo ponitur ipsius dubitantis positio; secundo dubitationis remotio, ibi, *Dicit ei Jesus* etc. Circa primum sciendum, quod Dominus supra discipulis promisit quoddam futurum, scilicet perfectam Dei cognitionem, cum dixit : *Amodo cognoscetis eum :* aliud præteritum, scilicet quod viderunt eum. Quod audiens Philippus, credebat se vidisse Patrem; sed petit ejus cognitionem, dicens : *Domine, ostende nobis Patrem* : ut petitio hujus ostensionis non referatur ad visionem, sed ad cognitionem : *et sufficit nobis*. Nec mirum, quia visio Patris est finis omnium desideriorum et actionum nostrarum, ita ut nil amplius requiratur. Psalm. XV, 11 : *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo ;* idest, in visione vultus tui. Psalm. CXI, 5 : *Qui replet in bonis desiderium tuum*.

2. Hic removetur dubitatio. Et primo ponitur dubitationis remotio; secundo subditur dictorum manifestatio, ibi, *Verba quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor*. In prima primo arguit tarditatem; secundo instruit veritatem, ibi, *Philippe, qui videt me, videt et Patrem*; tertio reprobat petitionem, ibi, *Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem*? Dicit ergo primo : *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me*? quasi dicat : Ex diuturna conversatione qua tanto tempore vobiscum conversatus sum, debuissetis me cognoscere. Et si cognovissetis me, cognosceretis utique et Patrem. Ex hoc ergo quod tu non cognoscis Patrem, das intelligere quod tu non cognoscis me : in quo arguendus es tarditatis. Matth. V, 12 : *Adhuc et vos sine intellectu estis?* Hebr. XV, 16 : *Cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis ut vos doceamini*.

Sed hic incidit dubitatio : quia supra Dominus dixit discipulis, quod eum sciebant, cum dixit, *Viam scitis* etc. : hic au-

tem videtur dicere contrarium, dicens : *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis.* Sed dicendum, secundum Augustinum, quod inter discipulos aliqui erant qui Christum, secundum quod erat Verbum Dei, cognoscebant : quorum unus erat Petrus, ubi dixit Matth. XVI, 16 : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Alii erant qui vere eum non [1] cognoscebant, intra quos erat Philippus. Quantum ergo ad primos dicit Dominus : *Quo ego vado scitis* : sed quantum ad secundos dicit : *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis.* Vel aliter. Christus dupliciter cognosci poterat : scilicet secundum humanam naturam ; et sic omnes sciebant : et quantum ad hoc dicit : *Et quo ego vado, scitis, et viam scitis* : et secundum divinam ; et sic eum nondum perfecte cognoverant : et quantum ad hoc dicit : *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis.* Et hoc patet per hoc quod subdit : *Philippe, qui videt me, videt et Patrem;* quasi diceret : Si cognosceretis me, cognosceretis Patrem : et sic non diceres : *Ostende nobis Patrem* : quia jam vidisses eum, me viso. Supra VIII, 19 : *Si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis.*

Sed ex hoc Sabellius erroris sui fulcimentum sumit, dicens : Quid est hoc quod dixit, *Qui videt me, videt et Patrem,* nisi quia idem ipse sit Pater et Filius? Ad hoc dicit Hilarius : Si hoc ita esset Dominus dixisset, *Qui videt me, videt Patrem*, nulla conjunctione apposita ; sed quia conjunctionem addidit, dicens, *Videt et Patrem*, distinctionem ostendit : et est similis modus loquendi, secundum Augustinum, sicut quis de duobus similibus loquens dicit : Si vidisti istum, vidisti et illum. In Filio autem est perfectissima similitudo Patris ; et ideo dicit : *Qui videt me, videt et Patrem.* Sed adhuc in Filio est major similitudo quam in hominibus : quia in eis nunquam potest esse similitudo secundum eamdem formam vel qualitatem numero, sed solum secundum speciem : in Filio autem est eadem natura numero, quæ est in Patre ; et ideo magis in visione Filii videtur Pater, quam in visione alicujus hominis, quantumcumque simillimi videantur.

Sed notandum quod ex verbis quæ hic dicuntur, excluditur error Arii quantum ad duo. Primo quantum ad hoc quod negabat consubstantialitatem. Impossibile est enim quod in visione substantiæ creatæ possit videri substantia increata, sicut per cognitionem substantiæ unius generis non potest haberi cognitio substantiæ alterius generis. Manifestum est ergo quod Filius non est substantia creata, sed est consubstantialis [2] Patri : alias qui videt Filium, non videret Patrem. Secundo quantum ad hoc quod dicunt super illud I Tim. I, 17 : *Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo;* scilicet quod solus Pater est invisibilis, Filius vero in sua natura multoties sit visus : quod si esset sequeretur etiam quod Pater visus esset frequenter : quia qui videt Filium, videt et Patrem. Cum ergo Pater invisibilis sit secundum suam naturam, impossibile est quod Pater secundum suam naturam sit visus.

Sed objicit aliquis, cur Dominus reprehenderit Philippum, qui videns Filium, quærebat videre Patrem, cum non sit reprehendendus quispiam qui videns imaginem, videre vellet [3] rem imaginatam. Ad quod Chrysostomus respondet dicens, quod Philippus audiens de visione Patris et cognitione ejus, volebat ipsum Patrem corporeis oculis videre, sicut et ipsum Filium æstimabat vidisse : et ideo hoc Dominus improbavit, ostendens ei quod neque ipsum Filium in sui natura vidit oculo corporali. Augustinus autem dicit, quod Dominus non improbavit petitionem, sed petentis animum. Nam Philippus dicit : *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis* ; quasi dicat : Nos cognoscimus te, sed hoc non sufficit. Et sic credebat quod in cognitione Filii non esset perfecta sufficientia, sed in cognitione Patris. Ex quo videbatur sentire Filium esse minorem Patre. Et hoc Dominus increpavit, ostendens quod in cognitione Filii sit eadem sufficientia quæ est in cognitione Patris, dicens : *Qui videt me, videt et Patrem.* Et ideo consequenter cum dicit : *Quomodo tu dicis : Ostende nobis Patrem?* improbat primo ejus petitionem ; secundo radicem petitionis. Petitionem improbat quidem dicens : *Quomodo tu dicis : Ostende nobis Patrem?* ex quo scilicet Pater in Filio videtur. Poterat quidem Philippus dicere, quod habetur Job XXXIX, 34 : *Qui leviter locutus sum, respondere quid possum? Manum meam ponam super os meum.* Radicem petitionis

[1] Al. omittitur : « non. » — [2] Al. : « substantialis. » — [3] Parm. : « velit. »

improbat cum dicit : *Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est?* quasi dicat : Tu vis habere Patrem, credens in eo habere sufficientiam : sed si ita credis, *non credis quia ego in Patre et Pater in me est*. Nam si hoc crederes, sperares quod in me haberes omnem sufficientiam quam in Patre. Hoc autem quod dicit, *Ego in Patre et Pater in me est*, dicitur propter essentiæ unitatem, de qua dicitur supra x, 30 : *Ego et Pater unum sumus*.

Sciendum est enim, quod essentia aliter se habet in divinis ad personam, et aliter in hominibus. Nam in hominibus essentia Socratis non est Socrates, quia Socrates est quid compositum ; sed in divinis essentia est idem personæ secundum rem, et sic essentia Patris est Pater, et essentia Filii, Filius. Ubicumque ergo est essentia Patris, est ipse Pater ; et ubicumque est essentia Filii, est ipse Filius. Essentia autem Patris est in Filio, et essentia Filii est in Patre. Ergo Filius est in Patre, et Pater in Filio. Et sic exponit Hilarius.

3. Hic Dominus manifestat suam responsionem : et primo per opera quæ facit per seipsum ; secundo per opera quæ facturus erat per discipulos, ibi, *Amen amen dico vobis* : *qui credit in me*, *opera quæ ego facio*, *et ipse faciet*. In prima ergo prætermittit opera quæ ipse facit ; secundo concludit fidei conclusionem, ibi, *Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est?* Fides autem de Christo, quod esset Deus, poterat ex duobus manifestari : scilicet ex ejus doctrina, et ex miraculis. Et hæc duo infra xv, 24 : Dominus dicit : *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit*, *peccatum non haberent*. Quantum ad primum ibid. xxii, *Et si non venissem*, *et locutus eis non fuissem* : *peccatum non haberent*. Et supra, vii, 46 : *Numquam sic locutus est homo*. Quantum ad secundum supra, ix, 32, dixit de eo cæcus : *A sæculo non est auditum*, *quod quis aparuerit oculos cæci nati*. Ex his ergo duobus Dominus divinitatem suam ostendit. Quantum ad primum dicit : *Verba quæ ego loquor vobis*, scilicet organo humanitatis, *a meipso non loquor*, sed ab eo qui est in me, scilicet a Patre. Supra viii, 26 : *Ego quæ audivi a Patre meo hæc loquor in mundo*. Pater ergo qui in me loquitur, est in me. Sed quia quicquid homo loquitur, necesse est quod a primo Verbo hoc habeat : primum autem Verbum, scilicet Verbum Dei, est a Patre ; ergo necesse est quod omnia verba quæ loquimur sint a Deo. Cum ergo quis loquitur verba quæ habet a Patre, Pater est in eo. Quantum ad secundum dicit : *Pater in me manens ipse facit opera :* quia nullus opera quæ ego facio posset facere. Supra v, 19 : *Non potest Filius a se facere quidquam*.

Sed quærit Chrysostomus quomodo Christus a verbis incipiens venit ad opera : Dixit enim : *Verba quæ ego loquor vobis*, *a meipso non loquor* ; et postea dicit: *Ipse facit opera*. Sed hoc solvitur dupliciter. Uno modo secundum Chrysostomum, qui dicit, secundum conjunctionis modum prædictum, quod primo loquitur de doctrina, et postea loquitur de miraculis. Secundum Augustinum, dicendum, quod verba quæ Dominus loquebatur, vocat opera. Supra vi, 26 : *Hoc est opus Dei*, *ut credatis in eum quem misit ille*. Ideo cum dicit, *Ipse facit opera*, dat intelligere quod verba ipsius sunt quædam opera.

Sed nota, quod ex his duobus distinctim duæ hæreses fulcimentum suum sumunt : quia quod dicit, *Ego in Patre*, sumit pro se [1] Sabellius dicens, eumdem esse Patrem et Filium ; quod autem dicit, *A me ipso non loquor*, assumit Arius, concludens ex hoc Filium esse minorem Patre. Sed per ipsa eadem dictæ hæreses excluduntur. Nam si idem esset Pater et Filius, ut Sabellius fingit, non diceret Filius : *Verba quæ ego loquor vobis*, *a meipso non loquor*. Si vero Filius esset minor Patre, ut blasphemat Arius, non diceret, *Pater in me manens*, *ipse facit opera*.

4. Quia ergo ex duobus prædictis manifestatur fides Trinitatis, ideo contra concludit fidem ipsam, dicens : *Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est?* Hoc quidem quomodo intelligendum sit, expositum est supra. In græco habetur : *Credite*, scilicet mihi, *quia ego in Patre*, *et Pater in me est*. Vel mirum, quia non creditis, *quia ego in Patre*, *et Pater in me est*. Sed attende, quod antea locutus est solum Philippo ; sed ab eo loco ubi dicit, *Verba quæ ego loquor* etc., loquitur omnibus Apostolis simul. Quod si non sufficiunt consubstantialitatem [2] verba quæ ego dico, saltem *propter opera ipsa credite*.

[1] Al. : « per se. » — [2] Al. : « substantialitatem. »

Supra v, 36 : *Opera quæ dedit mihi Pater ut faciam ea, ipsa testimonium perhibent de me.* Et x, 8 : *Si mihi non creditis, operibus credite.*

5. Postquam Dominus manifestavit ea quæ dixerat, per opera quæ faciebat per seipsum, hic manifestat ea per opera quæ facturus erat per discipulos. Et primo proponit opera discipulorum : secundo insinuat modum operandi, ibi, *Quodcumque petieritis.* In prima primo proponit opera discipulorum, secundo assignat rationem dicti, ibi, *Quia ad Patrem vado.* Dicit ergo primo : *Amen amen dico vobis* : quasi dicat : Opera quæ ego facio adeo magna sunt quod præbent sufficienter argumentum divinitatis meæ ; sed si hæc vobis non sufficiant, respiciatis ad opera quæ per alios facturus sum. Potissimum enim signum magnæ virtutis est ut homo non solum per se, sed etiam per alios eximia operetur : et ideo dicit *: Amen amen dico vobis : qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet :* quæ verba non solum monstrant virtutem divinitatis in Christo, sed etiam virtutem fidei, et conjunctionem Christi cum fidelibus. Sicut enim Filius operatur propter Patrem in se manentem per unitatem naturæ, ita et fideles operantur propter Christum in se manentem per fidem. Ephes. III, 17 : *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Opera autem quæ Christus fecit et discipuli faciunt virtute Christi, sunt opera miraculorum. Marc. ult. 17, *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur : in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent* etc. Sed mirabile est quod subdit : *Et majora horum faciet.* Uno modo ut dicamus quod Dominus per Apostolos plura et majora facit quam per seipsum. Maximum enim inter miracula Christi fuit quod ad tactum fimbriæ ejus sanabantur infirmi, ut habetur Matth. XIV. Sed de Petro legitur Actor. v quod ad ejus umbram sanabantur infirmi. Magis autem est quod sanet umbra quam fimbria. Alio modo, ut dicamus, quod Christus plura fecit per verba discipulorum, quam per sua. Loquitur enim hic Dominus de operibus quæ facta erant per verba, ut Augustinus dicit, quæ opera tunc dicebat ubi verba quæ loquebatur, et eorumdem verborum fructus erat fides illorum. Legitur enim de Christo, Matth. XIX, 22, quod adolescens non fuit inductus ad vendendum quæ habebat, et eum sequendum. Nam cum diceret adolescenti : *Vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus* : subditur : *Abiit tristis.* Sed de Petro et aliis Apostolis legitur Act. IV, quod eis prædicantibus vendebant possessiones et omnia quæ habebant, et afferebant pretium earum ad pedes Apostolorum.

Sed obviat aliquis, quod Dominus non dicit quod Apostoli majora facient, sed *Qui credit in me.* Numquid ergo qui non facit majora quam Christus, non est computandus inter credentes in Christum ? Absit. Durum enim esset hoc. Ideo dicendum est aliter, quod Christus duplex opus facit. Unum sine nobis, videlicet creare cœlum et terram, suscitare mortuos, et hujusmodi : aliud operatur in nobis, sed non sine nobis : quod est opus fidei, per quod vivificatur impius. De istis ergo loquitur hic Dominus, quæ sunt communia credenti. Et hoc est opus quod facit Christus in nobis, sed non sine nobis ; quia eadem facit quicumque credit : quia quod fit in me per Deum, fit in me etiam per meipsum, scilicet per liberum arbitrium. Unde dicit Apostolus I Corinth. XV, 10 : *Non autem ego*, supple solus, *sed gratia Dei mecum.* Et de istis dicit : *Opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet* : quia majus est justificare impium quam creare cœlum et terram. Nam justificatio impii, quantum est de se, perseverat in æternum : Sap. I, 15 : *Justitia perpetua est et immortalis.* Cœlum autem et terra transibunt, ut dicitur Luc. XXI, 33. Item, quia opus corporale ordinatur ad spirituale : cœlum et terra opus corporale est ; justificatio vero impii opus spirituale.

Sed hic incidit dubium. Nam in creatione cœli et terræ includitur [1] creatio etiam beatorum sanctorum et Angelorum. Numquid ergo majora facit qui cooperatur Christo ad suam justificationem, quam creare Angelum ? Quod Augustinus non determinat ; sed dicit : « Judicet qui potest, utrum majus sit justos creare Angelos quam impios homines justificare : certe si æqualis est utrumque potentiæ, hoc majoris est misericordiæ. » Si autem diligenter attendamus de quibus operibus Dominus hic loquatur, non præferimus creationem Angelorum justificationi impii : non enim per hoc quod dicit,

[1] Al. : « inducitur. » — Parm. : « includitur creatio etiam sanctorum Angelorum. »

Et majora horum faciet, oportet nos intelligere omnia opera Christi; sed illa tantum fortassis quæ tunc faciebat; tunc autem verba fidei faciebat : et utique minus est verba justitiæ prædicare, quod fecit præter nos, quam impios justificare, quod ita facit in nobis ut faciamus et nos.

Consequenter assignat rationem dicti, ideo majora faciet, dicens, *quia ad Patrem vado*. Quod potest tripliciter adaptari. Uno modo secundum Chrysostomum. Ego operor quamdiu sum in mundo; sed me recedente, vos eritis loco mei : et ideo quæ ego facio, vos facietis, et etiam majora : *Quia ego vado ad Patrem*, et ultra per meipsum nihil operor, scilicet prædicando. Alio modo, ut sit sensus : Judæi credunt quod me occiso fides mea extinguatur; et hoc non est verum, immo magis approbabitur, et vos majora facietis : *quia vado ad Patrem;* idest, non pereo, sed in propria maneo dignitate, et in cœlis ero. Supra XIII, 31 : *Nunc clarificatus est Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo.* Tertio modo majora facietis; et hoc, *quia vado ad Patrem*: quasi diceret : Dum ero [1] magis glorificatus, decet me majora facere, et etiam dare vobis virtutes majora faciendi. Unde, antequam Jesus esset glorificatus, Spiritus non fuit datus discipulis in ea plenitudine in qua datus est postmodum. Supra VII, 39 : *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.*

6. Hic insinuat modum operandi : et primo ponit intentum; secundo rationem assignat, ibi, *Ut glorificetur Pater in Filio* etc. Circa primum sciendum est, quod cum Dominus dixerit, *Et majora horum faciet*, ut ex magnitudine operum cognoscatur magnitudo facientis; posset aliquis credere quod qui credit in Filium Dei, esset major ipso futurus : et ideo hoc Dominus excludit ex modo faciendi : quia Filius facit ipsa opera auctoritate propria; sed qui credit in eum, facit ipsa cum interpellatione : et ideo dicit : *Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Ubi excluditur æquaqualitas credentium ad Filium tripliciter. Primo quidem quia ipsi, ut dictum est, faciunt interpellando : unde dicit, *Quodcumque petieritis*. Matth. VII, 8 : *Omnis qui petit, accipit.* Secundo, quia faciunt in virtute Filii : unde dicit, *In nomine meo*, idest in virtute nominis mei. Actor. IV, 12 : *Non est aliud nomen datum sub cœlo hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Hoc enim nomen est super omne nomen. Psal. CXIII, 9 : *Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam.* Tertio quia ipse Filius in eis et per eos omnia opera facit : unde dicit, *Hoc faciam.* Et attende, quod Pater petitur, et Filius facit : quia indivisibilia sunt opera Patris et Filii. Supra V, 19 : *Quæcumque Pater facit, hæc similiter et Filius facit.* Omnia enim Pater facit [2] per Filium. Supra I, 3 : *Omnia per ipsum facta sunt.*

Sed quid dicit : *Quodcumque petieritis hoc faciam* : cum videamus ejus fideles petere et non accipere? Sed, secundum Augustinum, considerandum est hic primo, quod dicit, *In nomine meo* : deinde quod subdit, *Hoc faciam.* Nomen enim Christi est nomen salutis. Matth. I, 21 : *Vocabis nomen ejus Jesum* : *ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Qui ergo petit aliquid pertinens ad salutem, petit in nomine Christi. Contingit autem quod aliquis petit non [3] pertinens ad salutem ex duobus. Scilicet ex prava affectione; puta cum petit aliquid ad quod afficitur, quod tamen si haberet, salutem impediret. Et ideo qui sic petit, non exauditur, quia male petit. Jac. IV, 3: *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis.* Cum enim quis ex pravo affectu male usurus est eo quod vult accipere, Domino potius miserante non accipit, quia non exaudivit ad votum, sed ad utilitatem magis. Nam bonus Dominus sæpe negat quod petimus, ut tribuat quod mallemus. Secundo ex ignorantia, dum quis aliquando petit quod credit sibi expedire, et tamen non expedit. Sed istis potius consulendo, Deus quæ petunt non facit. Nam Paulus qui plus omnibus laboravit, ter Dominum rogavit ut discederet ab eo stimulus carnis : nec tamen quod rogavit obtinuit, quia non erat sibi expediens : II Corinth. XII : et Rom. VIII, 26 : *Nam quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Matth. XX, 26 : *Nescitis quid petatis.* Patet ergo quod cum petimus in nomine ejus, scilicet in nomine Jesu Christi, ipse hoc faciet. Dicit autem, *Hoc faciam*, in futuro, non autem, Hoc facio, in præsenti, quia quandoque differt facere quod petimus, ad augendum desiderium nostrum, et ut tempore congruo

[1] Al. : « ergo. » — [2] Al. deest : « facit. » — [3] Al. omittitur : « non. »

fiat. Levit. XXVI, 3 : *Dabo vobis pluviam temporibus suis.* Isa. XLIX, 8 : *In die salutis exaudivi te.* Contingit etiam aliquando quod petimus pro aliquo, pro quo fortassis non exaudimur, tunc scilicet quando ejus merita obstant. Hier. VII, 16 : *Tu ergo noli orare pro populo isto, quia non exaudiam te.* Et XV, 1 : *Si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.*

7. Consequenter eum dicit, *Ut glorificetur Pater in Filio*, ponit rationem. Et hoc sic legitur ab Augustino : *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam* : ut hic sit sensus [1] et resumit [2] : *Ut glorificetur Pater in Filio, si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam* ; quasi diceret, Ideo *faciam qnod petieritis in nomino meo, ut glorificetur Pater in Filio* etc., et omnia quæ facit Filius, ordinantur ad gloriam Patris. Supra, VIII, 50 : *Non quæro gloriam meam.* Sic etiam et nos omnia opera nostra ad gloriam Dei ordinure debemus. I Corinth. x, 31 : *Omnia in gloriam Dei facite.*

LECTIO IV.

1. Si diligitis me, mandata mea servate ; et ego rogabo Patrem. 2. Et alium Paraclitum dabit vobis. 3. Ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere : quia non videt eum, nec scit eum. 4. Vos autem cognosc:tis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit.

1. Supra consolatus est Dominus discipulos de suo recessu promitttens eis, accessum eorum ad Patrem : sed quia posset videri eis longum quod ad Patrem accederent, et interim sine magistro esse dolerent, ideo consolatur eos, promittens eis Spiritum sanctum. Et ponitur [3] primo ad receptionem Spiritus sancti præparatio; secundo promittitur Spiritus sancti donatio, ibi, *Et alium Paraclitum dabit vobis*; tertio exponitur Spiritus sancti promissio. ibi, *Ut maneat vobiscum in æternum.* Præparatio autem ad receptionem Spiritus sancti una quidem erat necessaria ex parte discipulorum, alia ex parte Christi. Ex parte quidem discipulorum necessaria erat duplex præparatio : scilicet amor cordis, et obedientia operis. Quorum unum Dominus supponit eos habere : et quantum ad hoc dicit, *Si diligitis me* ; et hoc apparet, quia tristamini de meo recessu. Infra XV, 27 : *Vos me amastis, quia ab initio mecum estis* Aliud vero imperat futurum: etquantum ad hoc dicit : *Mandata mea servate;* quasi dicat : Non ostendatis amorem quem habetis ad me in fletu, sed in obedientia mandatorum meorum : hoc enim est manifestum dilectionis signum [4]. Infra XIV, 23: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Hæc ergo duo præparant ad receptionem Spiritus sancti. Cum enim Spiritus sanctus sit amor, non datur nisi amantibus. Prov. VIII, 17 : *Ego diligentes me diligo.* Item datur obedientibus. Actor. III, 15 : *Nos hujus rei testes sumus* etc. Isa. *Super quem requiescit Spiritus meus* etc.

imo- per-

Sed numquid obedientia discipulorum et amor eorum ad Christum præparant ad Spiritum? Videtur quod non : quia dilectio qua diligimus Deum, est per Spiritum sanctum. Rom. V, 5 : *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Obedientia autem est nobis a Spiritu sancto. Rom. VIII, 14 : *Qui spiritu Dei aguntur hi filii Dei sunt.* Et in Psal. CXVIII, 22 : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Sed posset aliquis dicere, quod per dilectionem Filii promeremur Spiritum sanctum ; quo habito, amamus Patrem. Sed huic repugnat, quia idem est amor Patris et Filii.

Et ideo aliter dicendum est, quod hoc est in donis Dei, ut qui bene utitur dono sibi concesso, amplioris gratiæ et doni acceptionem mereatur ; et qui male utitur, hoc ipsum quod accepit, auferatur ab eo. Nam, ut legitur Matth. XXV, servo pigro ablatum est talentum quod acceperat a Domino suo, quia non bene usus eo fuit, et datum est ei qui acceperat quinque. Sic ergo est et de dono Spiritus sancti. Nullus enim potest Deum diligere nisi habeat Spiritum sanctum : non enim nos prævenimus gratiam Dei, sed ipsa prævenit nos. *Ipse enim prior dilexit nos*, ut dicitur I Joan. IV, 10. Et ideo dicendum, quod Apostoli primo quidem receperunt Spiritum sanctum, ut diligerent Deum, et obedirent mandatis ejus ; sed necesse

[1] Parm. : « punctum. Et. » — [2] Al. : « ut hoc sit. Et resumit, etc. » — [3] Al. deest : « ponitur. » — [4] Al. : « hoc etiam est meum dilectionis signum. »

erat ad hoc ut ampliori plenitudine Spiritum sanctum reciperent, quod bene uterentur, diligendo et obediendo, dono Spiritus sancti prius accepto. Et secundum hoc est sensus : *Si diligitis me*, per Spiritum quem habetis, et obeditis mandatis meis, recipietis Spiritum sanctum, quem habebitis in ampliori plenitudine [1].

Alia præparatio necessaria erat ex parte Christi ; et quantum ad hoc dicit ; *Ego rogabo Patrem* etc. Ubi sciendum est, quod Dominus noster Jesus Christus, inquantum homo, mediator est Dei et hominum, ut dicitur I Tim. II. Unde inquantum est homo, accedens ad Deum, impetrat nobis dona cœlestia, et veniens ad nos elevat nos, et reducit ad Deum. Quia ergo jam ad nos venerat, et dando nobis mandata Dei reduxit credentes ad ipsum, restabat ut rediret ad Patrem, et impetraret dona spiritualia. Hebr. VII, 25 : *Accedens per semetipsum ad Deum salvare in perpetuum potest.* Et hoc facit rogando Patrem. Et hoc est quod dicit : *Ego rogabo Patrem* etc. Ephes. IV, 8 : *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Sed attende, quod idem est qui rogat ut detur, et qui dat Paraclitum. Rogat inquantum homo, dat inquantum Deus. Dicit autem, *Et rogabo* ut eorum repellat tristitiam de suo recessu, quoniam ipse recessus est ratio ut acciperent Spiritum sanctum.

2. *Alium Paraclitum.* Hic ponitur Spiritus sancti promissio. Sed attende, quod hoc nomen Paraclitus est græcum, et significat consolatorem; et ideo dixit : *Alium Paraclitum dabit vobis*, scilicet Pater, non tamen sine Filio, idest Spiritum sanctum, qui est consolator, cum sit spiritus amoris; amor autem facit spiritualem consolationem et gaudium. Galat. V, 22 : *Fructus, Spiritus, caritas, gaudium*, etc. Ipse est interpellator etc. Rom. VIII, 26 : *Nam quid oremus sicut oportet, nescimus* ; *sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Hoc autem quod dixit, *Alium*, designat distinctionem personalem in divinis contra Sabellium.

Sed objicitur : quia hoc quod dicitur, *Paraclitus*, importat actionem Spiritus sancti : ergo in hoc quod dixit, *Alium Paraclitum*, videtur designare alietatem naturæ : nam alietas operationis designat alietatem naturæ : est ergo Spiritus sanctus alterius naturæ a Filio. Responsio. Dicendum quod Spiritus sanctus est consolator et advocatus, et Filius similiter. Quod enim Filius sit advocatus, dicitur I Joan. II, 1 : *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum.* Quod consolator, Isa. LXI, 1 : *Spiritus Domini... misit me ut ponerem consolationem lugentibus Sion.* Tamen alia et alia ratione est consolator et advocatus, Filius et Spiritus sanctus, si accipiamus per appropriationem personarum : nam Christus dicitur advocatus inquantum secundum quod homo interpellat pro nobis ad Patrem, Spiritus autem sanctus inquantum nos postulare facit. Item Spiritus sanctus dicitur consolator inquantum est amor formaliter ; Filius vero inquantum est Verbum. Et hoc dupliciter : quia per doctrinam, et inquantum ipse Filius dat Spiritum sanctum, et incendit amorem [2] in cordibus nostris. Sic ergo ly *alium* non designat alietatem naturæ in Filio et Spiritu sancto ; sed designat alium modum, quo uterque est consolator et advocatus.

3. *Ut maneat.* Hic ponitur promissio : et primo quantum ad ipsam dationem, secundo quantum ad ipsum donum ; tertio quantum ad recipientes donum. Sed donatio est vera, quia perpetua : unde dicit : *Ut maneat vobiscum in æternum Spiritum veritatis.* Alicui enim datur aliquid ad tempus tantum, et hæc non est vera donatio ; sed tunc est vera quando datur ad semper habendum ; et ideo Spiritus sanctus vere datur, quia ut maneat cum eis in æternum, hic quidem illustrans et docens et suggerens, post ad videndam speciem introducens. I Reg. XVI, 13 : *Directus est Spiritus Domini in David et die illa et deinceps.* Judas autem licet acceperit eum, non tamen semper cum ipso mansit : quia non accepit, ut maneret cum ipso in æternum, sed tantum secundum præsentem justitiam. Secundum Chrysostomum autem dici potest, quod Dominus hæc dicit ad excludendum carnalem quamdam suspicionem discipulorum. Possent enim suspicari quod ille Paraclitus eis datus postmodum per passionem, ab eis recederet, sicut ipse ; et hoc excludit dicens : *Ut maneat vobiscum in æternum;* quasi dicat : Non patietur mortem ut ego, nec a vobis recedet.

[1] Al. : « accipientes Spiritum sanctum, quem habetis in ampliori plenitudine. » — [2] Al. : « et intendit amorem. »

Sed contra. Supra I, 33, hoc dictum est Joanni Baptistæ : *Super quem videris Spiritum descendere et manere, hic est qui baptizat.* Ex quo videtur proprium Christi ut Spiritus sanctus semper maneat cum ipso ; quod non est verum, si cum discipulis manet in æternum. Responsio. Secundum Chrysostomum, dicendum, quod Spiritus sanctus dicitur in nobis manere per dona sua. Donorum autem Spiritus sancti quædam sunt necessaria ad salutem ; et hæc sunt communia omnibus sanctis, et semper in nobis manent, ut est caritas, quæ nunquam excidit, ut dicitur I Corinth. XIII, quia etiam in futuro erit. Quædam autem non sunt de necessitate salutis, sed dantur fidelibus ad manifestationem Spiritus. I Corinth. XII, 7 : *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.* Sic ergo quantum ad prima dona, Spiritus sanctus manet cum discipulis et sanctis in æternum ; sed quantum ad secunda dona, sic est proprium Christo ut maneat cum eo semper : quia semper in plenitudine potestatis suæ habet ut possit miracula facere et prophetare, et alia hujusmodi ; sed non sic de aliis ; quia, ut dicit Gregorius, spiritus Prophetarum non sunt Prophetis subjecti.

Donum autem est excellentissimum, quia *Spiritus veritatis.* Spiritum quidem dixit, ut ostendat naturæ subtilitatem : spiritus enim dicitur aliquid occultum et invisibile : unde quod invisibile est, spiritus dici consuevit. Sic et Spiritus sanctus occultus est et invisibilis. Supra III, 8 : *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat aut quo vadat* Item ut ostendat ejus virtutem, quia movet nos ad bene agendum et operandum : spiritus enim impulsionem quamdam insinuat : unde et ventum spiritum appellamus. Rom. VIII, 14 : *Qui Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt.* Psal. CXLII, 10 : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Addit autem, *Veritatis*, quia a veritate procedit, et veritatem dicit. Spiritus enim sanctus nihil aliud est quam amor. Quando ergo quis impellitur ad amandum terrena et mundum, tunc impellitur a spiritu mundi. I Corinth. II, 12 : *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est.* Quando vero impellitur ad opera carnis, tunc non impellitur a Spiritu sancto. Ezech. XIII, 3 : *Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum.* Sed iste Spiritus ducit ad cognitionem veritatis, quia procedit a veritate, quæ dicit, supra eodem : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Nam sicut in nobis ex veritate concepta et considerata sequitur amor ipsius veritatis, ita in Deo concepta veritate, quæ est Filius, procedit Amor. Et sicut ab ipsa procedit, ita in ejus cognitionem ducit. Infra XVI, 14 : *Ille me clarificabit quia de meo accipiet* etc. Et ideo dicit Ambrosius, quod omne verum a quocumque dicatur [1] a Spiritu sancto est. I Corinth. XII, 3 : *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.* Infra XV, 26 : *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis Spiritum veritatis.* Manifestare autem veritatem convenit proprietati Spiritus sancti. Est enim amor qui facit secretorum revelationem. Infra XV, 15 : *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Job XXXVI, 33 : « *Annuntiat de ea,* scilicet veritate, *amico suo.* » Recipiunt autem Spiritum sanctum credentes ; et quantum ad hoc dicit : *Quem mundus non potest accipere.* Et primo ostendit qui sunt quibus non datur ; secundo ostendit quibus datur, ibi, *Vos autem cognoscetis* etc. Primo autem ostendit quod non datur mundo ; secundo autem assignat causam quare non detur. Quantum ad primum dicit : *Quem mundus non potest accipere.* Mundum hic mundi dilectores vocat Dominus. Hi quidem quamdiu mundum diligunt, Spiritum sanctum non possunt accipere, est enim amor Dei : non potest autem quis finali dilectione Deum et mundum diligere. I Joan. II, 15 : *Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo.* Nam Gregorius dicit, V *Moral.* XX : « Spiritus sanctus omne quod repleverit ad desiderandum invisibibia accendit. Et quoniam mundana corda sola visibilia diligunt, hunc mundus non accipit, quia ad diligenda invisibilia [2] non assurgit. Sæculares etenim mentes quanto se foras per desideria dilatant, tanto ad receptionem illius sinum cordis angustant. » Sap. I, 5 : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Quantum ad secundum dicit : *Quia non videt eum, nec scit eum.* Nam dona spiritualia non accipiuntur nisi desiderata. Sapient. VI, 14 : *Præoccupat,* scilicet divina sapientia, *eos qui se con-*

[1] Al. : « ducatur. » — [2] Al. : « visibilia. »

cupiscunt; nec desiderantur nisi aliqualiter cognita. Quod autem non cognoscantur, ex duobus contingit. Primo quidem ex hoc quod homo non ponit intentionem suam ad eorum cognitionem ; secundo vero quia non potest esse capax illius cognitionis. Hoc autem mundani non habent. Nam primo non intendunt ad ea desideranda ; et quantum ad hoc dicit ; *Quia non videt eum* ; idest, non ponit intentionem suam ad eum cognoscendum. Psal. XVI, 11 : *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Item non possunt ea cognoscere : unde dicit, *Nescit eum* : nam, ut Augustinus dicit, « non habet invisibiles oculos mundana dilectio : per quos videri Spiritus sanctus nisi invisibiliter non potest. » I Corinth. II, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* Sicut lingua infecta non sentit bonum saporem propter corruptionem humoris, sic anima infecta a corruptione mundi, cælestium dulcedinem non gustat. Vel, secundum Chrysostomum, dico, quod *alium Paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis;* sed hic non assumet carnem ; *quia mundus non videt eum, nec scit eum* ; idest, non accipiet eum ; sed solum vos.

4. *Vos autem cognoscetis.* Hic ostendit primo quibus datur Spiritus sanctus ; secundo rationem assignat. Datur autem fidelibus : unde dicit : *Vos autem*, qui movemini a Spiritu sancto, *cognoscetis eum.* I Corinth. II, 12 : *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est.* Et hoc ideo, quia mundum contemnitis. II Corinth. IV, 18 : *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.* Ratio autem hujus est, *quia apud vos manebit.* Ubi primo nota Spiritus sancti ad Apostolos familiaritatem : *quia apud vos manebit,* idest ad utilitatem vestram. Psal. CXLII, 10 : *Spiritus tuus* [1] *bonus deducet me in viam rectam.* Sap. XII, 1 : *O quam bonus spiritus tuus, Domine , est in omnibus.* Secundo quamdam ejus intimam inhabitationem : quia *in nobis erit,* idest in intimo cordis nostri. Ezech. II, 19 : *Et spiritum novum tribuam in visceribus eorum.*

LECTIO V.

1. Non relinquam vos orphanos : veniam ad vos. 2. Adhuc modicum, et mundus me jam non videt. Vos autem videtis me, quia ego vivo, et vos vivetis. 3. In illa die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis. 4. Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo : et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.

1. Supra Dominus promisit Spiritum sanctum consolatorem. Sed quia Apostoli non multum ad notitiam Spiritus sancti conscenderant, et ad Christi præsentiam valde detinebantur, hujusmodi consolatio eis parva videbatur : et ideo in parte ista promittit eis primo reditum suum : secundo dona sua, ibi, *Hæc locutus sum vobis apud vos manens* etc. Circa primum primo promittit eis iteratam visitationem ; secundo assignat rationem [2], ibi, *Qui habet mandata mea et servat ea*, *ille est qui diligit me*; tertio excludit discipuli dubitationem, ibi, *Dicit ei Judas* etc. Circa primum primo manifestat eis suum reditum ; secundo manifestat redeundi modum, ibi, *Adhuc modicum, et mundus me jam non videt;* tertio prædicit reditus fructum, ibi, *In illa die vos cognoscetis etc.* Circa primum primo ostendit necessitatem redeundi ; secundo promittit reditum. Necessitas autem redeundi est ut discipuli orphani non remaneant; et hoc est quod dicit : *Non vos relinquam orphanos.* Orphani enim in græco, pupilli sunt in latino ; et dicuntur hi parvuli patre carentes : secundum illud Thren. ult. 3, *Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ.* Considerandum est autem, quod homo potest habere triplicem patrem. Scilicet patrem originis, Hebr. XII. 9 : *Patres quidem habuimus carnis nostræ* [3]. Item pravæ imitationis. Supra VIII, 44 : *Vos ex patre diabolo estis.* Item gratuitæ adoptionis. Rom. VIII, 15 : *Accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Sed eos qui imitantur patrem diabolum, Deus non adoptat in filios : quia non est conventio lucis ad tenebras, ut dicitur II Corinth. VI. Similiter nec illos qui nimium afficiuntur carnaliter ad parentes : quia hoc dicitur Matth. X, 37 : *Qui amat patrem suum aut matrem suam plusquam me, non est me dignus.* Qui ergo fuerit orphanus, idest destitutus affectu peccati,

[1] Al. omittitur : « tuus bonus. » — [2] Al. : « assignationem. » — [3] Al. : « non nostræ. »

et deferens affectum carnalem ad parentes, illum Deus sibi adoptat in filium : Psal. XXVI, 10 : *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me* ; *Dominus autem assumpsit me.* Multo autem magis qui relinquit eos. Psal. XLIV, 11 : *Obliviscere populum tuum et domum patris tui*; *et concupiscet rex decorem tuum* . Sed notandum, quod Christus exhibet se discipulis sui ut patrem : quamvis enim [1] hoc nomen Pater personaliter acceptum, sit proprium personæ Patris ; essentialiter tamen acceptum competit toti Trinitati. Unde supra XIII, 33, dixit eis : *Filioli mei*, *adhuc modicum vobiscum sum.* Adventum suum promittit eis dicens, *Veniam ad vos.* Venerat jam Christus ad eos, carnem assumendo. I Timoth. I, 15 : *Christus Jesus in hunc mundum venit.* Restabat ergo triplex adventus ejus : quorum duo sunt corporales : unus scilicet post resurrectionem et ante ascensionem : quando scilicet recedens ab eis per mortem, post resurrectionem venit Jesus, et stetit in medio discipulorum, ut dicitur infra XX : alius erit in fine mundi : de quo dicitur Actor. I, 11 : *Quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum, ita veniet.* Luc. XXI, 27 : *Videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate.* Sed tertius est spiritualis et invisibilis ; quando scilicet venit ad fideles suos per gratiam in vita vel in morte. Job IX, 11 : *Si venerit ad me*, *non videbo eum.* Dicit ergo, *Veniam ad vos*, post resurrectionem quantum ad primum adventum. Infra XVI, 22 : *Iterum autem videbo vos.* Item in fine mundi. Isa. III, 14 : *Dominus ad judicium veniet.* Item in morte ad suscipiendum vos ad me. Supra eodem : *Veniam ad vos et tollam vos ad meipsum.* Item *veniam ad vos*, spiritualiter visitando. Infra eodem : *Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.*

2. *Ad hoc modicum.* Hic exponit visitationis modum ostendens hanc visitationem Apostolis singulariter exhibendam. Et quia possent credere quod adhuc ad eos rediret mortalis existens, ideo consequenter excludit hoc, dicens : *Adhuc modicum*, *et mundus me jam non videt.* Ut primo exponamus de reditu post resurrectionem ; tunc est sensus : *Adhuc modicum*, idest modicum tempus vobiscum sum in hac carne mortali, et tunc crucifigar, sed post *mundus jam me non videt.* Et hoc quia post resurrectionem non omnibus manifestavit se, sed testibus præordinatis a Deo, scilicet discipulis suis : Actor. I ; et ideo dicit : *Vos autem videbitis me*, scilicet in corpore glorificato et immortali. Rationem horum assignat dicens : *Quia ego vivo, et vos vivetis.* Ubi removet dubitationem. Possent enim discipuli dicere : Quomodo videbimus te, qui morieris, et nos etiam moriemur tecum ? Et ideo dicit, quod hoc non erit ita, quia *ego vivo ;* idest, vivam post resurrectionem, Apoc. I, 18 : *Fui mortuus, et ecce sum vivens in sæcula sæculorum. Et vos vivetis*, quia non occidemini modo mecum. Infra XVIII, 8 : *Si me quæritis, sinite hos abire.* Vel *ego* per resurrectionem *et vos vivetis*, idest gaudebitis inde : quia infra XX, 20 : *Gavisi sunt discipuli viso Domino.* Hoc modo accipitur vivere, Gen. XLV, 26 : *Cum audisset Jacob quod Joseph regnaret in terra Ægypti, revixit spiritus ejus*, scilicet propter gaudium.

Sed contra hanc expositionem objicit Augustinus : quia ex hoc quod Dominus dicit, *Adhuc modicum*, *et mundus me jam non videt*, sequitur quod homines mundi nunquam sint eum visuri ; quod est falsum, quia in judicio videbunt eum, secundum illud Apoc. XI, 7 : *Videbit eum omnis oculus.* Ad quod posset dici, quod verum est quod homines mundi adhuc modicum mundus non videbit eum in ista carne mortali ; et propter hoc Augustinus exponit hoc, *Adhuc modicum*, referens ad secundum adventum, in quo veniet ad judicandum.

Et dicitur istud tempus modicum usque ad judicium, in respectu ad æternitatem. *Nam mille anni ante oculos tuos quasi dies hesterna quæ præteriit* : Psal. LXXXIX, 4. Et hoc modo Apostolus Hebr. XII vocat istud tempus modicum [2], exponens illud Aggæi II, 7 : *Adhuc modicum. et ego movebo cœlum et terram* etc. *Et mundus me jam non videt ;* quia ulterius post judicium homines mundi amatores et pravi eum non videbunt, euntes in ignem æternum. Unde Isa. XXVI, 10, secundum aliam litteram, dicitur : *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Vos autem*, qui secuti estis me, et permansistis mecum in tentationibus meis, *videbitis me*, in æternitate perpetua. Isa. XXXIII, 17 : *Videbunt*

[1] Al. deest : « enim. » — [2] Al. : « modicum, et ego movebo, etc. » intermediis omissis

regem in decore suo. I Thess. IV, 16 : *Semper cum Domino erimus.* Et hoc ideo, quia *vivo, et vos vivetis*; quasi diceret : Sicut ego habeo vitam gloriosam in anima et in corpore, ita et vos. Philipp. III, 21 : *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Et hoc ideo dicit, quia vita nostra gloriosa creatur ex vita gloriosa Christi. I Cor. XV, 22 : *Sicut in Adam omnes moriuntur ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Sed de se dicit in præsenti, *vivo*, quia sua resurrectio differenda non erat post mortem ejus, sed statim secutura : secundum illud Psal. CVII, 3 : *Exurgam diluculo* : quia, ut dicitur in Psal. XV, 10, *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Sed de discipulis dicit, *Vivetis*, in futuro, quia resurrectio corporum eorum differenda erat usque in finem mundi : secundum illud Isa. XXVI, 19 : *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent.*

3. *In illa die vos.* Hic ponitur visitationis fructus, qui est cognitio eorum quæ Apostoli ignorabant : ut enim supra XII, 36 dictum est, Petrus ignorabat quo Christus iret : unde dicebat : *Domine quo vadis*? Etiam Thomas hoc ignorabat : et viam per quam iret : unde dicebat supra XIV, 5 : *Nescimus quo vadis, et quomodo possumus viam scire?* Philippus autem Patrem ignorabat : unde petebat dicens, *ibid.* 9 : *Domine ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* Quæ quidem causabantur ex ignorontia unius rei : ex hoc scilicet quod ignorabant quomodo Pater in Filio, et Filius in Patre : unde et Philippo dixit *ibid.* 10 : *Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est*? Hujus ergo notitiam promittit eis Dominus, dicens hic : *In illa die vos cognoscetis quia ego in Patre meo sum* etc. Ex quo omnis dubietas a cordibus discipulorum excludetur. Potest autem exponi de adventu tempore resurrectionis, et de adventu ad judicium. Sed distinguenda est duplex cognitio mysteriorum divinitatis. Una est imperfecta, quæ habetur per fidem ; alia perfecta, quæ habetur per speciem : de quibus dicitur I Cor. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate* quantum ad primum ; tunc autem facie ad faciem quantum ad secundum. Dicit ergo : *In illa die*, post resurrectionem meam, *cognoscetis quia ego sum in Patre*, et hoc cognitione fidei : quia tunc videntes eum resurrexisse, et esse cum eis, certissimam fidem de eo habuerunt, præcipue qui acceperunt Spiritum sanctum, qui omnia eos docebat. Vel *in illa die*, ultimæ resurrectionis in judicio, *cognoscetis*, scilicet manifeste per speciem, I Cor. XIII, 12 : *Tunc cognoscam sicut et cognitus sum.* Sed quid cognoscent? Duo quæ dicit supra : unum scilicet quod *Pater in me manens ipse facit opera*; et quantum ad hoc dicit : *Quia ego sum in Patre meo*, scilicet per consubstantialitatem naturæ. Aliud quod dicit se facturum opera per discipulos, dicens supra hoc cap. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet* : et quantum ad hoc dicit : *Et vos in me, et ego in vobis.*

Ubi attendendum est, quod quia hic Dominus videtur similem habitudinem ponere sui ad Patrem et discipulorum ad ipsum, volebant Ariani, quod sicut discipuli sunt minores Christo, et non consubstantiales ei ; ita esset Filius minor Patre, et alterius substantiæ ab ipso. Et ideo dicendum est, quod hoc quod dicit, *Ego sum in Patre meo*, dicitur per consubstantialitatem naturæ. Supra X, 30 : *Ego et Pater unum sumus.* Et supra I. *Verbum erat apud Deum.*

Hoc autem quod dicit, *Et vos in me* etc., intelligitur uno modo quod discipuli sunt in Christo : nam illud quod protegitur ab aliquo, dicitur esse in eo, sicut contentum in continente : et hoc modo dicitur quod in rege sunt ea quæ sunt in regno : et secundum hoc dicitur Act. XVII, 28 : *In ipso vivimus, movemur et sumus. Et ego sum in vobis*, monendo interius, et operando, in inhabitando interius per gratiam. Ephes. III, 17 : *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Et II Cor. XIII, 3 : *An experimentum ejus quæritis qui in me loquitur Christus*? Alio modo secundum Hilarium : *Vos in me* : in me eritis per naturam vestram, quam assumpsi : assumendo enim naturam nostram, assumpsit nos omnes : Hebr. II, 26 : *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Et ego sum in vobis*, per mei sacramenti sumptionem ; quia qui sumit corpus Christi, Christus est in eo. Supra VI, 57 : *Qui manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem in me manet, et ego in illo.* Alio modo : *Vos in me, et ego in vobis* : supple, sumus, per mutuam dilectionem : quia hoc dicitur I Joan. IV, 16 : *Deus caritas est* : *et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.* Et hæc vobis ignota erant, sed tamen in illa die ea cognoscetis.

4. *Qui habet mandata.* Hic assignatur

visitationis ratio. Et ponit Dominus duplicem rationem quare a fidelibus Dominus videatur, et non a mundo. Prima est vera eorum dilectio ad Deum; secunda vero dilectio Dei ad eos. ibi, *Qui autem diligit me diligetur a Patre meo.* Quantum ad primum dicit : *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me.* Ubi notandum est, quod illa est vera dilectio quæ se prodit et probat in opere; nam per exhibitionem operis dilectio manifestatur. Cum enim diligere aliquem sit velle ei bonum et desiderare quæ ipse vult, non videtur vere diligere qui non facit voluntatem amati, nec exequitur quæ scit eum velle. Qui ergo non facit voluntatem Dei, non videtur eum vere diligere : et ideo dicit : *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me*, idest qui habet veram dilectionem ad me.

Sed nota, quod aliquis habet mandata Dei primo quidem in corde per memoriam et jugem meditationem [1]. Psalm. CXVIII, 11 : *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Sed hoc non sufficit, nisi servet in opere. Psal. CX, 10 : *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Quidam vero habent in ore, dicendo et exhortando. Psalm. CXVIII, 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua!* Et hi etiam debent ea servare in opere : quia *qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum* : Matth. V, 19. Unde vituperantur a Deo illi qui dicunt et non faciunt, Matth. XXIII. Quidam autem habent in aure, ea libenter et diligenter audiendo. Supra VIII, 47 : *Qui est ex Deo, verba Dei audit.* Nec hoc sufficit, nisi servent : quia *non auditores legis, sed factores justificabuntur* : Rom. II, 13. Supra VI, 27 : *Operamini non cibum qui perit; sed qui permanet in vitam æternam.* Ergo qui sic habet mandata Dei, aliqualiter [2] servat ea; sed adhuc imponitur ei ut servet perseverando. Unde dicit Augustinus : « Qui habet in memoria et servat in vita, qui habet in sermonibus et servat in moribus, qui habet audiendo et servat faciendo, qui habet faciendo et perseverando, ipse est qui diligit me. » Quantum ad secundum dicit : *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo.* Sed hoc in primo aspectu videtur absurdum. Numquid enim Deus diligit nos, quia diligimus eum? Adsit. Dicitur enim I Joan. IV, 10 : *Non quasi dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Et ideo dicendum, quod intellectum [3] hujus habemus ex his quæ dicta sunt supra, scilicet, *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me.* Non enim ibi dicitur quod ideo diligit quia servat mandata; sed quia diligit, ideo mandata implet : et hoc modo dicendum est hic, quod ideo quis diligit Christum quia diligitur a Patre, et non ideo diligitur quia diligit. Diligimus ergo Filium, quia Pater diligit nos. Habet enim hoc verus amor ut amantis dilectionem trahat. Hier. XXXI, 3 : *In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans.* Sed quia amor Patris non est sine amore Filii, cum idem sit amor utriusque : *quæcumque enim Pater facit, hæc et Filius similiter facit* : supra V, 19 : ideo subdit : *Et ego diligam eum.*

Sed cum Pater et Filius omnia diligant ab æterno; quare dicit, *Diligam*, in futuro? Dicendum est ergo, quod dilectio considerata prout est in divina voluntate, sic est æterna; sed considerata secundum quod manifestatur in executione operis et effectus, est temporalis [4] : et ideo est sensus : *Et ego diligam eum*, idest effectum dilectionis ostendam, quia scilicet *manifestabo ei meipsum* : quia ad hoc diligam ut manifestem.

Sciendum est autem, quod dilectio alicujus ad aliquem aliquando est secundum quid, aliquando simpliciter. Secundum quid quidem quando vult ei aliquod bonum particulare; simpliciter autem, quando vult ei omne bonum. Deus autem omnia causata diligit secundum quid, quia omni creaturæ vult aliquod bonum, etiam ipsis dæmonibus, ut scilicet vivant et intelligant et sint; quæ sunt quædam bona. Simpliciter autem diligit illos quibus vult omne bonum, scilicet ut habeant ipsum Deum, quem habere est habere veritatem, quia Deus veritas est. Sed veritas tunc habetur quando cognoscitur. Illos ergo vere et simpliciter diligit quibus manifestat seipsum, qui est veritas. Et hoc est quod dicit : *manifestabo ei meipsum*, scilicet in futuro per gloriam, qui est ultimus futuræ beatitudinis effectus. Job. XXXVI, 31 : *Annuntiat de ea amico suo quod possessio ejus sit.* Sapient. VI, 14 : *Præoccupat eos qui se concupiscunt.*

Sed posset quis dicere : Numquid Pater

[1] Al. : « et ignem meditationum. » — [2] Al. : « qualiter. » — [3] Al. : « quod ad intellectum. » — [4] Al. : « manifestatur executione operis, effecta est temporalis. »

non manifestabit se? Immo et Pater et Filius: nam Filius et Patrem simul et se manifestat, cum sit Verbum ejus. Matth. XI, 27: *Neque Patrem quis novit nisi Filius* etc. Et tamen si interim Filius manifestat se alicui aliquo modo, hoc est signum divinæ dilectionis. Unde et hæc potest esse ratio quare mundus eum non videbit, quia[1] scilicet non manifestabit ei seipsum; et hoc quia non diligit eum.

LECTIO VI.

1. Dixit ei Judas, non ille Iscariotes: Domine, quid factum est, quia manifestaturus est nobis teipsum, et non mundo? 2. Respondit Jesus; et dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum servabit. 3. Et Pater meus diligit eum; et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. 4. Qui non diligit me, sermones meos non servat. 5. Et sermonem quem audistis non est meus, sed ejus qui misit me Patris. 6. Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque, dixero vobis.

1. Supra promisit Dominus discipulis suam visitationem; hic removet discipuli dubitationem. Et primo ponitur discipuli dubitatio; secundo Christi responsio, ibi, *Respondit Jesus* etc. Sciendum est circa primum, quod sanctorum et humilium consuetudo est ut cum magna de se audiunt, stupeant et admirentur. Audierant autem discipuli Dominum dicentem: *Adhuc modicum et mundus me jam non videt*; *vos autem videbitis me* etc., ex quo videbatur Apostolos toti mundo præferre: et ideo Judas frater Jacobi, cujus Epistola inter Canonicas legitur, in admirationem et stuporem positus, dicit: *Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis te ipsum*? quasi diceret: Quæ causa erit? Numquid nos supra totum mundum sumus? Simile dixit David II Reg. VII, 18: *Quis ego sum, aut quæ est domus mea*? Matth. XXV, 27, dicunt justi: *Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te*?

2. Consequenter cum dicit, *Respondit Jesus* etc., ponitur Christi responsio: ubi primo assignat causam suæ manifestationis discipulis, et non mundo; secundo manifestat quoddam quod dixit, ibi, *Et sermonem quem audistis non est meus*. In primo ostendit quare manifestaturus est se discipulis; secundo ostendit quare non manifestaturus est se mundo, ibi, *Qui non diligit me, sermones meos non servat*. Et in prima primo ponitur idoneitas discipulorum ad Christi manifestationem habendam; secundo insinuatur processus manifestationis et ordo, ibi, *Et pater meus diliget eum*. Circa primum duo ponit, quæ reddunt hominem idoneum ad Dei manifestationem. Primum est caritas; secundum est obedientia. Quantum ad primum dicit: *Si quis diligit me*. Tria enim necessaria sunt homini volenti Deum videre. Primo ut Deo appropinquet. Deut. XXXIII, 3: *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius*. Secundo ut ad eum videndum oculos elevet. Isa. XL, 26: *Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc*. Tertio ut visioni vacet: nam spiritualia videri non possunt, nisi quis vacet a terrenis. Psalm. XXXIII, 9: *Vacate et videte, quoniam suavis est Dominus*. Et hæc tria facit caritas. Nam ipsa animam hominis Deo conjungit. I Joan. VI: *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo*. Ipsa ipsum intuitum ad Deum erigit. Matth. VI, 21: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum*. Unde dicitur: Ubi est amor tuus, ibi oculus. Ipsa enim a mundanis vacare facit. I Joan. XII, 15: *Qui diligit sæculum, non est perfecta caritas Dei in illo*. Ergo e contrario qui perfecte Deum diligit, non est in illo amor sæculi. Ex caritate autem sequitur obedientia; unde dicit: *Sermonem meum servabit*. Ut dicit Gregorius, «Probatio dilectionis, exhibitio est operis. Nunquam est Dei amor otiosus, operarur enim magna si est; si autem operari renuit[2], amor non est.» Voluntas enim, et maxime quæ est de fine, movet alias potentias ad actus suos: non enim quiescit homo nisi faciat ea per quæ ad finem intentum perveniat, præcipue si voluntas est intensa ad ipsum. Quando ergo voluntas hominis intensa est ad Deum, qui est finis ejus, movet omnes vires ad faciendum ea quæ ad ipsum ducunt. Intenditur autem in Deum per caritatem; et ideo caritas est quæ nos servare mandata facit. II Corinth. V, 14: *Caritas Christi urget nos*. Cant. VIII, 7: «Lampades ejus, lampades ignis.» Et per obedientiam homo efficitur idoneus ad videndum Deum. Psal. CXVIII, 103: *A mandatis tuis* scilicet a me servatis *intellexi*. Et iterum: *Super senes intellexi*.

3. Consequenter cum dicit: *Et Pater*

[1] Al.: «quam.» — [2] Al.: «desinit.»

meus diliget eum, ponitur processus et ordo manifestationis. Tria autem sunt per quæ fit homini divina manifestatio. Primum est divina dilectio ; et quantum ad hoc dicit, *Pater meus diliget eum.* Supra est dictum quare dicit, *Diliget* in futuro, quantum videlicet ad effectum dilectionis, qui tamen ab æterno dilexit quantum ad voluntatem benefaciendi. Malach. I, 2 : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Non autem dicit, Ego diligam eum : quia hoc jam eis patuit supra. Proverb. VIII, 17 : *Ego diligentes me diligo.* Restabat ergo ut insinuaret eis quia Pater diligeret eos. Deut. IV, 37 : *Dilexit populos : omnes sancti in manu ejus sunt.* Secundum est divina visitatio ; et quantum ad hoc dicit : *Et ad eum veniemus.*

Sed contra. Venire mutationem localem significat ; sed Deus non mutatur ; ergo etc. Responsio. Deus dicitur venire ad nos non quod ipse moveatur ad nos, sed quia nos movemur ad ipsum. Dicitur enim aliquid venire in locum in quem prius non fuit : hoc autem Deo non convenit, cum sit ubique. Hier. XXIII, 24 : *Cœlum et terram ego impleo.* Dicitur etiam venire in aliquem, inquantum [1] est ibi novo modo, secundum quem prius non fuerat ibi, scilicet per effectum gratiæ : et per hunc effectum gratiæ facit nos ad se accedere.

Sed attendendum, secundum Augustinum, quod tribus modis Deus venit ad nos, et iisdem nos imus ad eum. Primo quidem venit ad nos implendo suis effectibus, et nos imus ad eum capiendo ipsos. Eccli. XXIV, 26 : *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini.* Secundo illuminando ; et nos imus ad eum considerando. Psal. XXXIII, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini.* Tertio vero adjuvando ; et nos ad eum obediendo : quia nec obedire possumus nisi adjuti a Christo. Isai. II, 3 : *Venite, ascendamus ad montem Domini.*

Sed quare non fecit mentionem de Spiritu sancto ? Augustinus dicit, quod non dicitur hoc, quod ipse sit excludendus adveniente Patre et Filio, quia supra dicitur : *Ut maneat vobiscum in æternum* : sed cum in Trinitate sint duo, scilicet personarum distinctio, et essentiæ unitas : aliquando quidem fit mentio de tribus personis, ad insinuandum distinctionem personarum ; aliquando vero facit mentionem de duabus sine tertia, ad insinuandum essentiæ unitatem. Vel dicendum, quod cum Spiritus sanctus nihil sit aliud quam amor Patris et Filii, posito Patre et Filio intelligitur Spiritus sanctus.

Tertio ad Dei manifestationem necessaria [2] est perseverantia utriusque, scilicet in dilectione Dei, et in ejus visitatione ; et quantum ad hoc dicit : *Et mansionem apud eum faciemus.* In quo duo tangit. Primo quidem firmitatem [3] adhæsionis ad Deum, cum dicit, *Mansionem.* Nam Deus venit ad quosdam per fidem, sed non manet, *quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt* : Matth. VIII, 13. Ad quosdam venit per peccati compunctionem, non tamen manet cum eis, quia revertuntur ad peccata. Proverb. XXVI, 11 : *Sicut canis qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam.* Sed in suis prædestinatis permanet semper. Matth. ult. XX, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Secundo ostendit familiaritatem Christi ad homines : quia *apud eum*, scilicet diligentem, ad obediendum, inquantum scilicet delectatur nobiscum, et facit nos delectari in ipso. Proverb. VIII, 31 : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Isai. VI, 5 : *Gaudebit super te Dominus Deus tuus.* Chrysostomus autem referens hoc ad aliam intentionem, dicit, quod Judas audiens, *Non relinquam vos orphanos* etc, *Vos autem videbitis me* etc., existimavit, quod Christus post mortem venturus esset ad eos, sicut mortui veniunt ad nos in somno : unde quærit : *Quid est factum, quia nobis manifestaturus es teipsum, et non mundo?* quasi diceret : Væ nobis, quoniam morieris, et ut mortuus debes nobis assistere. Ut ergo hoc excludat, dicit : Ego et Pater *ad eum veniemus* ; idest, sicut Pater manifestat seipsum, ita ego : *et mansionem apud eum faciemus* : quod somniorum non est, in quibus nulla mora contrahitur.

4. *Qui non diligit me.* Hic ponit causam quare non est manifestaturus se mundo : quæ quidem causa est remotio eorum per quæ dicit se hominibus manifestaturum. Remota enim causa removetur effectus ; sed ipsi non habent causam ut divina eis manifestatio fiat : ergo mundo et mundanis Deus non est manifestaturus seipsum.

[1] Al. : « venire aliquid ad aliquem locum, inquantum, etc. » — [2] Al. deest : « necessaria. » — [3] Al. : « infirmitatem. »

Quod non habeant causam, apparet, quia mundus non diligit me; et quantum ad hoc dicit : *Qui non diligit me*. Iterum non obedit mihi : unde dicit, *Sermones meos non servat*. Ut enim Gregorius dicit : « De dilectione conditoris lingua et mens et vita requiritur[1]. » Patet ergo causa quare suis manifestaturus est se, et non alienis; quia hi [2] quidem diligunt : dilectio namque sanctos discernit a mundo : Job. xxxvi, 32 : *Immanibus* (scilicet superbis) *abscondit lucem; et ita annuntiat de ea amico suo, quod possessio ejus sit*. Ibid. xxviii, 14 : *Abyssus dicit, Non est in me; mare* (idest turbulentus,) *Non est mecum*.

5. Consequenter cum dicit, *Et sermonem quem audistis, non est meus*, manifestat hoc quod supra dixit : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Et Pater meus diliget eum* etc. Posset enim aliquis dicere, quod hoc dictum nullam rationem habet : quin potius rationabilius dixisset : Ego diligam eum, et ad eum veniam. Et ideo hoc excludit dicens : *Et sermonem quem audistis, non est meus;* idest : non est mihi a meipso, sed est mihi ab alio, scilicet a Patre, qui me misit : quasi diceret : Non me solum, sed nec Patrem amat qui hunc non audit sermonem. Et ideo qui eum diligit et Patrem, utriusque manifestationem meretur. Dicit ergo : *Et sermonem*, sive sermo, *quem audistis* a me homine prolatum, est quidem meus, inquantum ipsum pronuntio, et *non est meus*, inquantum est mihi ab alio. Supra vii, 16 : *Mea doctrina non est mea*. Supra eodem : *Verba quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor*.

Sed attende, secundum Augustinum, quod cum loquitur Dominus de sermonibus suis, pluraliter dicit, *Sermones meos*; ubi autem loquitur de sermone Patris, loquitur in singulari, dicens : *Et sermonem quem audistis, non est meus :* quia per Verbum Patris seipsum intelligi voluit, qui est unicum Verbum ejus. Unde nec suum se esse dicit, sed Patris, quia nec sua imago est, nec suus [3] Filius, sed Patris. Sermones autem omnes in cordibus nostris sunt ab unico Verbo Patris.

6. *Ego locutus sum*. Hic Dominus promittit discipulis suis dona. Promiserat enim [4] Spiritum sanctum, et seipsum : et ideo hic primo ostendit quid consequentur ex adventu Spiritus sancti; secundo quid consequentur ex ipso, ibi, *Pacem relinquo vobis*. Ex adventu Spiritus sancti magna consequentur, scilicet intellectum omnium verborum Christi. Et ideo circa hoc primo commemorat eis sua documenta, secundo promittit eis intellectum eorum, ibi, *Paraclitus autem Spiritus sanctus... vos docebit omnia*. Dicit ergo quantum ad primum : *Hæc*, scilicet quæ dixi, *locutus sum vobis*, organo humanitatis, *manens apud vos* præsentia corporali. Et hoc quidem maximum beneficium est ut ipse Filius nobis loquatur, et nos doceat. Hebr. i, 1 : *Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime locutus est nobis in Filio*. Deut. v, 26 : *Quæ est omnis caro ut audiat Dominum suum*? Intellectum autem ipsorum documentorum promittit eis per Spiritum sanctum se daturum : unde dicit : *Paraclitus autem... vos docebit omnia*. Ubi tria facit circa Spiritum sanctum. Primo describit ipsum; secundo ejus missionem; tertio ejus effectum. Ipsum quidem describit multipliciter : quia Paraclitum, Spiritum et Sanctum. Paraclitus quidem est, quia consolatur nos et quantum ad tristitias de turbationibus hujus mundi, de quibus nos consolatur. II Corinth. vii, 5 : *Foris pugnæ, intus timores*. II Corinth. i, 4 : *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*. Et hoc facit inquantum est amor, faciens nos amare Deum, et eum pro magno habere : propter quod cum gaudio contumelias patimur, secundum illud Act. viii, 39 : *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*. Matth. v, 12 : *Gaudete et exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlis*. Item consolatur nos contra tristitias de peccatis præteritis : de quibus Matth. v, 5 : *Beati qui lugent*. Et hoc facit inquantum dat nobis spem veniæ. Infra xx, 23 : *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Isai. lx, 3 : *Ut ponerem consolationem lugentibus in Sion*. Spiritus quidem est, quia movet corda ad obediendum Deo. Isai. lix, 19 : *Cum venerit quasi fluvius violentus quem Spiritus Domini cogit*. Rom. viii, 14 : *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*. Sanctus autem est, quia consecrat nos Deo : om-

[1] Al. : « requiratur. » — [2] Al. : « hic. » — [3] Al. deest : « suus. » — [4] Parm. : « eis. » — Al. : « promiserat enim eis. »

nia autem Deo [1] consecrata dicuntur sancta [2]. I Corinth. vi, 19 : *Nescitis quoniam corpora nostra templum sunt Spiritus sancti*? Psal. xlv, 5 : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* etc.

Consequenter cum dicit, *Quem mittet Pater in nomine meo*, agit de ejus missione. Non est autem intelligendum quod per motum localem ad nos veniat, sed quia quodam novo modo in eis esse debeat, quo prius non fuerat. Psal. ciii, 30 : *Emitte Spiritum tuum et creabuntur*, scilicet in esse spirituali.

Sed attende, quod Spiritus sanctus a Patre et Filio mittitur : et ideo ad hoc ostendendum, quandoque dicit quod Pater mittit eum, sicut hic; quandoque quod ipse : infra xvi, 7 : *Quem ego mittam vobis* etc. Sed nunquam dicit eum a Patre mitti, quin faciat commemorationem de seipso : unde dicit : *Quem mittet Pater in nomine meo.* Nec dicit eum mitti a se Filio, quin commemoret Patrem : unde dicit : *Quem ego mittam vobis a Patre.*

Sed quid est hoc quod dicit, *In nomine meo*? Numquid Spiritus sanctus nominabitur Filius? Posset dici, quod hoc dicitur pro tanto, quia Spiritus sanctus dabatur fidelibus ad invocationem nominis Christi. Sed melius est ut dicamus, quod sicut Filius venit in nomine Patris : supra v, 44 : *Ego veni in nomine Patris mei* : ita et Spiritus sanctus venit in nomine Filii. Filius autem in nomine Patris venit, non quod esset Pater, sed quod esset Filius Patris : similiter Spiritus sanctus venit in nomine Filii, non quod diceretur Filius, sed quod esset spiritus Filii. Rom. viii, 9 : *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Galat. iv, 6 : *Misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra* : non quod diceretur Filius, sed quod esset spiritus Filii. Rom. viii, 29 : *Prædestinavit* [3] *conformes fieri imaginis Filii sui* : et hoc quidem propter consubstantialitatem Filii ad Patrem, et Spiritus sancti ad Filium. Item sicut Filius veniens in nomine Patris, fideles suos Patri subjecit : Apocal. v, 10 : *Fecisti nos Deo nostro regnum* etc. : ita Spiritus sanctus configuravit nos Filio, inquantum adoptat nos in filios Dei. Rom. viii, 15 : *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.*

Consequenter agit de effectu Spiritus sancti, dicens : *Ille vos docebit omnia.* Nam sicut effectus missionis Filii fuit ducere ad Patrem, ita effectus missionis Spiritus sancti est ducere fideles ad Filium. Filius autem, cum sit ipsa sapientia genita, est ipsa veritas. Supra. xiv, 6 : *Ego sum via, veritas et vita.* Et ideo effectus missionis hujusmodi est ut faciat homines participes divinæ sapientiæ, et cognitores veritatis. Filius ergo tradit nobis doctrinam, cum sit Verbum; sed Spiritus sanctus doctrinæ ejus nos capaces facit. Dicit ergo : *Ille vos docebit omnia* : quia quæcumque homo doceat extra, nisi Spiritus sanctus interius det intelligentiam, frustra laborat : quia nisi Spiritus adsit cordi audientis, otiosus erit sermo doctoris. Job. xxxii, 8 : *Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam* : et intantum, quod etiam ipse Filius organo humanitatis loquens, non valet, nisi ipsemet interius operetur per Spiritum sanctum.

Sed attende, quod supra vi, 43, dicit : *Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me.* Hic expendit quid sit, quia non discit non docente Spiritu sancto; quasi : ille qui recipit Spiritum sanctum a Patre et Filio, ille Patrem cognoscit, et ad eos venit. Facit autem nos scire omnia interius inspirando, dirigendo, et ad spiritualia elevando. Sicut enim qui habet gustum infectum non habet veram cognitionem de saporibus, ita et qui infectus est amore mundi, non potest gustare divina : secundum illud I Corinth. ii, 14 : *Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.*

Sed cum suggerere sit minorum, puta officialium in divinis, numquid Spiritus sanctus, qui suggerit nobis, est nobis minor [4]? Ideo dicendum, secundum Gregorium, quod Spiritus sanctus suggerere dicitur, non quod nobis scientiam ab imo inferat; sed ab occulto subministrat vires ad cognoscendum. Vel docet [5], inquantum nos facit participare sapientiam Filii. Suggerit, inquantum nos impellit prout est amor. Vel *suggeret vobis omnia*; idest, ad memoriam reducet. Psal. xxi, 28 : *Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ.* Sciendum est enim, quod eorum quæ Christus dixit discipulis, quædam non intellexerunt, quorumdam autem memoriam non habebant. Dicit ergo Dominus : *Ille vos docebit*

[1] Parm. omittit : « Deo. » — [2] Al. deest : « sancta. » — [3] Al. : « Filii sui, etc. » — [4] Al. : « minoris. » — [5] Al. : « docebit. »

omnia, quæ intelligere nunc non potestis, *et suggeret vobis omnia*, quæ non potestis memoriæ commendare. Quomodo enim Evangelista Joannes post quadraginta annos potuisset omnium verborum Christi, quæ in Evangelio scripsit, habere memoriam, nisi ei Spiritus sanctus suggessisset?

LECTIO VII.

1. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.
2. Non quomodo mundus dat, ego do vobis.

1. Supra promisit Dominus discipulis suis quid consecuturi erant ex præsentia Spiritus sancti; hic promittit donum quod consecuturi erant ex adventu et præsentia sua. Sciendum tamen, quod si consideretur proprietas personarum, scilicet Filii et Spiritus sancti, videtur Dominus alternare dona. Cum enim Filius sit Verbum, ad eum appropriate pertinere videtur sapientiæ et cognitionis donum. Spiritui vero sancto, cum sit amor, qui est causa pacis, pax appropriatur. Verumtamen quia Spiritus sanctus est Filii, et hoc quod dat Spiritus sanctus, habet a Filio; ideo Spiritui sancto attribuit hoc donum cognitionis, ubi dicit : *Ille vos docebit omnia* etc., quod tamen appropriatur Filio. Quia vero Spiritus sanctus a Filio procedit, ideo quod Spiritus sanctus appropriate facit, attribuitur Filio. Et secundum hunc modum Christus attribuit sibi pacem, dicens : *Pacem relinquo vobis* : ubi primo promittit donum pacis, quam relinquit; secundo distinguit pacem istam a pace mundi, ibi, *Non quomodo mundus dat, ego do vobis*. Dicit ergo, *Pacem relinquo*.

Sciendum est quod pax nihil aliud est quam tranquillitas ordinis : tunc enim aliqua dicuntur pacem habere quando eorum ordo inturbatus manet. In homine autem est triplex ordo : scilicet hominis ad seipsum, hominis ad Deum, et hominis ad proximum : et sic est triplex pax in homine. Quædam intrinseca, secundum quam pacificatur sibi ipsi, absque perturbatione virium. Psal. CXVIII, 165 : *Pax multa diligentibus legem tuam*. Alia est per quam homo pacificatur Deo, totaliter ejus ordinationi subjectus : Rom. v, 1 : *Justificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum*. Tertia pax est ad proximum : Heb. XII, 14 : *Pacem sequimini cum omnibus sanctis et sanctimoniam*. Sed notandum, quod in nobis tria ordinari debent : scilicet intellectus, voluntas, et appetitus sensitivus : ut videlicet voluntas dirigatur secundum mentem, seu rationem; appetitus vero sensitivus secundum intellectum et voluntatem. Et ideo Augustinus in lib. *De verbis Domini*, pacem sanctorum definiens, dicit : « Pax est serenitas mentis, tranquillitas animæ, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium caritatis : » ut serenitas mentis referatur ad rationem, quæ debet esse libera, non ligata, nec absorpta aliqua inordinata affectione : tranquillitas animi referatur ad sensitivam, quæ debet a molestatione passionum quiescere ; simplicitas cordis referatur ad voluntatem, quæ debet in Deum objectum suum totaliter ferri ; amoris vinculum referatur ad proximum ; consortium caritatis ad Deum. Hanc autem pacem hic sancti habent et habebunt in futuro ; sed hic quidem imperfecte, quia nec ad nos, nec ad Deum, nec ad proximum pacem sine perturbatione aliqua possumus habere ; sed in futuro habebimus eam perfecte, quando sine hoste regnabimus : ubi nunquam poterimus dissentire. Et utramque hic Dominus nobis promittit. Primam cum dicit : *Pacem relinquo vobis*, in hoc scilicet sæculo, ut hostem vincatis, et ut invicem diligatis ; quod est quasi testamentum servandum nobis statutum a Christo. Eccli. XLV, 10 : *Statuit illi testamentum pacis, et principem fecit eum*. Sicut Augustinus dicit, non poterit ad hereditatem Domini pervenire, qui testamentum ejus noluerit observare : nec potest concordiam habere cum Christo qui discors esse voluerit cum Christiano. Secundam vero, cum dicit *Pacem meam do vobis*, scilicet in futuro. Isa. ult. XII, *Declinabo super eam* scilicet Hierusalem cœlestem *quasi flumen pacis*.

Sed cum sive in mundo sive in patria tota pax sanctorum proveniat eis per Christum : infra XVI, 33 : *In me pacem habebitis* : quare Dominus loquens de pace sanctorum in via, non dicit, *Pacem meam do vobis* : sed tantum cum loquitur de pace sanctorum in patria? Ad quod dicendum, quod utraque pax, scilicet præsens et futura, est Christi; sed præ-

sens ut auctoris tantum ; futura autem est ejus ut auctoris et possessoris : nam ipsam semper habuit, quia semper fuit absque contradictione. Pax autem præsens, ut dictum est, est cum contradictione aliqua : et ideo licet eam faciat, non tamen eam possidet. Et secundum prædicta, expositio procedit de pace temporis et pace æternitatis. Sed, secundum Augustinum, potest utrumque exponi de pace temporis : et dicit : *Pacem relinquo vobis*, exemplo ; sed *do pacem meam*, potestate et virtute.

2. Consequenter cum dicit, *Non quomodo mundus dat, ego do vobis*, ipsam pacem a pace mundi distinguit. Distinguitur autem pax sanctorum a pace mundi quantum ad tria. Primo quantum ad intentionem : nam pax mundi ordinatur ad quietam et pacificam fruitionem temporalium : quo fit ut quandoque cooperetur hominibus ad peccandum : Sap. XIV, 22 : *In magno viventes inscientiæ bello tot et tam magna mala pacem appellant*. Sed pax sanctorum ordinatur ad bona æterna. Est ergo sensus : *Non quomodo mundus dat, ego do* ; idest non ad eumdem finem : quia mundus dat quantum ad exteriora quiete possidenda ; ego vero do quantum ad æterna adipiscenda. Secundo vero quantum ad simulationem et veritatem : quia pax mundi est simulata, quia tantum exterius : Psal. XXXVII, 3 : *Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum* : pax vero Christi est vera, quia est interius et exterius. Et sic est sensus : *Non quomodo mundus dat*, idest simulatam pacem do, sicut mundus, sed veram. Tertio quantum ad perfectionem : quia pax mundi est imperfecta, cum sit tantum quantum ad quietem exterioris hominis et non interioris : Isa. LVII, 21 : *Non est pax impiis, dicit Dominus* : sed pax Christi quietat interius et exterius. Psal. CXVIII, 165 : *Pax multa diligentibus legem tuam*. Et est sensus : *Non quomodo mundus dat*, idest, non ita imperfectam.

LECTIO VIII.

1. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis : Vado, et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est. Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis. 2. Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quicquam. 3. Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio ; surgite, eamus hinc.

1. Supra Dominus consolatus est discipulos suos rationibus acceptis ex parte ipsorum discipulorum, promittendo eis accessum ad Patrem, adventum Spiritus sancti, et suum reditum ; hic vero consolatur eos rationibus acceptis ex parte sui ipsius, ex quo poterat eis esse duplex causa consolationis. Una ex utilitate fructus, qui sequebatur ex recessu Christi ; alia ex causa mortis. Et ideo primo ponit primam ; secundo secundam, ibi, *Jam non multa loquar vobiscum*. Fructus autem qui sequebatur ex recessu Christi, erat exaltatio sua etc. : unde discipuli poterant consolari : mos enim amicorum est ut cum amicus ad suam exaltationem vadit, de ejus recessu minus desolentur : et ideo Dominus hanc causam ponit ad eorum consolationem. Et primo excludit cordis dubitationem ; secundo commemorat quoddam quod eos in parte consolabatur, et in parte turbabat ; tertio subdit causam totaliter consolantem ; quarto respondet cuidam tacitæ quæstioni. Turbationem quidem cordis excludit dicens : *Non turbetur cor vestrum* etc. Turbatio ad tristitiam refertur ; formido ad timorem. Tristitia autem et timor in aliquo, quidem conveniunt, in hoc scilicet quod utrumque est de malo ; sed differunt, quia tristitia est de malo præsenti, formido autem de malo futuro. Dicit autem Dominus : *Non turbetur cor vestrum*, de malo præsenti. Psal. CXI, 6 : *Justus non commovebitur : neque formidet*, scilicet [1] de futuro. Isa. LI, 12 : *Quis tu ut timeas ab homine mortali?* quod intelligendum est de timore humano : nam timorem divinum non excludit. Consequenter cum dicit, *Audistis quia ego dixi vobis : Vado, et venio ad vos* [2] : turbabantur enim ex recessu Christi, sed in parte consolabantur, quod subdit, *Et venio ad vos*. Supra [3] : *Vado, et venio ad*

[1] Al. : « Justus non commovebitur neque formidabit, scilicet, etc. » — [2] Supple : « partim eo, turbat, et partim consolatur : » vel quid simile. — [3] Supra hoc cap. lect. 1. *Vado parare vobis locum : et si abiero, et præparavero vobis locum iterum venio.*

vos. Non tamen ex hoc consolabantur totaliter, timentes ne forsitan gregem lupus hoc intervallo invaderet in pastoris absentia : secundum illud Zachar. XIII, 7 : *Percute pastorem, et dispergentur oves.* Dicit ergo : *Non turbetur, quia vado* : sed *nec formidet, quia venio ad vos.* Vadit quidem sua potestate moriendo, et venit resurgendo. Matth. XX, 18 : *Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte... et tertia die resurget.* Ivit ascendendo. Isa. LXIII, 1 : *Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ.* Veniet ad judicandum. Luc. XXI, 27 : *Videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate.* Totaliter autem consolatur eos cum dicit : *Si diligeretis me, gauderetis utique;* quasi dicat : Si diligitis me, non debetis contristari ; sed potius debetis gaudere de recessu meo, quia vado ad exaltationem meam : *quia* scilicet *vado ad Patrem*, qui *major me est.*

Sed ex hoc Arius insultat, dicens Patrem majorem esse Filio. Cujus error ex ipsis verbis Domini excluditur. Nam ex intellectu ejus, quomodo intelligitur, *Vado ad Patrem*, ex eodem intelligitur, *Pater major me est.* Filius autem non vadit ad Patrem nec venit ad nos inquantum est Filius Dei secundum quod cum Patre fuit ab æterno. Supra I : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.* Sed dicitur ire ad Patrem, secundum humanam naturam. Sic ergo hoc quod dicit, *Major me est,* non dicit inquantum Filius Dei, sed inquantum Filius hominis, secundum quod non solum est minor Patre et Spiritu sancto, sed etiam ipsis Angelis. Hebr. II, 9 : *Eum autem qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum.* Item quibusdam hominibus, scilicet parentibus, subditus erat quantum ad aliquid, ut legitur Luc. II. Sic ergo minor est Patre secundum humanitatem, æqualis secundum divinitatem. Philip. II, 6 : *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Potest etiam dici, secundum Hilarium, quod Pater etiam secundum divinitatem major est Filio, sed tamen Filius non est minor, sed æqualis. Est enim Pater major Filio non potestate, æternitate, et magnitudine : sed donantis seu principii auctoritate. Nam Pater nihil ab alio accipit, Filius autem naturam, ut ita dicam, a Patre accipit per æternam generationem. Est ergo Pater major quia dat [1] ; sed Filius non est minor, sed æqualis, quia totum quod Pater habet, accipit. Philipp. II, 9 : *Dedit ei nomen quod est super omne nomen.* Minor enim jam non est donante, cui unum esse donatur. Chrysostomus autem ita exponit dicens, quod Dominus loquitur secundum suspicionem Apostolorum, qui nondum noverant quid sit resurrectio, nec eum æqualem Patri existimabant : et ideo dicit eis : Et si non creditis mihi quod non possum mihi assistere, nec confiditis quod post crucem rursus vos videbo ; tamen credatis mihi, *quia vado ad Patrem qui major me est.*

Respondet autem tacitæ quæstioni, dicens : *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis.* Possent enim quærere quare ista diceret : et ideo præveniens dicit [2] : *Nunc dixi vobis* etc.

Sed quærit Augustinus : cum fides sit de his quæ non videntur, non debet homo credere postquam factum est, sed ante. Sed dicendum, quod aliud videbant, et aliud credebant. Viderunt ante mortem Christi et ejus resurrectionem, quo viso, crediderunt quod ipse esset Christus Filius Dei. Unde cum factum fuit, non crediderunt fide nova, sed aucta ; aut certe cum mortuus esset, defecta ; cum surrexisset, refecta, ut Augustinus dicit.

2. Consequenter cum dicit, *Jam non multa loquar vobiscum*, ponit aliam causam consolationis ex parte recessus sui, quæ sumitur ex causa mortis. Sciendum est autem, quod causa mortis quædam est inducens dolorem, cum quis pro culpa occiditur ; quædam est inducens consolationem, cum quis scilicet moritur pro bono virtutis. I Petr. IV, 15 : *Nemo vestrum patiatur ut fur aut homicida.... Si autem ut Christianus, non erubescat.* Circa hoc ergo primo ostendit Dominus quod peccatum non fuit causa suæ mortis ; secundo quod ejus causa fuit virtus obedientiæ et caritatis, ibi, *Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem.* Dicit ergo : *Jam non multa loquar vobiscum*, propter temporis brevitatem. Supra XIII, 33 : *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum.* Vel quia nondum capaces estis. Infra XVI, 12 : *Adhuc multa*

[1] Al. : « datur. » — [2] Al. omittitur : « dicit. »

habeo vobis loqui, sed non potestis portare modo. Vel ideo *non multa loquar vobiscum*, quia in uno brevi sermone explicabo vobis quod non moriar ex culpa mea. Et hoc facit consequenter cum dicit: *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam,* scilicet diabolus, qui dicitur princeps, non ratione creationis, neque [1] per naturalem potestatem, ut Manichæi blasphemant; sed ratione culpæ, idest amatorum mundi, unde dicitur princeps mundi et peccati [2]. Ephes. ult., 12 : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem*; *sed adversus rectores et principes tenebrarum harum.* Non ergo est princeps creaturarum. Job. XLI, 25 : *Ille est rex super omnes filios superbiæ.* Hic ergo princeps venit ad persequendum : intravit enim in cor Judæ ut proderet, Judæorum vero ut occiderent; sed *in me non habet quidquam* : nam in nobis non habet potestatem nisi propter peccatum. Supra VIII, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.* In Christo autem nullum peccatum erat, neque secundum animam : I Pet. II, 22 : *Qui peccatum non fecit* etc.; neque secundum carnem, quia ex Virgine absque originali peccato de Spiritu sancto conceptus. Luc. I, 35 : *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quia ergo diabolus Christum, in quo nullum jus habuit, etiam invasit, perdere meruit quod juste possidebat Marc. V, 7 : *Quid nobis et tibi, Jesu Fili Dei altissimi?* Sic ergo patet quod causa mortis suæ non fuit culpa; sed nec erat cur moreretur, si non habet peccatum.

3. Consequenter veram causam adjungit, quæ est bonum virtutis; et ideo dicit : *Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem* : quod, secundum Augustinum sic punctatur : *Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*; suspensive; *surgite, eamus hinc.* Ubi sciendum est, quod duo moverunt Christum ad mortem sustinendam, scilicet amor Dei et dilectio proximi : Ephes. V, 2 : *Ambulate dilectione.* Et hoc probat per indicium, quia mandata sua implet. Supra hoc cap. : *Si diligitis me, mandata mea servate.* Et quantum ad hoc dicit : *Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem* etc.; et hoc efficaciter, quia scilicet morior : unde subdit : *Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio* : quod est secundum quod Pater movit eum ad mortem suscipiendam, scilicet obedientia, quæ ex amore causatur. Mandatum autem hoc dedit Pater non Filio Dei, qui cum sit verbum, est etiam mandatum Patris; sed dedit Filio hominis, inquantum animæ ejus inspiravit necessarium esse saluti humanæ ut Christus in humana natura moreretur. Ut ergo hoc mundus cognoscat, *surgite*, de loco ubi cœnaverant, *et eamus*, ad locum ubi ego sum tradendus, ut videatis quod non ex necessitate, sed ex caritate at obedientia morior. Job. XXIX, 21 : *Audacter in occursum pergit armatis.*

Secundum Chrysostomum autem aliter legitur : ut in hoc scilicet quod dicit, *Sic facio*, sit finis sententiæ; et in hoc quod resumit, *Surgite eamus hinc*, sit principium alterius : ut sit sensus : Non morior quasi princeps mundi hujus habeat in me quicquam; sed *quia diligo Patrem*, ideo hoc facio. Vos autem *surgite et eamus hinc.* Videbat enim eos formidare et propter tempus, quia nox profunda erat, et propter locum, quia in villa manifeste sistebant, ita ut semper circumvolverent ad ostium oculos, quasi expectando hostes eos invadentes, et propter hoc non attendentes his quæ dicebantur. Et ideo ut melius verba quæ dicturus erat intelligerent, ducit eos in locum alium secretum, ut æstimantes se securos esse, attentius audiant quæ diceret eis. Oseæ II, 14 : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.*

[1] Al. : « scilicet. » — [2] Parm. : « culpæ hujus, id est amatorum mundi, unde dicitur, etc. »

CAPUT DECIMUMQUINTUM

1. Ego sum vitis vera et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. 2. Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. 3. Manete in me, et ego in vobis. 4. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis et vos palmites. 5. Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis facere. 6. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes ; et arescet ; et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. 7. Si manseritis in me et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis et fiet vobis. 8. In hoc clarificatus est Pater meus ut fructum plurimum afferatis et efficiamini mei discipuli.

1. Dominus in hoc sermone specialiter intendebat animos discipulorum confortare contra duo : scilicet contra unum quod imminebat in præsenti, quod erat passio ejus ; et aliud quod timebatur futurum, scilicet tribulatio eis superventura. Unde contra ista duo dixerat eis : *Non turbetur cor vestrum*, quantum ad primum, *neque formidet*, quantum ad secundum. Postquam ergo confortavit eos de recessu suo, hic confortat eos contra tribulationes eis superventuras : et primo proponit eis quamdam similitudinem; secundo ex illa procedit ad propositum, ibi, *Jam vos mundi estis.* Similitudo autem est de vite et agricola. Unde primo proponit vitam ; secundo introducit agricolam ; tertio studium agricolæ circa palmites commendat. Sed vitis est ipse : unde dicit : *Ego sum vitis*, per quamdam similitudinem : quia sicut vitis licet despecta videatur, omnia tamen ligna excedit in dulcedine fructus ; ita Christus etsi mundo despectus videretur, quia pauper erat et ignobilis videbatur et ignominiam sustinens ; tamen dulcissimos fructus protulit : secundum illud Cantic. II, 3 : *Fructus ejus dulcis gutturi meo* : et ideo Christus est vitis afferens vinum interius inebrians, quod est vinum compunctionis. Psal. LXI, 5 : *Potasti nos vino compunctionis.* Iterum vinum confortans, scilicet nostræ refectionis. Supra VI, 56 : *Sanguis meus vere est potus.* Sic enim supra comparavit se grano frumenti, quia caro ejus vere est cibus. Hæc est vitis illa de qua dicitur Genes. XL, 9 : *Videbam coram me vitem habentem propagines tres*, idest, Christum, in quo sunt tres substantiæ, scilicet corpus et anima et divinitas. Hæc est etiam vitis de qua Jacob dicit Gen. penult. 2 : *Ligabis ad vitem, fili mi, asinam tuam*, idest Ecclesiam. Sed hæc vitis est vera.

Ubi sciendum, quod verum aliquando dividitur contra similitudinarium, sicut homo verus ab homine picto ; aliquando a corrupto, sicut acetum a vino, quia est vinum corruptum. Hoc ergo quod dicitur, *Ego sum vitis vera*, accipitur secundo modo, ut discernat se a vite corrupta, scilicet a populo Judæorum : de quo dicitur Hier. XI, 21 : *Quomodo conversa es in amaritudinem vitis aliena*? Et hoc ideo, quia non faciebat uvas, sed labruscas. Isa. V, 4 : *Expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas.*

Sed notandum quod in Christo est duplex natura, divina scilicet et humana : et secundum humanam convenit nobiscum, et minor est Patre ; secundum divinam convenit cum Deo, et est supra nos. Est ergo vitis vera secundum hoc quod est caput Ecclesiæ homo Christus Jesus ; et hoc insinuat introducens agricolam qui est Pater : unde dicit : *Et Pater meus agricola est.* Si enim est vitis secundum divinam naturam, Pater vitis esset sicut et Filius : quia ergo secundum humanam naturam vitis est, ideo Pater se habet ad ipsum sicut agricola ad vitem. Ipse etiam secundum quod Deus agricola est. Dicitur autem agricola a cultura : unde et vinitor inquantum colit, agricola est. Sed cum colere sit studium impendere dupliciter aliquid colimus : vel ut id quod colimus melioretur : et hoc modo colimus agrum, vel aliquid tale: alio modo ut nos melioremur per ipsum ; et hoc modo homo colit sapientiam. Deus ego colit nos, ut nos ex ejus opere melioremur, inquantum extirpat mala semina de cordibus nostris. Aperit cor nostrum aratro sermonis, plantat semina præceptorum, colligit fructum pietatis, ut dicit Augustinus. Nos autem co-

limus eum ut nos per ipsum melioremur, sed hoc adorando, non arando. Supra IX, 31 : *Si quis Dei cultor est... hunc exaudit.* Est ergo Pater agricola hujus vitis ad bonum alterius. Ipse enim plantat. Hier. II, 21 : *Ego te plantavi vineam electam omne semen verum.* Ipse augmentat. I Corinth. III, 6 : *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit* : quia solus Deus interius augmentat et fructificare [1] facit ; quantumcumque homo cooperetur exterius, ipse custodit et conservat. Matth. XXI et Isa. V, dicitur, quod ædificavit in vinea turrim et sepem circumdedit. Studium autem agricolæ est circa duo : circa vitem et circa palmites. Sed vitis de qua hic agitur, perfecta erat, non indigens agricolæ studio ; unde totum studium agricolæ erat circa palmites impendendum ; et ideo dicit : *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum.* Palmites autem sunt de natura vitis : unde adhærentes Christo sunt palmites hujus vitis. Ezech. XVII, 6 : *Facta est vitis in palmites.* Circa hoc ergo duo facit. Primo ponit studium hujus agricolæ circa palmites malos ; secundo circa palmites bonos. Studium autem ejus circa malos est ut scindantur a vite : unde dicit : *Omnem palmitem*, idest omnem fidelem, *non ferentem fructum*, scilicet in vite, *in me*, sine quo nihil fructificare potest, *tollet eum*, scilicet a vite. Ex quo apparet quod non solum a Christo rescinduntur aliqui quia mala faciunt, sed etiam quia bona facere negligunt. II Corinth. VI, 1 : *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Unde de se dicebat Apostolus, I Corinth. XV, 10 ; *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in vacua non fuit.* Et Matth. XXV dicitur, quod ablatum est talentum ei qui ex eo non fructificavit, sed abscondit illud Luc. XIII, Dominus ficum sterilem præcepit abscindi [2]. Studium autem ejus circa bonos palmites est ut foveantur ad magis fructificandum : unde dicit : *Et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Ad litteram enim in vite naturali contingit quod palmes multos surculos habens, minus fructificat propter humoris diffusionem ad omnes ; et ideo cultores, ut magis fructificet, purgant eum a superfluis surculis. Ita est in homine. Nam homo bene dispositus et Deo conjunctus, si suum affectum ad diversa inclinet, virtus ejus minoratur, et magis inefficax fit ad bene operandum. Et inde est quod Deus, ut bene fructificet, frequenter præscindit hujusmodi impedimenta et purgat, immittens tribulationes et tentationes quibus fortior fiat ad operandum : et ideo dicit, *Purgabit eum*, etiamsi purus existat : quia nullus est adeo purus in hac vita ut non sit magis magisque purgandus. I Joan. 18 : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est.* Et hoc *ut plus fructum afferat*, idest crescat in virtute, ut tanto sint fructuosiores quanto sunt mundiores. Apocal. ult. 2 : *Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc.* Coloss. I, 6 : Verbum Evangelii fructificat et crescit. Psal. LXXXIII, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem.*

2\. *Jam vos mundi.* Hic ex similitudine prosequitur intentum. Duo autem in prædicta similitudine tangebantur in comparatione palmitum ad vitem. Unum est palmitum ad vitem inhæsio ; secundum est palmitum purgatio. Primo ergo agit de inhæsione ; secundo de purgatione, ibi, *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Circa primum primo monet discipulos ut viti inhæreant ; secundo rationes inhæsionis adducit, ibi, *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso* etc., tertio modum inhæsionis assignat, ibi, *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos.* Circa primum duo facit. Primo commemorat eis susceptum beneficium ; secundo monet ut in eo permaneant, ibi, *Manete in me et ego in vobis.* Beneficia susceperunt mundationis : unde dicit : *Jam vos mundi estis* ; quasi dicat : Talia dixi de palmitibus ; sed vos estis palmites præparati purgari ad fructum ferendum ; et hoc *propter sermonem quem locutus sum vobis.* Verbum enim Christi mundat primo quidem ab erroribus, instruendo. Ad Tit. I, 9 : *Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.* Et hoc ideo quia in verbis Dei nulla falsitas invenitur. Prov. VIII, 9 : *Recti sunt sermones mei.* Dicit ergo, *Mundi estis*, ab erroribus Judaicis. Secundo mundat corda a terrenis affectibus, ad cœlestia inflammando. Verbum enim Dei cor hominis ad terrena depressum concutit sua virtute, ex quo inflammatur [3]. Hier. XXIII, 29 : *Numquid non verba mea sunt quasi ignis?*

[1] Al. hoc : « cooperetur. » — [2] Al. : « abscondi. » — [3] Al. : « inflammat. »

Tertio mundat sermo Dei a peccatis, invocatus in baptismo. Nam homines in baptismo purgantur; quia in aqua verbum mundat : quia, ut dicit Augustinus « detrahe verbum, quid est aqua [1], nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. » Verbum ergo facit ut aqua corpus tangat, et cor abluat. Verbum, inquam, non quia dicitur, sed quia creditur. Hoc enim verbum fidei tantum valet in Ecclesia ut etiam ipsos parvos infantes mundet, quamvis credere non valentes, ex fide credentium, offerentium, benedicentium, et tangentium prolatum. Matth. ult. 29 : *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti.* Quarto mundat per virtutem fidei. Actor. xv, 9 : *Fide purificans corda eorum.* Dicit ergo eis : *Vos jam* instructi [2], jam convicti, jam baptizati, jam in fide firmati, *mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* Supra eodem : *Vos mundi estis, sed non omnes.* Sed cum supra dixerit officium agricolæ esse purgare, manifeste ostendit se esse agricolam, dicens, sermonem suum purgativum. Et vere ipse, inquantum Deus, mundator est palmitum, et agricola.

3. *Manete in me.* Hic inducit eos ad perseverantiam; quasi diceret : Quia mundi estis, et tantum beneficium recepistis, debetis in eo perseverare : unde dicit : *Manete in me,* per caritatem : I Joan. iv, 16 : *Qui manet in caritate, in Deo manet* : et per sacramentorum participationem. Supra vi, 57 : *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet.* Dicit ergo : *Manete in me*, gratiam suscipiendo, *et ego in vobis*, vos adjuvando.

4. Consequenter cum dicit : *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis*, inducit rationes inhæsionis, quæ sunt quatuor. Prima sumitur ex inhærentium sanctificatione; secunda ex non inhærentium punitione, ibi, *Si quis in me non manserit mittetur foras*; tertia ex voluntatis inhærentium assecutione, ibi, *Si manseritis in me... quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis*; quarta ex Dei glorificatione, ibi, *In hoc clarificatus est Pater* etc. Circa primum duo facit. Primo ostendit quod inhæsio ad Christum est necessaria ad fructificandum; secundo quod est efficax, ibi, *Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum.* Circa primum duo facit. Primo proponit similitudinem; secundo ostendit eam esse convenientem. Dicit ergo quantum ad primum : Dico, quod debetis in me manere ad hoc quod fructificetis : quia *sicut palmes*, ad litteram, palmes materialis, *non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite*, ex cujus radice humor ad vegetationem palmitum ascendit, *ita et vos*, supple, non potestis ferre fructum, *nisi in me manseritis.* Mansio ergo in Christo est ratio fructificationis. Unde de his qui in Christo non manent, dicitur Rom. vi, 21 : *Quem ergo fructum habuistis in his in quibus nunc erubescitis?* Job. xv, 34 : *Congregatio hypocritarum sterilis.* Hæc autem similitudo conveniens est : quia *ego sum vitis, et vos palmites*; quasi diceret : Talis est comparatio vestrum ad me, qualis palmitum ad vitem. De istis palmitibus dicitur in Psalm. lxxix, 12 : *Extendit palmites suos usque ad mare.*

5. *Qui manet.* Hic ostendit quod mansio in Christo sit efficax : et primo ostendit ejus efficaciam; secundo subdit efficaciæ causam. Dicit ergo primo : Dico, quod non solum necessaria est hominis mansio in me ut fructificet, sed etiam est efficax : quia *qui manet in me*, credendo, obediendo, perseverando, *et ego in eo*, illuminando, subveniendo, perseverantiam dando, *hic*, et non alius, *fert fructum multum.* Fert, inquam, triplicem fructum in vita ista. Primus est abstinere a peccatis, Isa. xxvii, 4 : *Hic est omnis fructus, ut tollatur peccatum.* Secundus est vacare operibus sanctitatis. Rom. vi, 22 : *Habetis fructum vestrum in sanctificatione* etc. Tertius fructus est vacare ædificationi aliorum. Psal. ciii, 13 : *De fructu operum tuorum satiabitur terra.* Fert etiam quartum fructum in vita æterna. Supra iv, 36 : *Fructum congregat in vitam æternam.* Hic est ultimus et perfectus fructus laborum nostrorum. Sap. iii, 15 : *Bonorum laborum gloriosus est fructus.* Ratio [3] autem hujus efficaciæ est, *quia sine me nihil potestis facere.* In quo et corda instruit hominum, et ora obstruit superborum, et præcipue Pelagianorum, qui dicunt bona opera virtutum et legis sine Dei adjutorio ex seipsis facere posse : in quo dum

[1] Al. : « detrahe verbum, etc., et quidquid est aqua, etc. » — [2] Al. *vos jam mundi*, instructi, etc. — Parm. : « jam commoti. » — [3] Al. : « responsio. »

liberum arbitrium asserere volunt, eum magis præcipitant. Ecce enim Dominus hic dicit, quod sine ipso non solum magna, sed nec minima, immo nihil facere possumus. Nec mirum, quia nec Deus sine ipso aliquid facit. Supra I, 3 : *Sine ipso factum est nihil.* Opera enim nostra aut sunt virtute naturæ, aut ex gratia divina. Si virtute naturæ, cum omnes motus naturæ sint ab ipso Verbo Dei, nulla natura ad aliquid faciendum moveri potest sine ipso. Si vero virtute gratiæ : cum ipse sit auctor gratiæ : quia *gratia* [1] *et veritas per Jesum Christum facta est*, ut dicitur supra I, 17 : manifestum est quod nullum opus meritorium sine ipso fieri potest. II Corinth. III, 5 : *Non quod sufficientes simus aliquid cogitare ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Si ergo nec etiam cogitare possumus nisi ex Deo, multo minus nec alia.

6. *Si quis in me non manserit.* Hic ponitur secunda ratio inhæsionis, quæ sumitur ex comminatione pœnæ : quia nisi manserimus in ipso, non evademus pœnam. Et ponit quinque [2] quæ pœnam illam exaggerant : quorum quædam pertinent ad pœnam damni, scilicet expulsio a gloria : unde dicit, *Mittetur foras.* Sed aliquando videmus, quod in vite materiali aliquis palmes manet per exteriorem conjunctionem, non autem per humoris participationem : sic et aliqui manent in Christo solum per fidem, non tamen participant humorem vitis, quia non sunt in caritate. Unde tales mittentur foras, idest, separabuntur a societate bonorum. Ezech. XXXIV, 27 *Stabo*, * *et separabo* etc. Secunda pœna damni est arefactio : unde dicit, *Et arescet.* Unde si quid habebat a radice, amittet denudatus ejus auxilio et vita. Nam mali Christiani viriditatem aliquam habere videntur; sed quando a sanctis et a Christo separabuntur, eorum ariditas apparebit. Psal. XXI, 16 : *Aruit tamquam testa virtus mea.* Tertia pœna est eorum cum malis associatio : unde dicit, *Et colligent eum*, scilicet Angeli messores, ad malos; quæ quidem pœna maxima est. Si enim ad horam esse cum malis, magna pœna est, quanto magis esse perpetuo cum pessimis hominibus et dæmonibus? Isa. XXIV, 22 : *Congregabuntur congregatione unius fascis in lacum.* Matth. XIII, 30 : *Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum.* Quarta pœna est sensus : unde dicit, *Et in ignem mittent*, scilicet æternum. Ezech. XV, 2 : *Quid fiet de ligno vitis?... Ecce igni datum est in escam.* Ligna enim si in vite non permaneant, contemptibiliora sunt ceteris lignis; si vero maneant in vite, gloriosiora sunt. Unde dicit Augustinus : « Unum ex duobus palmiti congruit, aut vitis aut ignis : si in vite non est, erit in igne. » Matth. XXV, 41 : *Ite maledicti in ignem æternum.* Quinta pœna est perpetuum ignis experimentum : unde subdit, *Et ardet*, in perpetuum. Matth. XXV, 46 : *Ibunt hi in supplicium æternum.*

* licabo pecus us.

7. *Si manseritis in me.* Hic ponitur tertia inhæsionis causa, quæ sumitur ex efficacia impetrationis : quasi diceret, *Si manseritis in me*, hunc fructum consequemini, scilicet *quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis.* Sed notandum, quod supra in admonitione inhæsionis duo posuit, quæ hic resumit. Primum, scilicet *In me manete*, quod hic resumit dicens, *Si manseritis in me.* Secundum. *Et ego in vobis*; et loco hujus dicit : *Et verba mea in vobis manserint.* Quia Christus est Verbum Patris, omnia verba sapientiæ sunt ab ipso. Eccli. I, 5 : *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis.* Manifestum est ergo quod Christus est in nobis, quando verba sapientiæ ejus sunt in nobis. Supra V, 38 : *Verbum Dei non habetis in vobis manens.* Ideo dicit : *Et verba mea in vobis manserint*, scilicet quadrupliciter, amando, credendo, meditando et implendo. Prov. IV, 20 : *Fili, ausculta sermones meos*, scilicet credendo, *et ad eloquia mea inclina aurem tuam* scilicet obediendo, seu implendo *ne recedant* [3] *ab oculis tuis*, meditando, *et custodi ea in medio cordis tui* [4], amando. Hier. XV, 16 : *Inventi sunt sermones tui, et comedi eos.* Tunc ergo in nobis sunt verba Christi quando facimus quæ præcepit, et diligimus quod promisit. Et ex hoc sequitur quod informamur quid petere debeamus. Rom. VIII, 26 : *Quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Unde et verbis suis nos [5] orare docuit, Matth. VI, et Luc. X. Sic ergo verba Dei credita et meditata informant nos ad petendum quæ sunt nobis necessaria ad salutem. Sed verba Dei

[1] Al. deest : « gratia. » — [2] Codic. Mazarinæi habent : « sex, » sed quinque tantum in processu lectionis pœnas enumerant. — [3] Al. : « ne recedas. » — [4] Al. : « et in medio cordis tui » — [5] Al. deest : « nos. »

amata et impleta juvant nos ad merendum : et ideo subdit : *Quodcumque volueritis, petetis* discrete, perseveranter, *et fiet vobis*, Infra xvi, 23 : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

8. *In hoc clarificatus*. Hic ponitur quarta ratio inhæsionis, quæ sumitur ex gloria Patris. Omnia opera nostra ad Dei gloriam referre debemus. Psal. cxiii, 1 : *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* I Corinth. x, 31 : *Si manducatis aut bibitis sive aliquid facitis; omnia in gloriam Dei facite.* Ostendit ergo Dominus quod sumus in Christo, quia ex hoc fructificamus, et ex fructificatione nostra Pater glorificatur : unde dicit : *In hoc glorificatus est Pater meus*, idest ad gloriam Patris redundat, *ut plurimum fructum afferatis.* Ponit hic tria, ordine præpostero, quæ se invicem consequuntur. Unum pertinet ad inhæsionem, scilicet, *Efficiamini mei discipuli*, quod idem est quod *Manete in me*. Et ex hoc sequitur secundum, scilicet *Ut fructum plurimum afferatis.* Et ex hoc glorificatur Pater meus : quasi diceret : Ad gloriam Patris est quod fructum plurimum afferatis, et fructum plurimum affertis ex hoc quod estis mei discipuli. Primo quidem bene vivendo : Matth. xvi, *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum* : et bene docendo, ex quo similiter Deus glorificatur. Isa. xxiv, 15 : *In doctrinis glorificate Deum.* Et xliii, 7 : *Omnem qui invocat nomen meum, in laudem et gloriam meam, creavi eum.* Ergo Apostoli sunt terra illa quæ fructum multum attulit, ut dicitur infra hoc cap. *Et efficiamini mei discipuli*, per inhæsionem et caritatis fervorem. Hæc enim sunt signa discipulatus Christi, scilicet inhæsio ad Christum : Supra viii, 31 : *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis.* Et ex hoc efficiuntur idonei ut ferant fructum doctrinæ. Secundo caritatis observatio : Supra xiii, 35 : *In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem* etc. Et ex hoc efficiuntur idonei ut afferant fructum bonorum operum. I Corinth. xiii, 2: « *Si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam* etc. » quæ ibi ponuntur sine caritate nihil valere.

LECTIO II.

1. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. 2. Manete in dilectione mea. 3. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea. 4. Sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. 5. Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit,et gaudium vestrum impleatur. 6. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, 7. Sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

1. Supra monuit Dominus discipulos suos ut in eo manerent : hic ostendit quid sit in eo manere ; et hoc tripliciter. Primo quidem quod manere in eo est manere in ejus dilectione ; secundo ostendit quod præcepta ejus servare, est manere in ejus dilectione, ibi, *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea* ; tertio ostendit quod observatio caritatis sit ejus præceptum, ibi, *Hoc est præceptum meum* etc. Circa primum duo facit. Primo commemorat collatum discipulis beneficium ; secundo hortatur eos ad perseverandum, ibi, *Manete in dilectione mea.* Dicit ergo primo, quod hoc quod in Christo manemus, est ex ejus gratia ; quæ quidem gratia est effectus dilectionis ipsius. Hierem. xxxi, 3 : *In caritate perpetua dilexi te.* Ex quo patet quod omnia opera nostra bona sunt nobis ex beneficio divinæ dilectionis. Non enim essent nobis, nisi quia fides dilectionem operatur; nec diligeremus, nisi prius diligeremur. Et ideo hoc beneficium commemorans dixit : *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos.*

Sed notandum quod ly *sicut* quandoque denotat æqualitatem naturæ, quandoque autem similitudinem actionis. Ariani autem errantes volebant, quod ly *sicut* importaret æqualitatem; et per hoc quod superius sæpius expressum est, concludebant, quod esset minor Patre. Sed hoc est falsum; et ideo, secundum Augustinum, dicendum, quod ly *sicut* dicit similitudinem gratiæ et dilectionis : nam dilectio qua Filius diligit discipulos, est quædam similitudo ejus dilectionis qua Pater diligit Filium. Cum enim diligere aliquem sit velle ei bonum, Pater diligit Filium secundum divinam naturam, inquantum vult illi infinitum suum bonum, quod ipse habet, communicando ei eamdem naturam numero quam ipse habet. Supra v, 20 : *Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit.* Diligit etiam eum secundum humanam naturam. Oseæ xi, 1 : *Puer*

Israel, et dilexi eum, et ex Ægypto vocavi filium meum. Et ad hoc scilicet ut simul esset Deus et homo. Et ad nihil horum Filius dilexit discipulos : nam neque ad hoc dilexit eos ut essent Deus per naturam, neque ut essent uniti Deo in persona ; sed ad quamdam horum similitudinem eos dilexit ; ut scilicet essent dii per participationem gratiæ. Ps. LXXXI, 6 : *Ego dixi, Dii estis.* II Petr. I, 4 : *Per quem magna nobis et pretiosa promissa donavit, ut divinæ per hoc efficiamur consortes naturæ.* Item ut assumerentur in unitatem affectus : quia *qui adhæret Deo, unus spiritus est* : Corinth. VI, 17. Rom. VIII, 29 : *Quos præscivit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Sic ergo majus bonum Deus Pater posuit Filio secundum utramque naturam, quam Filius discipulis : sed tamen simile, ut dictum est.

2. *Manete in dilectione mea ;* quasi diceret : Ex quo tantum beneficium recepistis ex dilectione mea, *manete* in ea, ut scilicet me diligatis : vel *manete in dilectione mea*, quia ego diligo vos, scilicet in gratia mea, ut non excidatis a bonis quæ præparavi vobis. Et hæc expositio magis congruit : ut sit sensus : Perseveretis in hoc statu, ut scilicet diligamini a me per effectum gratiæ. I Corinth. VII, 20 : *Unusquisque in ea vocatione qua vocatus est, in illa permaneat.* I Joan. IV, 16 : *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.*

3. *Si præcepta mea.* Hic ostendit quid sit manere in ejus dilectione : et primo ostendit quod hoc est servare ejus mandatum ; secundo manifestat per exemplum, ibi, *Sicut et ego Patris mei præcepta servavi* ; tertio excludit dubium, ibi, *Hæc locutus sum vobis ut gaudium meum in vobis sit.* Dicit ergo : *Manete in dilectione mea ;* et hoc facietis, *si præcepta mea servaveritis* : sic enim manebitis in dilectione mea. Observatio enim mandatorum est effectus divinæ dilectionis, non solum ejus qua nos Deum diligimus [1], sed ejus qua ipse diligit nos. Ex hoc enim quod ipse diligit nos, movet nos [2] et adjuvat ad implendum mandata ejus, quæ impleri non possunt nisi per gratiam. I Joan. IV, 10 : *In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.*

4. Exemplum autem ad hoc subdit, dicens : *Sicut et ego Patris mei præcepta servavi.* Sicut enim dilectio qua Pater diligit eum, est exemplum dilectionis qua ipse diligit nos ; ita voluit quod obedientia sua sit exemplum obedientiæ nostræ. Christus enim per hoc ostendit quod mansit in dilectione Patris, quia per omnia, mandata ejus servavit. Nam et mortem sustinuit. Phil. II, 8 : *Factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis.* Ab omni peccato abstinuit. I Petr. II, 22 : *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus.* Quæ intelligenda sunt de Christo secundum quod homo. Supra VIII, 29 : *Non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei, facio semper.* Et ideo dicit : Maneo in ejus dilectione, quia nihil in me, secundum quod homo, est dilectioni ejus contrarium.

5. *Hæc locutus sum.* Ne credant quod moneat eos [3] ad mandata ejus servanda propter utilitatem propriam, et non discipulorum, dicit : *Hæc locutus sum vobis*, scilicet ut mandata mea servetis propter bonum vestrum, scilicet *ut gaudium meum in vobis sit.* Amor enim est causa gaudii : unusquisque enim gaudet de re amata. Deus autem se amat et creaturam, præcipue rationalem, cui infinitum bonum communicat. Christus ergo de duobus ab æterno gaudet : scilicet de bono suo et Patris. Prov. VIII, 30 : *Delectabar coram eo ludens in orbe terrarum.* Item de bono creaturæ rationalis. Ibid. 31 : *Deliciæ meæ sunt* [4] *esse cum filiis hominum*, idest, in hoc quod communicor filiis hominum : et de his gaudet ab æterno. Isa LXII, 5 : *Gaudebit super te Deus tuus.* Vult ergo Dominus ut per observantiam mandatorum suorum efficiamur participes gaudii sui : unde dicit : *Ut gaudium meum*, quo scilicet ego gaudeo de divinitate mea et Patris, *sit in nobis* : quod nil est aliud quam vita æterna, quæ est gaudium de veritate, ut Augustinus dicit ; quasi diceret : Ut habeatis vitam æternam. Job XXII, 26 : *Tunc super Omnipotente deliciis afflues. Et gaudium vestrum*, quo ego gaudeo de humanitate mea, *repleatur.* Nam bona de quibus nos gaudemus, aut sunt imperfecta, aut imperfecte habentur ; et ideo gaudium in hac vita plenum esse non

[1] Al. : « qua diligimus. » — Parm. omittit : « Deum. » — [2] Al. omittitur : « movet nos. » — [3] Al. : « nos. » — [4] Al. deest : « sunt. »

potest. Tunc autem plenum erit quando perfecta bona perfecte consequemur : Matth, xxv, 21 : *Intra in gaudium domini tui.*

6. *Hoc est præceptum.* Hic ostendit Dominus quæ sint præcepta ejus : et primo proponit quid sit præceptum suum; secundo inducit exemplum, ibi, *Sicut dilexi vos*; tertio commemorat beneficium, ibi, *Vos amici mei estis.* Præceptum autem quod ponit, est præceptum caritatis, quod servari vult. *Hoc est*, inquit, *præceptum meum ut diligatis invicem.*

Sed cum sint alia præcepta Domini in sacro eloquio, quæritur quare solum observationem caritatis dicit esse præceptum suum. Ad quod, secundum Gregorium, dicendum est, quod caritas est radix et finis omnium virtutum. Radix quidem, quia ex caritate confirmata in corde hominis movetur homo ad implenda omnia alia præcepta. Rom. xiii, 8 : *Qui diligit proximum, legem implevit.* Ergo omnia præcepta quasi ad hoc ordinantur ut homo benefaciat proximo, et non molestet eum ; quod quidem potissime ex caritate fit. Finis autem est, quia omnia præcepta ad ipsam ordinantur, et in sola caritate solidantur. I Tim. i, 5 : *Finis præcepti est caritas.* Dicit ergo : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem ;* quasi scilicet : A caritate omnia procedunt sicut a principio, et in caritate omnia ordinantur sicut in finem. Nam, sicut dicit Gregorius, ut multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multæ virtutes ex una radice generantur : nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice caritatis.

Sed cum Matth. xxii, dicatur, quod non solum in dilectione Dei, sed etiam proximi pendeat lex et Prophetæ; quare solum hic de dilectione proximi mentionem facit ? Sed dicendum, quod unum includitur in alio ; qui enim diligit Deum, necesse est ut proximum et ea quæ sunt Dei diligat: licet enim objecta sint diversa, tamen ipsi actus secundum consequentiam sunt unum. Est autem duplex ratio quare magis de dilectioni proximi quam Dei mentionem facit. Una scilicet, quia in hoc intendit eos instruere, et inducere quomodo proximos ædificent, et quomodo fortes fierent ad tribulationes persecutorum perferendas ; et ad utrumque caritas proximi necessaria est.

7. *Sicut dilexi.* Hic manifestat per exemplum quomodo proximum debeamus diligere, ita scilicet quomodo Christus dilexit nos ordinate, et efficaciter. Ordinate quidem, quia nil in nobis dilexit nisi Deum, et in ordine ad ipsum. Eccli. xxiv, 24 : *Ego mater pulchræ dilectionis* etc. Efficaciter autem, quia intantum dilexit ut semetipsum pro nobis traderet. Ephes. v, 2 : *Dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Nos ergo debemus proximos diligere, scilicet sancte ad bonum, et efficaciter, scilicet ut dilectionem opere ostendamus. I Joan. iii, 18 : *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate. Majorem hac dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hic ostendit efficaciam dilectionis, quæ est ut quis mortem sustineat pro amicis, quod est signum maximæ dilectionis.

Sed contra hoc objicitur, quod majoris dilectionis signum dicitur quando aliquis animam suam ponit pro inimicis suis, ut Christus fecit. Rom. v, 8 : *Commendat Deus caritatem suam in nobis : quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Ad quod dicendum, quod Christus non posuit animam suam pro nobis inimicis, ut scilicet inimici remaneremus, sed ut amicos efficeret : vel licet non essent amici quasi amantes, erant tamen amici ut amati. Est autem manifestum quod maximæ dilectionis est signum, propter amicos animam ponere : quia in ordine diligibilium quatuor ordinata sunt, scilicet Deus, anima nostra, proximus, et corpus nostrum. Et Deum debemur diligere super nos ipsos, scilicet animam et corpus et proximum dare debemus. Pro anima autem nostra corpus est ponere, non tamen eam dare. Pro proximo autem vitam corporalem et corpus debemus exponere pro salute proximi : et ideo, cum vita corporalis sit potissimum quod nos post animam habeamus, ideo potissimum est ipsam exponere propter proximum, et majoris dilectionis signum. I Joan. iv, 9 : *In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.*

LECTIO III.

1. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. 2. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid facit Dominus ejus. 3. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. 4. Non vos me elegistis ; sed ego elegi vos : 5. Et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. 6. Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. 7. Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.

1. Supra Dominus monuit nos ad dilectionem fraternam ; et hoc exemplo sui : hic ostendit discipulis beneficium præstitum, per quod obligati erant ad Christi imitationem : scilicet quod Christus eos ad amorem suum assumpsit. Et primo ponit amicitiæ signum ; secundo subjungit causam, ibi, *Non vos me elegistis* etc. Ponit autem duplex amicitiæ signum : unum ex parte discipulorum ; aliud ex parte sui, ibi, *Jam non dicam vos servos.* Signum autem ex parte discipulorum, quod sunt amici Christi, est observatio mandatorum ejus : unde dicit : *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis* ; quasi diceret : Usque modo monui vos ut diligeretis invicem; sed modo moneo et dico de amicitia vestra ad meipsum. Potest autem hoc quod dicit, *Vos amici mei estis*, dupliciter intelligi, secundum quod amicus dupliciter dicitur, scilicet qui amat, et qui amatur ; et secundum utrumque, verum est quod subdit : *Si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Et qui Deum amant, mandata illius servant ; quia cum amicus dicatur quasi animæ custos, ut Gregorius dicit, non immerito qui voluntatem Dei in præceptis ejus custodit [1], amicus ejus vocatur. Item, quos Deus amat, mandata Dei servant ; inquantum conferendo eis gratiam suam, adjuvat ad servandum : Deus enim nos amando, facit suos dilectores. Proverb. VIII, 17 : *Ego diligentes me diligo* : non quasi prius fuerint diligentes ; sed quia ipse eos diligentes facit diligendo.

Sed sciendum, quod mandatorum observatio non est divinæ amicitiæ causa, sed signum : scilicet et quod Deus diligat nos, et quod nos diligamus eum. Sapient. VI, 19 : *Dilectio illius custodia legum est.* I Joan. II, 4 : *Qui dixit se amare Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est.*

2. Ex parte autem Christi ponitur amicitiæ signum, cum dicit, *Jam non dicam vos servos.* Et primo excludit quod videtur amicitiæ contrarium ; secundo ponit veræ amicitiæ signum, ibi, *Vos autem dixi amicos* etc. Amicitiæ autem contrariatur servitus ; et ideo primo excludit servitutem, dicens : *Jam non dicam vos servos* ; quasi dicat : Etsi olim fueritis quasi servi sub lege, nunc estis quasi liberi sub gratia. Rom. VIII, 15 : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore ; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Secundo subdit rationem, dicens : *Quia servus nescit quid faciat dominus ejus* : servus enim est quasi extraneus a domino. Supra VIII, 35 : *Servus non manet in domo in æternum.* Extraneis autem secreta committenda non sunt. Proverb. XXV, 9 : *Secretum extraneo ne reveles.* Unde nunc servis secreta committenda non sunt. Potest autem hoc ad præcedentia sic continuari. Possent discipuli dicere, quod si servamus præcepta tua, sumus amici tui ; sed [2] servare præcepta est magis servitutis quam amicitiæ : et ideo hoc excludens Dominus dicit : *Jam non dicam vos servos.*

Sed dubitatur hic. Cum ipsi Apostoli dicant se servos Christi ; sicut Rom. I, 1 : *Paulus Apostolus servus Christi Jesu* : et David, Ps. CXVIII, 125 : *Servus tuus ego sum* : et etiam ipsi qui introducendi sunt in vitam æternam : Matth. XXV, 23 : *Euge serve bone et fidelis..... intra in gaudium domini tui* : quid est hoc quod Dominus dicit : *Jam non dicam vos servos ?*

Dubitatur etiam de hoc : quia cum frequenter domini servis suis secreta revelent, et etiam Deus : Amos, III, 7 : *Non faciet Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas* : non videtur verum quod hic dicit : *Servus nescit quid faciat dominus ejus.*

Respondeo dicendum, secundum Augustinum, quod servitus proprie ex timore creatur. Est autem duplex timor :

[1] Al. : « custodivit. » — [2] Al. omittitur : « sed. »

scilicet servilis, quem expellit [1] caritas : I Joan. IV, 18 : *Timor non est in caritate* : alius est timor filialis, qui ex caritate generatur, quia timet perdere quis quod amat ; qui ergo Deum amat,[2] timet eum perdere et hic est timor bonus et castus, de quo dicitur in Ps. XVIII, 10: *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi.* Et secundum hoc sunt duæ servitutes. Una quæ procedit ex timore filiali ; et secundum hanc servi sunt justi omnes, et filii Dei, ut objiciebatur. Alia servitus est quæ procedit ex timore pœnæ, et contrariatur dilectioni ; et de hac dicit : *Jam non dicam vos servos.*

Sciendum est etiam, quod servus proprie est qui non est causa sui : liber vero qui est sui causa. Est ergo differentia inter operationes servi et liberi : quia servus operatur, causa alterius ; liber autem causa sui operatur, et quantum ad causam finalem operis, et quantum ad causam moventem : nam liber propter se operatur, sicut propter finem, et a se operatur, quia propria voluntate movetur opus ; sed servus nec propter se operatur sed propter dominum, nec a se sed a domini voluntate, et quasi quadam coactione. Sed contingit aliquando quod aliquis servus operatur causa alterius, sicut causa finali ; operatur tamen a se, inquantum se movet ad opus : et hæc est bona servitus, quia ex caritate movetur ad bona opera facienda ; sed non operatur propter se : quia caritas non quærit quæ sua sunt, sed quæ sunt Jesu Christi et salutis proximorum. Qui autem omnino causa alterius operantur, sunt mali servi. Patet ergo quod discipuli servi erant, sed bona servitute, quæ ex amore procedit.

Ad secundam quætionem dicendum, quod ille servus qui movetur solum ab alio, et non a se, habet se ad moventem sicut instrumentum ad artificem. Instrumentum autem communicat cum artifice in opere, sed non in operis ratione. Sic ergo et tales servi participant solum [3] in opere ; sed quando servus operatur ex propria voluntate, necesse est quod rationem operis sciat, et quod revelentur ei occulta, per quæ ea scire possit quæ agit. Eccli. XXXIII, 31 : *Servus si est tibi fidelis, sit tibi quasi anima tua.* Apostoli autem, ut dictum est, a se movebantur ad bona opera facienda, scilicet ex propria voluntate per amorem inclinata ; et ideo Dominus secreta sua revelat eis. Sed de malis servis verum est quod nesciunt quid faciat dominus eorum. Sed quæ sunt illa quæ nesciunt? Illa proprie quæ in nobis Deus facit. Omnia enim bona quæ facimus, Deus in nobis operatur. Isa. XXVI, et Phil. II, 13 : *Operatur in nobis et velle et perficere. Servus* ergo malus ex superbia cordis sui obtenebratus, dum quod facit, sibi attribuit, *nescit quid faciat dominus ejus.*

3. *Vos autem dixi amicos.* Hic ponit verum signum amicitiæ ex parte sua. quod est quia *quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Verum enim amicitiæ signum est quod amicus amico suo cordis secreta revelet. Cum enim amicorum sit cor unum et anima una, non videtur amicus extra cor suum ponere quod amico revelat. Prov. XXV, 9 : *Causam tuam tracta cum amico tuo*, Deus autem faciendo nos participes suæ sapientiæ, sua secreta nobis revelat. Sapient. VII, 27 : *Per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit.*

Sed dubitatur hic primo, quæ et qualiter Filius a Patre audit. Quod quidem pluries jam manifestatum [4] est. Cum enim audire sit scientiam ab alio accipere, audire Filium a Patre nihil aliud est quam scientiam ab eo accipere ; scientia autem Filii est ejus essentia : Filium ergo audire a Patre, est accipere essentiam ejus ab eo.

Dubitatur etiam de hoc quod dicit : *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Si ergo omnia eis nota fecit, sequitur quod tot sciebant discipuli quot et Filius. Responsio. Dicendum, secundum Chrysostomum : *Omnia quæcumque audivi*, quæ scilicet vos audire oportebat, *nota feci vobis ;* non autem omnia simpliciter. Infra XVI, 12 : *Multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo.* Vel dicendum, secundum Augustinum, quod Dominus propter certitudinem dicendorum utitur præterito pro futuro ; ut sit sensus : *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis ;* idest, faciam in plenitudine, de qua dicit Apostolus I Corinth. XIII, 12 : *Tunc cognoscam sicut et cognitus sum.* Infra XVI, 25 : *In illo die palam de Patre meo annuntiabo vobis*, quando scilicet introducet

[1] Al. : « expulit. » — [2] Parm. omittit : « qui ergo Deum amat, etc. » — [3] Al. : « non solum. » — [4] Al. : « manifestum. »

nos ad visionem Patris. Omnia enim quæ scit Filius, scit Pater. Quando ergo revelabit nobis Patrem, revelabit omnia quæ scit, et id quod scimus. Vel dicendum, secundum Gregorium, et melius : Ejusdem rei potest haberi cognitio perfecta et imperfecta ; sicut in scientiis apparet quod qui scit principia omnia unius scientiæ, dicitur scire scientiam illam, sed imperfecte eam scit. Unde qui docet aliqua principia alicujus scientiæ, potest dicere se docuisse scientiam illam, quia omnia quæ sunt scientiæ illius, sunt in principiis ejus virtute ; sed illam eamdem scientiam perfectius scit quando conclusiones singulas, quæ virtute erant in principiis, novit. Sic ergo et de divinis potest haberi duplex cognitio. Una imperfecta : et hæc habetur per fidem, quæ est prælibatio illius futuræ beatitudinis et cognitionis quam habebimus in patria. Heb. XI, 2 : *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Unde de hac cognitione dicit : *Omnia nota feci vobis*, scilicet in fide, secundum quamdam prælibationem, sicut conclusiones virtute sunt in principiis. Unde dicit Gregorius : « Omnia quæ nota facit servis suis, sunt gaudia internæ caritatis et festa supernæ patriæ, quæ quotidie mentibus per aspirationem sui amoris imprimit : dum enim audita superna cœlestia amamus, amata jam novimus : quia ipse amor notitia est.

4. *Non vos me elegistis.* Hic ponit amicitiæ causam. Consuetum est autem apud homines ut unusquisque sibi attribuat causam amicitiæ. Eccli. XXXVII, 1 : *Omnis amicus dicit : Et ego amicitiam copulavi.* Et sic multi attribuunt sibi divinæ amicitiæ causam, dum sibi principium bonorum operum attribuunt et non Deo. Et Dominus hoc excludens dicit : *Non vos me elegistis* : quasi dicat : Quisquis ad hanc dignitatem amicitiæ vocatus est, non sibi causam amicitiæ attribuat, sed mihi eum ad hoc eligenti. Et primo ponit [1] gratuitam Dei electionem ; secundo exponit ad quid eliguntur, ibi, *Et posui vos, ut eatis et fructum afferatis.* Dicit ergo : *Non vos me elegistis*, ut scilicet ego essem amicus vester : *Sed ego elegi vos*, ut facerem amicos meos. I Joan. IV, 10 : *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Est autem duplex Dei dilectio. Una æterna qua prædestinamur : Ephes. I, 4 : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Alia temporalis, qua ab ipso vocamur, quæ nihil est aliud quam executio æternæ prædestinationis : quia quos elegit prædestinando, hos etiam elegit vocando. Rom. VIII, 30 : *Quos prædestinavit, hos et vocavit* etc. Luc. VI, 13 : *Elegit duodecim, quos et Apostolos nominavit.*

Sunt autem aliqui dicentes electionem Dei temporalem ex meritis electorum causari. Sed hoc est contra quod hic dicitur. Nam si ideo elegit te quia bonus eras, non autem poteras bonus esse nisi bonum eligeres ; hoc autem bonum potissime est Deus : ergo primo elegisti bonum, quod est Deus, quam eligereris. Sed Dominus dicit contrarium : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Non ergo dicendum, quod aliquod bonum ex parte nostra totaliter præcedat electionem Dei. Dico autem totaliter : quia aliquod bonum particulare in nobis existens, potest esse causa alterius boni nobis dandi, et hoc alterius ; cum sit quidam ordo in divinis donis : sed universaliter nihil potest esse causa et præcedere divinam electionem : quia omnia bona sunt nobis a Deo. Sed de æterna electione adhuc magis erroneum [2] esset dicere, quod ab electione nostra præcederetur. Fuerunt tamen aliqui qui dicerent, quod merita nostra præcedentia sunt causa illius electionis : et hic fuit error Origenis, qui dixit animas hominum simul fuisse creatas æquales : et quibusdam stantibus, quædam minus et quædam magis peccaverunt ; et ideo quædam meruerunt habere gratiam, quædam non. Sed contra hoc est, quod Dominus dicit : *Non vos me elegistis.* Alii autem dicunt quod verum est quod merita in actu existentia non sunt causa prædestinationis : sed præexistentia in præscientia Dei ; dicentes, quod quia Deus scivit aliquos bonos futuros et bene usuros gratia, ideo proposuit eis gratiam se daturum. Sed si hoc esset, sequeretur quod ideo elegit nos, quia præscivit nos ipsum electuros. Et sic electio nostra prævia esset electioni divinæ, quod est contra sententiam [3] Domini.

Sed forsitan diceret aliquis : Quæ electio poterat esse, qui nihil eramus et nulla inter nos erat præeminentia ? Sed cum

[1] Al. : « proponit. » — [2] Al. : « errorem. » — [3] Al. : « substantiam. »

qui dicit hujusmodi, decipit modus electionis humanæ[1] secundum quem credit esse electionem divinam. Sed aliter et aliter se habent : quia electio nostra causatur ex bono jam præexistente; sed electio divina est causa influentiæ majoris boni in uno quam in alio. Cum enim electio sit actus voluntatis : secundum quod diversimode voluntas Dei et hominis se habent ad bona, sic diversus est electionis eorum modus. Voluntas autem Dei se habet ad bonum creatum ut causa ejus. Sapien. xi, 26 : *Quomodo potuissent illa esse, nisi tu voluisses?* Et sic bonum derivatur ad res creatas ex voluntate Dei. Unde Deus aliquem alteri præeligit, inquantum plus ei de bono influit quam alteri. Voluntas autem hominis movetur ad aliquid ex bono præexistente apprehenso : et ideo oportet in electione nostra unum bonum præexistere alteri. Ideo autem Deus uni magis quam alteri bonum influit ut reluceat ordo in rebus : sicut apparet in rebus naturalibus[2], quod materia prima quantum est de se, est uniformiter disposita ad omnes formas. Ipsæ etiam res antequam sint, non sunt dispositæ ad hoc vel illud esse; sed ut servetur ordo in eis, diversas formas et diversum esse sortiuntur a Deo. Et similiter in creatura rationali quidam eliguntur ad gloriam, quidam reprobantur ad pœnam. II Tim. ii, 19 : *Novit Dominus qui sunt ejus... In magna enim domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia; et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Et sic apparet diversus ordo : dum in quibusdam rebus relucet Dei misericordia, quos absque ullis meritis præcedentibus ad gratiam præparat; in quibusdam Dei justitia, dum eos ex propriis culpis, citra condignum tamen, deputat pœnæ. Sic ergo elegi vos ab æterno prædestinando et vocando ad fidem ex tempore.

5. Ad quod autem eos elegit, subdit consequenter cum dicit[3] : *Et posui vos ut eatis et fructum afferatis.* Et primo ponit ad quid elegerit; secundo rationem dictorum assignat, ibi, *Hoc mando vobis, ut diligatis invicem.* Circa primum duo facit. Primo ostendit quod elegit ad aliquid agendum; secundo quod elegit ad aliquid recipiendum, ibi, *Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Dicit ergo : *Posui vos;* idest, dedi vobis ordinem in Ecclesia mea. I Corinth. xii, 28 : *Posuit Deus in Ecclesia primum quidem Apostolos* etc. Item *posui vos*; idest, firmiter vos disposui. Gen. i, 16 : *Fecit Deus luminaria magna, et posuit ea in firmamento cœli.* Judic. v, 29 : *Stellæ manentes in ordine et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt.* Positio enim ordinem et firmitatem importat. *Posui*, inquam, ad tria. Primo quidem ad eundum: unde dicit, *Ut eatis*, per mundum discurrendo, ut totum convertatis ad finem. Marc. ult. 15 : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Vel *ut eatis*, idest proficiatis de virtute in virtutem. Psalm. xxxiii, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion.* Oseæ, ult. 6 : *Ibunt rami ejus ut Libani.* Secundo ad fructum afferendum : unde dicit, *Et fructum afferatis* scilicet conversionis fidelium,] quantum ad primum iter. Rom. i, 11 : *Ut aliquem fructum habeam in vobis, sicut et in ceteris gentibus.* Vel fructum spiritualem interiorem, quantum ad secundum iter. Gal. v, 22 : *Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax* etc. Eccli. xxiv : *Flores mei fructus honoris et honestatis.* Tertio ut fructum afferant qui non perdatur per mortem seu peccatum : unde dicit : *Et fructus vester maneat;* scilicet, congregatio fidelium in vitam æternam perducatur, et fructus spiritualis magis proficiat. Supra iv, 36 : *Et fructum congregat in vitam æternam.*

6. *Quidquid petieritis.* Hic ostendit quod elegerit ad aliquid recipiendum, scilicet omnia quæ petierint; quasi diceret : Posui vos ad hoc ut essetis digni recipere a Patre in nomine meo. I Joan. iii, 21 : *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus ab eo.*

7. *Hæc mando.* Hic assignat rationem rerum quæ dixit. Possent enim[4] dicere, quare hæc omnia Christus diceret eis. Unde Dominus respondens dicit : *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem;* quasi, omnia quæ dico, sunt inducentia vos ad dilectionem proximorum. I Timoth. i, 5 : *Finis præcepti est caritas.* Vel dicendum, secundum Chrysostomum, quod possent discipuli dicere : Domine, cur nobis tot de dilectione tua commemoras? Numquid

[1] Al. : « sed eum qui hujusmodi decipit, modum scilicet electionis humanæ. » — [2] Parm. : « materialibus. » — [3] Al. : « dicens. » — [4] Parm. : « posset enim quis. »

ut improperes? Sed Dominus dicit : Non, immo ut incitem[1] vos ad dilectionem proximi. I Joan. IV, 21 : *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.*

LECTIO IV.

1. Si mundus vos vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. 2. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. 3. Quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. 4. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis. Non est servus major domino suo. 5. Si me persecuti sunt, et vos persequentur. Si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt. 6. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me.

1. Posita similitudine vitis et palmitum, et explanata quantum ad inhæsionem palmitum ad vitem, hic consequenter explanat eam quantum ad ipsorum purgationem, quæ futura erit per tribulationes. Consolatur eos ergo Dominus contra tribulationes quas passuri erant : et primo rationes ex quibus eos consolatur proponit; secundo ipsas rationes exponit, ibi, *Mementote sermonis mei* etc. ; tertio excusationes persequentium excludit, ibi, *Si non venissem, et eis locutus non fuissem, peccatum non haberent.* Ponit autem duas rationes ad eorum consolationem : quarum una sumitur ex exemplo ; secunda ex cauna, ibi, *Si de mundo fuissetis* etc. Consolatur ergo eos Dominus exemplo sui, qui et passus est persecutiones tyrannorum : unde dicit : *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Sciendum est enim, quod sicut omnium beneficiorum principium est amor, ita et persecutionum omnium principium est odium : et ideo Dominus prænuntiat eis odium futurum. Matth. XXIV, 9 : *Odio eritis omnibus hominibus.* Luc. VI, 23 : *Beati eritis cum vos oderint homines* etc. Dicit ergo : *Si mundus vos odit;* idest, futurum est quod mundus vos odio habeat, et manifestabit odium suum persequendo vos; *scitote quia me priorem odio habuit.* Supra VII, 7 : *Non potest mundus odisse vos; me autem odit.* Sed hæc est grandis consolatio justis ad fortiter sustinendum persecutiones. Heb. XII, 3 : *Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis deficientes.* I Petr. II, 21 : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Et ideo, secundum Augustinum, non debent se membra supra verticem extollere, nec recusare se in corpore esse, nolendo mundi odium sustinere cum capite. Mundus autem dupliciter accipitur. Quandoque quidem in bonum, pro his qui bene vivunt in mundo. II Corinth. V, 19 : *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* Quandoque autem in malum, scilicet pro amatoribus mundi. I Joan. V, 19 : *Mundus totus in maligno positus est.* Sic ergo totus mundus totum odit mundum : quia amatores mundi, qui sunt per totum mundum diffusi, odiunt mundum totum, idest Ecclesiam bonorum per totum mundum roboratam.

2. *Si de mundo fuissetis.* Hic ponitur secunda ratio sumpta ex causa odii. Quando enim quis odium alicujus sustinet propter culpam suam, dolendum est et tristandum ; sed quando propter virtutem, gaudendum. Primo ergo ostendit quæ sit causa quare aliqui diliguntur a mundo ; secundo ostendit quare Apostoli a mundo odio habentur, ibi, *Quia vero de mundo non estis... propterea odit vos mundus.* Causa autem quare aliqui diliguntur, est similitudo eorum ad mundum : unde dicit : *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret.* Omne simile, sibi simile diligit. Eccli. XIII, 20 : *Omnis caro ad simile sibi conjungetur.* Et ideo mundus, idest amatores mundi diligunt mundi amatores : unde dicit : *Si de mundo fuissetis*, idest sequentes mundum, *mundus quod suum erat diligeret*, sicut suos, et sibi similes. Supra VIII, 7 : *Non potest mundus odisse vos ; me autem odit.* I Joan. IV, 5 : *De mundo sunt : ideo*[2] *de mundo loquuntur, et mundus eos audit.*

Sed contra. Per mundum intelligit hic Dominus principes mundi, qui persecuturi erant Apostolos ; sed ipsi iidem principes persequuntur aliquos mundanos inventos, puta homicidas et latrones : ergo mundus non diligit quod suum est, sicut nec Apostolos.

Respondeo. Dicendum est, quod est reperire aliquid pure bonum ; sed pure

[1] Al. : « invitem. » — [2] Al. : « *De mundo non sunt, et ideo*, etc. »

malum nihil invenitur, cum subjectum mali sit bonum. Malum ergo culpæ fundatur in bono naturæ. Unde non potest aliquis homo esse peccator et malus, quin habeat aliquid boni. Sic ergo secundum malum quod habent, scilicet infidelitatem, pertinent ad mundum, et odiunt Apostolos et eos qui de mundo non sunt; sed secundum bonum quod habent, non sunt de mundo, et odio habent eos qui de mundo sunt, scilicet fures et latrones, et cetera hujusmodi. Erant tamen aliqui in mundo bene viventes : qui Apostolos diligebant, eorum facta approbando.

Sed adhuc magis videtur dubium esse: quia ad mundum pertinet omne peccatum, et sic secundum quodlibet peccatum aliquis est de mundo. Sed videmus quod aliqui homines convenientes in aliquo peccato, se invicem odio habent, sicut superbi : Prover. VIII, 10 : *Inter superbos semper jurgia sunt* : et avarus odit avarum. Unde, secundum Philosophum, figuli conrixantur adinvicem. Mundus ergo odit mundum. Non ergo videtur verum esse quod Dominus dicit : *Mundus quod suum erat diligeret.*

Responsio. Dicendum, quod duplex est amor : amicitiæ scilicet, et concupiscentiæ; sed differunt : quia in amore concupiscentiæ, quæ sunt nobis extrinseca, ad nos ipsos trahimus, cum ipso amore diligamus alia, inquantum sunt nobis utilia vel delectabilia; sed in amore amicitiæ est e converso, quia nosmetipsos trahimus ad ea quæ sunt extra nos : quia ad eos quos isto amore diligimus, habemus nos sicut ad nosmetipsos, communicantes eis quodammodo nosmetipsos. Unde in amore amicitiæ similitudo est causa amoris : non enim sic diligimus aliquem nisi inquantum sumus unum cum eo : similitudo autem est unitas quædam. Sed in amore concupiscentiæ, sive sit utilis, sive delectabilis, similitudo est causa separationis et odii. Cum enim isto amore aliquem diligam inquantum est mihi utilis vel delectabilis; quicquid est impeditivum utilitatis seu delectationis, habeo odio contrarium. Et inde est quod superbi jurgantur adinvicem, inquantum unus usurpat sibi gloriam quam alius amat, et in qua delectatur; figuli etiam, inquantum unus trahit ad se lucrum, quod alius pro se volebat. Sed sciendum, quod amor concupiscentiæ non est rei concupitæ, sed concupiscentis : propter hoc enim quis hoc amore aliquem diligit, inquantum est sibi utilis, ut dictum est : et ideo magis diligit in hoc se quam illum : sicut qui diligit vinum quia est sibi delectabile, se potius quam vinum diligit. Sed amor amicitiæ est potius rei amatæ quam amantis : quia diligit aliquem propter ipsum dilectum, non propter ipsum diligentem. Sic ergo, quia in amore amicitiæ similitudo causa est amoris, dissimilitudo causa odii; inde [1] est quod mundus odio habet quod suum non est [2] et sibi dissimile, et diligit, idest dilectione amicitiæ, quod suum est. Sed de dilectione concupiscentiæ est e converso ; et ideo dicit : *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret,* scilicet amore amicitiæ.

3. *Quia vero de mundo.* Hic ponit causam quare Apostoli habentur odio a mundo, quæ est dissimilitudo. Dicit ergo : *Quia vero de mundo non estis*, mentis scilicet elevatione, quamvis sitis per originem : supra VIII, 23 : *Vos de deorsum estis* : *ego autem de supernis sum.* Et hoc quidem, quia elevati estis a mundo, non ex vobis, sed ex gratia mea : quia scilicet *ego elegi vos de mundo* : supra eodem : *Ego elegi vos* : *propterea*, quia scilicet de mundo non estis, *odit vos mundus;* idest mundi amatores, ut eis dissimiles. Prov. XXIX, 27 : *Abominantur justi impios, et abominantur impii eos qui in recta sunt via.* Et ibidem, *Viri sanguinum oderunt* etc. Potest autem triplex ratio assignari quare mundus odit sanctos. Prima est diversitas conditionis : quia scilicet mundus in morte est; sed sancti sunt in statu vitæ. I Joan. III, 13 : *Nolite mirari, fratres, si odit vos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Et ideo dicit Sapien. II, 15 : *Gravis est nobis etiam ad videndum.* Secunda ratio est displicentia correctionis. Nam sancti viri et verbis et factis mundi facta reprehendunt; et ideo mundus odit eos. Amos V, 10 : « Odio habuerunt corripientem in porta. » Supra VII, 7 : *Me autem odit*, scilicet mundus, *quia testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt.* Tertia ratio est iniquitas æmulationis, qua mali invident viris justis, cum eos vident crescere et multiplicari in bonitate et sanctitate; sicut

[1] Al. : « tamen. » — [2] Al. : « quod suum est. »

Ægyptii videntes crescere filios Israel, habebant eos odio, et persequebantur; Exod. I. Et Genes. XXVII, dicitur, quod videntes fratres Joseph quod cunctis plus amaretur, oderant eum.

4. *Mementote*, etc. Hic explicat rationes supradictas : et primo primam, quæ pertinet ad exemplum; secundo secundam, quæ pertinet ad causam odii, ibi, *Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum.* Circa primum duo facit. Primo commemorat diversitatem gradus sui ad discipulos ; secundo ostendit similitudinem factorum [1], ibi, *Si me persecuti sunt, et vos persequentur.* Diversitas gradus Christi ad discipulos erat, quia ipse Dominus erat, illi autem servi. Unde supra XIII, 16 : dicit : *Non est servus major domino suo.* Hanc ergo diversitatem commemorat, dicens : *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis*, supra XIII, 16, scilicet quod *non est servus major domino suo.* Ergo non debet esse vobis indignum, si patiamini ea quæ passus est Dominus vester [2]; immo debetis vobis reputare hoc ad magnam gloriam. Unde Matth. XX, 22, discipulis petentibus sedere unus ad dexteram et alius ad sinistram, dixit : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Eccli. XXIII, 38 : *Gloria magna est sequi Dominum.* Matth. X, 25 : *Sufficit discipulo ut sit sicut magister ejus.*

Sed contra. Supra, eodem, dixit : *Jam non dicam vos servos*; hic autem ex cap. XIII, 16 : *Non est servus major domino suo.* Respondeo dicendum, quod duplex est servitus. Una procedens ex timore servili, scilicet pœnæ : et secundum hanc Apostoli non erant servi ; alia ex timore casto : et talis servitus erat in Apostolis. Luc. XII, 37 : *Beati servi illi quos cum venerit dominus invenerit vigilantes.*

5. Si ergo estis servi, et ego Dominus, debetis esse contenti quod ea fiant vobis quæ facta fuerunt mihi. Me autem quidam contempserunt, et quidam receperunt : supra I, 11 : *In propria venit, et sui eum non receperunt : quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* : et vos similiter si aliqui contemnent, aliqui tamen honorabunt. Unde dicit : *Si me persecuti sunt, et vos persequentur* : ubi ponitur similitudo sanctorum : quia eadem est ratio persecutionis quam exercebant in discipulos et in Christum, quia in discipulis Christum persequebantur. Act. IX, 4, in persecutione discipulorum Christus dicebat se persequi : *Saule, Saule, quid me persequeris?* Et ideo propter identitatem causæ sequitur consequentia : *Si me persecuti sunt, et vos persequentur?* Matth. X, 25 : *Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?* De ista persecutione dicitur Matth. XXIII, 34 : *Ecce mitto ad vos sapientes et scribas, et ex illis occidetis et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem.* Et similiter eadem ratio est honorationis : et ideo dicit : *Si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt*: quia verba vestra sunt mea verba. II Corinth. ult. III : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* Matth. X, 20 : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Et ideo Luc. X, 16, dicit : *Qui vos audit, me audit.* Quod autem recepti sint ab aliquibus Apostoli, et honorati, patet I Thess. II, 13 : *Et vos cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est vere, verbum Dei.*

6. *Sed hæc omnia.* Hic explicat rationem consolationis, quæ sumitur ex causa odii. Apostoli enim electi erant et elevati supra mundum, inquantum erant effecti participes divinitatis, et conjuncti Deo ; et ideo mundus eos odio habebat : ex quo sequitur quod potius Deum in eis quam ipsos mundus odiret. Et hujus odii causa erat, quia non habebant veram Dei notitiam, scilicet per veram fidem et devotum amorem : alias si cognovissent eos Dei amicos, eos non fuissent persecuti. Et ideo dicit : *Hæc omnia*, quod odiunt et persequuntur vos, *facient vobis propter nomen meum* : et ideo debet vobis esse gloriosum. I Petr. IV, 15 : *Nemo nostrum patiatur quasi fur, aut homicida, aut maledicus, aut alienorum appetitor* : si autem ut Christianus, non erubescat ; glorificet autem Deum in isto nomine. Non autem *propter nomen meum*, quasi ipsum ament, sed quia ipsum odio habent. Sicut e contrario vos patiemini propter nomen meum, quia ipsum amatis. Et hæc facient, *quia nesciunt eum qui me misit.* Supra VIII, 19 : *Si me sciretis, et Patrem meum utique sciretis.* Nesciebant enim Deo esse acceptum, quod Christo adhæ-

[1] Al. : « sanctorum. » — [2] Al. : « noster. »

rerent. Sed attendendum, quod hic loquitur de cognitione perfecta, quæ consistit in fide perficiente intellectum, et conjungente Deo affectum : de qua cognitione dicitur Hier. IX, 24 : *In hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me*. Sap. XV, 3 : *Nosse te, sensus est consummatus* etc.

LECTIO V.

1. Si non venissem, et eis locutus non fuissem, peccatum non haberent. 2. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. 3. Qui me odit, et Patrem meum odit. 4. Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. 5. Nunc autem et viderunt, et oderunt et me et Patrem meum. 6. Sed ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis. 7. Cum autem venerit Paraclitus quem ego mittam vobis a Patre spiritum veritatis qui a Patre procedit ille testimonium perhibebit de me. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

1. Supra Dominus tractans de persecutione quæ discipulis a Judæis superventura erat, rationem assignavit : quia nesciunt eum qui misit eum. Sed quia ignorantia excusare solet, ideo hic eos ostendit esse inexcusabiles ; et hoc dupliciter. Primo per ea quæ ipse personaliter circa eos fecit et docuit : secundo per ea quæ in ejus absentia futura erant, ibi, *Cum autem venerit Paraclitus* etc. Circa primum duo facit. Primo ostendit eos inexcusabiles esse propter veritatis doctrinam ; secundo propter signorum evidentiam, ibi, *Si opera non fecissem*. Circa primum tria facit. Primo ostendit quid eis possit ad excusationem suffragari ; secundo ostendit eos hoc suffragio carere, ibi, *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo ;* tertio ostendit ex qua radice procedit eorum persecutio, ibi, *Qui me odit, et Patrem meum odit*. Dicit ergo quod *hæc omnia facient vobis propter nomen meum :* et quidem de his excusari possent, *si non venissem, et locutus eis non fuissem ;* idest, si non ostendissem me personaliter, et eos personaliter non docuissem, *peccatum non haberent*.

Sed contra. Rom. III, 23 : *Omnes peccaverunt, et egent gratia Dei*. Sed dicendum, quod non loquitur hic Dominus de quocumque peccato, sed de peccato infidelitatis, quod non credunt in Christum : quod antonomastice peccatum dicitur, quia isto peccato existente, nullum aliud peccatum remitti potest, cum nullum peccatum remittatur nisi per fidem Jesu Christi, per quam est justitia, ut dicitur Rom. V. Et ideo idem est quod dicit, *Peccatum non haberent*, ac si diceret : Non imputaretur eis quod in me non credunt. Et hoc primo, quia *fides est ex auditu*, Rom. X, 17 : Unde si non venisset, et locutus eis non fuisset, non potuissent credere. Nulli autem imputatur ad peccatum, si non facit quod nullo modo facere potest.

Et si dicatur, quod tenebantur, et credere poterant, etiam si Christus non venisset, cum fuerit eis annuntiatum per Prophetas : Rom. I, 2 : *Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo*. etc : respondendum est, quod nec ipsa verba Prophetarum Judæi per se credere et intelligere poterant nisi eis divino auxilio ostenderentur. Dan. XII, 9 *: Clausi sunt signatique sermones usque ad tempus*. Unde Act. VIII, 31, dicebat Eunuchus *: Quomodo intelligere possum nisi aliquis ostenderit mihi*? Sic ergo si Christus non venisset, hoc peccatum, scilicet infidelitatis, non haberent, quamvis alia peccata actualia habuissent propter quæ fuissent puniti. Et similis ratio est de omnibus illis ad quos prædicatio verbi Dei pervenire non potuit. Unde non imputatur eis ad condemnationem, infidelitatis peccatum ; sed privati beneficio Dei propter alia eorum peccata actualia et originalia, damnabuntur.

Sciendum autem quod multis Christi adventus et doctrina cessit in bonum, illis scilicet qui eum receperunt, et sermonem suum servaverunt ; et multis ad malum, illis scilicet [1] qui nec eum audire nec ei credere voluerunt. Isa. VIII, 14 : *Erit vobis in lapidem offensionis et in petram scandali duabus dominus Israel, in laqueum et ruinam habitantibus Hierusalem*. Luc. II, 14 : *Positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum*.

2. Sic ergo posuit per quid ab infidelitate excusari possent. Sed hoc excusationis suffragio carent, quia et eis personaliter se exhibuit Christus, et eos docuit : unde dicit : *Nunc autem* : scilicet ex quo veni, et locutus fui, *excusationem non*

[1] Al. deest : « scilicet. »

habent, scilicet per ignorantiam, *de peccato suo*. Rom. I, 20 : *Ita ut* [1] *sint inexcusabiles : quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*. Quod autem ipsi cognoverint Christum, patet Matth. XII, 7 : *Hic est heres : venite, occidamus eum*. Sed cognoverunt eum esse Christum promissum in lege, non autem esse Deum : quia *si hoc cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Non ergo est eis ignorantia ad excusationem : quia non ex ignorantia hoc fecerunt, sed ex alia radice, scilicet ex odio et certa malitia.

3. Unde subdit : *Qui me odit, et Patrem meum odit;* quasi dicat : Non ignorantia, sed odium quod habuerunt ad me, est eis ad peccatum ; et hoc, quia redundat in odium Patris. Cum enim Filius et Pater unum sint in essentia, veritate et bonitate, et omnis cognitio alicujus sit per veritatem quæ in ipso est ; quicumque diligit Filium, diligit et Patrem ; et quicumque cognoscit unum, cognoscit et alium [2]; et qui odit Filium odit et Patrem.

Sed hic est duplex quæstio. Prima, utrum aliquis possit Deum odio habere. Ad quod dicendum, quod Deum, inquantum Deus est, nullus potest odio habere ; cum Deus sit pura essentia bonitatis, quæ cum sit secundum se diligibilis, impossibile est quod secundum se ab aliquo odiatur. Unde hæc est ratio quare impossibile est quod malus Deum videat. Impossibile est enim Deum videri ab aliquo, quin diligatur : quia autem Deum diligit, bonus est ; unde hæc sunt incomcompossibilia, scilicet quod aliquis Deum videat et sit malus. Potest tamen aliquis Deum odio habere secundum aliquid aliud : puta, qui amat voluptatem, odit Deum ut prohibentem voluptatum fruitiones; et qui quærit impunitatem, odit Dei justitiam punientem.

Secunda quæstio est : quia nullus potest habere odio quod ignorat ; Judæi autem ignorabant Patrem : supra eodem : *Nesciunt eum qui me misit* : non ergo verum videtur quod dicit : *Et Patrem meum odit*. Sed dicendum, secundum Augustinum, quod aliquis potest aliquid diligere vel odire quod nunquam vidit, neque secundum veritatem cognoscit, sed fama de eo, bene seu male sermocinante. Sed hoc potest contingere dupliciter. Uno modo quod habeatur odio seu diligatur secundum ipsam ejus personam, vel [3] secundum id quod de eo narratur ; sicut si audiam aliquem esse furem, odio eum, non quia ipsam ejus personam cognoscam vel odiam, sed quia communiter odio omnem furem : unde si esset fur, et ego eum furem esse nescirem, haberem eum odio, nec tamen scirem me eum odire. Judæi autem habebant odio Christum, et veritatem quam prædicabat. Unde cum ipsa veritas, quam Christus prædicabat, esset in voluntate Dei Patris, et opera quæ Christus faciebat ; similiter sicut Christum, odio [4] habebant Patrem, licet ipsi nescirent illa esse in voluntate Patris.

4. *Si opera non fecissem*. Hic ostendit eos inexcusabiles esse per signorum evidentiam. Possent enim dicere, quod ex verbis quæ contra eos dicit, non convincuntur ; et ideo verba mirabilibus factis confirmat, dicens : *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Et primo ostendit quod possent aliquatenus excusabiles esse ; secundo radicem peccati eorum ostendit ; tertio inducit auctoritatem. Secundum facit, ibi, *Nunc autem viderunt, et oderunt et me et Patrem meum ;* tertium, ibi, *Ut impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est*.

Circa primum ponitur duplex quæstio. Una quæ est de veritate antecedentis, scilicet : *Si opera non fecissem quæ nemo alius fecit etc.:* et quæritur utrum Christus fecerit aliqua bona opera in eis quæ nullus alius fecerat. Et videtur quod non : quia si dicatur quod Christus suscitavit mortuos, hoc et Elias et Eliseus fecerunt. Si Christus ambulavit supra mare, Moyses mare divisit. Sed Josue, quod majus est fecit, scilicet solem stare. Inconvenienter ergo videtur Christus eos arguere, nec videtur consequentia habere veritatem.

Respondeo. Dicendum, secundum Augustinum, quod Dominus non loquitur hic de quibuscumque miraculis factis in eis, idest in conspectu eorum ; sed de factis in eis, idest in personis eorum. Nam in curatione infirmorum nullus tantum in eis fecit quantum Christus : quamvis etiam in aliis similiter : quia nullus homo alius factus est Deus, et nullus natus de virgine nisi Christus. Fecit ergo in eis opera quæ nullus alius fecit in curatione infirmorum ; et hoc in tribus. Primo quidem in magni-

[1] Al. : « ut jam » — [2] Al. : « et quicumque cognoscit unum et alium. » — [3] Al. omittitur : « vel » — [4] Al. : « sicut Christus, etc., et odio, etc. »

tudine : quia mortuum quatriduanum suscitavit, cæcum natum illuminavit, quod a sæculo non est auditum, ut dicitur supra IX. Secundo in multitudine : quia omnes quotquot male habebant, curabat, ut dicitur Matth. XIV, quod nullus alius fecit. Tertio in modo : quia alii faciebant invocando, ostendentes se non propria virtute facere; sed Christus faciebat imperando, quia propria virtute. Marc. I, 27 : *Quæ est hæc doctrina nova? quia in virtute et potestate etiam spiritibus immundis imperat et obediunt ei.* Sic ergo licet alii mortuos suscitarent, et alia miraculosa facerent, quæ Christus fecit, non tamen eo modo, nec propria virtute, ut Christus. Similiter quod dicitur de statione solis minus est eo quod Christus moriens lunam retrocedere fecit, et totum cursum firmamenti mutavit, ut Dionysius dicit.

Secunda quæstio est de veritate conditionalis, utrum scilicet, si Christus non fecisset in eis opera quæ nemo alius facit, immunes essent a peccato infidelitatis it. Responsio. Dicendum : Si nos loquamur de quibuscumque miraculis, haberent excusationem, si in eis facta non fuissent per Christum. Nullus enim potest ad Christum venire per fidem nisi tractus. Supra VI, 44 : *Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui misit me traxerit eum.* Et ideo Cant. I, 3, dicit sponsa : *Trahe me post te : curremus in odorem unguentorum tuorum.* Unde si nullus esset qui eos traxisset ad fidem, excusabiles essent de infidelitate.

Sed est attendendum, quod Christus attraxit verbo, signis visibilibus et invisibilibus, scilicet movendo et instigando interius corda. Proverb. XXI, 2 : *Cor regum in manu Dei.* Est ergo opus Dei instinctus interior ad bene agendum : et qui ei resistunt, peccant : alias frustra dixisset Stephanus Act. VII, 5 : *Vos semper Spiritui sancto restitistis.* Et Isai. L, 5 : *Dominus aperuit mihi aurem*, scilicet cordis; *ego autem non contradico.* Est ergo hoc quod Dominus dicit, *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit*, intelligendum non solum de visibilibus, sed etiam de interiori instinctu, et attractu doctrinæ : quæ quidem si in eis non fecisset, peccatum non haberent. Sic ergo patet quomodo excusari possent, per hoc scilicet, si in eis non fecisset opera miraculosa.

5. *Nunc autem.* Hic ostendit ex qua radice peccatum infidelitatis incurrerent : scilicet ex odio, propter quod operibus visis non credebant : unde dicit : *Nunc autem viderunt*, scilicet opera quæ in eis fecit, *et oderunt me et Patrem meum.* Prov. I, 29 : *Eo quod exosam habuerunt disciplinam, et timorem Domini non susceperunt.* Et, sicut Gregorius dicit, sunt nonnulli in Ecclesia qui non solum bona non faciunt, sed etiam persequuntur, et quæ ipsi facere negligunt, etiam in aliis detestantur; unde[1] horum peccatum non ex infirmitate aut ignorantia, sed ex solo studio perpetratur.

6. Quia possent dicere : Si ita est quod Judæi oderunt te et Patrem tuum, quare in eis miracula facis? ideo respondens dicit : quod hoc facit *ut impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est.*

Sed hic dubitatur de hoc, quod cum scriptum sit in Psalmis, dicit quod in lege eorum scriptum est. Ad quod dicendum est quod lex in Scriptura accipitur tripliciter. Quandoque enim communiter pro toto veteri Testamento; et sic accipitur hic quia tota doctrina veteris testamenti ordinatur ad observantiam legis, Matth. ult. 8 : *Memento mei* etc. Quandoque sumitur secundum quod dividitur contra agiographa et prophetas. Luc. ult., 44, *Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in Prophetis et lege* scilicet Moysi, et *Psalmis*; quibus etiam annumerantur[2] agiographa. Quandoque autem sumitur lex prout dividitur solum contra Prophetas; et tunc agiographa numerantur cum Prophetis. Dicit ergo : *Ut impleatur sermo qui in lege eorum*, idest in Psal. XXXIV, 19, *scriptus est, quia odio habuerunt me gratis*; idest, non propter commodum consequendum, vel incommodum vitandum, propter hoc enim homo aliqua odit quæ non fuerunt in Christo; immo dabat eis occasionem amoris, sanans et docens eos, Act. X, 38 : *Pertransiens benefaciebat.* Hier. XVIII, 20 : *Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ?* Ibid. II, 5 : *Quid iniquitatis invenerunt in me patres vestri, quia elongaverunt a me?*

9. *Cum autem venerit Paraclitus.* Hic ostendit quod non sunt excusabiles propter ea quæ post eum superventura erant : quia habituri erant alia testimonia, scilicet Spiritus sancti, et etiam apostolorum : et primo ponit id quod superven-

[1] Al. deest : « unde. » — [2] Al. : « numerantur. »

turum erat ex parte Spiritus sancti; secundo id quod futurum erat ex parte Apostolorum, ibi, *Et vos testimonium perhibebitis* etc. Quantum ad Spiritum sanctum quatuor tangit. Primo quidem libertatem; secundo suavitatem; tertio processionem; quarto operationem. Libertatem quidem, seu potestatem, cum dicit; *Cum venerit Paraclitus*, etc. Ille enim proprie venire dicitur qui sponte et propria auctoritate vadit; et hoc convenit Spiritui sancto, qui *ubi vult spirat*: supra III, 8. Sap. VII, 7 : *Invocavi, et venit in me Spiritus sapientiæ*. Hoc ergo quod dicit, *Mittam*, non coactionem designat, sed originem. Suavitatem tangit cum dicit, *Paraclitus*, idest consolator. Nam cum sit amor Dei, facit nos terrena contemnere, et Deo adhærere; unde dolorem et tristitiam de nobis excludit, et gaudium de divinis ministrat. Galat. V, 22 : *Fructus Spiritus est caritas, gaudium, pax*, etc. Act. IX, 31 : *Ecclesia replebatur consolatione Spiritus sancti* etc. Tertio ponit processionem Spiritus sancti duplicem. Primo quidem temporalem, cum dicit : *Quem ego mittam vobis a Patre*, etc.

Ubi sciendum est, quod Spiritus sanctus mitti dicitur, non quasi locum mutans, cum ipse impleat orbem terrarum, ut dicitur Sap. I; sed quia novo modo per gratiam incipit habitare in eis quos templum Dei facit. I Corinth. III, 15 : *Templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis*. Nec est contrarium quod Spiritus sanctus dicitur mitti et venire : nam in hoc quod venire : dicitur, manifeste apparet majestas divinitatis ipsius, *qui operatur prout vult*, I Corinth. XII, 6. Dicitur autem mitti ut ostendatur processio ipsius ab alio : quod enim creaturam rationalem inhabitando sanctificet, ab alio habet, a quo habet ut sit; sicut Filius ab alio habet quicquid operatur. Est etiam attendendum quod missio Spiritus sancti communiter est a Patre et Filio : quod signatur Apocal. ult., 1 : *Ostendit mihi fluvium aquæ vitæ*, idest Spiritum sanctum *procedentem a sede Dei et agni*, idest Christi. Ideo circa missionem Spiritus sancti facit mentionem de Patre et Filio, a quibus æquali et eadem virtute mittitur. Et ideo quandoque introducit Patrem mittentem, non tamen absque Filio : sicut XIV, 26 : *Paraclitus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo*. Quandoque[1] autem introducit seipsum mittentem non sine Patre, sicut hic cum dicit : *Quem ego mittam vobis a Patre* : quia scilicet Filius quicquid operatur, habet a Patre[2] Supra V, 19 : *Non potest Filius a se facere quicquam*. Secundo ponit processionem æternam, ubi similiter Spiritum sanctum ostendit pertinere ad Filium, cum dicit, *Spiritum veritatis*; ipse enim est veritas : supra XIV, 6 : *Ego sum via, veritas et vita* : et ad Patrem, cum dicit, *Qui a Patre procedit*. Sic ergo quod dicit *Spiritum veritatis*, idem est ac si diceret spiritum Filii. Galat. IV, 6 : *Misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra*. Et quia hoc nomen spiritus quamdam impulsionem importat; omnis autem motus habet effectum convenientem suo principio, sicut calefactio facit calidum : consequens est ut Spiritus sanctus eos in quos mittitur, similes faciat ei cujus est spiritus : et ideo, cum sit spiritus veritatis, *docet omnem veritatem*, ut infra XVI, 13, dicitur : et Job XXXII, 8 : *Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam*. Et similiter quia est spiritus Filii, facit filios, Rom. VIII, 15 : *Accepistis spiritum adoptionis filiorum*. Dicit autem, *Spiritum veritatis*, ad differentiam spiritus mendacii. Isa. XIX, 14 : *Dominus miscuit in medio Ægypti spiritum erroris*. III Reg. ult. 22, *Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus*.

Sed quia dicit, *Qui a Patre procedit;* et non addit a Patre et Filio, dicunt Græci, quod Spiritus sanctus non procedat a Filio, sed solum a Patre; quod omnino esse non potest. Non enim potest Spiritus sanctus distingui a Filio nisi vel ipse procedat a Filio, vel e converso Filius ab eo; quod nullus dicit. Non enim potest dici, quod in divinis personis, quæ sunt omnino immateriales et simplices, sit materialis distinctio, quæ est secundum divisionem quantitatis, cui substat materia. Unde oportet quod distinctio personarum divinarum sit ad modum distinctionis formalis, quam oportet esse secundum aliquam oppositionem. Nam quæcumque formæ non oppositæ se compatiuntur ad invicem in eodem, non diversificant suppositum; sicut album et magnum. Unde in divinis personis, quia innascibilitas et paternitas non opponuntur, pertinent ad unam personam. Si igitur Filius et Spiritus sanctus sunt personæ distinctæ procedentes a

[1] Quoniam. — [2] Al. : « quicquid operatur Patre. »

Patre, oportet quod aliquibus proprietatibus oppositis [1] distinguantur: non autem oppositis secundum affirmationem et negationem aut secundum privationem et habitum : quia sic Filius et Spiritus sanctus se haberent ad invicem sicut ens et non ens, et sicut perfectum et privatum; quod repugnat æqualitati ipsorum : nec etiam secundum oppositionem contrariorum, quorum unum est perfectius altero. Unde relinquitur quod per solam oppositionem relativam distinguatur Spiritus sanctus a Filio. Hæc autem oppositio non potest nisi ex hoc esse quod unus eorum refertur ad alterum : nam diversæ relationes duorum ad aliquod tertium, non directe sibi opponuntur, nisi forte ex consequenti per accidens. Unde relinquitur quod [2] ad hoc quod distinguatur Spiritus sanctus a Filio, oportet attribui eis oppositas relationes, quibus ad invicem opponantur. Nec possunt aliæ inveniri nisi relationes originis, secundum quod unus est ab alio. Ergo impossibile est, supposita Trinitate personarum, quin Spiritus sanctus sit a Filio.

Dicunt autem quidam, quod Spiritus sanctus et Filius distinguuntur secundum differentiam processionum, inquantum Filius est a Patre nascendo, et Spiritus sanctus procedendo. Sed adhuc redit eadem quæstio quæ oritur ex opinione præmissa, quomodo differant hæ duæ processiones. Non enim potest dici, quod distinguantur per diversa per generationem accepta : sicut generatio hominis et equi differunt secundum diversas naturas communicatas. Eamdem enim divinam naturam accipit Filius a Patre nascendo, et Spiritus sanctus procedendo. Unde relinquitur quod solum secundum ordinem originis distinguantur, inquantum scilicet nativitas Filii est principium processionis Spiritus sancti. Unde si Spiritus sanctus non esset a Filio, nec distingueretur a Filio, nec processio a nativitate. Unde etiam Græci aliquem ordinem confitentur Filii et Spiritus sancti : dicunt enim Spiritum sanctum esse Filii, et Filium operari per Spiritum sanctum; sed non e converso. Et aliqui etiam concedunt, quod Spiritus sanctus est a Filio; noluint tamen concedere quod Spiritus sanctus procedat a Filio. Sed in hoc manifeste proterviunt : utimur enim verbo processionis in omnibus quæ quocumque modo sunt ab alio. Et ideo hoc verbum ratione communitatis est accommodatum ad signandum existentiam Spiritus sancti a Filio, quæ non habet exemplum in creaturis ex quo possit assumi aliquod proprium nomen ejus, sicut accipitur nomen generationis Filii : non enim in creaturis invenitur aliqua persona procedens per modum voluntatis, ut amor, sicut invenitur aliqua persona procedens per modum naturæ ut filius. Et ideo quocumque modo habeat ordinem Spiritus sanctus ad Filium, potest concludi quod ab eo procedat.

Dicunt tamen aliqui græcorum, quod non est dicendum Spiritum sanctum procedere a Filio : quia hæc præpositio *a* vel *ab* apud eos designat principium non de principio, quod convenit soli Patri. Sed hoc non cogit: quia Filius cum Patre est unum principium Spiritus sancti, sicut etiam creaturarum. Quamvis autem Filius habeat a Patre quod sit principium creaturarum, tamen [3] dicuntur creaturæ esse a Filio : unde eadem ratione potest dici quod Spiritus sanctus procedat a Filio.

Nec obstat quod hic dicitur, *Qui a Patre procedit*, non autem a Patre et Filio : quia similiter dicitur, *Quem ego mittam*; et tamen intelligitur Pater mittere, per hoc quod additur, *A Patre* : ita et per hoc quod additur, *Spiritum veritatis*, idest Filii, intelligitur quod a Filio procedit. Semper enim, ut dictum est, conjungitur Filius Patri, et e converso, circa processionem Spiritus sancti; et sic diverso modo loquendi ad designandum distinctionem personarm.

Quarto ponit operationes Spiritus sancti cum dicit : *Ille testimonium perhibebit*: et hoc tripliciter. Primo quidem instruendo discipulos, et fiduciam eis præbendo ad testificandum. Matth. x, 20 : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Secundo suam doctrinam communicando credentibus in Christum. Hebr. vi, 4 : *Contestante Deo signis et prodigiis, et variis Spiritus sancti distributionibus.* Tertio emolliendo audientium corda. Psal. ciii, 30 : *Emitte spiritum tuum et creabuntur.*

Ultimo ponit quod futurum erat ex parte discipulorum, cum dicit : *Et vos testimonium perhibebitis*, Spiritu sancto inspirati. Act. i, 8 : « Eritis mihi testes in Hierusalem, et in omni Judæa et Samaria, et

[1] Al. : « oppositionis. » — [2] Al. deest : « quod. »

[3] Al. : « cum. »

usque ad ultimum terræ. » Et de hoc duplici testimonio dicitur Act. v, 32 : *Nos hujus rei testes sumus, et Spiritus sanctus, quem dedit Dominus omnibus obedientibus sibi.* Et addit testimonii idoneitatem, cum dicit : *Quia ab initio mecum estis*, scilicet prædicationis et operationis miraculorum, ut possent testari de visu et auditu, secundum illud I Joan. I, 1 : *Quod vidimus et audivimus annuntiamus vobis.* Ex quo etiam potest accipi quod Christus non fecit miracula in pueritia, ut in quibusdam apocryphis habetur; sed solum ex tunc ex quo discipulos congregavit.

CAPUT DECIMUMSEXTUM

LECTIO I.

1. Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. 2. Absque synagogis facient vos. Sed venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. 3. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem neque me. 4. Sed hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis. 5. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram.

1. Supra consolatus est Dominus discipulos quibusdam rationibus de suo recessu, et de persecutionibus et tribulationibus eis superventuris; hic easdem rationes manifestius explicat. Et primo ponitur rationum explicatio supra positarum; secundo insinuatur effectus explicationis in discipulis, ibi, *Dicunt ei discipuli* : *Ecce nunc palam loqueris* etc. Dominus autem, si bene considerentur ea quæ in superioribus duobus capitulis dicta sunt, discipulos consolari intendebat de duobus : de recessu suo, et tribulationibus eis superventuris : et rationes ad hæc duo hic explicat ordine retrogrado. Cujus ratio est, quia cum recessus suus statim immineret, nec adhuc eis tribulationes superventuras prænuntiaverat; ideo primo consolatus est eos de recessu. Sed quia jam ex prænuntiatis eis tribulationibus videbantur magis affici ad tribulationes, quam ad recessum Christi; ideo hic primum consolatur eos de his tribulationibus superventuris; secundo de recessu suo, ibi, *Et nunc vado ad eum qui misit me.* Circa primum tria facit. Primo manifestat suam intentionem; secundo prænuntiat discipulis tribulationum persecutionem, ibi, *Absque synagogis facient vos* etc. : tertio subdit persecutionis rationem, ibi, *Et hæc facient vobis.* Dicit ergo : Dixi quod Judæi oderunt me et vos : quia non cognoverunt eum qui me misit. Et sunt inexcusabiles; et Spiritus sanctus et vos testificabimini contra illos. Sed *hæc* omnia ideo *locutus sum vobis, ut non scandalizemini;* idest, ut cum venerint tribulationes quas prænuntio vobis, sitis absque scandalo. Et merito post promissionem Spiritus sancti scandalum prohibet, quia Spiritus sanctus est amor, *amor autem Dei diffusus est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* · Rom. v, 5 : et omnem propellit scandalum. Psal. cxviii, 165 : *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.* Amicorum autem est negligere damnum propter amicum, ut dicitur Proverb. xii. Amicis ergo Dei non est scandalum, pœnas et damna pati pro Christo. Quia vero ante mortem Christi discipuli Spiritum sanctum non acceperunt, ideo in passione Christi scandalizati sunt. Matth. xxvi, 31 : *Omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista.* Sed post adventum Spiritus sancti omnino absque scandalo fuerunt.

2. Sed possent dicere discipuli : Numquid est nobis materia scandali? Immo, quia tribulationes multæ supervenient nobis et primo quidem exclusionis; secundo interfectionis. Exclusionis quidem a consortio Judæorum; unde dicit : *Absque synagogis facient vos.* Supra ix, 22 : *Jam conspiraverant Judæi ut si quis confiteretur ipsum esse Christum, extra synagogam fieret.* Et hoc intantum invaluit quod aliqui ex principibus in Christum credentes timebant propter hoc publice confiteri, ut habetur supra xii. Hanc exclusionem prænuntiat Luc. v, 22 : *Beati eritis cum vos oderint homines, et ejecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis.*

Sed numquid malum erat Apostolos extra synagogam Judæorum fieri, cum ipsi essent ab ea recessuri? Ad quod dicendum, secundum Augustinum, quod in hoc erat eis tribulatio : quia per hoc dabat Dominus intelligere quod Judæi non erant recepturi Christum : nam si Christum recepissent, eadem fuisset synagoga Judæorum et Ecclesia Christi; et qui converterentur ad Ecclesiam [1] Christi, con-

[1] Al. : « ut Ecclesia Christi, et qui convertentur ad Ecclesiam, etc. »

versi ad synagogam Judæorum fuissent.

Interfectionis autem : *Sed venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Hæc quidem verba possunt accipi quasi in consolationem discipulorum dicta, ut ly *sed* accipiatur adversative : ut sit sensus : Quasi consolari debetis ex hoc quod vobis facient. *Sed venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.*

Sed qualis consolatio poterat eis esse, hæc scilicet, ut omnis qui interficeret eos, arbitraretur se obsequium præstare Deo? Ad quod dicendum, secundum Augustinum, quod per hoc quod dixerat, *Absque synagogis facient vos*, dabatur intelligi quod illi qui converterentur ad Christum, statim a Judæis occidendi erant : et ideo ad eorum consolationem dicit eis Dominus, quod tam multos Christo acquisituri erant, expulsi de Judæorum congregationibus, ut eos extirpare non possent ; et propter hoc mortem eis intentare studerent, ne omnes ad nomen Christi sua prædicatione converterent. Vel dicendum, quod in hoc prædixit eis tribulationem interfectionis.

Dicit autem, *Arbitretur obsequium se præstare Deo*, non diis, ut det intelligere hoc dici solum de persecutione Judæorum. Matth, XXIII, 34 : *Ecce ego mitto ad vos sapientes et scribas ; et ex illis occidetis et crucifigetis.* Nam Martyres Christi occisi sunt a Gentilibus, non tamen illi arbitrati sunt Deo, sed diis suis solum obsequium se præstare. Ideo autem Judæi, Christi prædicatores occidentes, putabant Deo se præstare obsequium, quia zelum Dei habebant, sed non secundum scientiam : credebant enim quod desereret Deum Israel quicumque converteretur ad Christum. De ista interfectione [1] dicitur in Psal. XLIII, 22 : *Propter te mortificamur tota die ; æstimati sumus sicut oves occisionis.*

3. Rationem dictorum assignat, dicens : *Et hoc facient vobis, quia non noverunt Patrem neque me* : et primo rationem futuræ persecutionis ; secundo rationem prænuntiationis, ibi, *Sed hæc locutus sum vobis.* Dicit ergo : Persequentur vos ; *et hæc facient vobis*, non propter zelum veritatis, sed *quia non noverunt Patrem*, inquantum scilicet est Pater, *neque me*, Filium suum. Supra VIII, 19 : *Si me sciretis, et Patrem meum forsitan sciretis.* I Timoth. I, 13 : *Qui prius fui blasphemus et persecutor..... misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.*

4. Sed posset dici : Si per ignorantiam fidei Judæi vos sunt persecuturi, quare ergo prædixit vobis? Et ideo cum dicit, *Sed hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis*, primo ponit causam prænuntiationis ; secundo causam dilationis ad prænuntiandum, ibi, *Hæc autem ab initio non dixi.* Dicit ergo : Ideo autem *hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis.* Hora aliquorum venire dicitur quando possunt implere quod desiderant, et facere quod volunt. Sapient, II, 7 : *Non prætereat nos flos temporis*, scilicet apti ad voluptates exercendas. Hora ergo Judæorum tunc veniet quando poterunt exercere persecutiones in vobis. Sed hæc est hora nocturna. Lucæ XXII, 53 : *Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum* etc. *Reminiscamini quia ego dixi vibis.* Quod quidem ad duo valet. Quia scilicet quando recordati sunt in tribulationibus existentes, quod eas Christus prædixerat eis, cognoverunt ejus divinitatem, et magis confisi sunt de ejus adjutorio. Item per hoc quod aliquis prævidit tribulationes sibi imminentes, minus affligitur, quia prævisa jacula minus feriunt. Et rationem hujus assignat Tullius in lib. *De Tusculanis Quæst.* Bona enim et mala temporalia quanto magis cognoscuntur, tanto minora reputantur. Divitiæ enim majores reputantur a non habentibus eas, quam ab eisdem et postquam habentur. Similiter etiam tribulationes antequam habeantur magis timentur et contristativæ [2] creduntur antequam superveniant, quam postquam supervenerunt et præsentes sunt. Malum autem quando præmeditatur, efficitur quasi præsens, et ex ipsa præsentia minus reputatur. Unde dicit quod sapiens ex præmeditatione potest accipere consolationem de tristitia superventura, quam aliqui recipiunt assiduitate tristitiæ imminentis. Sic ergo duplici de causa eis tribulationes prænuntiat : ad spem eorum sublevandam de ejus adjutorio, et ad tristitiam minuendam.

5. *Hæc ab initio.* Hic assignat causam quare non ante eis prædicit hæc [3], scilicet *quia vobiscum eram.* Quod potest referri

[1] Al. : « infectione. » [2] Al. : « contristatim. » — [3] Al. : « hanc. »

ad duo prædicta. Primo ad sublevandam spem: nam cum vobiscum eram, de meo adjutorio confisi non dubitabatis; modo autem quando videbitis me mori, dubitare poteritis de mea potestate: et ideo necessarium est ut prænuntiem futura, per quæ cognoscatis meam divinitatem et potestatem. Vel potest referri ad secundum, ut sit sensus: *Vobiscum eram,* protegens vos et totum pondus super me suscipiens. Infra XVII, 12: *Pater, cum essem cum eis, ego servabam eos quos dedisti mihi.* Sed quia recessurus sum a vobis, totum pondus tribulationis remanebit vabis: et ideo oportet ut non sint vobis improvisæ.

Sed videtur quod Dominus ante hanc horam prædixerit: quia alii tres Evangelistæ narrant, Dominum ante hoc tempus prædixisse discipulis quod tradendi essent ante reges et præsides, et in synagogis Judæorum flagellandi. Sed dicendum, quod hoc non contrariatur huic quod Dominus dicit: *Hæc vobis ab initio non dixi*: quia illi dicunt Dominum hoc dixisse in monte Oliveti, quod fuit imminente passione tribus diebus antequam ventum esset ad cœnam. Unde hoc quod dicit, *Ab initio,* non refertur ad tempus passionis, sed ad tempus quo primo fuit cum discipulis, ut [1] Augustinus dicit. Sed contra hoc est, quod Matth. X, 16, dicitur, quod Dominus prænuntiavit discipulis tribulationes superventuras, non solum imminente passione, sed ab initio electionis eorum. *Ecce* inquit *mitto vos sicut oves in medio luporum.* Et ideo dicendum quod hoc quod dicit, *Ab initio,* non est intelligendum solum de tribulationibus superventuris, sed de adventu Spiritus sancti, quem non prænuntiavit eis ab initio, ut Augustinus dicit. Vel dicendum, secundum Chysostomum, quod intelligendum est de tribulationibus: et tunc quod dicit, *Ab initio,* dicit propter duo quæ hic eis de novo prædixit: unum scilicet, quod essent passuri tribulationes a Judæis, quod eis ante non dixerat, sed solum a Gentibus, ut patet Matth. X: aliud, quod supra prædixit eis, quod flagella passuri essent; hic autem addit unum quod maxime poterat eos attonitos facere, scilicet quod mors eorum reputaretur a Judæis obsequium.

LECTIO II.

1. Et nunc vado ad eum qui misit me; et nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? 2. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. 3. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos.

1. Supra explicavit Dominus rationes consolatorias contra tribulationes discipulis superventuras: hic explicat rationes consolatorias de recessu suo. Consolatus est autem eos Dominus de recessu suo triplicit ratione. Primo ratione accessus eorum ad Patrem quem promittebat; unde dicebat supra XIV, 1: *Non turbetur cor vestrum. . . In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Secundo ratione Paracliti quem missurus erat: unde dicebat, ibid. 16: *Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis.* Tertio ratione iteratæ suæ visionis, quam asserebat, ibid. 18: *Non relinquam,* inquam, *vos orphanos: veniam ad vos.* Has autem tres rationes explicat hic, sed ordine retrogrado: et primo promissionem Spiritus Paracliti; secundo iteratam sui visionem, ibi, *Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me*; tertio introductionem ad Patrem, ibi, *Et in illo die me non interrogabitis.* Circa primum duo facit. Primo præmittit necessitatem consolationis; secundo ponit eam, ibi, *Sed ego veritatem dico vobis* etc. Circa primum duo facit. Primo prænuntiat suum recessum; secundo ostendit hujus prænuntiationis effectum, ibi, *Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* Recedit ergo ad Patrem vadens; et ideo dicit: *Vobiscum eram,* usque modo, sed *nunc vado ad eum qui me misit,* idest Patrem: quod quidem perfectionis est: tunc enim unaquæque res perficitur cum ad suum principium redit. Tob. XII, 20: *Tempus est ut revertar ad eum qui me misit.* Eccl. I, 7: *Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur.* Ibat quidem secundum humanitatem ad eum apud quem ab æterno erat secundum divinitatem. Et hoc diffusius expositum est in præcedentibus.

[1] Al. deest: « ut. »

Sed addit: *Nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis?*

Sed quid est hoc quod dicit? Nonne Petrus interrogavit supra XIII, 36 : *Domine quo vadis* ? et Thomas supra XIV, 5 : *Nescimus quo vadis*? Et ideo huic quæstioni respondent Chysostomus et Augustinus ; sed aliter et aliter. Chysostomus enim dicit, quod discipuli audientes quod deberent interfici et absque synagogis fieri, ita tristati et attoniti facti sunt, ut quasi obliti de recessu Christi [1] et locutionem amittentes, eum de suo recessu non interrogarent. Unde subdit : *Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* Et sic Dominus dicens, *Et nunc vado ad eum qui misit me*, eos [2] potius increpat, secundum Chrysostomum. Et hoc non interrogabant. Deut. XXXII, 7 : *Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi.* Eccl. VI, 28 : *Investiga illam et manifestabitur tibi.* Augustinus autem vult quod hoc quod dicit, *Nunc vado ad eum qui misit me*, non sit pro illo instanti quo loquebatur ; sed pro tempore quo ascensurus erat in cœlum ; quasi diceret : Superius interrogastis me quo irem : sed nunc ita vado quod non est necesse ut aliquis vestrum interroget me, Quo vadis ? Quia ut dicitur Actor. I, 9 : *Videntibus illis elevatus est.*

Sed quia hæc locutus sum. Hic ponitur tristitia, quæ est effectus prænuntiationis, secundum Chrysostomum : sed secundum Augustinum tristantur de recessu : gaudebant enim de præsentia Christi quodam modo carnali affecti ad humanam ejus speciem ; sicut homo delectatur de præsentia amici : et ideo de recessu ejus tristabantur. Psal. XXIX, 7 : *Ad vesperam* scilicet passionis *demorabitur fletus* in Apostolis *et ad matutinum* resurrectionis *lætitia.* Sed quia humanum est quod tristitia cor tangat, vitiosum autem quod cor impleat, quia per hoc ratio turbatur ; ideo quasi arguens dicit : *Tristitia implevit cor vestrum.* Eccli. XXX, 22 : *Non des tristitiam animæ tuæ.* Supra XIV, 27 : *Non turbetur cor vestrum.*

3. *Sed ego veritatem*, etc. Hic ponitur ratio consolationis quæ est promissio Spiritus sancti. Et primo promittit Spiritum sanctum ; secundo prænuntiat ejus effectum, ibi, *Et cum venerit ille* etc. Circa primum duo facit. Primo ostendit recessus sui necessitatem ; secundo recessus utilitatem. Dicit ergo : *Tristitia implevit cor vestrum*, scilicet de recessu meo ; sed est magis vobis gaudendum, quia *expedit vobis ut ego vadam*, idest valde vobis est necessarium quia *si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* Item est vobis fructuosum et utile : quia *si abiero, mittam eum ad vos*, scilicet Spiritum sanctum.

Sed numquid non potuisset Christus dare Spiritum vivens in carne? Dicendum quod sic : quia etiam super eum baptizatum Spiritus sanctus in specie columbæ descendit et nunquam ab eo recessit, quem ab instanti suæ conceptionis recepit non ad mensuram. Sed noluit eum dare discipulis existens cum eis, quadruplici ratione. Primo propter eorum indispositionem : nam Spiritui sancto, cum sit amor spiritualis, contrariatur amor carnalis. Discipuli autem quodam carnali amore afficiebantur ad Christi humanitatem, necdum elevati erant spirituali amore ad ejus divinitatem, et ideo nondum capaces erant Spiritus sancti. II Corinth. V, 16 : *Ex hoc jam neminem secundum carnem noscimus*, idest secundum carnis affectum ; *et si cognovimus secundum carnem*, Christum scilicet ante passionem, *sed nunc jam non novimus.* Secundo propter divini auxilii conditionem, quod maxime adest in necessitatibus. Psal. IX, 10 : *Adjutor in opportunitatibus.* Et iterum Psal. XXVI, 10 : *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me ; Dominus autem* [3] *assumpsit me.* Quamdiu autem Christus erat cum eis, sufficiens adjutorium erat cum eis ; sed eo recedente multis tribulationibus exponebantur : et ideo datus est eis statim alius consolator et adjutor [4]. Unde signanter dicit infra XIV, 17 : *Et alium Paraclitum dabit vobis.* Isai. XXVIII, 9 : *Quem docebit scientiam? . . . Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.* Tertio ex dignitatis Christi consideratione : nam, ut Augustinus dicit in libro *De Trinitate*, Christus inquantum homo, non habet quod det Spiritum sanctum, sed inquantum Deus. Quando autem cum discipulis erat, videbatur esse quasi homo unus ex eis. Ne ergo videretur quod homo esset qui daret Spiritum sanctum, ideo ipsum ante ascensionem suam non dedit. Supra VII,

[1] Al. deest : « Christi. » — [2] Al. omittitur : « eos. » — [3] Al. : « de inimicis autem. » — [4] Al. : « auditor. »

39 : *Nondum erat glorificatus*. Sapien. IX, 19 : *Emitte illam a sede magnitudinis tuæ*. Quarto propter unitatem Ecclesiæ conservandam : nam, ut supra X, 41, habetur, *Joannes signum fecit nullum* : quod ideo fuit ne populus divideretur a Christo, et ut evidentior appareret eminentia ad Joannem. Discipuli autem ipso Spiritu replendi erant, ut etiam opera majora facerent quam Christus fecit : supra XIV, 12 : *Et majora horum facient* : et ideo si ante passionem fuisset eis datus, potuisset verti in dubium apud populum quis esset Christus, et sic fuisset in eo divisio. Psal. LXVII, 19 : *Ascendens in altum, dedit dona hominibus*.

Sed, secundum Chrysostomum, potest hic sumi argumentum contra Macedonianos [1] dicentes, Spiritum sanctum esse creaturam et ministrum Patris et Filii. Si enim sic esset, non esset sufficiens consolatio de recessu Christi adventus Spiritus sancti : sicut non esset sufficiens csnsolatio de recessu regis, si daretur unus de ministris suis loco ejus. Quia ergo Spiritus sanctus æqualis est Filio, ideo Dominus eos per promissionem Spiritus sancti consolatur.

Sed si æquales sunt Filius et Spiritus sanctus, quare expedit quod Filius recedat, ut veniat Spiritus sanctus? Ideo scilicet quia recedebat corporaliter, ac simul cum Spiritu sancto veniebat invisibiliter. Si enim Filius habitasset invisibiliter, et diceret : Expedit ut recedam, quia veniet Spiritus sanctus, utique major eo Spiritus sanctus reputaretur.

LECTIO III.

1. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato et de justitia et de judicio. 2. De peccato quidem, quia non crediderunt in me ; de justitia vero, quia ad Patrem vado et jam non videbitis me ; de judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est. 3. Adhuc multa habeo vobis dicere ; sed non potestis portare modo. 4. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. 5. Non enim loquetur a semetipso ; sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis.

1. Supra consolatus est Dominus Apostolos per promissionem Spiritus sancti ; hic ostendit utilitatem quam Spiritus sanctus adveniens afferet eis : et ponit triplicem utilitatem : unam ex parte mundi ; aliam ex parte discipulorum ; et tertiam ex parte Christi. Ex parte quidem mundi, quia Spiritus sanctus adveniens mundum arguet ; ex parte discipulorum, quia eos instruet, ibi, *Adhuc multa habeo vobis dicere* etc. ; ex parte Christi, quia ipsum clarificabit, ibi, *Ille me clarificabit* etc. Circa primum duo facit. Primo ponit utilitatem adventus Spiritus sancti quantum ad mundum ; secundo exponit eam, ibi, *De peccato quidem, quia non crediderunt in me*. Dicit ergo : Expedit vobis ut ego vadam, quia mittam Spiritum sanctum ad vos ; *et cum venerit ille, arguet mundum de peccato et de justitia et de judicio*. Quod dupliciter legitur. Uno modo secundum Augustinum, alio modo secundum Chrysostomum. Secundum Augustinum quidem hoc modo : *Cum venerit*, scilicet Spiritus sanctus, *ille arguet*, idest reprehendet, *mundum*. Prov. IX, 8 : *Argue sapientem et diliget te*.

Sed numquid non etiam Christus arguit mundum? Arguit quidem, supra VIII, 44 : *Ex patre diabolo estis* ; et Matth. XXIII, multa contra Pharisæos et Scribas dicens. Quare ergo dicit, *Ille arguet* ; quasi ipse non arguerit? Sed forte diceret aliquis, quod Christus solos Judæos arguit, Spiritus autem sanctus in discipulis et per discipulos arguit totum mundum. Sed huic contrariatur quod Christus loquitur in Apostolis et per Apostolos sicut Spiritus sanctus. II Corinth. ult., 3 : *Experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus*.

Et ideo dicendum, quod dicit : *Ille arguet mundum*, qui invisibiliter penetrans corda vestra, diffundet in eis caritatem, qua timore depulso, arguendi habebitis potestatem. Quamdiu enim discipuli carnaliter ad Christum afficiebantur, Spiritus sanctus non erat in eis, ut dictum est, eo modo quo postea fuit : et ideo non erant ita audaces sicut post ejus adventum fuerunt. Psal. XXXII, 6 : *Spiritu oris* [2] *ejus omnis virtus eorum*. scilicet Apostolorum. II Paral. XXIV, 20 : *Spiritus Domini induit Zachariam*. *Ille* etiam *arguet mundum* : quia corda quæ ante mundana fuerant, replens facit quod ea se reprehenderent. Job XIII, 15 : *Arguam vias meas coram illo* etc. Et hoc facit Spiritus sanc-

[1] Al. : « Macedones. » — Sic cod. Mazarin. 177. — [2] Al. : « operis. »

tus. Ps. L, 12 : *Spiritum rectum innova in visceribus meis.*

Sed de quo arguet? De tribus. *De peccato* quod commiserunt. Isai. LVIII, 1 : *Annuntia populo meo scelera eorum* etc. Et hoc Apostoli fecerunt. Ps. XVIII, 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum.* Item *de justitia*, quam neglexerunt. Isai. 29 : *Justitiam non fecerunt* etc. Et hoc Apostoli [1] fecerunt. Rom. III, 10 : *Non est justus quisquam.* Item *de judicio*, quod contempserunt : ut enim dicitur Prov. XVIII, 3, *impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnet.* Ezech. V, 6 : *Contempsit judicia mea* etc.

2. *De peccato quidem* etc. Hic exponit : et primo quod dicit de peccato ; et hoc *quia non crediderunt in me.* Solum de peccato infidelitatis arguit : quia per fidem omnia alia peccata dimituntur. Matth. XXV, Dominus damnatis solum defectum misericordiæ imputat : quia per misericordiam omnia peccata purgantur. Prov. XV, 27 : *Per misericordiam et fidem purgantur peccata.* Sic ergo et hic, quia infidelitate manente, peccata cetera [2] detinentur, et ea discedente cetera dimittuntur. Dicit autem : *Quia non crediderunt in me* : et non dicit Mihi, vel Me : quia dæmones credunt Christum esse, et contremiscunt : Jac. II. Sed *in me*, per fidem formatam sperando et diligendo. Secundo *de justitia*, et hoc *quia ad Patrem vado* etc. Quod quidem potest dupliciter exponi : quia vel de justitia Christi, vel de justitia Apostolarum. De justitia quidem Apostolorum sic : *de justitia* nostra, quod non sunt imitati. Justitia dico non ex lege, sed fide. Rom. III, 22 : *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi.* Fides autem de invisibilibus est : Heb. XI. Discipuli autem aliquid videbant, scilicet ejus humanitatem, et aliquid non videbant, scilicet ejus divinitatem ; sed hoc promittit eis in præmium. Supra XIV, 21 : *Manifestabo eis meipsum.* Habebant ergo discipuli fidem de Christo quantum ad divinitatem tantum ; sed quando subtracta fuit eis humanitas Christi, tunc eorum fides erat de utroque : et ideo, secundum Augustinum super Joan., dicit ; *Quia vado ad Patrem, et jam non videbitis me* ; quasi dicat : Vos creditis in me secundum divinitatem ; et *quia vado ad Patrem*, credetis in me etiam quantum ad humanitatem : quam quidem fidei justitiam mundus non imitatur. Sed dicit : *Et jam non videbitis me* : non quod nunquam sint eum visuri, sed quia non visuri sunt eum in ista carne mortali. Viderunt eum in resurrectione, sed immortalem existentem ; et videbunt eum in judicio, sed in majestate venientem. De justitia quidem Christi exponit de Verbis Domini. Judæi enim noluerunt recognoscere quod Christus justus esset, Supra IX, 24 : *Nos scimus quia hic homo peccator est.* Arguet eos de hac justitia, dicens : *Quia ad Patrem vado* : quia hoc ipsum quod ad Patrem vado, justitiæ meæ est. Quod enim Christus descendit, misericordiæ fuit ; sed quod ascendit, ejus justitiæ debitum. Phil, II, 9 : *Propter quod et Deus exaltavit illum* etc. Tertio arguit mundum *de judicio* ; et hoc *quia princeps hujus mundi*, idest diabolus, qui est princeps mundi, idest mundanorum, non creatione, sed suggestione et imitatione. Sap. II, 25 : *Imitantur eum qui sunt ex parte illius.* Job XLI, 25 : *Ipse est rex super omnes filios superbiæ.* Hic ergo princeps *jam judicatus est*, idest expulsus foras. Supra XII, 31 : *Nunc judicium est mundi*, idest pro mundo, *nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Et hoc dicit ut tollat excusationem hominum, qui se de peccatis excusant propter testationem diaboli ; quasi dicat : Excusari non possunt, quia expulsus est diabolus per gratiam et fidem Christi et Spiritum sanctum a cordibus fidelium ; ita ut jam non tentet interius sicut ante, sed solum exterius per exercitationem permissus ; et ideo resistere possunt ei qui volunt adhærere Christo. Et inde est quod debiles feminæ diabolum vicerunt, a quo tamen fortissimi viri superati sunt. De hoc ergo judicio mundus arguitur, quia a diabolo vincitur resistere nolens, et a se expulsum, per consensum peccati [3] reducens. Rom. VI, 12 : *Non regnet peccatum in vestro* [4] *mortali corpore.* Vel aliter, secundum eumdem in libro *De verbis Domini* ut quod dicit, *jam judicatus est*, intelligatur de judicio condemnationis ; idest : jam condemnatus est ipse ; et per consequens omnes qui adhærent ei. Matth. XXV, 41 : *Ite* [a] *maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Arguitur etiam mundus de judicio : quia sciens mundi hujus principem condemnatum

[a] *Discedite a me.*

[1] Al. omittitur : « Apostoli. » — [2] Al. : « et cetera. » — [3] Al. : « per confessionem peccati. » — [4] Al. : « in nostro. »

esse, non evadit etiam ipse hoc judicium; sed cum suo principe judicatur, quoniam superbum atque impium imitatur.

Secundum Chrysostomum, aliter a capite exponitur : *Cum venerit*, scilicet Spiritus sanctus, *ille arguet*, idest convincet, *mundum de peccato*; quasi diceret : Ipse Spiritus sanctus erit argumentum quoddam contra mundum. Hebr. II, 4 : *Contestante Deo signis et prodigiis* etc. Et de hoc peccato ostendet eos graviter peccasse, *quia non crediderent in me*, cum videbunt quod Spiritus sanctus in nomine meo dabitur fidelibus, Actor. V, 32 : *Nos testes hujus rei sumus, et Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi. De justitia*, quam scilicet ego habeo, quam tamen mundus non reputavit me habere : et hoc, quia vado ad Patrem, et mittam vobis Spiritum, scilicet qui ostendet me justum, et irreprehensibilem duxisse vitam. Supra XV, 26 : *Quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis.* Quia hoc dicitur in Psal. LXVII, 19 : *Postquam ascendit Christus in altum, dedit dona hominibus. De judicio* : *quia princeps hujus mundi jam judicatus est;* idest, ex hoc ipso quod per Spiritum sanctum judicatur, idest expellitur a cordibus fidelium. Zach. XIII, 2 : *Spiritum immundum ejiciam.* I Corinth. II, 12 : *Nos spiritum hujus mundi non accepimus; sed spiritum qui ex Deo est.* Et de hoc judicio arguet, quia ipsi male judicaverunt quod dæmonium haberet, et quod in Beelzebub ejiceret dæmonia : de quo convincentur, quia Spiritus sanctus quem ego mittam, ipsum dæmonem condemnabit et ejiciet.

3. *Adhuc habeo vobis*, etc. Hic ponit utilitatem adventus Spiritus sancti ex parte discipulorum, quæ est ipsorum instructio : et primo instructionis necessitatem; secundo promittit instructionem, ibi, *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; tertio excludit dubitationem, ibi, *Non enim loquetur a semetipso.* Dicit ergo : Utilis erit adventus Spiritus sancti mundo, quia arguet eum. Sed et vobis utilis erit ad instruendum; qua quidem instructione indigetis, quia *multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* : quasi dicat : Ego vos instruxi, sed non adimplemini. Job XXVI, 14 : *Ecce hæc ex parte dicta sunt verborum ejus* : *et cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Quærere autem quæ sunt ista multa quæ portare non poterant, est stultum, ut dicit Augustinus. Nam si ipsi portare non poterant, multo magis et nos non possumus.

Ex hoc tamen[2] quod dicit, *Non potestis portare modo*, diversi hæretici assumunt ad sui erroris velamentum, dum his qui eis adhærent, quædam in occulto dicunt turpissima, quæ non auderent dicere in manifesto : quasi hæc ipsa sint quæ tunc discipuli portare non poterant, et ea docuerit Spiritus sanctus quæ palam docere atque prædicare spiritus hominis erubescit. Non est ergo intelligendum quod aliqua secreta doctrinæ taceantur fidelibus parvulis, seorsum docenda majoribus : sed omnibus fidelibus proponuntur ea quæ fidei sunt. Matth. X, 26 : *Quod in aure audistis, prædicate supra tecta.* Sed aliter proponenda sunt rudibus, aliter peritis; sicut quæ subtilia sunt de mysterio incarnationis, et aliis hujusmodi[3], non sunt rudibus proponenda : quia cum intelligere non possent, scandalizarentur. Omnia ergo quæ fidei erant, Dominus proposuit eis, sed non eo modo quo postea revelavit, et præcipue in vita æterna. Sic ergo quæ portare non poterant, sunt plena cognitio divinorum, quam non habebant tunc; puta æqualitatem Filii ad Patrem, et hujusmodi. Unde Paulus, II Corinth. II, 4 : *Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui* : quæ non erant de alia veritate quam fidei, sed altiori modo. Item spiritualis intellectus omnium Scripturarum, quem tunc non habebant : sed quando *aperuit eis sensum ut intelligerent Scripturas* : Luc. ult. 45. Item passiones, et pericula quæ passuri erant, quæ tunc non poterant, quia animi eorum imbecilles erant. Eccli. VI, 26 : *Subjice humerum tuum, et porta illam.* Sic ergo necessaria erat eis instructio.

4. *Cum autem venerit*, etc. Hic promittit eis instructionem quam consequentur in adventu Spiritus sancti, qui docebit eos omnem veritatem. Cum enim sit a veritate, ejus est docere veritatem, et facere similes suo principio. Et dicit, *Omnem veritatem*, scilicet fidei, quam docebit per quamdam elevatam intelligentiam in vita ista, et eamdem plenarie in vita æterna,

[1] Al. : « quoniam Spiritus sanctus dedit. » — [2] Al. : « et hoc tamen. » — Parm. : « hoc tamen. » — [3] Al. deest : « hujusmodi. »

ubi cognoscemus sicut et cogniti sumus: I Corinth. xiii. Et I Joan. ii, 27 : *Unctio docebit vos* etc. Vel *omnem veritatem*, figurarum legis, quam adepti sunt discipuli per Spiritum sanctum. Unde Daniel. I dicitur, quod dedit Dominus pueris illis sapientiam et intelligentiam.

5. *Non enim loquetur*, etc. Hic excludit dubitationem, quæ poterat esse. Si Spiritus sanctus docebit eos, videtur scilicet quod esset major Christo : quod non est, quia docebit eos virtute Patris et Filii : *quia non loquetur a semetipso*, sed a me, quia a me erit. Sicut enim Filius non operatur a semetipso, sed a Patre; ita Spiritus sanctus, quia est ab alio, scilicet a Patre et Filio, *non loquetur a semetipso*, *sed quæcumque audiet*, accipiendo scientiam sicut et essentiam ab æterno, *hæc loquetur*, non corporaliter, sed intrinsecus in mente illuminando. Oseæ ii, 14 : *Ducam eam ad solitudinem*, *et loquor ad cor ejus*. Psal. lxxxiv, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*.

Sed cum audierit ab æterno, quid est hoc quod dicit, *Audiet*, in futuro? Sed dicendum, quod æternitas includit omne tempus; et ideo potest Spiritus sanctus, qui ab æterno audit, dici audire in præsenti, in præterito et futuro. Sed tamen aliquando dicitur audire in futuro propter hoc quia illa quorum notitiam habet sunt futura. *Loquetur* ergo *quæcumque audiet*: quia non solum docebit æterna, sed futura ; et ideo subdit : *Et quæ ventura sunt annuntiabit vobis ;* quod est proprium divinitatis. Sapient. viii, 8 : *Signa et monstra scit antequam fiant*. Isa. xli, 23 : *Quæ ventura sunt annuntiate nobis*; *et sciemus quia dii estis vos*. Hoc enim est proprium sancti. Joel. ii, 28 : *Effundam de spiritu meo super omnem carnem*, *et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ*. Apostoli autem habuerunt spiritum prophetiæ. Vel *docebit omnem veritatem*, scilicet figurarum.

Sed ne dubitarent quomodo scirent,de futuris tribulationibus [1] crucis prænuntiaverat, ideo subdit : *Et quæ ventura sunt*, scilicet super vos, *annuntiabit vobis*.

LECTIO IV.

1. Ille me clarificabit : 2. Quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. 3. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. 4. Propterea dixi, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.

1. Supra positus est duplex fructus adventus Spiritus sancti, scilicet mundi arguitio, et discipulorum instructio ; hic ponitur tertius fructus, scilicet Christi clarificatio : et primo proponit fructum clarificationis ; secundo manifestat rationem ipsius ibi, *Quia de meo accipiet;* tertio subditur manifestatio rationis, ibi, *Omnia quæ habet Pater mea sunt*. Dicit ergo : *Docebit omnem veritatem :* quia *ille me clarificabit*, in quo est omnis veritas. Supra xiv, 6, *Ego sum*, *via*, *veritas*, *et vita*. Coloss. ii, 3 : *In quo* scilicet Christo *sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ*. *Clarificabit me*: idest, meam notitiam claram faciet, primo quidem discipulos illuminando : quia adhuc carnales erant, et ad Christum afficiebantur secundum carnem : idest secundum infirmitatem carnis non cognoscentes divinitatis ejus majestatem, cujus postmodum per Spiritum sanctum sunt capaces effecti I Corinth. ii, 10 : *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum*. Secundo fiduciam clare annuntiandi præbendo : nam discipuli ante timidi erant, ita ut non auderent Christum publice confiteri ; sed Spiritu sancto repleti timore depulso, annuntiaverunt hominibus Christum, ab ipso Spiritu quodammodo impulsi. Isai. lix, 19 : *Cum venerit quasi fluvius violentus quem Spiritus Domini cogit*. Unde et Apostolus dicebat I Corinth. v, 14: *Caritas Christi urget nos*. Tertio opera mirifica in Apostolis, et per Apostolos faciendo. I Corinth. xii, 2 : *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus*.

2. *Quia de meo accipiet*, etc. Hic ponitur ratio clarificationis, quæ est, quia Filius est principium Spiritus sancti. Omne enim quod est ab alio, manifestat id a quo est : Filius enim manifestat Patrem, quia est ab ipso. Quia ergo Spiritus sanctus est a Filio, proprium est ut clarificet eum. Dicit ergo : Ideo *me clarificabit*, *quia de meo accipiet*. Accipere autem hoc non est intelligendum eo modo quo in creaturis. Tria enim sunt in acceptione creaturarum, quorum duo non sunt in divinis. Scilicet, quia in

[1] Parm. : « tribulationibus quas eis prænuntiaverat. »

creaturis aliud est quod accipit et aliud quod accipitur: quod non est in divinis, cum personæ divinæ simplices sint, nec in eis sit aliud et aliud: immo a quocumque accipit Spiritus sanctus, accipit totam substantiam suam: similiter et Filius. Aliud est, quod in creaturis accipiens aliquando fuit non habens id quod accipit; sicut si materia accipiat formam, vel subjectum accidens: aliquando enim materia fuit sine tali forma, et subjectum sine tali accidente. Ex hoc quidem non est in divinis: quia Filius ab æterno est habens quod accipit a Patre, et Spiritus sanctus quod a Patre et Filio accipit. Ergo Spiritus a Filio, sicut Filius accipit a Patre. Supra x, 29: *Pater quod dedit mihi, majus omnibus est.* Sic ergo accipere in divinis dicit ordinem originis.

Sed nota, quod cum dicit, *De meo accipiet*, ly *de* non importat participationem, sed consubstantialitatem: quia totum accipit quod Filius habet. Sicut [1] enim Filius dicitur de substantia Patris, quia accipit totam substantiam Patris, ita et Spiritus sanctus de substantia Filii, quia accipit totam substantiam ejus. Quia ergo *de meo accipiet*, et ego sum Verbum Dei, ideo *annuntiabit vobis*. Spiritus enim animalis nullo modo potest esse nisi secundum quod procedit a verbo interius concepto.

3. *Omnia quæcumque*, etc. Hic ponitur rationis manifestatio, ubi Christus probat quod Spiritus sanctus accipiebat de suo propter unitatem et consubstantialitatem Patris et Filii: ubi primo ponit consubstantialitatem Patris et Filii; secundo infert conclusionem intentam, ibi, *Propterea dixi quia de meo accipiet.* Dicit ergo: *De meo accipiet*, quia *omnia quæ habet Pater, mea sunt*; quasi dicat: Licet a Patre procedat Spiritus veritatis, tamen quia *omnia quæ habet Pater, mea sunt,* et ipse Patris Spiritus est, et de meo accipiet.

Sed notandum, quod habere dicimur aliquid dupliciter. Uno modo sicut possessionem: alio modo sicut quod in nobis est; puta vel sicut forma, vel sicut pars. Pater ergo habet sicut possessionem et rem sibi subjectam totam creaturam: Psal. xxxii, 5: *Domini est terra et plenitudo ejus*: habet etiam aliquid quod in ipso est, immo quod est ipse: quia ipse est quicquid in ipso Christo est, cum ipse sit sua essentia, sua bonitas, sua veritas et æternitas. De hoc ergo modo habendi loquitur. Et sic quicquid habet Pater est Filii: quia eamdem sapientiam, eamdem essentiam, eamdem bonitatem habet Filius quam habet et Pater. Supra v, 26: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.* Matth. xi, 27: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.*

Sed sicut Didymus dicit, objiciunt aliqui: Si omnia quæcumque habet Pater, et Filius: ergo cum Pater habeat paternitatem, sequitur quod et Filius. Ad quod respondet, quod hæc quidem ratio haberet apparentiam, si Dominus dicere: Omnia quæ habet Deus, mea sunt. Sed dicens: *Omnia quæ habet Pater*, salvat distinctionem Patris et Filii, dans intelligere quod omnia quæcumque habet Pater, sua sunt, præter id in quo distinguitur Pater a Filio. Nam Patris nomine se Filium declaravit; paternitatem qui Filius erat non sibi usurpavit.

Sed notandum, quod simpliciter concedimus hanc, scilicet, Quicquid habet Pater, habet Filius: non tamen quod eo ordine habet Filius quo Pater habet. Nam Filius habet sicut ab alio accipiens: Pater vero sicut alii dans. Non ergo est distinctio in eo quod habetur, sed in ordine habendi. Hujusmodi autem relationes, scilicet paternitas et filiatio, hujus ordinis distinctionem important: paternitas enim importat hoc quod est dare alii, filiatio vero accipere ab alio.

Sed quæritur utrum relatio in divinis sit aliquid realiter. Videtur quod sic: alias, cum personæ divinæ relationibus distinguantur, eorum distinctio non esset realis. Dicendum ergo, quod relatio in divinis dupliciter consideratur. Uno modo per comparationem ad essentiam seu personam Patris; et sic relatio Patris non est alia res quam essentia seu persona Patris. Alio modo potest considerari per comparationem ad oppositam relationem, puta ad filiationem; et sic paternitas est relatio realis, quia secundum hoc importat ordinem naturæ, quem Pater dat Filio per æternam generationem: qui quidem ordo est in Deo secundum rei veritatem. Sic ergo si paternitas comparatur [2] ad essentiam Patris, omnia quæcumque habet Pater, habet Filius, quia

[1] Al.: « sic. » — [2] Al.: « compararetur. »

paternitas non est alia res ab essentia Patris ; sed non eo ordine habet, ut dictum est.

4. *Propterea dixi*, etc. Hic infert intentam conclusionem, quod Spiritus sanctus accipiat a Filio. Ex necessitate enim oportet quod si omnia quæ habet Pater sint Filii, et Filius sit consubstantialis Patri, quod Spiritus sanctus procedat a Filio sicut procedit a Patre, ut Hilarius et Didymus arguunt,

Ad quod sciendum est, quod in qualibet processione seu origine rei creatæ dicimus, quod idem sit quo agens agit, seu dat quod habet, et quod recipiens recipit : sicut ignis generatus recipit formam ignis, quam ignis generans dat per formam suam. Sed hoc in origine divinarum personarum est quodammodo simile, scilicet quod idem est quo Pater dat naturam suam Filio, non voluntate, sed natura, idest per naturam suam ; sed in hoc est dissimile ; quia in creaturis non est idem numero, quod communicatur et quo communicatur, sed specie solum ; sed in divinis est eadem natura numero quam Pater dat Filio, et qua eam dat seu communicat.

Sed attende quod dicimus, quod Filius accipit de substantia Patris, idest substantiam Patris [1] ; et Spiritus sanctus de substantia Patris et Filii ; et quod Pater virtute naturæ suæ dat Filio substantiam suam, et Pater et Filius Spiritui sancto. Sed tamen non dicimus quod Pater de substantia sit Filii, vel Pater et Filius de substantia Spiritus sancti : quia ly *de* importat consubstantialitatem cum ordine originis. Sic ergo Spiritui sancto communicatur quod commune est Patri et Filio. Oportet autem quod illud idem sit principium communicationis in divinis, et quod communicatur. Sic ergo essentia communicatur Spiritui sancto, oportet quod communicans sit essentia. Essentia autem est communis Patri et Filio : oportet ergo [2] quod si Pater dat essentiam Spiritui sancto, quod et Filius similiter det : et ideo dicit, quia *omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*. Et si Spiritus sanctus [3] accepit a Patre, accipiet etiam a Filio : et ideo dicit : *Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* : quia secundum quod a me accipit, ita annuntiabit vobis.

LECTIO V.

1. Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem. 2. Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem : Quid est hoc quod dicit nobis : Modicum et non videbitis me ; et iterum modicum et videbitis me ; et quia vado ad Patrem ? Dicebant ergo : Quid est hoc quod dicit modicum ? Nescimus quid loquitur. 3. Cognovit autem Jesus quia volebant eum interrogare, et dixit eis : De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me ? 4. Amen amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit : vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. 5. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus. 6. Cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. 7. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis. Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

1. Supra explicavit Dominus unam rationem consolationis ex promissione Spiritus sancti ; hic explicat secundam, scilicet de iterata visione sua. Et primo ponitur visionis iterata promissio : secundo inducitur discipulorum dubitatio, ibi, *Dixerunt ergo* etc. ; tertio subditur dubitationis satisfactio, ibi, *Cognovit autem Jesus* etc. Iteratam autem visionem promittit eis Dominus cum prænuntiatione recessus sui : quod ideo eis frequenter inculcat, ut dum sæpe ipsum futurum præmeditantur, ipsum absentem [4] tolerabilius ferant. Tria autem ponit consolatoria. Brevem absentiam, iteratam sui præsentiam, et honorabilem discessum. Absentia quidem brevis est : quia *modicum et jam non videbitis me* : ut ly *modicum* referatur ad *non videbitis* ; quasi dicat : Futurum est ut tollar a vobis per mortem, *et jam non videbitis me*. Sed non debetis contristari : quia tempus hoc quod me non videbitis, modicum erit, quia exurgam diluculo, tertia scilicet die. Isa. XXVI, 20 : *Abscondere modicum ad momentum donec pertranseat indignatio*. Sed iterata præsentia mei erit, quia *iterum modicum*, idest modico temporis post resurrectionem spatio, scilicet quadraginta dierum : Act. I, 3 : *Per dies quadraginta apparens eis* : *et videbitis me*.

[1] Al. omittitur : « idest substantiam Patris. » — [2] Al. deest : « ergo. » — [3] Al. : « et Spiritus sanctus. » — [4] Al. : « præsentem. »

Infra xx, 20 : *Gavisi sunt discipuli viso Domino*. Et hoc, quia honorabiliter recedo: *quia vado ad Patrem*. Act. I, 9 : *Videntibus illis elevatus est*. Vel aliter, ut ly *modicum* referatur ad tempus ante ejus mortem, et sit sensus : *Modicum*, scilicet tempus existet quo subtrahar a vobis, quia scilicet in crastino. Supra XIII, 33 : *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Et non videbitis me*, scilicet mortalem : quia supra XIV, 19 : *Adhuc modicum, et mundus me jam non videt*, scilicet mortalem, quia videbit eum in judicio in majestate venientem; disciputi vero post ressurrectionem immortalem existentem : quia, ut dicitur Act. x, 40, *dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis*. Et ideo subdit : *Modicum*, scilicet durabit, et *videbitis* : quia scilicet modicum tempus fuit quo manserit in morte. Isa. LIV, 8 : *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te*. Vel ly *modicum* potest referri ad tempus totius vitæ nostræ usque ad judicium ; et tunc videbimus eum in judicio et in gloria. Dicitur autem *modicum* in comparatione ad æternitatem. Psalm. LXXXIX, 4 : *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna quæ præteriit. Quia vado ad Patrem*, per resurrectionem et ascensionem. Supra XIII, 1 : *Sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*.

2. *Dixerunt ergo discipulis* etc. Hic ponitur discipulorum dubitatio : et primo eorum ad invicem collatio ; secundo exprimitur dubitationis occasio; tertio describitur dubitantium animus et affectio. Conferebant quidem ad invicem discipuli ex verbis Domini, dicentes : *Quid est hoc quod dicit nobis modicum*? In quo commendanda est eorum reverentia ad Christum, quæ tanta erat ut non præsumerent eum interrogare. Simile faciunt Angeli. Isa. LXIII, 1 : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra*? Quibus tamen respondet, dicens : *Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum*. Sed in hoc datur nobis intelligi quia nondum perfectum sensum habuerunt de verbis Christi, aut propter tristitiam absorbentem, aut propter verborum obscuritatem. Matth. xv, 16 : *Adhuc et vos sine intellectu estis*? Occasio autem erat ipse verborum contextus, quæ videbantur contrarietatem quamdam implicare. Satis enim intelligebant quod dicit, *Non videbitis me* ; *et quia vado ad Patrem* : sed hoc dubium inferebat quod eumdem existentem et morientem post modicum visuri erant. Nondum enim nota eis erat resurrectio, quia hoc dicitur in Psal. LXXXVIII, 44 : *Quis est homo qui non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi*? Sap. II, 1 : *Non est agnitus qui sit reversus ab inferis* [1]. Et ideo dicit: *Quid est hoc quod dicit nobis modicum*? supple, quod videbitis me. Sed ad hanc dubitationem modeste dispositi erant. *Nescimus*, inquit, *quid loquitur*. Nam, ut dicit Augustinus, aliqui non intelligentes verba Scripturæ blasphemant, sensum proprium auctoritati Scripturæ præponentes; sed alii modesti, dum non intelligunt, suam ignorantiam confitentur. Sap. IX, 5 : *Infirmus homo, et exigui temporis, et minor ad intellectum judicii et legum* : quod et hic discipuli faciunt : non enim aiunt, Male dicit, vel nihil ; sed eorum ignorantiæ ascribunt quod non intelligunt.

3. *Cognovit autem Jesus*, etc. Hic ponitur manifestatio dubitationis : et primo ponitur dubitationis cognitio ; secundo manifestatio [2] ejus de quo dubitatur, ibi, *Amen amen dico vobis* etc. ; tertio inducitur similitudo, ibi, *Mulier cum parit, tristitiam habet*. Circa primum duo facit. Primo ostendit quomodo dubitatio discipulorum a Christo cognoscitur, cum dicit: *Cognovit autem Jesus*, virtute divinitatis suæ, *quia volebant eum interrogare*, scilicet de eo quod dubitant. Supra II, 25 : *Ipse enim sciebat quid esset in homine*. I Reg. XVI, 7 : *Homines vident quæ parent, Deus autem intuetur cor*. Secundo quomodo verbo manifestatur : unde dixit eis : *De hoc quæritis inter vos* etc. Isa. XLVIII, 3 : *Audita feci ex tunc, repente operatus sum, et venerunt*.

4. *Amen dico vobis*, etc. Hic exponit dictum suum, removens dubitationem, non expresse ponens verba quæ dixerat, discipulis magis satisfaciens quam sibi : ubi tria facit. Primo ostendit alternationem gaudii et tristitiæ [3] ; secundo interiorem tristitiam ; tertio consequentem lætitiam. Dicit ergo quantum ad primum: *Amen amen dico vobis*, quia in hoc modico in quo videbitis me, *plorabitis*, exterius emittendo vocem dolorosam, *et flebitis*, lacrymando. Thren. I, 2 : *Plorans ploravit*

[1] Al. : « ad infernum. » — [2] Al. deest : « manifestatio. » — [3] Al. : « justitiæ. »

in nocte (quantum ad primum et *lacrymæ ejus in maxillis ejus*, quantum ad secundum. Hier. XXXI, 16 : *Quiescat vox tua a ploratu*. Interior autem eorum tristitia erit per contrarietatem ad lætitiam mundi: unde dicit : *Mundus autem gaudebit:* quod potest intelligi particulariter quantum ad tempus passionis Christi ; et sic *mundus*, idest Scribæ et Pharisæi, *gaudebit*, de occisione Christi. Thren. II, 16 : *Hæc dies quam expectabamus*: *invenimus*, *vidimus*. Vel *mundus*, idest mali qui sunt in Ecclesia, *gaudebit*, in persecutione sanctorum. Apoc. XVII, 8 : *Inhabitantes super terram gaudebunt*. Vel universaliter *mundus*, idest homines carnaliter viventes, *gaudebit*, in rebus mundanis. Isa. XXII, 13 : *Ecce gaudium et lætitia occidere vitulos et jugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum*. Subsequitur tristitia discipulorum : unde dicit : *Vos autem contristabimini*, scilicet de passionibus quas in mundo sustinebitis, vel potius de occisione mea. Sic et sancti tristantur de passionibus sibi illatis a mundo, et de peccatis. II Corinth. VII, 10 : *Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*. Sed tristitiam consequetur lætitia : quia *tristitia vestra*, quam scilicet habebitis in passione, *vertetur in gaudium*, in resurrectione. Infra XX, 20 : *Gavisi sunt discipuli viso Domino*. Sed universaliter omnium sanctorum tristitia vertetur in gaudium futuræ vitæ. Matth. V, 5 : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Psal. CXXV, 6 : *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua*; *venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos*. Flent enim sancti tempore meriti, seminando; sed gaudebunt tempore præmii, colligendo.

5. *Mulier cum parit*, etc. Hic Dominus primo proponit similitudinem ; secundo adaptat eam, ibi, *Vos igitur nunc quidem tristitiam habetis*. Similitudinem autem proponit de muliere parturiente : unde primo proponit ejus tristitiam de partu ; secundo ejus lætitiam de prole, ibi, *Cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium*. Dicit ergo quantum ad primum : *Mulier cum parit*, *tristitiam habet*, sensibilem scilicet maximam, *quia venit hora ejus*, scilicet doloris. Psal. XLVII, 7 : *Ibi dolores ut parturientis*. Per hunc dolorem datur intelligi dolor passionis Christi, qui maximus fuit. Thren. I 12 : *O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus*. Item sanctorum pœnitentium de peccatis. Isai. XXVI, 17 : *Sicut quæ concepit, dolens clamat in doloribus suis, cum appropinquavit ad partum*; *sic facti sumus a facie tua, Domine*.

6. *Cum autem peperit*. Hic proponit gaudium de evasione. Ad partum enim sequitur duplex gaudium : unum de evasione doloris ; aliud, et majus, de ortu prolis : quod quidem maximum est, si proles sit masculini sexus ; cum masculus sit quid perfectum, femina vero quid imperfectum et occasionatum. Hier. XX, 15 : *Maledictus vir qui annuntiavit patri meo* : *Natus est tibi puer masculus*. Gen. XXI, 6, quando Sara concepit, dixit: *Risum fecit mihi Dominus, et quicumque audierit, corridebit mihi*. Et ideo dicit : *Cum autem pepererit, jam non meminit pressuræ*, gaudens de evasione doloris, sed magis *propter gaudium, quia natus est homo in mundum*. Hæc autem similitudo convenit quidem quantum ad Christum, quia patiendo solvit mortis pressuras, et novum hominem regenerans esse fecit ; idest, reddidit [1] ad vitæ gloriæ novitatem, quæ nondum hominibus nota erat : unde non dicit : Natus est puer, sed *Natus est homo in mundum* : quia ipse Christus existens homo, ex mortuis novus resurgebat, ut puer. Item convenit Ecclesiæ militanti quæ in novitate vitæ ambulat. Item Ecclesiæ triumphanti, quæ ambulat in novitate gloriæ. Et non dicit, Non erit pressura; sed *quoniam non meminit pressuræ* : quia etsi sancti recordentur miseriarum quas passi sunt, non tamen aliquid miseriarum ex hoc in affectu experientur.

7. *Et vos igitur*, etc. Hic adaptat similitudinem : et primo quantum ad præsentem tristitiam, quam Apostoli tunc habebant, dicens : *Et vos igitur quidem nunc*, idest ex tempore passionis, *tristitiam habetis*, de morte mea. Luc. ult. XVII : *Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem, et estis tristes?* Vel *nunc*, idest in tota vita præsenti, *tristitiam habebitis*. Supra eodem : *Plorabitis et flebitis vos*. Secundo quantum ad futuram lætitiam, dicens : *Iterum autem videbo vos*. Ubi primo promittit eis futuram visionem, dicens : *Iterum autem videbo vos*; quod idem est ac si diceret : Videbitis me, quia

[1] Al. deest : « reddidit. »

non possumus eum videre, nisi seipsum ostendat. Sed non dicit, Videbitis me; sed *Videbo vos*: quia hoc ipsum quod seipsum ostendit, est ex misericordia sua quæ signatur per ejus visionem. Dicit ergo : *Iterum autem videbo vos*, in resurrectione et in futura gloria. Isa. XXXIII, 17 : *Regem in decore suo videbunt*. Secundo promittit cordis gaudium, et exultationem, dicens : *Et gaudebit cor vestrum*, scilicet ex mea visione in resurrectione. Unde cantat Ecclesia : *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea. Et gaudebit*, visione gloriæ. Psal. XV, 11 : *Replebis me lætitia cum vultu tuo.* Isa. XL, 5 : *Tunc videbis et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum.* Naturale enim est unicuique quod gaudeat in intuitu rei amatæ. Divinam autem essentiam nullus nisi eam diligens videre potest. Job XXXVI, 33 : *Annuntiat de ea amico suo quod possessio ejus sit.* Et ideo necesse est quod illam visionem sequatur gaudium. Isa. ult., 14 : *Videbitis* cognoscendo per intellectum *et gaudebit cor vestrum*; immo ipsum gaudium usque ad corpus redundabit, dum glorificabitur : unde subdit : *Et ossa vestra germinabunt.* Matth. XV, 21 : *Intra in gaudium domini tui.* Tertio promittit eis perpetuam gaudii durationem, dicens : *Et gaudium vestrum*, quem habebitis in resurrectione de me. Isa. LXI, 10 : *Gaudens gaudebo in Domino* : *nemo tollet a vobis* : sicut Judæi ante abstulerunt per passionem : quia Rom. VI, 9 : *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Vel *gaudium vestrum*, de gloriæ fruitione, *nemo tollet a vobis*, cum sit inamissibile et perpetuum. Is. XXXV, 10 : *Lætitia sempiterna super capita eorum.* Nemo enim sibimetipsi hoc gaudium tollet per peccatum, cum uniuscujusque voluntas sit ibi in bono confirmata : nemo etiam alteri hoc gaudium tollet, cum ibi nulla sit violentia, nulla illatio nocumenti etc.

LECTIO VI.

1. Et in illo die me non interrogabitis quidquam. 2. Amen amen dico vobis : si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. 3. Usque modo non petistis quicquam in nomine meo. 4. Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

1. Supra prosecutus est Dominus duas rationes confortantes Apostolos, scilicet ex promissione Paracliti, et reditu sui ; hic vero prosequitur tertiam rationem in qua confortavit eos ex promissione accessus eorum ad Patrem : et primo promittit eis familiarem accessum eorum ad Patrem; secundo assignat rationem dictorum, ibi, *Hæc in proverbiis locutus sum vobis.* Circa primum duo facit. Primo dat fiduciæ securitatem ; secundo hortatur eos ad usum fiduciæ, ibi, *Usque modo non petistis quicquam* etc. Circa primum duo facit. Primo excludit interpellationis necessitatem ; ibi, *Amen amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Dicit ergo : *In illo die non interrogabitis me quicquam.* Ubi, secundum quod Augustinus dicit, ubi nos habemus *Rogabitis*, græci habent quoddam verbum quod duo significat, scilicet petere et interrogare ; et ideo potest dupliciter intelligi : *In illo die non me rogabitis quidquam;* idest nihil a me petetis : vel *nihil me interrogabitis.* Dicit ergo : *In illo die.* Quis autem sit iste dies, patet ex supra dictis, scilicet *iterum autem videbo vos.* Quod potest intelligi de resurrectione, et de visione in gloria. De primo exponitur, secundum Chrysostomum. *In illo die*, scilicet quando a mortuis resurrexero, *me non interrogabitis quicquam ;* idest non dicetis : *Ostende nobis Patrem*, et hujusmodi.

Sed contra hanc expositionem objicit Augustinus : quia discipuli post resurrectionem dicunt, Act. I, 6 : *Si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Et infra ult. 19 : interrogat Petrus dicens : *Hic autem quid?* Sed, sustinendo expositionem Chrysostomi, dicendum, quod Dominus illum diem vocat non solum diem resurrectionis, sed etiam diem illum quo a Spiritu sancto docendi erant. Supra eodem : *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et sic confuse loquens de tempore illo, includit etiam adventum Spiritus sancti ; quasi dicat, *in illo die*, dato scilicet Spiritu sancto *me non interrogabitis :* quoniam scietis omnia per Spiritum sanctum. I Jo. II, 27 : *Unctio docet nos de omnibus.* Item, secundum eumdem : *In illo die*, adventus Spiritus sancti, *non me interrogabitis quidquam*, idest, nulla erit vobis necessitas me rogandi.

Sed numquid post resurrectionem Apos-

toli non fecerunt aliquam orationem Christo? Videtur quod sic. II Corinth. xii, 8 : dicit Apostolus : *Propter quod ter Dominum rogavi*, idest Christum. Responsio. Dicendum, quod in Christo erat duplex natura : scilicet humana, per quam est mediator Dei et hominum : I Timoth. xii : et divina; per quam est Deus unus cum Patre. Christus autem secundum quod homo, non erat talis mediator ut nunquam nos Deo conjungeret, sicut aliqui mediatores qui nunquam extrema conjungunt. Conjungit ergo nos Patri. Eadem autem est conjunctio ad Deum Patrem et ad Christum secundum divinam naturam [1]: unde dicit : Non necesse habebitis ut utamini mea mediatione, inquantum homo. Sic ergo *in illo die non rogabitis me*, quasi mediatorem, quia per vos habebitis accessum ad Deum ; sed rogabitis me ut Deum. Et licet Christus interpellet pro nobis, ut dicit Apostolus ad Rom. viii, Ecclesia tamen non rogat eum ut interpellantem : unde non dicimus : Christe ora pro nobis : sed rogat ipsum ut Deum : inhærens ei ut Deo, per amorem et fidem.

Secundum Augustinum exponitur de die visionis gloriæ, hoc modo: *In illo die*, quando videbo vos in gloria, *me non rogabitis;* idest, nil petetis, quia nil desiderandum remanebit; cum omnia bona superabundent nobis in patria. Psal. xv, 10 : *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo*. Et iterum, Psal. xvi, 15 : *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Item *nil interrogabitis*, quia pleni eritis cognitione Dei. Psal. xxxv, 10 : *In lumine tuo videbimus lumen.*

Sed contra utrumque objicitur, quia sancti in patria orant : secundum illud Job v, 1 : *Voca si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere.* Et II Mach. ult. dicitur quod hic orabat pro populo suo. Nec potest dici, quod pro aliis rogent, non pro se : quia dicitur Apoc. vi, 10 : *Usquequo non judicas sanguinem nostrum?* Item sancti interrogant : erunt enim æquales Angelis, ut dicitur Matth. xxii : sed Angeli interrogant dicentes Psal. xxiii, 8 : *Quis est iste rex gloriæ?* et in Isa. lxiii, 1 : *Quis est iste qui venit de Edom?* quæ est vox Angelorum, secundum Dionysium. Ergo et sancti interrogant.

Sed quantum ad utrumque est duplex responsio. Prima, quia tempus gloriæ potest considerari dupliciter : secundum gloriæ inchoationem, et secundum plenariam consummationem. Tempus autem inchoationis gloriæ est usque ad diem judicii : nam sancti quantum ad animam receperunt gloriam; sed aliquid adhuc expectant ad recipiendum, scilicet gloriam corporis in se, et quantum ad alios, ut impleatur numerus electorum : et sic usque ad judicii diem et petere possunt et interrogare, non tamen de his quæ pertinent ad essentiam beatitudinis. Tempus autem gloriæ consummatæ plenarie est post diem judicii, postquam nihil restat petendum, nihil cognoscendum; et de eo dicit : *In illo die*, scilicet gloriæ consummatæ, nil petetis, nil interrogabitis. Quod autem dicitur de Angelis quod interrogant, verum est de mysteriis humanitatis et incarnationis Christi, non autem divinitatis.

2. *Amen, amen dico vobis*, etc. Hic promittit impetrandi opportunitatem : quod quidem continuatur dupliciter. Uno modo, secundum Chrysostomum, ut referatur ad tempus resurrectionis, et adventum Spiritus sancti; quasi dicat : Verum est quod in illo die resurrectionis et Spiritus sancti non interrogabitis me : tamen habebitis meum auxilium, quia petetis *in nomine meo*, a Patre, ad quem habebitis accessum per me. Alio modo, secundum Augustinum : *In illo die*, gloriæ meæ, *non rogabitis quidquam*. Sed interim dum in peregrinatione hujus miseriæ conversamini, *si quid petieritis Patrem, dabit vobis*. Et secundum hoc, *Si quid petieritis Patrem*, etc., non refertur ad hoc quod dicit, *In illo die;* sed ad ea quæ præcedunt illum diem. Ponit autem Dominus septem conditiones bonæ orationis. Prima est ut petantur bona spiritualia ; et hoc cum dicit, *Si quid.* Quod enim est penitus terrenum, etsi in se sit aliquid, comparatum tamen ad spiritualia, nihil est. Sapient. vii, 8 : *Divitias nihil esse duxi in comparatione illius*. Hierem. iv, 23 : *Aspexi terram, et vacua erat et nihil.*

Sed contra Matth. vi, docet Dominus petere temporalia, ibi vers. 2 : *Panem nostrum quotidianum*. Sed dicendum, quod temporale petitum relatum ad spirituale jam est aliquid.

Secunda conditio est ut fiat cum perse-

[1] Al. : « secundum naturam. »

verantia; et quantum ad hoc dicit. *Petieritis*, quasi perseverando. Luc. xviii, 1 : *Oportet semper orare, et non deficere.* Et I Thess. v, 17 : *Sine intermissione orate.* Tertia, quod fiat cum concordia, cum dicit, *Petieritis*, in plurali. Matth. xviii, 19 : *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint fiet illis a Patre meo qui in cœlis est.* Unde Glossa, Rom. ult. dicit, quod impossibile est multorum preces non exaudiri. Quarta, ut procedat ex filiali affectu, cum dicit, *Patrem.* Qui enim ex timore petit, non patrem, sed dominum petit, vel hostem. Matth. vii, 2 : *Si vos nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?* Quinta, ut fiat cum pietate, idest cum humilitate : Psal. ci, 18: *Respexit in orationem humilium, et non sprevit preces eorum* : cum fide impetrandi : Jac. i, 6 : *Postulet autem in fide, nihil hæsitans:* et ordinate : Jac. iv, 6 : *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis.* Et quantum ad hoc dicit, *In nomine meo*, quod est nomen Salvatoris, in quo nomine petit qui pertinentia ad salutem petit, et eo modo quo potest salutem consequi. Act. iv, 12 : *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Sexta, ut fiat tempore debito ; et ideo dicit, *Dabit.* Non enim oportet statim decidere, si non accipiat ; sed profecto dabitur, etsi ut in tempore congruo detur, differatur, ut magis crescat desiderium. Psal. cxliv, 15: *Tu das escam illorum in tempore opportuno.* Septima, ut petat pro se ; unde dicit, *Vobis:* quia aliquando pro aliis non exauditur, contrariantibus eorum demeritis, pro quibus petitio. Hier. vii, 16 : *Tu ergo noli orare pro populo isto :* et xv, 1 : *Si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.*

3. *Usque modo non petistis*, etc. Hic hortatur eos ad usum datæ fiduciæ : et primo commemorat defectum præteritum; secundo hortatur ad profectum futurum, ibi, *Petite.* Defectus præteritus est in non petendo : unde dicit : *Usque modo non petistis quidquam.*

Sed contra Matth. x et Luc. ix, 1 ; *Dedit eis potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent.* Hæc autem orando faciebant : ergo aliquid petierunt in nomine Christi, et præcipue quia Luc. x, 17, dicitur a discipulis : *Domine, in nomine tuo etiam dæmonia subjiciuntur nobis.*

Et ideo dicendum, quod hoc potest dupliciter exponi. Uno modo sic : *Usque modo non petistis quidquam*, quod scilicet esset aliquid magnum, *in nomine meo.* Nam petitiones curationum corporalium modicæ sunt in comparatione ad alia magna quæ orando facturi erant : nec dum Spiritum adoptionis acceperant, quo ad spiritualia et cœlestia anhelarent. Et si dicis, quod petierunt aliquid magnum. supra xiv, 9 : *Domine, ostende nobis Patrem;* dicendum, quod hoc non petebant a Patre de quo hic agit ; sed de solum de Christo homine confisi eum interpellabant mediatorem ut Patrem ostenderet. Alio modo, quia dicit : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo* : in quo ante non petierant, non habentes perfectum cognitionem nominis Christi.

4. Consequenter cum dicit, *Petite et accipietis*, hortatur eos ad perfectum futurum, ut scilicet petant. Matth, vii, 7: *Petite et dabitur vobis. Petite*, inquam, *et accipietis*, scilicet quod petitis, *ut impleatur gaudium vestrum.* Luc. x, 17 : *Reversi sunt discipuli cum gaudio dicentes; Domine, in nomine tuo etiam dæmonia subjiciuntur nobis.* Et hoc modo quod dicit, *Gaudium vestrum sit plenum*, ponitur ut finis exauditionis. Vel potest poni sicut res petita, ut sit sensus : *Petite et accipietis* : hoc, inquam, petatis, *ut gaudium vestrûm sit plenum*; Ubi sciendum, quod objectum gaudii est bonum concupitum. Cum enim desiderium sit motus appetitus [1] in bonum et gaudium quies ejus in eo ; tunc gaudet homo quando quiescit in bono jam habito, ad quod desiderium movebatur, Sed gaudium proportionatur bono habito : et de bono creato non potest haberi gaudium plenum, quia non quietat plene desiderium et appetitum hominis : tunc ergo gaudium nostrum erit plenum quando habebimus bonum illud in quo superabundanter sunt bona quæ desiderare possumus. Et hoc bonum est solum Deus, qui replet in bonis desiderium nostrum, ut dicitur in Psalm. cii. Ideo dicit : *Petite*, illud, *ut gaudium vestrum sit plenum*, scilicet frui Deo et Trinitate, ut Augustinus dicit, quo amplius non est. Psalm. xv, 10 : *Adimplebis me lætitia cum vultu*

[1] Parm. omittit : « appetitus. »

tuo. Et quare? Quia, Sap. VII, 11 ; *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa* ; idest cum contemplatione divinæ sapientiæ.

LECTIO VII.

1. Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis ; sed palam de Patre meo annuntiabo vobis. 2. In illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis quia ergo rogabo Patrem de vobis. 3. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis et credidistis quia a Deo exivi. 4. Exivi a Patre et veni in mundum : iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.

1. Supra promisit Dominus discipulis familiarem [1] accessum eorum ad Patrem ; hic rationem hujus familiaritatis assignat. Duo autem sunt quæ dant homini fiduciam petendi ab aliquo et familiaritatem, scilicet notitia et dilectio : et ideo Dominus hanc duplicem rationem assignat. Prima sumitur ex manifesta Patris cognitione ; secunda ex speciali ejus dilectione, ibi, *In illo die in nomine meo*. Circa primum duo facit. Primo commemorat præteritam eorum de Patre cognitionem imperfectam ; secundo promittit perfectam, ibi, *Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis*. Imperfectam quidem cognitionem habebant : unde dicit : *Hæc in proverbiis locutus sum vobis*. Proverbium proprie dicitur quod communiter est in ore omnium, sicut illud Prov. XXII, 6: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea*. Sed quia hæc quandoque obscura sunt et metaphorica, inde est quod proverbium quandoque sumitur pro parabola, in qua aliud dicitur, aliud signatur. Et hoc modo accipitur hic proverbium pro parabola parabolica locutione. Potest autem hoc habere quadruplicem sensum. Primus est talis secundum litteram, ut referatur ad hoc quod immediate dixerat, hoc modo : Dixi vobis : *Usque modo non petistis quicquam*, quod in nomine meo petitis : et *sum* quasi obscure et *in proverbiis locutus* ; sed *venit hora* ut quæ obscure dixi vobis, dicam statim in manifesto : unde subdit: *Ipse Pater amat vos*, et *Exivi a Patre et veni in mundum*. Et sic videntur Apostoli intellexisse : unde his auditis dicunt ei : *Ecce nunc palam loqueris* etc. Secundus sensus est ut hoc quod dicit, *Hæc in proverbiis locutus sum vobis*, referatur ad totum quod in hoc Evangelio legitur de doctrina Christi : quod vero dicitur, *Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis*, referatur ad tempus gloriæ : quia enim nunc videmus per speculum et in ænigmate, idcirco hæc quæ dicuntur nobis de Deo, in proverbiis proponuntur. Sed quia in patria videbimus facie ad faciem, ut dicitur I Corinth. XIII : ideo tunc non in proverbiis, sed palam de Patre annuntiabitur nobis. Dicit autem *de Patre*, quia nullus potest Patrem videre in illa gloria nisi Filio manifestante. Matth. XI, 27 : *Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui Filius voluerit revelare*. Ipse enim est lux vera, dans nobis lucem, qua Patrem videamus. Supra VIII, 13 : *Ego sum lux mundi*. Sed quia huic expositioni repugnat quod sequitur, *In nomine meo petetis* : in quo nil petituri sumus, si de die gloriæ intelligatur, quando satiabitur [2] in bonis desiderium nostrum: ideo est alius sensus duplex. Unus, secundum Chrysostomum, sic : *Hæc*, scilicet quæ nunc dixi vobis, *in proverbiis*, idest in quadam intricatione verborum, *locutus sum vobis*, non exprimens totaliter quæ oportet vos cognoscere de me et Patre meo : quia *multa habeo vobis dicere quæ non potestis portare modo* : supra hoc cap : sed *venit hora*, cum a mortuis scilicet resurrexero, *cum jam non in proverbiis*, idest obscure et per ænigmata, *sed palam de Patre meo annuntiabo vobis*. Nam per illos quadraginta dies quibus apparuit eis, multa mysteria eos docuit et multa de se et Patre annuntiavit, et cum jam per fidem resurrectionis eum firmiter Deum uerum esse credentes elevati essent ad altiora : unde et subditur Act. I, 13 : *Loquens eis de regno Dei*. Luc. ult. 45 : *Aperuit eis sensum ut intelligerent Scripturas*. Alius sensus est, secundum Augustinum, ut per hoc quod dicit, *Hæc in proverbiis locutus sum*, promittat Dominus se facturum eos spirituales. Differentia enim hæc est inter spiritualem et animalem virum : quia animalis homo verba spiritualia accipit ut proverbia, non quod proverbialiter sint dicta, sed quia mens ejus supra corporalia elevari non valens, sunt ei obscura :

[1] Parm. : « familiaritatem et accessum. » — [2] Al. : « sanabitur. »

I Corinth. II, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.* Spiritualis autem homo accipit spiritualia ut spiritualia. Discipuli autem a principio quasi animales erant, et quæ dicebantur eis, obscura erant et sicut proverbia; sed postmodum a Christo spirituales effecti et per Spiritum sanctum edocti, spiritualia aperte capiebant ; et ideo dicit : *Hæc in proverbiis locutus sum vobis;* idest, fuerunt vobis ut proverbia. Sed *venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis.* II Cor. III, 18 *: Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes*, *in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem tamquam a Domini spiritu.*

2. *In illo die*, *in nomine*, etc. Hic ponitur secunda ratio fiduciæ, sumpta ex dilectione Patris ad discipulos. Et primo ostendit Patris dilectionem ad eos ; secundo familiaritatem Patris ad Filium, ibi, *Exivi a Patre et veni in mundum.* Circa primum duo facit. Primo resumit eis factam promissionem ; secundo assignat promissionis rationem, ibi, *Ipse enim Pater amat vos.* Circa primum duo facit. Primo resumit unum quod promiserat ; secundo promittit eis fiduciam petendi : unde dicit : *In illo die*, scilicet quando annuntiabo vobis palam de Patre, *petetis in nomine meo* : quia manifeste eum cognoscentes, scietis me esse ei æqualem et coessentialem, et per me habere accessum ad eum. Hæc enim est petitio in nomine ejus, sperare per Christum habere accessum ad Patrem. Psal. XIX, 8 : *Hi in curribus et hi in equis*; *nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.* Tacet autem se rogaturum Patrem pro eis : unde dicit : *Et non dico vobis quia ego rogabo Patrem* etc.

Sed numquid non ipse orat pro nobis ? Immo, I Joan. II, 21 : *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum.* Hebr. VII, 25 : *Accedens per semetipsum ad Deum salvare potest.* Et ad hoc dicendum primo, secundum Augustinum, quod hoc dicit ad removendum, se de cetero ut personam interpellantem [1], inquantum homo. Sic in illo die, quando palam annuntiabo et petetis in nomine meo et cognoscetis me esse unum cum Patre et quod non sim persona interpellans ; sed inquantum Deus simul cum eo interpellans exaudiam. Alio modo, secundum Chrysostomum, hoc forte dicit, ne forte credant discipuli quod ita sint per Filium impetraturi quod ipsi non habeant immediatum accessum ad Patrem ; quasi dicat : Modo ad me recurritis, ut pro vobis interpellem ; sed tunc tantam fiduciam habebitis apud eum quod etiam ipsi a Patre petere poteritis in nomine meo, non indigentes alio introducente.

Sed numquid Apostoli non indiguerunt Christo homine ad interpellandum? Alias, cum ipse interpellet superflua erit ejus interpellatio. Sed dicendum, quod non interpellat pro eis tamquam pro absentibus et accessum habere non valentibus : sed faciens preces eorum exaudibiliores.

3. *Ipse enim Pater*, etc. Hic rationem promissionis assignat, quæ est amor Patris ad eos : et primo ponit Patris dilectionem, secundo dilectionis probationem, ibi, *Quia vos me amastis.* Dicit ergo : Ideo non dico *quia rogabo Patrem pro vobis* per hoc enim videretur quod ipse non amaret eos, sed utique *ipse Pater,* qui amat omnia, volendo eis bonum naturæ : Sap. II, 25 : *Diligis omnia quæ sunt*, *et nihil odisti eorum quæ fecisti* : *amat voe*, Apostolos et sanctos, quodam privilegiato amore, volendo vobis summum bonum, idest seipsum. Deut. XXXIII, 3 : *Dilexit populos* : *omnes sancti in manu illius sunt* : quia ad hoc dilexit. Sap. III, 1 : *Justorum animæ in manu Dei sunt.* Probationem hujus ostendit ex duobus : scilicet ex amore discipulorum ad Christum, et ex fide. Quantum ad primum dicit : *Quia vos me amastis* : quæ quidem probatio non est per causam ; quia, ut dicitur I Joan. IV, 10 : *Non quasi nos dilexerimus eum ; sed quoniam ipse prior dilexit nos* : sed est per signum, quia hoc ipsum quod nos Deum diligimus, est signum : quod ipse amat nos : quod enim possumus eum amare, est ex dono Dei. Roman. V, 5 : *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum*, *qui datus est nobis.* Supra XIV, 21 : *Qui diligit me diligetur a Patre meo.* Quantum ad secundum [2] dicit : *Et credidistis quia a Deo exivi. Sine fine enim impossibile est placere Deo* : Hebr. XI, 6. Fides autem est nobis ex amore Dei : *donum enim Dei est*, ut dicitur Ephes. II, 8. Donum autem non datur nisi ex amore dantis. Credere autem et amare Christum inquantum a Deo exivit, satis est evidens signum amo-

[1] Al. : « ut persona interpellans. » — [2] Al. : « ad hoc. »

ris Dei. Quia propter quod unumquodque, et illud magis : qui ergo amat Christum, qui a Deo exivit, amor ejus præcipue retorquetur in Deum Patrem ; non autem si amat eum in quantum hominem.

4. Sed quia mentionem fecit de exitu suo a Patre, hic manifestius explicans dicit : *Exivi a Patre, et veni in mundum.* Ubi ostendit familiaritatem suam ad Patrem : et primo ponit ejus a Patre exitum ; secundo ejus ad Patrem reditum, ibi, *Iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Est autem duplex processio Filii a Patre : una scilicet æterna, alia temporalis. Æternam quidem designat cum dicit, *Exivi a Patre*, ab eo æternaliter genitus.

Sed notandum, quod omne quod exit ab aliquo, fuit prius in eo. Aliquid autem est in aliquo tripliciter. Uno modo sicut contentum in continente ; alio modo sicut pars in toto ; tertio modo sicut accidens in subjecto [1] et sicut effectus in causa : et secundum hoc dicuntur aliqua ab eis exire. Sed primis duobus modis exit aliquid idem numero existens ; puta idem numero vinum de dolio, et eadem pars a toto. Sed aliis duobus modis non exit idem numero. Hæc autem non sunt dicenda de Deo : quia cum Deus sit summe simplex, nec sit in loco nisi metaphorice ; non potest dici [2] quod Filius sit in eo sicut pars vel sicut contentum, sed in eo erat per unitatem essentiæ. Supra VIII, 16 : *Ego et Pater unum sumus.* Tota enim essentia Patris est tota essentia Filii, et e converso ; et ideo non exit eo modo a Patre quo prædicta. Nam quod exit a toto ut pars, est distinctum ab eo per essentiam : nam pars a toto exiens fit ens actu, quæ in eo erat ens in potentia. Et similiter quod exit a toto continente, loco distinguitur : sed Filius a Patre non exit localiter, quia omnia implet : secundum illud Hierem. XXIII, 24 : *Cœlum et terram ego impleo* : nec divisibiliter : quia Pater impartibilis [3] est ; sed exit ab eo per personalem distinctionem. Sic ergo in exitu, inquantum præsupponit inhærentiam, designatur essentiæ unitas ; inquantum insinuat processum quemdam, designatur distinctio personalis. Psal. XVIII, 7 : *A summo cœlo* scilicet Deo Patre *egressio ejus.* Et Psal. CXIX, 3 : *Ex utero ante luciferum genui te.* Sed in rebus corporalibus res exiens ab aliquo jam non est in eo, cum exeat per separationem essentiæ vel loci. Hic autem quia non est exitus talis, ideo sic ab æterno a Patre exiit quod tamen ab æterno sit in eo : et sic quando est in eo, exit, et quando exit, est in eo : ita ut semper exeat, et semper sit in eo.

Temporalem autem processionem ejus designat dicens : *Et veni in mundum.* Sicut autem exitus a Patre ab æterno non est localiter, ita nec adventus ejus in mundum est localis : quia cum Filius sit in Patre, et e converso ; sicut Pater omnia implet, ita et Filius ; nec est quo localiter moveatur. Dicitur ergo venisse in mundum, inquantum naturam humanam assumpsit, quantum ad corpus, habentem originem ex mundo, non mutando locum. Supra I, 11 : *In propria venit, et sui eum non receperunt.*

Consequenter cum dicit, *Iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem*, agit de reditu suo ad Patrem : et primo ponit recessum ejus a mundo, dicens : *Iterum relinquo mundum*, non subtrahendo suæ gubernationis providentiam : quia simul cum Patre semper mundum gubernat, et semper cum fidelibus est per gratiæ opitulationem. Matth. ult., 20 : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Relinquit ergo mundum subtrahendo se a conspectu corporali mundanorum. Secundo ponit reditum suum ad Patrem, cum dicit, *Vado ad Patrem*, quem numquam deseruerat. Vadit autem inquantum se obtulit Patri in passione. Ephes. V, 2 : *Obtulit semetipsum oblationem et hostiam Deo.* Item inquantum per resurrectionem, secundum quod homo, configuratus est Patri in immortalitate. Rom. VI, 10 : *Quod autem vivit, vivit Deo.* Item inquantum in ascensione ascendit ad cœlos, in quo specialiter refulget divina gloria. Marc. ult., 19 : *Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei.* Supra eodem : *Vado ad eum qui me misit ; et nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis?*

[1] Al. : « in substantia. » — [2] Al. omittitur : « dici. » — [3] Al. : « in partibus. »

LECTIO VIII.

1. Dicunt ei discipuli ejus : Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget. In hoc credimus quia a Deo existi. 2. Respondit eis **Jesus : Modo creditis? Ecce venit hora, et jam venit,** ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis ; et non tamen sum solus, quia Pater mecum est. 3. Hæc locutus sum in me pacem habeatis. 4. In mundo pressuram habebitis. Sed confidite : ego vici mundum.

1. Positis rationibus et verbis consolantibus Apostolos, hic ponitur effectus ipsorum in discipulis : et primo ponitur discipulorum affectio ; secundo ostenditur ipsorum conditio, ibi, *Respondit eis Jesus*; tertio assignatur prædictorum intentio, ibi, *Hæc locutus sum vobis* etc. Affectio discipulorum est confessionis et credulitatis : unde dicunt : *Ecce nunc palam loqueris.* Ubi tria confitentur de Christo ; scilicet doctrinæ claritatem, scientiæ certitudinem, et divinam originem. Primum confitentur cum dicunt : *Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis.* Si enim diligenter advertimus, vix in aliquo loco sacræ Scripturæ ita exprimitur Christi origo, sicut hic, cum dicit : *Palam de Patre meo annuntiabo vobis ;* et *Exivi a Patre, et veni in mundum.* Et ideo credentes hanc promissionem, qua dixit, *Palam de Patre meo annuntiabo vobis*, eis completam esse, ita ut non alia manifestatione indigeant, dicunt : *Ecce nunc palam loqueris.* Sed, ut Augustinus dicit, ita adhuc ignorantes erant discipuli, ut se non intelligere ignorent. Non enim promiserat eis in illa hora [1] se sine proverbiis locuturum, sed in hora resurrectionis vel gloriæ. Tamen quantum ad ipsos discipulos jam clarius eis fuit locutus tunc, quamvis alia claritas sermonum ejus esset expectanda. Infra XVIII, 20 : *Ego palam locutus sum mundo.* Secundum confitentur cum dicunt : *Nunc scimus quia scis omnia.* Et quidem in superficie verborum satis evidens argumentum est certæ et perfectæ scientiæ, quando quis manifestat quæ dicit : signum enim scientis [2] est omnino posse docere : unde dicitur Proverb. XIV, quod doctrina prudentium facilis est. Quæ enim nostrum superant intellectum, non plane verbis explicamus. Sed tamen hoc Apostoli dicunt propter aliam intentionem, quia scilicet Dominus scit omnia cordis eorum secreta, et de his quæ dubitant satisfacit : consolatur eos promittendo gaudium Spiritus sancti, et iteratam sui visionem et Patris amorem : et et ideo dicunt : *Nunc scimus quia scis omnia,* scilicet secreta cordium. Infra ult., 17 : *Tu omnia nosti.* Sap. VIII, 8 : *Domino Deo nostro nota sunt omnia, antequam fiant.* Unde subdunt : *Et non est opus tibi ut quis te interroget.*

Quod videtur prædictis contradicere. Dicunt enim, quod scit omnia ; scientis autem [3] non est interrogare, sed interrogari : quomodo ergo non est ei opus ut quis eum interroget? Sed dicendum, quod hoc dicunt, ut innuant quod etiam secreta cordium novit, quia et ante interrogationem eis satisfecit supra cum dicerent inter se (hoc cap.) : *Quid est quod dicit nobis modicum*? Nihilominus tamen Christus interrogat et interrogatur, non quia opus sit ei, sed nobis.

Tertium confitentur cum dicunt : *In hoc credimus quia a Deo existi* : et quidem convenienter : scire enim omnia, et etiam secreta cordium, est proprium divinitatis. Hier. XVII, 9 : *Pravum est cor hominis et inscrutabile* : *quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor et probans renes.* Et ideo dicunt, *A Deo existi*, consubstantialis Patri, et verus Deus.

2. *Respondit eis Jesus*, etc. Hic ponitur discipulorum conditio, quæ est infirmitatis : ubi primo exprobrat fidei eorum tarditatem ; secundo tribulationem futuram imminentem ; tertio ostendit se immunem ab omni eorum detrimento. Quantum ad primum dicit : *Modo creditis.* Quod si accipiatur interrogative, est exprobratio tarditatis eorum ad credendum ; quasi diceret : Usque modo distulistis credere? Si vero accipiatur remissive, exprobrat fidei ipsorum instabilitatem ; quasi diceret : Verum est quod nunc creditis ; sed statim quando tradar dimittetis me. Luc. VIII, 13 : *Ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis.* Hic ponitur eis imminens tribulatio et scandalum. Unde sciendum

[1] Al. : « nulla hora. » — [2] Al. : « docentis. » — [3] Al. : « enim. »

est, quod imminente hujusmodi scandalo, quæ antea per Christum adepti fuerant amiserunt. Adepti enim fuerant Christi societatem, possessionem, et rerum exonerationem, et omnem communem modum vivendi. Unde hæc tria enumerat Petrus. Matth. XIX, 27, dicens : *Ecce nos* scilicet omnes, quantum ad tertium *reliquimus omnia* quantum ad secundum *et secuti sumus te*, quantum ad primum. Et hæc amiserunt : et ideo hoc eis prædixit Dominus, dicens : *Ecce venit hora*, *et jam venit*, *ut dispergamini*, quantum ad tertium, propter timorem qui vobis dominabitur, ita ut nec simul possitis fugere. Zach. VII, 7 : *Percute pastorem*, *et dispergentur oves gregis* etc. *Unusquisque in propria*, quantum ad secundum, idest ad animum possidendi propria : unde Petrus cum aliis reversi sunt ad navem, et propria. Infra ult., 3, *Exierunt*, *et ascenderunt in navim. Et me solum relinquatis*, quantum ad primum. Job. XIX, 14 : *Fratres mei dereliquerunt me*, *et qui me noverunt*, *obliti sunt mei*. Isai. LXIII, 3 : *Torcular calcavi solus*. Sed discipulorum scandalo Christus nullum patitur detrimentum : unde dicit : *Et non sum solus*, *quia Pater mecum est*; quasi diceret : Etsi sum unum cum Patre per unitatem essentiæ, non sum solus per distinctionem personalem : unde non sic a Patre exivi ut ab eo recederem.

3. *Hæc locutus sum*, etc. Hic ponit Dominus suam intentionem de doctrina sua : et primo ponit doctrinæ suæ utilitatem ; secundo necessitatem, *in mundo pressuram habebitis*. Utilitas doctrinæ est pax : unde dicit : Dico quod ad hoc deduceminí, ut me solum relinquatis ; et propter hoc propono vobis doctrinam meam, ne in hac derelictione persistatis: et propter hoc scilicet omnia quæ dixi vobis in sermone, vel omnia quæ in toto Evangelio locutus sum vobis, ut ad me redeuntes, *in me pacem habeatis*. Finis enim Evangelii est pax in Christo. Psal. CXVIII, 165 : « *Pax multa diligentibus nomen tuum*. » Cujus ratio est, quia pax cordis opponitur ejus perturbationi, quæ oritur ex malis supervenientibus et crescentibus. Si quis autem habeat aliquando luctum vel gaudium superexcedens illa mala, patet quod perturbatio non manet. Et inde [1] est quod homines mundani, qui Deo per amorem non sunt conjuncti, habent tribulationes absque pace; sed sancti qui Deum per amorem habent in corde, etsi ex mundo habeant tribulationes, in Christo habent pacem. Psal. CXLVIII, 14 : *Qui posuit fines tuos pacem*. Finis enim noster hic debet esse ut pacem habeamus in Deo. Psal. LXXVI, 3 : *Renuit consolari anima mea* scilicet in rebus mundi : *sed ubi memor fui Dei*, *delectatus sum*.

4. Necessitas autem hujus pacis est illata vexatio a mundo : unde dicit : *In mundo pressuram habebitis*. Et primo prænuntiat futuram angustiam ; secundo dat contra eam fiduciam. Quantum ad primum dicit : *In mundo pressuram habebitis*, idest a mundanis. I Joan. III, 13 : *Nolite mirari si odit vos mundus*. Supra XV, 19 : *Quia ego elegi vos de mundo*, *propterea odit vos mundus*. Quantum ad secundum dicit : *Confidite* : *ego vici mundum*. Ipse enim liberat nos. Eccl. LI, 6 : *Liberavit me a pressura flammæ*. Quasi diceret : Recurratis ad me, et habebitis pacem : et hoc ideo *quia ego vici mundum*, qui vos premit. Vicit Christus mundum, primo quidem auferendo ei arma quibus impugnat : hæc autem sunt ejus concupiscibilia. I Joan. II, 16 : *Omne quod est in mundo*, *aut est concupiscentia oculorum*, *aut concupiscentia carnis*, *aut superbia vitæ* : quia scilicet divitias vicit per paupertatem : Psalm. LXXXV, 1 : *Inops et pauper sum ego*. Luc. IX, 58 : *Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet* : Honores per humilitatem. Matth. XI, 29 : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* : Voluptates per passiones et labores. Phil. II, 8 : *Factus est obediens usque ad mortem*, *mortem autem crucis*. Item supra IV, 6 : *Jesus autem fatigatus ab itinere sedebat sic supra fontem*. Psalm. LXXXVII, 16 : *In laboribus sum ego a juventute mea*. Qui ergo sic ista vincit, vincit mundum : et hoc est quod facit Fides. I Joan. V, 4 : *Hæc est victoria quæ vincit mundum*, *fides nostra* : quia cum sit substantia sperandarum rerum, quæ sunt bona spiritualia et æterna, facit nos contemnere bona carnalia et transitoria. Secundo vicit mundum, mundi principem excludendo. Supra XII, 31 : *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*. Coloss. II, 15 : *Expolians principatus et potestates*, *traduxit confidenter*, *palam triumphans illos in semetipso*. Ex

[1] Al. : « et inde est quod perturbatio non manet; et inde est, etc. »

quo præbuit nobis diabolum ut a nobis vincendum. Job xl, 24 : *Numquid illudes ei quasi avi, aut ligabis eum ancillis tuis?* Ad litteram, post passionem Christi, juvenculæ ancillæ Christi et parvuli illudunt ei. Tertio homines mundi ad se convertendo. Mundus rebellabat movendo seditiones per homines mundi, quos Christus ad se traxit. Supra xii, 32 : *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Unde supra vii, 19, dicunt : *Ecce totus mundus post eum vadit.* Sic ergo non debemus timere pressuras, quia victus est. I Cor. xv, 56 : *Deo autem gratia, qui dedit nobis victoriam per Jesum Christum.*

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM

LECTIO I.

1. Hæc locutus est Jesus ; et sublevatis oculis in cœlum, dixit : Pater, venit hora : clarifica Filium tuum. 2. Ut Filius tuus clarificet te : 3. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum. 4. Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam : et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te.

1. Supra Dominus confortavit discipulos exemplo et exhortatione ; in parte ista confortat eos oratione : in qua quidem oratione tria facit. Primo erat pro seipso ; secundo pro discipulorum collegio, ibi, *Manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo*. Tertio pro universo fideli populo, ibi, *Non pro eis rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt*. Circa primum tria facit. Primo proponit petitionem ; secundo petitionis fructum, ibi, *Ut Filius tuus clarificet te* etc ; tertio petitionis exaudiendæ meritum, ibi, *Ego clarificavi te* etc. Circa primum primo ponitur orandi ordo, secundo orandi modus ; tertio rationis verba. Ordo orandi est congruus : quia post exhortationem : unde dicit : *Hæc locutus est Jesus*. In quo datur nobis exemplum, ut quos instruimus verbo, juvemus orationum suffragio: quia sermo divinus maxime habet effectum in cordibus auditorum, cum oratione fulcitur, per quam divinum auxilium imploratur. II Thessal. ult. 1 : *Orantes simul etiam pro nobis , ut Deus aperiat nobis ostium sermonis*. Unde et finis sermonis nostri debet ad orationem terminari. Eccl. XLIII, 29 : *Consummatio sermonum ipse est*. Modus decens : quia *sublevatis oculis in cœlum*. Differentia est enim inter orationem Christi et orationem nostram : nam oratio nostra est solum ad necessitatem ; sed oratio Christi est magis ad instructionem. Nulla enim necessitas inerat sibi orandi, qui simul cum Patre exaudit. Instruxit autem nos in hoc, et verbo et facto. Facto quidem, sublevando oculos, ut et nos in oratione nostra oculos ad cœlum levemus. Psalm. CXXII, 1 : *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis*. Et non tantum oculos nostros, sed etiam operationes nostras in Deum referendo : secundum illud Thren. III, 41 : *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos*. Verbo autem, quia manifeste orationem protulit : unde dicit, *Et dixit* ut scilicet quos instruxerat docendo, instrueret orando : non solum enim verbum Christi, sed et facta ejus, nostra instructio est. Verba autem ejus sunt efficacia : unde dicit : *Pater, venit hora* : quæ quidem efficacia causatur ex tribus. Scilicet ex orantis affectu : Filius enim orat Patrem, cujus est Patrem ex amore quærere, et ex amore rogare : unde dicit, *Pater*, ut per hoc det intelligere, ut filiali affectu oremus Deum. Hier. III, 19 : *Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis*. Secundo ex orandi necessitate : unde dicit, *Venet hora*, passionis, de qua supra II, 4 : *Nondem venit hora mea*. Hora, inquam, non tempus, non dies, quia statim capiendus erat etc. Nec hora fatalis necessitatis, sed suæ ordinationis et beneplaciti. Et convenienter rogaturus interponit tribulationes, quia in eis maxime Deus exaudit. Psal. CXIX, 1 : *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, et exaudivit me*. II Par. XX, 12 : *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui ut oculos nostros dirigamus ad te*. Tertio ex petitionis tenore : unde dicit : *Clarifica Filium tuum*.

Sed cum Filius Dei sit ipsa sapientia, I Cor. I : hæc autem maximam claritatem habeat : Sap. VI, 13 : *Clara est, et quæ nunquam marcescit sapientia* ; quomodo dicitur claritas clarificari, præsertim cum ipse sit splendor Patris? Heb. I, 3. Sed dicendum, quod Christus tripliciter petebat clarificari a Patre. Scilicet in passione : et hoc per multa miracula quæ tunc ostensa sunt, cum sol obscuratus est, scissum est velum templi, et monumenta aperta sunt. Et de hoc dicitur supra XII, 28 :

Et clarificavi, scilicet miraculis ante passionem, *et iterum clarificabo*, in passione: unde dicit, secundum hoc, *Clarifica*, in passione me ostendendo esse Filium tuum. Unde Centurio visis miraculis dixit Matth. xxvii, 55: *Vere Filius Dei erat iste*[1]. Secundo in resurrectione. Anima enim illa sancta semper Deo conjuncta fuit habens gloriam ex Dei visione: supra i, 14: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis*; nam a principio conceptionis quantum ad animam habuit claritatem; sed in resurrectione habuit claritatem corporis, de qua Phil. iii, 21: *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*. Tertio in notitia omnium populorum. Sap. viii, 10: *Habeo per hanc claritatem ad turbas, et honorem apud seniores*. Et sic dicit, *Clarifica*; idest, manifesta toti mundo me esse Filium tuum, scilicet proprium, et hoc nativitate, non creatione: contra Arium dicentem, Filium Dei esse creaturam: veritate, non nuncupatione: contra Sabellium dicentem, quod idem est qui dicitur Pater, et qui dicitur Filius: origine, non adoptione: contra Nestorium, qui dixit Christum esse Filium adoptivum.

2. *Ut Filius tuus*, etc. Hic ponitur fructus clarificationis. Et primo proponit fructum; secundo exponit, ibi, *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*. Fructus autem clarificationis Filii est clarificatio Patris: unde dicit: *Ut Filius tuus clarificet te*. Et sciendum, quod audiens Arius Dominum dicentem, *Clarificat Filium tuum*, opinatus est Patrem majorem Filio: quod quidem verum est secundum humanitatem. Supra xiv, 28: *Pater major me est*. Et ideo, ut ostendat æqualitatem ejus ad Patrem secundum divinitatem, subjungit: *Ut Filius tuus clarificet te*, scilicet in notitia hominum. Gloria enim est clara cum laude notitia. Deus autem olim erat clarus apud Judæos: quia notus in Judæa Deus: Psalm. lxxv, 2: sed postea per Filium notus est per totum mundum. Sed et sancti viri bonis operibus notitiam Dei clarificant. Matth v, 16: *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est*. Unde supra viii, 50: *Ego gloriam meam non quæro: est qui quærat et judicet*.

3. *Sicut dedisti*, etc. Hic ponit petitionis fructum: et primo ponit beneficium a Christo collatum hominibus; secundo ostendit hoc beneficium ad gloriam Patris pertinere, ibi, *Hæc autem est vita æterna*. Dicit ergo: *Ut Filius tuus clarificet te*; et hoc *sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*. Sciendum est enim, quod agentis cujuslibet quod agit ab alio, intentio est reducere suum effectum in causæ manifestationem: nam ex actione principii quod est de principio, manifestatur ipsum principium: Filius autem quicquid habet, a Patre habet et ideo oportet quod per ea quæ facit, Patrem manifestet, et ideo dicit: *Dedisti ei potestatem*, super omnes homines; sed et Filius per hanc potestatem debet eos ad tui cognitionem, quæ est vita æterna, perducere. Et sic est sensus: *Filius clarificet te, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*, idest omnis hominis. Luc. iii, 6: *Videbit omnis caro salutare Dei*. *Dedisti*, inquam, secundum Hilarium, dando per æternam generationem naturam divinam, per quam habet potestatem omnia continendi. Matth. xi, 27: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*. Et supra v, 20: *Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit*. Vel *dedisti ei*, scilicet Christo homini, propter consortium personale ad Filium tuum, ut sic caro haberet potestatem super carnem. Matth. ult., 18: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra*. Daniel. vii, 14: *Dedit ei* scilicet Filio hominis *potestatem et honorem et regnum*. Ad hoc, inquit, *dedisti*, ut scilicet sicut tu habes potestatem ut non ab homine aliquid accipias, sed ut teipsum ei conferas; ita et Christo homini, ut *omne quod dedisti ei*, per æternam prædestinationem, *det eis*, sibi datis, *vitam æternam*. Supra x, 27: *Oves meæ vocem meam audiunt; et ego cognosco eas*.

Sed numquid vita æterna data hominibus pertinet ad gloriam Patris? Immo, quia *hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum*; idest, ut clarificetur Pater in notitia hominum.

Sed hic duo sunt exponenda. Primo quidem quid est hoc quod dicit, *Hæc est vita æterna ut cognoscant*. Circa quod sciendum est, quod illa proprie vivere dicimus quæ se ipsa movent ad operandum; quæcumque autem non nisi ab aliis moventur, non dicuntur viventia, sed mortua: et ideo omnes operationes ad

[1] Al.: « homo iste. »

quas operans movet se, dicuntur opera vitæ, sicut velle, intelligere, sentire, augeri et moveri. Dicitur autem aliquid vivere, dupliciter : aut quia habet opera vitæ in potentia, et sic dormiens dicitur vivere vita sensitiva, quia habet potestatem movendi se, licet actu non moveatur ; aut quia jam exercet opera vitæ in actu, et tunc perfecte dicitur aliquid vivere : unde somnus dicitur dimidium vitæ. Inter opera autem vitæ altius est opus intelligentiæ, quod est intelligere ; et ideo operatio intellectus maxime est vita. Sicut autem idem est sensus actu et sensibile in actu, ita intelligens in actu et res intellecta in actu. Cum ergo intelligentia sit vita et intelligere sit vivere, sequitur quod intelligere rem æternam sit vivere vita æterna: Deus est autem res æterna : intelligere ergo et videre Deum est vita æterna. Et ideo Dominus dicit, quod in visione consistit vita æterna, scilicet principaliter secundum totam suam substantiam. Amor autem est movens ad hanc, et quoddam ejus complementum : nam ex delectatione quæ est in fruitione divina, quam facit caritas, est complementum et decor beatitudinis; sed ejus substantia in visione consistit. I Joan. III, 2 : *Videbimus eum sicuti est.*

Secundo exponendum est hoc quod dicit, *Te solum verum Deum.* Manifestum est enim quod Christus loquebatur ad Patrem : cum ergo dicat, *Te solum verum Deum*, videtur quod solus Deus Pater sit Deus verus. Quod quidem concedunt Ariani dicentes, Filium differre a Patre per essentiam, cum sit substantia creata, magis tamen et perfectius inter omnes creaturas Patris divinitatem participans, intantum quod dicatur Deus, sed non verus, quia non est Deus per naturam, sed solus Pater. Sed contra hoc arguit Hilarius. Constat enim quod cum volumus scire de re aliqua utrum sit vera, ex duobus scire possumus : scilicet ex natura et ex virtute ejus. Verum enim aurum est quod habet veri auri speciem ; quod quidem scimus, si facit veri auri operationem. Si ergo habemus de Filio quod habeat veram Dei naturam, et hoc per veram operationem divinitatis, quam exercet ; manifestum est quod est verus Deus. Quod autem exerceat Filius vera opera divinitatis, patet supra V, 19 : *Quæcumque Pater facit, hæc et Filius similiter facit.* Et iterum dicit ibid. 26 : *Sicut Pater habet vitam in semetipso*, non quidem participatam, *ita et Filio dedit vitam habere in semetipso.* I Joan. ult. 20 : *Ut simus in vero Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus et vita æterna.* Dicit autem *Te solum Deum*, secundum Hilarium, non excludens aliquid. Unde non dicit absolute, *Te solum*; sed addit, *Et quem misisti Jesum Christum;* quasi diceret : *Ut cognoscant te et quem misisti Jesum Christum,* esse unum solum et verum Deum : secundum illum modum loquendi : « Tu solus altissimus, Jesu Christe, cum sancto Spiritu. » Nec facit mentionem de Spiritu sancto : quia ubicumque ponuntur Pater et Filius, et præcipue in his quæ ad majestatem divinitatis pertinent, cointelligitur Spiritus sanctus,qui est nexus amborum. Vel, secundum Augustinum *De Trinitate*, hoc dicit ad excludendum errorem quorumdam dicentium, quod hæc est falsa : Pater est Deus et Filius est Deus et Spiritus sanctus est Deus : sed hæc est vera : Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt unus Deus. Et ratio istorum erat, quia, ut ab Apostolo dicitur I Corinth. I, *Christus est Dei virtus et Dei sapientia.* Manifestum est autem quod nullus potest dicere aliquem Deum, nisi habeat virtutem et sapientiam divinam. Cum ergo isti vellent quod Pater esset sapientia, quæ est Filius, dicebant ulterius, quod Pater sine Filio consideratus non esset Deus, et etiam Filius et Spiritus sanctus. Et quia in missione designatur incarnatio Filii Dei, ideo per hoc quod dicit, *Et quem misisti Jesum Christum*, datur intelligi quod in vita æterna gaudebimus etiam de humanitate Christi. Isa. XXXIII, 17 : *Regem* idest Christum *in decore suo videbunt.* Supra X, 9 : *Ingredietur et egredietur et pascua inveniet.*

4. *Ego te clarificavi*, etc. Hic ponitur meritum exaudiendæ petitionis : et primo commemorat meritum; secundo postulat præmium, ibi, *Et nunc clarifica me tu, Pater.* Commemorat autem duplex meritum. Scilicet doctrinæ, dicens, *Ego te clarificavi,* scilicet in notitia hominum, manifestando per doctrinam. Isai. XXIV, 15 : *In doctrinis glorificate Deum.* Item obedientiæ : unde subdit, *Opus consummavi.* Utitur præterito pro futuro, scilicet *clarificavi*, idest clarificabo ; *et consummavi*, idest consummabo : et hoc, quia jam inchoatum erat ; et iterum quia imminebat hora passionis, quando hoc opus consummatum est. *Quod dedisti mihi*, non

jussisti : non enim sufficit quod Christo et nobis mandetur divinitus : quia quicquid Christus secundum quod homo fecit et nos facere possumus, est [1] ex dono Dei. Sap. VIII, 21 : *Scivi quia non possum esse continens, nisi Deus det. Dedisti*, inquam, *mihi*, per donum gratiæ, *ut facerem;* idest, ut consummarem. Eccli. XXVIII, 31 : *Cor suum dabit in consummationem.* Sed quia obedientiæ et doctrinæ Christi præmium est gloria : Phil. II, 8 : *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* : *propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen :* ideo postulat præmium [2], dicens : *Et nunc clarifica me tu, Pater.* Quod non est intelligendum ut quidam putaverunt, sicut Augustinus dicit, quod natura humana in Christo a Verbo suscepta aliquando convertatur in Verbum, et homo mutetur in Deum ; quia hoc nihil aliud esset quam ipsam naturam annihilari. Omne enim quod ita in aliud convertitur quod illud in quod convertitur non augeatur, annihilari videtur : divino autem Verbo Dei nihil augeri potest. Et ideo, secundum Augustinum, intelligendum est, *Et nunc clarifica me tu Pater*, de prædestinatione Christi hominis : nam aliquid habemus in prædestinatione divina, et [3] in effectu rei. Homo autem Christus Jesus, sicut et alii homines, prædestinatus fuit a Deo Patre. Rom. I, 4 : *Qui prædestinatus est Filius Dei* etc. Et secundum hoc dicit : *Et nunc*, idest postquam *clarificari te, et consummavi opus quod dedisti mihi ut faciam* : *clarifica me tu, Pater, apud temetipsum*; idest, fac me sedere ad dexteram tuam ; et hoc *claritate quam habui priusquam mundus fieret, apud te*, idest in tua prædestinatione. Marc. ult. 19 : *Dominus quidem Jesus assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei.* Vel aliter, secundum Hilarium. Nam gloria hominum est quædam conformitas ad gloriam Dei, quamvis inæqualis ; Christus autem secundum quod Deus, habuit gloriam ab æterno apud Patrem, scilicet divinam, et æqualem Patri : petit ergo hic quod in humanitate clarificetur, ut scilicet id quod ex tempore erat caro, et in corruptionem transformata, gloriam ejus quæ sine tempore est claritatis acciperet ; non tamen æqualem, sed similem : ut scilicet sicut ab æterno apud Patrem immortalis et ad dexteram consedens fuit, ita et secundum quod homo immortalis efficiatur, et ad Dei dexteram exaltetur.

LECTIO II.

1. Manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt. Nunc cognoverunt quia omnia quæ dedisti mihi abs te sunt : quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis, et ipsi acceperunt, et cognoverunt vere quia a te exivi, et crediderunt quia tu me misisti. 2. Ego pro eis rogo : non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt, et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt, et clarificatus sum in eis. Et jam non sum in mundo, et hi in mundo, sunt, et ego ad te venio.

1. Supra oravit Dominus pro seipso ; hic orat pro Apostolorum collegio : et primo assignat rationes orandi ; secundo ponit orationis tenorem, ibi, *Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi.* Circa primum duo facit. Primo tangit rationem ex parte discipulorum ; secundo ex parte sui, ibi, *Ego pro eis rogo* etc. Ex parte autem discipulorum ponit tres rationes orandi pro eis. Prima, quia ab eo instructi ; secunda, quia sibi dati ; tertia, quia ei obedientes et devoti. Primam ponit cum dicit, *Manifestavi* : quasi dicat, secundum Augustinum : *Ut Filius tuus clarificet te ;* quæ quidem clarificatio jam in parte est impleta, quia *manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo.* Vel, secundum Chrysostomum : Dico, quod consummavi opus quod dedisti mihi ut facerem. Quale autem opus sit, subdit cum dicit ; *Manifestavi nomen tuum hominibus* etc., quod est proprium opus Filii Dei, qui est Verbum, cujus est proprium manifestare dicentem. Matth. XI, 27 : *Neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Supra, I, 18 : *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

Sed hic est dubium. Cum Deus Pater fuerit notus hominibus ante adventum Christi, secundum illud Psal. LXXV, 2 : *Notus in Judæa Deus* : quid est hoc quod dicit : *Manifestavi* [4] *nomen tuum*? Responsio. Dicendum, quod nomen Dei Pa-

[1] Al. omittitur : « est. » — [2] Al. : « primum. » — [3] Al. deest : « et. » — [4] Al. *manifestum.*

tris poterat tripliciter cognosci. Uno modo inquantum est omnium creator; et hoc modo notus erat a Gentibus. Rom. I, 20 : *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Et infra vers 19, *Deus illi revelavit.* Alio modo, ut cui soli esset latriæ cultus exhibendus : et hoc modo non erat notus a Gentibus, quæ etiam latriæ cultum aliis diis exhibebant, sed a Judæis tantum, quibus solis præceptum erat in lege quod non nisi Domino immolarent. Exod. XXII, 20 : *Qui immolat diis alienis, occidetur, præterquam Domino soli.* Tertio modo ut Pater unigeniti Filii sui Jesu Christi : et hoc modo nulli erat notus; sed innotuit per Filium quando Apostoli crediderunt eum esse Filium Dei.

Secundam rationem ponit cum dicit, *Quos dedisti mihi* : et primo ponit dationem, ex qua sumitur ratio seu modus. Dicit ergo, *Quos dedisti mihi*, scilicet, illis hominibus nomen tuum manifestavi.

Sed numquid Filius habuit eos sicut et Pater habuit? Utique inquantum Deus. Sed dicit, *Dedisti mihi*, scilicet homini, ut me audirent, et mihi obedirent. Supra VI, 44 : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Quod autem aliqui ad Christum veniant, est ex dono et gratia Dei. Ephes. II, 8 : *Gratia salvati estis : hoc enim Dei donum est. Dedisti*, inquam, *de mundo*, idest a mundo electos. Supra XV, 19 : *Quia elegi vos de mundo.* Nam etsi totus mundus quantum ad Deum datus sit Filio, Apostoli tamen dati sunt Filio ad obediendum.

Rationem dationis ponit, dicens : *Tui erant*; quasi ideo dati, quia *tui erant*, et mei, et secundum divinitatem prædestinati ab æterno, ut per gratiam ad futuram gloriam pervenirent. Ephes. I, 4 : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. Et mihi eos dedisti*; idest, quod antea de eis mecum et in me prædestinasti, opere implesti, faciendo ut mihi adhærerent.

Tertiam rationem ponit cum dicit : *Et sermonem tuum servaverunt* : quæ sumitur ex discipulorum devotione. Et primo ponit devotionem ipsorum ad Filium; secundo ostendit quod hæc devotio redundat in gloriam Patris, ibi, *Et cognoverunt quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt*; tertio rationem hujus assignat, ibi, *Quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis.* Dicit ergo quantum ad primum : *Mihi eos dedisti, quia tui erant*; sed et ipsi devote se habuerunt, *quia sermonem tuum servaverunt*, in corde per fidem, et in opere per impletionem. Prov. VII, 2 : *Serva mandata mea, ut vivas.* Supra XV, 10 : *Si mandata mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.* Sed et hoc quod sic servaverunt sermonem, redundat in gloriam tuam, Pater : nam hic est sermo meus, quia omnia quæcumque habeo, a te habeo; *et ipsi nunc cognoverunt, quia omnia quæ dedisti mihi*, scilicet homini Filio tuo, *abs te sunt.* Supra I, 14 : *Vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti a Patre*, idest, vidimus eum quasi omnia a Patre habentem. Et per hoc quod cognoverunt, clarificatur Pater in mente ipsorum. Ratio autem hujus clarificationis, quod scilicet obedientia discipulorum ad Filium redundet [1] in gloriam Patris, ponitur cum dicitur : *Quia verba quæ dedisti mihi*, etc. Ubi primo ponit ordinem processus cognitionis a Patre ad discipulos; secundo proponit ordinem reductionis mentium discipulorum in Patrem. Primum ponit per dationem doctrinæ a Patre. Et ponitur duplex datio. Una quam dedit Pater Filio : unde dicit : *Verba quæ dedisti mihi*, secundum generationem æternam, in qua dedit Pater verba Filio, cum tamen ipse sit verbum Patris. Hujusmodi [2] verba nil aliud sunt quam rationes omnium fiendorum, quas omnes ab æterno Pater dedit Filio, generando ipsum. Vel *dedisti mihi*, scilicet Christo homini : quia anima sua sanctissima ab ipso instanti conceptionis repleta fuit omni cognitione veritatis. Supra I, 14 : *Plenum gratiæ et veritatis*, idest cognitione cujuslibet veritatis. Colos. II, 3 : *In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ.* Alia datio est quam Christus dat discipulis : unde dicit, *Dedi eis*, interius et exterius docendo. Supra XV, 15 : *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* In quo se ostendit mediatorem Dei et hominum, I Tim. I, quia scilicet quod accepit a Patre, transfundit in discipulos. Deuter. V, 5 : *Ego sequester fui inter Dominum et vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus.* Reductio autem mentium discipulorum in Deum ponitur cum dicit, *Et ipsi acceperunt.* Ubi ponitur duplex acceptio correspondens duplici dationi præ-

[1] Al. : « redundet ad Filium, etc. » — [2] Al. : « quia hujusmodi. »

dictæ. Una respondet secundæ dationi, cum dicit, *Et ipsi acceperunt*, a me, non existentes rebelles. Isa. L, 5 : *Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico.* Supra VI, 45, *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* Et accipientes *cognoverunt*, quia tu omnia mihi dedisti, quod respondet primæ dationi.

Et, secundum Augustinum, hoc quod addit, *Crediderunt quia tu me misisti*, est expositivum præcedentium. Duplex enim est cognitio divinorum : una perfecta, quæ est gloriæ per apertam visionem; alia imperfecta, quæ est viæ per fidem. I Corinth. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate,* quantum ad secundum : *tunc autem facie ad faciem*, quantum ad primum. Dicit ergo : *Cognoverunt quia a te exivi.* Sed qua cognitione? Numquid patriæ? Non; sed fidei : unde subdit, *Et crediderunt*; quasi hoc ipsum sit cognoscere quod credere. *Crediderunt*, inquam, *vere*, idest firmiter et stabiliter. Supra XVI, 31 : *Modo creditis*? scilicet stabiliter. *Ecce venit hora*, scilicet cum perfecte creditis [1]. Et utitur præterito pro futuro, tum propter certitudinem rei futuræ, tum propter infallibilitatem divinæ prædestinationis. Vel, secundum Chrysostomum, loquitur de præterito ; et hæc dicit esse facta, quia jam inchoata erant. Dicendum ergo ut utrumque sensum concordemus, quia hæc omnia jam [2] inchoata erant, sed perficienda restabant. Ergo quantum pertinet ad inchoationem, loquitur de præterito; sed quantum ad consummationem, loquitur de futuro; quæ fienda erant per adventum Spiritus sancti. Sed quid crediderunt? *Quia tu me misisti.* Gal. IV, 4 : *Misit Deus Filium suum*, etc. Quod, secundum Augustinum, idem est quod est *A te exivi.*

Sed hoc est contra Hilarium : quia, secundum eum, ut dictum est, exire pertinet ad æternam generationem, mitti vero ad incarnationem. Sed dicendum, quod de Christo possumus loqui dupliciter : scilicet secundum divinitatem; et sic quantum ad Filium Dei, aliud est exire et aliud mitti, ut Hilarius dicit ; vel secundum humanitatem; et sic quantum ad Filium hominis, idem est exire et mitti, ut dicit Augustinus.

2. *Ego pro eis rogo*, etc. Hic ponuntur rationes orationis ex parte Christi. Et ponit ad hoc tres rationes. Una sumitur ex dominio quod super eos acceperat : et ad hoc dicit : *Ego pro eis*, scilicet discipulis, *rogo*. Ubi primo ponit rationem ipsam; secundo manifestat eam, ibi, *Quia tui sunt.* Ratio autem quare quis sit audiendus, et orare debeat pro aliis, est si illi specialiter pertineant ad ipsum; orationes enim generales minus exaudiuntur : et ideo dicit : *Pro eis rogo, non pro mundo*, idest mundi dilectoribus : *sed pro his quos dedisti mihi* ut discipulos et obedientes specialiter; quamvis omnia sint mea, potestate. Psal. II, 8 : *Postula a me; et dabo tibi gentes hereditatem tuam.*

Sed contra. Videtur quod pro omnibus rogaverit. I Joan. II, 1 : *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum : et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non solum autem nostris, sed et totius mundi.* I Tim. II, 4 : *Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Responsio. Dicendum quod Christus, quantum est de se, pro omnibus oravit, quia oratio sua, quantum est de se, efficax est ut valeat toti mundo; sed tamen non in omnibus sortitur effectum, nisi in sanctis et electis Dei : et hoc propter impedimentum mundanorum.

Et rationem manifestat dicens, *Tui erant*, scilicet per æternam prædestinationem; sed non erant ita tui ut Filius eos non haberet, nec ita dantur Filio ut auferantur Patri : unde dicit : *Et omnia mea tua sunt, et tua mea sunt* : in quo ostenditur æqualitas Filii ad Patrem, qui, secundum quod Deus, ab æterno habet omnia quæ Pater habet.

Sed notandum, quod Pater habet quædam quæ pertinent ad essentiam suam, sicut est sapientia, bonitas et hujusmodi, quæ nihil aliud sunt quam sua essentia; et hoc protestatur Filius se habere, supra XVI, 14, ubi loquitur de processione Spiritus sancti : *De meo accipiet, et annuntiabit vobis* : et hoc ideo, quia *quæcumque habet Pater, mea sunt.* Et dicit, *Omnia*, quia licet unum re sint, tamen multa ratione. Secundo habet quædam quæ pertinent ad possessionem sanctitatis, quæ sunt ei consecrata per fidem, sicut sunt omnes sancti et electi, de

[1] Al. *modo creditis,* « instabiliter scilicet; » *venit hora,* « scilicet cum per fecte credetis. » —

[2] Al. omittitur : « jam. »

quibus dicit supra eodem, *Tui erant.* Et etiam ista omnia protestatur Filius se habere, cum dicit hic, de eis loquens : *Et tua mea sunt* : quia scilicet ad hoc prædestinati sunt ut fruantur Filio, sicut et Patre. Tertio modo habet Pater quædam per modum possessionis communiter, sicut omnes res creatas. Psal. XXIII, 1 : *Domini est terra et plenitudo ejus.* Et hæc etiam omnia sunt Filii. Unde in parabola de filio prodigo, Luc. XVI, 31, dicit Pater filio majori : *Omnia mea tua sunt.*

Secunda ratio sumitur ex gloria quam Christus habebat in eis[1] : quia gloriam ejus jam partim cognoscebant, et adhuc magis cognituri erant. II Petr. I, 16 : *Non indoctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis.* Tertia ratio sumitur ex absentia qua ab eis corporaliter recedebat : unde dicit : *Et jam non sum in mundo.* Ubi sciendum est quod dupliciter dicitur aliquid esse in mundo : scilicet adhærendo mundo per affectum : I Joan. II, 16 : *Omne quod est in mundo : concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Sed hoc modo non est dicendum quod Christus jam non sit in mundo, cum nunquam fuerit in mundo, ei per affectum inhærendo. Sed est alio modo intelligendum, scilicet quod jam non sit in mundo præsentia corporali : quia mox futurum erat ut qui in mundo corporaliter fuerat, corporaliter ipsum relinqueret. *Et hi*, scilicet discipuli, *in mundo sunt*, scilicet præsentia corporali ; *et ego ad te venio*, secundum quod homo, scilicet ad participationem gloriæ tuæ, et exaltationem usque ad dexteram tuam, etc. Et ideo justum est ut pro eis orem a quibus corporaliter recessurus sum.

LECTIO III.

1. Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos. 2. Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo : quos dedisti mihi, ego custodivi ; et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. 3. Nunc autem ad te venio. 4. Et hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. 5. Ego dedi eis sermonem tuum. 6. Et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. 7. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo.

1. Positis rationibus orandi pro Apostolis, hic ponit petitiones quas pro eis porrigebat. Et primo petit eorum conservationem ; secundo sanctificationem, ibi, *Sanctifica eos.* Sed conservationem a malo, sanctificationem in bono. Circa primum duo facit. Primo petit eorum conservationem ; secundo ponit conservationis necessitatem, ibi, *Cum essem cum eis, ego servabam eos.* Circa primum consideranda sunt quatuor. Primo a quo petat ; secundo quid petat ; tertio pro quibus ; quarto ad quid petit. Petit quidem a Patre : unde dicit, *Pater* ; et merito, quia ipse est principium omnis boni. Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Sed addit, *Sancte*, quia etiam in ipso est principium et origo totius sanctitatis, et quia finaliter sanctificationem petebat. Levit. XIX, 2 : *Sancti eritis, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester.* I Reg. II, 2 : *Non est sanctus*[1] *ut est Dominus.* Petit autem conservationem eorum : unde dicit, *Serva eos :* quia, ut dicitur in Psal. CXXVI, 1, *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Non enim bonum nostrum est solum in hoc[2] quod habemus esse a Deo, sed oportet quod conservemur ab eo. Quia, ut dicit Gregorius, « omnia in nihilum redigerentur, nisi manus Omnipotentis contineret. » Hebr. I, 3 : *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Et ideo Psalmista petebat Psal. XV, 1 : *Conserva me Domine, quoniam speravi in te.* Conservatur autem homo[3] a malo et a peccato in nomine Dei : unde dicit, *In nomine tuo;* idest, per virtutem nominis tui et tuæ cognitionis : qui in hoc est gloria et salus nostra. Psalm. XIX, 8 : *Hi in curribus et hi in equis ; nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.* Petit autem pro sibi datis : unde dicit, *Quos dedisti mihi.* Eccle. VII, 14 : *Inspice in omnia opera Domini, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.* Nullus enim potest conservari a malo nisi per electionem divinam, quæ designatur, cum dicit, *Quos dedisti mihi*, idest dono tuæ gratiæ, ut mihi adhærerent, Matth. XIX, 11 : *Non omnes capiunt verbum hoc ; sed quibus datum est.* Qui enim sic dantur

[1] Al. : « spiritus. » — [2] Al. : « ut in hoc solum. » — [3] Al. deest : « homo. »

Christo, conservantur a malo. Ad quid ergo petit eos conservari, subdit dicens : *Ut sint unum sicut et nos* : quod potest dupliciter continuari ad præcedentia. Uno modo ut designet modum conservationis : ut sit sensus : Ita servabuntur, *ut sint unum*; nam quælibet res conservatur in esse quamdiu est una, quæ desinit esse per divisionem. Matth. XII, 25 : *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur*. Et ideo Ecclesia potest conservari, et homines, si sint unum. Alio modo ut sit finis conservationis : ut sit sensus : Et ad hoc conserventur, *ut sint unum* : nam in unitate spiritus consistit nostra perfectio tota. Ephes. IV, 3 : *Soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis*. Psalm. CXXXII, 1 : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum*. Sed addit, *Sicut nos unum sumus*.

Sed contra. Ipsi sunt unum secundum essentiam : ergo et nos erimus unum per essentiam. Sed hoc non est verum. Responsio. Dicendum, quod uniuscujusque perfectio nihil est aliud quam participatio divinæ similitudinis. In tantum enim sumus boni inquantum Deo assimilamur. Unitas ergo nostra intantum est perfectiva inquantum participat unitatem divinam. Est autem duplex unitas in divinis : scilicet naturæ, supra X, 30 : *Ego et Pater unum sumus* : et unitas amoris in Patre et Filio, quæ est unitas spiritus. Et utraque est in nobis, non quidem per æquiparationem, sed per similitudinem quamdam : Pater enim et Filius sunt ejusdem naturæ numero; nos autem sumus unum in natura secundum speciem. Item ipsi sunt unum per amorem non participatum ex dono alicujus, sed ab eis procedentem : nam Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto ; nos autem per amorem participatum ex aliquo superiori.

2. Necessitatem autem hujus conservationis ponit, dicens : *Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo* : quæ causatur ex duobus. Primo quidem ex recessu sui; secundo ex odio mundi, ibi, *Ego dedi eis sermonem tuum*. Circa primum tria facit. Prima ponit conservationis studium, quod Dominus cum esset præsens, eis exhibuit; secundo insinuat discessum quo ad Patrem redit, ibi, *Nunc autem ad te venio*; tertio assignat rationem quare hæc verba protulit, ibi, *Et hæc loquor* etc. Circa primum tria facit. Primo proponit conservandi modum; secundo conservationis debitum ; tertio conservationis efficaciam, sive effectum. Sed modus conservandi est congruus, quia virtute Patris : unde dicit : *Cum essem cum eis*, scilicet præsentia corporali : Baruch III, 38 : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* : *ego*, scilicet Filius hominis, *servabam*, idest custodiebam, *eos* a malo et peccato ; sed non virtute humana, immo divina, quia *in nomine tuo* : quod quidem nomen etiam commune est Patri at Filio et Spiritui sancto. Matth. ult., 19 : *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*. Et hoc quidem [1], tum quia Pater et Filius sunt unus Deus, tum quia in nomine Patris intelligitur etiam nomen Filii : pater enim dicitur qui habet filium. Sed attende, quia supra cum negasset se habere dæmonium, non negavit se Samaritanum idest custodem esse, quia custos est Isa. XXI, 11 : *Custos quid de nocte?* scilicet hujus mundi. Ipse enim sicut pastor custodit gregem suum. Sed conversationis debitum ponit dicens, *Quos dedisti mihi* : Custos enim tenetur [2] custodire suæ custodiæ deputatos. III Reg. XX, 39 : *Custodi virum istum* [3]. Habac. II, 1 : *Super custodiam meam stabo*. Sic stat prælatus quando diligenter invigilat super his qui sibi sunt deputati. Luc. II, 8 : *Pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum*. Sed efficacia custodiæ est perfecta, quia *nemo ex iis periit*. Supra X, 27 : *Oves meæ vocem meam audiunt, et non rapiet eas quisquam de manu mea*. Et supra VI, 40 : *Omnis qui credit in eum, habet vitam æternam*. Sed ab hac efficacia excipitur unus, scilicet *filius perditionis*, scilicet Judas ; qui dicitur filius perditionis, quasi ad perpetuam perditionem præscitus et præordinatus. Sic enim aliqui deputati ad mortem dicuntur filii mortis. I Reg. XXVI, 16 : *Omnes vos filii mortis estis*. Matth. XXIII, 15 : *Circuitis mare et aridam ut faciatis unum proselytum... et facitis eum filium mortis duplo quam vos*.

Sed nota, quod *interlinearis* habet : « Filius mortis, idest prædestinatus perditioni ; » cum tamen raro inveniatur quod prædestinatio ponatur in malum. Unde hic sumitur communiter pro scientia vel ordinatione. Ideo prædestinatio semper in bonum ponitur, quia habet duplicem

[1] Al. : « hoc idem. » — [2] Al. : « quibus enim tenetur. » — [3] Al. : « justum. »

effectum gratiæ et gloriæ; et ad utrumque Deus ordinat. Sed in reprobatione duo sunt, culpa et pœna temporaliter : et ad unum eorum Deus tantum ordinat, scilicet ad pœnam, et non per se. *Ut Scriptura*, qua scilicet prædixisti, scilicet in Ps. CVIII, 1 : *Deus laudem meam ne tacueris* : *quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est*; quod scilicet esset me proditurus : *impleretur*.

3. *Nunc autem ad te venio*, deserens eos corporali præsentia. Supra XVI, 38 : *Iterum relinquo mundum*, *et vado ad Patrem*. Sed quia hæc verba in corde male intelligentium possent infidelitatis scandalum generare; quasi non posset eos servare ab eis recedens; vel quod Pater eos ante non servasset : sed quidem et Pater eos ante servabat, unde dixit : *Ego servabam eos in nomine tuo* : sed et Filius post suum recessum eos servare potuit.

4. Et ideo rationem dictorum assignans, dicit : *Et hoc loquor in mundo*, *ut habeant gaudium meum impletum in semetipso*; quasi dicat : Locutus sum sicut homo orans; sed *hæc loquor* propter consolationem discipulorum æstimantium me esse hominem purum, ut saltem consolentur in hoc quod eos tibi Patri, quem majorem credunt, recommendo, gaudentes se esse in protectione Patris. Et hoc, secundum Chrysostomum, vel secundum Augustinum, ut referantur hæc verba ad hoc quod supra dixit : *Ut sint unum sicut et nos sumus*. Et sic ponuntur ut fructus unitatis; *Ut habeant gaudium* jam superius expressum, quo scilicet in me gaudeant, vel quod eis est a me, *plenum in semetipsis* : quod quidem consequentur per unitatem spiritus, per quam pervenient ad gaudium vitæ æternæ, quod est plenum. Ideo autem gaudium ad unitatem sequitur, quia unitas et pax faciunt perfecte gaudere. Prov. XII, 20 : *Qui ineunt pacis consilia*, *sequitur eos gaudium*. Galat. V, 22 : Fructus autem *Spiritus est gaudium*.

4. *Ego dedi eis*, etc. Hic ponitur alia conservationis necessitas, quæ causatur ex odio mundi. Et primo proponit beneficium quod discipulis contulerat; secundo odium mundi quod incurrerant, ibi, *Et mundus eos odio habuit*; tertio petit auxilium Patris, quod eos protegat, ibi, *Non rogo ut tollas eos de mundo*, *sed ut serves eos a malo*. Dicit ergo primo : *Ego dedi eis sermonem tuum*, idest quem a te recepi. Supra eodem : *Verba*, *quæ dedisti mihi*, *dedi eis*, *et ipsi acceperunt*. Vel *dedi*, idest, dabo per inspirationem Paracliti, *sermonem tuum*, idest de te; quod quidem est maximum donum et beneficium. Prov. IV, 2 : *Donum bonum tribuam vobis* : *legem meam ne derelinquatis*.

6. Sed ex hoc secutum est odium mundi, quia scilicet ex hoc quod susceperunt sermonem tuum, *mundus eos odio habuit*. Luc. VI, 22 : *Beati eritis cum vos oderint homines* etc. I Joan. III, 13 : *Nolite mirari si odit vos mundus*. Causa autem hujus odii est, quia recesserunt de mundo. Sermo enim Dei facit homines a mundo recedere : nam Deo conjungit, cui nullus conjungi potest nisi a mundo recedat : qui enim diligit mundum, non est perfecta caritas Dei in illo : et ideo dicit : *Quia non sunt de hoc mundo*. Supra XV, 19 : *Quia ego elegi vos de mundo*, *propterea odit vos mundus*. Naturale enim est unicuique quod sibi simile est diligere. Eccli. XIII, 19 : *Omne animal diligit sibi simile*, *et odio habet dissimile*. Sap. II, 15 : *Gravis est nobis etiam ad videndum*; et hoc *quia dissimilis est aliis vita illius*. Et ad hoc ponit exemplum, qualiter scilicet non sunt de mundo, dicens : *Sicut et ego non sum de mundo* : quod intelligendum est quantum ad amorem : quia sicut Christus in mundo non erat per affectum, sic nec isti : non autem quantum ad originem, quia aliquando de mundo fuerunt. Christus autem nunquam, quia etiam quantum ad nativitatem carnis natus est de Spiritu sancto, Matth. I. Supra VIII, 23 : *Vos de mundo hoc estis* [1] ; *ego non sum de hoc mundo*.

7. Auxilium autem contra odium petit, dicens : *Non rogo ut tollas eos de mundo sed ut serves eos a malo* : et primo ponit suam petitionem; secundo assignat petitionis rationem, ibi, *De mundo non sunt*. Circa primum duo ponit, quorum unum dicit se non petere, scilicet ut [2] non tollantur de mundo.

Contra. Quomodo tolli possunt de mundo qui de mundo non sunt ? Sed dicendum, quod de mundo quidem non erant per affectum, sicut supra dixit, sed de mundo per corporalem conservationem; et secundum hoc noluit ut tollerentur de mundo; et hoc propter utilitatem fidelium, qui per eos credituri erant. Marc.

[1] Al. *non estis*, etc. — [2] Al. deest : « ut. » —

ult. 15 : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*. Sed aliud petit, ut scilicet in mundo corporaliter conversantes, *serves a malo*, scilicet mundi : grave enim est ut homo inter malos existens a malo immunis existat, præcipue cum totus mundus in maligno positus sit. Isai. XLIII, 2 : *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te*.

Ratio autem petitionis ponitur cum dicit, *De mundo non sunt*. Ubi videtur esse intricatio verborum et inutilis repetitio; cum dicat eadem verba supra. Sed quidem non est inutilis repetitio : quia ad aliud dicuntur ibi, et ad aliud hic : ibi enim dicuntur ad ostendendam causam quare odio habeantur a mundo : hic vero dicuntur ad assignandum rationem quare debeant conservari a Deo. Ex quo datur intelligi quod idem est propter quod sancti odiuntur a mundo et diliguntur a Deo, scilicet contemptus mundi. Jac. II, 5 : *Nonne vos elegit Deus pauperes in hoc mundo, divites in fide et hæredes regni quod promisit Deus diligentibus se?* Et ideo quodlibet bonum quod facit reddit hominem mundo odibilem, sed Deo dilectum. Exod. VIII, 26 : *Abominationes*[1] *Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro*.

LECTIO IV.

1. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. 2. Sicut tu me misisti in mundum, ita et ego misi eos in mundum. 3. Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.

1. Supra Dominus petit discipulorum conservationem; hic petit eorum sanctificationem : et primo petit eorum sanctificationem ; secundo sanctificationis assignat necessitatem, ibi, *Sicut tu me misisti in mundum*; tertio insinuat hujus sanctificationis inchoationem, ibi, *Et ego pro eis sanctifico meipsum*. Dicit ergo : Sic petii quod serventur a malo : sed hoc non sufficit nisi perficiantur in bono. Psalm. XXXV, 27 : *Declina a malo et fac bonum*. Et ideo, *Pater sanctifica*, idest perfice, *eos*, et sanctos fac; et hoc *in veritate*, idest in me Filio tuo, qui sum veritas, supra 13, quasi diceret : Fac eos participes meæ perfectionis et sanctitatis. Et ideo addit : *Sermo tuus*, idest Verbum tuum, *veritas est* : ut sit sensus : *Sanctifica eos in* me *veritate*, quia ego Verbum tuum sum veritas. Vel *sanctifica eos*, immittendo eis Spiritum sanctum ; et hoc *in veritate*, idest in cognitione veritatis fidei et tuorum mandatorum. Supra VIII, 32 : *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos*. Nam per fidem et cognitionem veritatis sanctificamur. Rom. III, 22 : *Justitia enim Dei per fidem Jesu Christi, in omnes et super omnes qui credunt in eum*. Et ideo subdit : *Sermo tuus veritas est* : quia scilicet veritas sermonum Dei nullam habet falsitatem admixtam. Prov. VIII, 8 : *Recti sunt sermones mei, non est in eis pravum quid neque perversum*. Et quia sermo ejus docet veritatem increatam. Vel aliter. In veteri testamento erat modus loquendi, quod omne quod deputatur cultui divino, dicitur sanctificari. Exod. XXVIII, 1 : *Applica ad me Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israel, ut sacerdotio fungantur mihi*. Dicit ergo, *Sanctifica*, idest deputa quasi per modum sanctificationis, *eos in veritate*, idest tuæ veritati prædicandæ quia *sermo tuus*, quem debent prædicare, *veritas est*.

2. Et necessitas sanctificationis subditur cum dicit : *Sicut tu me misisti in mundum, ita et ego misi eos in mundum* ; quasi dicat : Ad hoc ego veni ut prædicarem veritatem : infra XVIII, 37 : *In hoc natus sum... ut testimonium perhibeam veritati* : ita et ego misi[2] discipulos ad veritatem prædicandam. Marc. ult. 15 : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*. Necesse ergo habent quod in veritate testificentur. Infra XX, 21 : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*.

3. Sed debent sanctificari non solum propter officium ad quod deputantur, sed quia jam inchoata est per me : unde dicit : *Et pro eis ego sanctifico meipsum*. Secundum Augustinum enim sciendum est, quod in Christo est duplex natura : sed quantum ad divinam Christus est sanctus per essentiam, quantum vero ad humanam Christus est sanctus per gratiam, quæ derivatur a divina natura. Dicit ergo secundum divinitatem, *Sanctifico meipsum*, assumendo carnem pro eis : et hoc, ut sanctitas gratiæ, quæ est a me Deo in me homine, derivetur a me

[1] Al. : « abominantes. » — [2] Al. deest : « misi. »

eis ; quia *de plenitudine ejus omnes accepimus* : supra I, 16 : Psal. CXXXII, 2 : *Sicut unguentum quod est in capite* Christi, quod est Deus *quod descendit in barbam Aaron* idest in humanitatem, et ab hac *descendit in oram vestimenti ejus*, idest in nos. Vel aliter, secundum Chrysostomum, rogavit ut sanctificarentur sanctificatione spirituali. In veteri autem testamento erant justificationes carnales. Heb. IX, 10 : *Justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis.* Sed illæ erant figuræ spiritualis sanctificationis, quæ tamen fiebant per aliquod sacrificium ; et ideo ad sanctificationem discipulorum competebat fieri aliquod sacrificium ; et hoc est quod dicit : Ut sanctificentur ipsi, ego jam sanctifico me ; idest offero me sacrificium. Heb. IX, 14 : *Obtulit semetipsum Deo.* Ibid. XIII, 12 : *Propter quod Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Et hoc *in veritate*, non in figura, sicut in veteri testamento.

LECTIO V.

1. Non pro eis autem rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me : 2. Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint : ut credat mundus quia tu me misisti. 3. Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum sicut et nos unum sumus. Ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum, cognoscat mundus quia tu me misisti et dilexisti eos, sicut et me dilexisti.

1. Postquam Dominus oravit pro suis discipulis, hic rogat communiter pro fidelibus omnibus : et primo proponit orationem ; secundo subjungit exauditionis rationem, ibi, *Pater juste, mundus te non cognovit.* In oratione autem duo petit a Patre discipulis suis. Primo quidem unitatis perfectionem ; secundo gloriæ visionem, ibi, *Pater*, *quos dedisti mihi*, *volo ut ubi ego sum et illi sint mecum.* Circa primum duo facit. Primo petit quasi homo unitatis perfectionem ; secundo ostendit quod ipse ut Deus fecerit eis potestatem [1] ad hanc unitatem consequendam, ibi, *Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis.* Circa primum duo facit. Primo proponit pro quibus petit ; secundo subdit quid petat, ibi, *Ut unum sint* etc. Petit autem pro toto cœtu fidelium : unde dicit : Dixi, quod conserves discipulos a malo, et quod sanctifices eos in veritate ; sed *non pro eis rogo tantum, sed etiam pro eis qui credituri sunt*, idest pro illis quorum fides confirmabitur : et hoc *per verbum eorum*, idest Apostolorum. Et juste rogat : quia nullus salvatur nisi per intercessionem Christi. Ne autem solum Apostoli salvarentur, sed etiam alii, ideo etiam pro aliis orandum erat. Deut. IV, 37 : *Dilexit patres tuos, et elegit semen eorum post eos.* Eccli. XLIV, 11 : *Cum semine eorum permanebo, et hereditas sancta nepotes eorum.*

Sed contra. Videtur quod non oravit pro omnibus fidelibus suis. Nam pro his hic orat qui convertendi erant per verba Apostolorum ; sed antiqui patres et Joannes Baptista non fuerunt conversi per verba eorum. Ad quod dicendum, quod ipsi jam pervenerant ad consummationem ; et licet non fruerentur Dei visione, cum non esset solutum pretium, tamen cum meritis suis hinc abierant, ita ut statim aperta janua introducendi essent : et ideo oratione non indigebant.

Sed adhuc iterum quæritur de aliquibus, qui non per Apostolorum verba crediderunt, sed immediate per Christum, sicut Paulus. Galat. I, 12 : *Non ab hominibus neque per hominem accepi illud neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.* Et latro in cruce, Luc. XXIII. Non videtur ergo quod pro eis oraverit. Sed ad hoc dicendum, secundum Augustinum, quod per verbum Apostolorum dicuntur credere non solum qui ab ipsis audierunt, sed quicumque credunt per verbum quod Apostoli prædicaverunt, quod est verbum fidei, Rom. X, quod dicitur verbum Apostolorum, quia ipsis principaliter commissum et prædicatum : quod etiam Paulo et latroni in cruce est revelatum divinitus. Vel dicendum, quod qui immediate a Christo et per Christum conversi ,sunt, sicut Paulus, et latro in cruce, et si qui alii, computantur in parte orationis qua Dominus pro discipulis oravit. Unde Dominus dixit supra hoc cap. *Quos dedisti mihi*, seu daturus es.

Sed adhuc quæritur de nobis, qui non credimus per Apostolos. Sed ad hoc dicendum, quod licet non crediderimus per Apostolos, credimus tamen per discipulos eorum.

[1] Al omittitur : « potestatem. »

2. Petit autem unitatis perfectionem : unde dicit : *Ut omnes unum sint.* Ubi primo proponit unitatem quam petit; secundo unitatis exemplum et causam, ibi, *Sicut tu, Pater, in me, et ego in te;* tertio unitatis fructum, ibi, *Ut mundus credat quia tu me misisti.* Dicit ergo : Hoc rogo *ut omnes unum sint.* Nam, ut Platonici dicunt ab hoc quælibet res habet unitatem a quo habet bonitatem. Bonum enim est quod est rei conservativum; nulla autem res conservatur nisi per hoc quod est una. Et ideo Dominus petens discipulorum perfectionem in bonitate, petit quod sint unum; quod quidem impletum est, Act. IV, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* Psalm. LXXXII, 1 : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.* Sed unitatis exemplum et causam subdit, dicens : *Sicut tu, Pater, in me, et ego in te.* Aliqui enim sunt unum, sed in malo. Unde hanc unitatem Deus non petit, sed illam secundum quam homines uniuntur ad bonum, scilicet in Deum : et ideo dicit : *Sicut tu, Pater, in me et ego in te;* idest, hoc modo uniantur quod credant in me et in te. Rom. XII, 5 : *Multi unum corpus sumus in Christo.* Ephes. IV, 3 : *Soliciti servare unitatem spiritus... qui est unus Deus, una fides, unum baptisma.* Et quidem in Patre et Filio qui sunt unum, sumus unum : quia si diversa quærimus credendo et desiderando, affectus noster diversificatur ad multa.

Sed Arius ex hoc arguit, quod eodem modo Filius est in Patre et Pater in Filio, quo nos sumus in Deo : sed nos non sumus per unitatem essentiæ, sed per conformitatem voluntatis et amoris : ergo et similiter Pater non est in Filio per unitatem essentiæ. Sed dicendum, quod in Patre et Filio est duplex unitas, scilicet essentiæ et amoris ; et secundum utramque Pater est in Filio, et Filius in Patre. Quod ergo hic dicit, *Sicut tu, Pater, in me, et ego in te*, potest referri uno modo ad unitatem amoris, secundum Augustinum, ut sit sensus : *Sicut tu, Pater, es in me*, per amorem : quia caritas facit unum esse cum Deo : quasi diceret : Sicut Pater diligit Filium, et e converso ; ita ipsi diligant Patrem et Filium. Et sic ly *sicut* non dicit æquiparentiam, sed quamdam remotam similitudinem. Vel, secundum Hilarium, potest referri ad unitatem naturæ : non quidem quod eadem natura numero sit in nobis cum Patre et Filio, sicut est in eis; sed quod unitas nostra per hoc sit quod assimilamur illi divinæ naturæ, per quam Pater et Filius sunt unum. Hoc etiam modo ly *sicut* dicit imitationem quamdam. Et inde est quod invitamur ad imitationem dilectionis divinæ. Ephes. V, 1 : *Estote imitatores Dei sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos.* Et perfectionis, seu bonitatis. Matth. V, 58 : *Estote perfecti sicut Pater vester perfectus est.*

Fructus autem unitatis ponit cum dicit, *Ut mundus credat* : per nihil enim aliud sic manifestatur veritas Evangelii, sicut per caritatem fidelium. Supra XIII, 35 : *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.* Erit ergo hic unitatis fructus : quia per hoc quod sint unum, *mundus credat*, quod doctrina quam dedi eis sit a te, et cognoscat *quia tu me misisti.* Non enim est Deus dissensionis causa, sed pacis.

Sed hic est quæstio : quia unum perfecte erimus in patria, ubi non erit tempus credendi : inconvenienter ergo post unitatem subdit : *Ut mundus credat quia tu me misisti.* Sed dicendum, quod hic non loquitur de unitate consummata, sed inchoata.

Item est alia quæstio : quia ipse orat ut sint unum illi qui credunt in eum : ergo et mundus credens est unum. Quomodo ergo dicit, postquam sunt unum, *Mundus credat*? Ad quod potest mystice responderi, quod uno modo Dominus petit pro omnibus credentibus quod sint unum : qui tamen non simul credituri erant, sed quidam prius, per quos alii convertendi erant. Quod ergo dicit, *Ut mundus credat*, intelligitur quantum ad illos qui non a principio crediderunt; qui cum crediderunt, facti sunt unum; et similiter alii credentes post eos : et sic usque ad finem mundi. Alio modo, secundum Hilarium, ut ly *mundus credat* sit finis unitatis et perfectionis; quasi diceret : Perfice eos, ut sic sint unum, ad hoc scilicet *ut mundus credat quia tu me misisti.* Unde ly *ut* importat causam finalem. Tertio modo, secundum Augustinum, ut ly *mundus credat* sit alia petitio : et tunc oportet repeti quod dixit, *Rogo*; quasi diceret : Rogo ut sint unum, et rogo ut mundus credat.

3. Quid autem Christus ad hanc unita-

[1] Al. : « assumamur. »

tem operatus sit, subdit dicens : *Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis*; quasi, hoc quod petit ut homo, facit ut Deus. Et primo ostendit quod ipse operatus est ad hoc quod sint unum ; secundo ponit unitatis modum et ordinem, ibi, *Ego in eis, et tu in me*; tertio ostendit unitatis finem, ibi, *Ut cognoscat mundus quia tu me misisti*. Dicit ergo : Etsi ut homo petam eorum perfectionem, nihilominus tamen simul tecum hoc facio quia *et ego claritatem*, idest gloriam resurrectionis, *quam tu*, Pater *dedisti mihi*, æterna prædestinatione, et daturus es statim in re ; *ego dedi illis*, scilicet discipulis. Et claritas est immortalitas, quam in resurrectione fideles accipient etiam quantum ad corpus. Philip. III, 21 : *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*. I Corinth. XV, 43 : *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria*. Et hoc *ut sint unum* : quia per hoc quod habebunt gloriam, efficientur unum *sicut et nos unum sumus*.

Sed videtur distinguere operationem suam ab operatione [1] Patris. Dicit, quod Pater sibi claritatem dedit, et Christus eam dedit fidelibus. Sed si bene intelligatur, non ponitur hoc ad distinguendum operationem, sed personas. Nam Filius, inquantum Filius, simul cum Patre claritatem dat Christo homini, et simul etiam cum eo fidelibus. Sed tamen inquantum hanc claritatem specialiter per humanitatem suam eis tribuit ; ideo hanc attribuit sibi, illam Patri. Et sic accipitur hic claritas, secundum Augustinum. Vel, secundum Chysostomum, *Ego claritatem*, scilicet gratiæ, *quam dedisti mihi*, homini, quantum ad excellentem cognitionem, perfectionem et miraculorum operationem, *dedi eis* in parte, et adhuc perfectius dabo. II Corinth. III, 18 : *Transformamur a claritate in claritatem*. Psal. LXVII, 19 : *Dedit bona hominibus*. Et hoc, *ut sint unum sicut et nos sumus*. Hic enim est finis divinorum donorum ut uniamur illa unitate quæ est conformis unitati Patris et Filii.

Ordo autem unitatis subditur, cum dicit : *Ego in eis, et tu in me*. Nam per hunc ordinem perveniunt ad unitatem, quia vident quod ego sum in eis gratiam, sicut in templum. I Corinth. III, 16 : *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis*? quæ est quasi quædam similitudo ejus essentiæ, qua tu es in me per unitatem naturæ, Supra XIV, 10 : *Ego in Patre, et Pater in me est*. Et hoc *ut ipsi sint consummati*, idest perfecti, *in unum*.

Sed attende, quod cum supra dixisset, *Ut sint unum*, hic addit, *Consummati* : quod ideo est, quia illud refertur ad unitatem gratiæ, hoc autem ad ejus complementum. Vel aliter, secundum Hilarium, *Ego in eis* : supple, sum per unitatem naturæ humanæ quam eamdem habeo cum illis, et quia etiam do eis corpus meum in cibum : *et tu in me*, per unitatem essentiæ.

Sed secundum primam expositionem : quia per gratiam non solum Filius est in eis, sed et Pater : supra XIV, 23 : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* : quare dicit : *Ego in eis*, sine Patre? Responsio. Dicendum, secundum Augusnum, quod hoc non dicit ut ostendat Filium in eis esse sine Patre, sed quia per Filium accessum habeant ad Patrem. Rom. V, 1 : *Justificati igitur ex fide per Christum, pacem habeamus ad Deum, per quem et habemus accessum*. Vel secundum Chrysostomum, supra dixit, *Ad tum veniemus*, ut ostendat pluralitatem personarum divinarum contra Sabellium ; hic autem dicit, *Ego in eis*, ut ostendat æqualitatem Patris ad Filium [2] contra Arium. Per hoc enim datur intelligi quod sufficit fidelibus, si solus Filius inhabitet.

Finis autem unitatis ponitur, ibi, *Ut cognoscat mundus quia tu me misisti*. Et quidem si consummanda [3] unio referatur ad perfectionem viæ, tunc ly *cognoscat mundus*, idem est quod supra dixit, *Ut mundus credat*. Tunc dicitur propter inchoationem ; hic autem dicit, *Cognoscat*, quia imperfectam [4] cognitionem non sequitur fides, sed plena cognitio. Et dicit, *Cognoscat mundus*, non quod nunc sit mundus, sed quod fuit mundus : ut sit sensus : *Mundus*, jam credens, *cognoscat*. Vel *mundus*, idest amatores mundi, *cognoscat quia tu me misisti* : quia tunc mali per manifesta indicia [5] cognoscent Christum esse Filium Dei. Apocalyp. I, 7 : *Videbit eum omnis oculus*. Et infra XIX, 39 : *Videbunt in quem transfixerunt*. Luc. XXI, 27 : *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum potestate magna et majestate*. Et non solum co-

[1] Al. : « ad operationem. » — [2] Al. : « ad alium. » — [3] Parm. : « consummata. » — [4] Al. : « perfectam » — [5] Al. : « per manifestationem judicii. »

gnoscat hoc; sed et sanctorum claritatem, quia *dilexisti eos*, scilicet fides [1]. Nunc enim non possumus cognoscere dilectionem. Dei ad nos quanta sit : quia bona quæ Deus daturus est nobis, cum excedant appetitum et desiderium nostrum, non possunt cadere in cor nostrum. I Corinth. II, 9 : *Oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* Et ideo mundus credens, idest sancti cognoscent per experientiam quantum diligat nos : sed mundi amatores, idest mali, cognoscent hoc videndo et admirando gloriam sanctorum. Sapient. V, 3 : *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii.* Et infra V : *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est.* Sed dicit, *Sicut tu me dilexisti* : quod non importat parilitatem dilectionis, sed rationem et similitudinem; quasi dicat : Dilectio qua dilexisti me, est ratio et causa quare eos dilexisti : nam per hoc quod me diligis [2], et [3] diligentes me et membra mea diligis. Supra XVI, 27 : *ipse Pater amat vos, quia vos me amastis.*

Sciendum est autem, quod Deus diligit omnia quæ fecit, dando eis esse. Sap. XI, 25 : *Nihil odisti eorum quæ fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti* : maxime autem diligit unigenitum Filium suum, cui totam naturam suam per æternam generationem dedit. Medio autem modo diligit membra. Unigeniti sui, scilicet fideles Christi, dando eis gratiam qua Christus inhabitat nos. Deuter. XXXIII, 3 : *Dilexit populos : omnes sancti in manu illius sunt.*

LECTIO VI.

1. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. 2. Pater, juste, mundus te non cognovit; ego autem te cognovi, et hi cognoverunt quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me, ipsis sit, et ego in ipsis.

1. Supra Dominus petiit pro [4] discipulis perfectionis unitatem; hic petit pro eis visionis claritatem : et primo tangit personas pro quibus petit; secundo ponit petendi modum; tertio subdit quod petit. Petit quidem pro sibi datis : unde dicit : *Pater quos dedisti mihi.* Sciendum est, quod illud dicitur alicui dari quod voluntati ejus submittitur, ut scilicet faciat de eo quod vult. Voluntas autem Christi duplex est, scilicet misericordiæ et justitiæ : sed misericordiæ quidem primo et per se est ipsius : quia *miserationes ejus super omnia opera ejus* : CXIV, 9 : et I Timoth. II, 4 : *Vult omnes homines salvos fieri* : sed voluntas justitiæ punientis est ejus non primo, sed præsupposito peccato. *Deus enim non delectatur in perditione hominum*; Sapient. I, 13 : Ezech. XVIII, 42 : *Nolo mortem peccatoris*; verum secundum se; sed tamen ex consequenti vult eam propter peccatum. Sunt ergo omnes homines dati Filio. Supra hoc cap. : *Dedisti ei potestatem omnis carnis*, idest omnis hominis, ut scilicet faciat de eis suam voluntatem, vel misericordiæ ad salvandum, vel justitiæ ad puniendum. *Ipse enim est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum* : ut dicitur Act. V, 42. Sed illi sunt simpliciter dati qui ad hoc dati sunt ei ut de eis faciat voluntatem misericordiæ ad salvandum : unde de his dicit, *Quos dedisti mihi*, in tua scilicet prædestinatione ab æterno. Isai. VIII, 18 : et Hebr. III, *Ecce ego, et pueri mei, quos dedit mihi Dominus.* Modus autem petendi designatur cum dicit, *Volo* : quod potest designare auctoritatem, vel meritum. Auctoritatem quidem, si intelligamus de voluntate ejus inquantum est Deus, quæ est eadem cum voluntate Patris : nam sua voluntate homines justificat et salvat. Rom. IX, 18 : *Cujus vult miseretur.* Meritum autem designat, si intelligamus de voluntates ejus inquantum est homo, quæ est meritoria salutis nostræ. Si enim voluntates justorum, qui sunt membra Christi, habent meritum impetrandi : supra XV, 7 : *Quodcumque volueritis petetis et fiet vobis* : multo magis hoc habet voluntas Christi hominis, qui est caput sanctorum omnium. Quid autem petat, subdit dicens : *Ut ubi ego sum, et illi sint mecum.* Et primo petit conjunctionem

[1] Al. : « ad fideles. » — [2] Al. : « diligitis, » et sic etiam infra. — [3] Parm. omittit : « et. » — [4] Al. omittitur : « pro. »

membrorum ad caput ; secundo demonstrationem claritatis suæ ad membra, *ibi*, *ut videant claritatem meam.* Dicit ergo hic, *Volo*, scilicet *ut ubi ego sum*, *et illi sint mecum* : quod potest dupliciter intelligi. Uno modo ut referatur ad Christum hominem : nam Christus, secundum quod homo, statim futurus et ascensurus in cælum erat. Infra. xx, 17 : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum.* Et sic est sensus : *Volo*, ut in cœlo, *ubi ego* mox futurus *sum et illi*, scilicet fideles, *sint mecum*, etiam loco. Matth. xxiv, 28 : *Ubi fuerit corpus*, *illic congregabuntur et aquilæ*, idest sancti. Hoc enim promiserat Matth. v, 12 : et Luc. vi : *Gaudete et exultate*, *quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.*

Sed dubitatur : quia cum nondum esset in cœlo, debuisset dicere, Ubi ergo ero : non *Ubi ego sum* etc. Item, quia supra iii, 13, dixit : *Nemo ascendit in cœlum nisi qui de cœlo descendit.* Responsio. Dicendum ad primum, quod Christus qui loquebatur, et Deus erat et homo ; et ideo, licet secundum ejus humanitatem non esset in cœlo, erat tamen ibi secundum divinitatem, ut sic in terra existens, esset in cœlo : et ideo dicit : *Ubi ego sum.* Ad secundum dicendum, quod id quod dicit *supra loc. cit.* quod nemo *descendit de cœlo nisi Filius hominis qui in cœlo*, intelligitur quod est in cœlo secundum divinitatem, et descendit humanam naturam assnmendo, et ascendit secundum humanam naturam jam glorificatam. Et sic dum nos cum illo unum sumus jam facti, unde solus venit, in se scilicet, descendendo de cœlo, illuc etiam solus rediit in nobis ascendendo in cœlum : secundum Gregorium xxviii *Moralium.* Dicit autem, *Sum*, præsenti utens pro futuro : vel quia statim illic futurus erat; vel ut referatur ad Christum Deum.

Sed secundum hoc, cum Deus ubique sit : Hier. xxiii, 24 : *Cœlum et terram ego impleo* : videtur sequi quod etiam sancti erunt ubique. Ad quod dicendum, quod Deus hoc modo se habet ad nos ut lux ad homines. Lux autem ubique diffunditur sole existente super terram. Et licet lux sit cum hominibus, non tamen omnes sunt in luce solis, sed tantum eam videntes. Sic ergo cum Deus sit ubique, est cum omnibus qui sunt ubicumque ; sed tamen non omnes sunt cum Deo, nisi qui ei conjunguntur per fidem et dilectionem, et tandem conjungentur per perfectam fruitionem. Psal. lxxii, 22 : *Et ego semper tecum.* I Thess. iv, 16 : *Sic semper cum Domino erimus.* Et sic est sensus : *Ut ubi ego sum,* scilicet in divinitate tua, quam habeo per naturam, *et illi sint mecum*, per participationem gratiæ. Supra i, 22 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* I Joan. iv, 16 : *Qui manet in caritate*, *in Deo manet et Deus in eo.*

Demonstrationem autem suæ claritatis ad membra subdit dicens : *Ut videant claritatem.* Et primo ponit petitionem ; secundo claritatis originem, ibi, *Quam dedisti mihi*; tertio assignat claritatis rationem, ibi, *Qui dilexisti me* etc. Dicit ergo: Volo ut non solum mecum sint, sed *ut videant*, scilicet visione beatificante. I Joan. iii, 2 : *Cum apparuerit, similes ei erimus*, *et videbimus eum sicuti est* : *claritatem meam* : quod potest intelligi de claritate ejus secundum humanitatem, qua illustratus est in resurrectione. Philip. iii, 21 : *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Vel de claritate ejus secundum divinitatem : est enim splendor gloriæ, et figura paternæ substantiæ : Hebr. i : et Sapient. vii, 26 : *Candor est lucis æternæ.* Et utramque claritatem sancti existentes in gloria videbunt. Nam de prima dicitur Isai. xxxiii, 17 : *Regem in decore suo videbunt.* Sed hanc impii videbunt in judicio tantum. Luc. xxi, 27 : *Tunc videbunt Filium hominis venientem cum potestate magna et majestate.* Sed Marcus dicit xiii, 26 : *Venientem in gloria*, idest in claritate. Sed visio hujus claritatis subtrahetur eis post judicium. Isa. xxvi, 10, secundum aliam litteram : *Tollatur impius ne videat gloriam Dei.* Sed secundam claritatem videbunt sancti perpetuo. Psal. xxxv, 10 : *In lumine tuo*, scilicet gratiæ, *videbimus lumen*, scilicet gloriæ, quam nunquam videbunt mali. Job xxxvi, 23 : *Immanibus*, idest superbis, *abscondit lucem*[1]..... *annuntiat de ea amico suo*, *quod possessio ejus sit.* Hujus autem claritatis origo est a Patre : unde dicit, *Quam dedisti mihi.* Gloriam scilicet corporis dedit ei in resurrectione : sed quia hoc factum erat in divina ordinatione, licet esset futurum in re, ideo dicit, *Dedisti.* Psal. viii, 7 : *Gloria et honore coronasti eum.* Sed claritatem divinam dedit ei ab

[1] Parm. : « *In manibus*, (id est in superbis). »

æterno, quia Filius est a Patre ab æterno, sicut splendor a luce. Rationem autem claritatis datæ ostendit dicens : *Quia dilexisti me ante mundi constitutionem.* Quod quidem si referatur ad Christum hominem, sic ly *quia* denotat causam. Sicut enim dilectio et æterna prædestinatio est causa quod nos habeamus claritatem gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro : Ephes. I, 4 : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* : sic etiam est causa claritatis Christi secundum quod homo. Rom. I. 4 *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.* Et sic est sensus : Dico, quod dedisti mihi claritatem : et hujus causa est *quia dilexisti me* ; et hoc *ante mundi constitutionem* ut scilicet homo ille uniretur Filio Dei in persona. Psal. LXIV, 5 : *Beatus quem elegisti et assumpsisti* : *inhabitavit in atriis tuis.* Si vero referatur ad Christum secundum quod est Deus, sic ly *quia* denotat signum. Non enim dedit quia dilexit : nam in datione, qua Pater dedit Filio, designatur æterna ejus generatio ; in dilectione vero, si sumatur essentialiter, importatur voluntas divina ; si vero notionaliter, designatur notio Spiritus sancti. Sed Pater natura dedit Filio claritatem, non voluntate, quia genuit eum per naturam : nec ideo dedit Filio quia spiravit Spiritum sanctum.

2. *Pater juste*, etc. Hic assignatur ratio exauditionis petitionis suæ. Supra autem Dominus admisit ad suam petitionem etiam fideles cum dixit : *Non pro eis rogo tantum, sed pro his qui credituri sunt per eos* : et quosdam exclusit, scilicet mundum et infideles : unde dixit : *Pro eis rogo, non pro mundo.* Horum ergo rationem assignans, primo ponit defectum mundi ; secundo profectum discipulorum, ibi, *Ego autem te cognovi.*

Sed nota, quod quando petiit eorum sanctificationem, vocavit Patrem sanctum : unde dixit, *Pater sancte* ; hic vero petens retributionem, vocat eum justum: Psal. VII, 12 : *Deus judex justus.* In quo excluditur error antiquorum ponentium alium esse Deum justum, scilicet Deum veteris testamenti, et alium Deum bonum, scilicet Deum novi testamenti. Defectus autem mundi quantum ad cognitionem Dei est : unde dicit : *Mundus*, non reconciliatus, sed damnatus, *non te cognovit.* Supra I, 10 : *Mundus per ipsum factum est, et mundus eum non cognovit.*

Sed contra. Rom. I, 19 : *Quod notum est Dei, manifestum est in illis.... Invisibilia enim Dei per ea quæ facta sunt, a creatura mundi intellecta conspiciuntur.* Responsio. Dicendum, quod duplex est cognitio : una speculativa, et alia affectiva : et neutra mundus Deum cognovit perfecte. Licet enim aliqui Gentilium Deum quantum ad aliqua quæ per rationem cognoscibilia erant, cognoverint ; ipsum tamen secundum quod est Pater Filii unigeniti et consubstantialis, non cognoverunt : de qua cognitione loquitur Dominus. Et inde est quod Apostolus dicit, *Quod notum est*, idest cognoscibile Dei. Sed et si quid speculativa cognitione de Deo cognoscebant, hoc erat cum admixtione multorum errorum, dum quidam subtraherent omnium rerum providentiam ; quidam dicerent eum esse animam mundi : quidam simul cum eo multos alios deos colerent. Unde dicuntur Deum ignorare. Licet enim in compositis possit partim sciri et partim ignorari ; in simplicibus tamen [1] dum non attinguntur totaliter, ignorantur. Unde etsi in minimo aliqui errent circa Dei cognitionem, dicuntur eum totaliter ignorare. Isti ergo non cognoscentes singularem Dei excellentiam, ignorare dicuntur. Rom. I, 21 : *Cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*; *sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum.* Sap. XIII, 1 : *Neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex.* Similiter etiam mundus eum non cognovit cognitione affectiva, quia eum non diligit. Thess. IV, 5 : *Sicut et gentes quæ ignorant Deum.* Dicit ergo : *Mundus te non cognovit*, sine errore, et ut Patrem per dilectionem.

Profectus autem discipulorum designatur cum dicit : *Ego autem te cognovi, et hi cognoverunt* : et primo quantum ad cognitionem ; secundo quantum ad cognitionis fructum, ibi, *Ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.* Circa profectum discipulorum in cognitione Dei, tria facit. Primo ponit radicem et fontem cognitionis Dei, secundo ramos et rivulos ex hoc procedentes ; tertio derivationem eorum a radice seu fonte. Radix autem et fons cognitionis Dei est

[1] Al. : « autem. »

Verbum Dei, scilicet Christus. Eccli. I, 5: *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis.* Humana autem sapientia in Dei cognitione consistit. Hæc autem cognitio ad homines derivatur a Verbo : quia inquantum homines participant Verbum Dei, intantum Deum cognoscunt. Ideo dicit : Ita *mundus te non cognovit*; *ego autem*, scilicet fons sapientiæ, Verbum tuum, *cognovi te*, cognitione comprehensionis æterna. Supra VIII, 55 : *Si dixero quia nescio eum, ero similis vobis, mendax.* Ex hac autem cognitione Verbi, quæ est fons et radix, derivantur, sicut rivuli et rami, omnes cognitiones fidelium ; et ideo dicit : *Et hi cognoverunt quia tu me misisti* ; ut ly *quia* dicat rationem cognitionis, secundum Augustinum ; ut sit sensus : *Ego cognovi te*, per naturam : *et hi cognoverunt* te per gratiam. Et quare ? *Quia tu me misisti ;* supple, ad hoc ut te cognoscerent. Infra XVIII, 37 : *In hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Supra hoc cap : *Manifestavi nomen tuum hominibus.* Vel ly *quia* dicat rem cognitam, ut sit sensus : *Hi cognoverunt* : et quid? hoc scilicet, *quia tu me misisti* : quia qui videt Filium, videt Patrem : supra XIV. Sed hoc non a seipsis habuerunt, sed derivatum est eis a me : quia Matth. XI, 27 : *Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Et ideo dicit : *Notum feci eis nomen tuum, et notum faciam.* Et designat duplicem cognitionem, quam per eum habent fideles. Scilicet doctrinæ ; et quantum ad hanc dicit: *Notum feci eis nomen tuum*, exterius instruendo per verba. Supra I, 18 : *Deum nemo vidit unquam*: *unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Hebr. II, 3 : *Quæ cum initium accepisset enarrandi per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est.* Alia cognitio est interior per Spiritum sanctum ; et quantum ad hanc dicit : *Et notum faciam*, dando scilicet eis Spiritum sanctum. Supra XVI, 13 : *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Vel dicit : *Notum feci eis nomen tuum*, scilicet cognitione fidei : quia *videmus nunc per speculum in ænigmate : et notum faciam*, per speciem gloriæ in patria, ubi videbimus facie ad faciem : I Corinth. XIII, 12. Fructus autem cognitionis hujus est, *ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.* Quod potest exponi dupliciter. Uno modo, et melius. Quia dictum est, quod Pater diligit Filium, ut ostenditur per claritatem quam dedit ei [1] ; consequens ergo est ut diligat omnes in quibus est Filius, qui est in eis, inquantum habent veritatis cognitionem : et sic sensus : *Ego faciam eis notum nomen tuum ;* et per hoc quod cognoscunt te, ego Verbum tuum ero in eis ; et per hoc quod in eis sum *dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit* ; idest, ad eos derivetur, et diligas eos sicut me dilexisti. Vel aliter : *Ut dilectio qua dilexisti me* ; idest, sicut tu me dilexisti, ita ipsi participando Spiritum sanctum, diligant ; et per hoc ego ero in ipsis sicut Deus in templo, et ipsi in me, sicut membra in capite. I Joan. IV, 16 : *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.*

[1] Al. : « eis. »

CAPUT DECIMUMOCTAVUM

LECTIO I.

1. Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse et discipuli ejus. Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis. 2. Judas ergo cum accepisset cohortem, et a Pontificibus et Pharisæis ministros, venit illuc cum lanternis et facibus et armis, 3. Jesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit, et dixit eis : Quem quæritis ? Responderunt ei, Jesum Nazarenum. 4. Dixit eis Jesus : Ego sum. Stabat autem et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis. 5. Ut ergo dixit eis, Ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. 6. Iterum ergo interrogavit eos, Quem quæritis ? Illi autem dixerunt, Jesum Nazarenum. Respondit Jesus : Dixi vobis, quia ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire : ut impleretur sermo quem dixit, quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.

1. Supra, ante passionem, Dominus præparavit discipulos suos, multipliciter informando exemplis, confortando verbis, et promovendo [1] suffragiis ; hic Evangelista accedit ad narrandum ejus passionem : et primo proponit mysterium passionis ; secundo gloriam resurrectionis, xx cap. ibi, *Una autem sabbati* etc. Passio autem Christi partim completa est per Judæos, partim per Gentiles. Primo ergo describit passionem Christi quantum ad ea quæ passus est per Judæos ; secundo quantum ad ea quæ passus est per Gentiles, XIX cap., ibi, *Tunc apprehendit Pilatus* etc. Circa primum tria facit. Primo ostendit quomodo a discipulo Dominus traditur ; secundo quomodo a ministris principibus præsentatur, ibi, *Cohors ergo et tribunus et ministri Judæorum comprehenderunt Jesum* ; tertio quomodo a principibus apud præsidem accusatur, ibi, *Adducunt ergo Jesum* etc. Circa proditionem discipuli tria tangit Evangelista. Primo quidem locum ; secundo apparatum, ibi, *Judas ergo cum accepisset cohortem.... venit illuc cum lanternis* etc. ; tertio promptum Christi affectum ad proditionem sustinendam, ibi: *Jesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit* etc. Locus autem ostenditur proditioni congruus ex tribus : quia a civitate remotus, in se occultus et conclusus, et proditori notus. Remotus quidem erat a civitate : unde facilius Judas poterat facere quod intendebat ; unde dicit : *Hæc cum dixisset*, scilicet quæ supra dicta sunt.

Sed cum ea quæ dixit pertinerent ad Christi orationem, convenientius dixisset Evangelista, Hæc cum orasset. Sed hoc fecit Evangelista ut ostendat hanc orationem non propter sui necessitatem fecisse : quia ipse erat qui orabat ut homo, et exaudiebat ut Deus : sed hoc propter nostram instructionem. Unde erat quasi quædam dictio.

Egressus est cum discipulis suis, non quidem continuo, secundum Augustinum, post ejus orationem, cum alia quædam intervenerint narrata ab aliis Evangelistis, ab isto autem prætermissa, scilicet quod facta fuit contentio inter discipulos quis eorum viderunt esse major: Luc. XXII. Interim etiam dixit Jesus Petro : *Ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* : ut Lucas narrat *ibid.* 31. Dixerunt etiam discipuli hymnum cum Domino, ut narrant Matthæus XXVI et Marcus XIV. Sic ergo non est intelligendum, quod cum hoc dixisset, statim egrederetur ; sed quia non ante egressus est quam dixisset. *Egressus est*, inquam, *trans torrentem Cedron.*

Sed Matthæus et Marcus dicunt, quod exierunt in montem Oliveti, et tunc venit cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani. In quo nulla est contrarietas, quod idem locus est quem Joannes commemorat et Matthæus : torrens enim Cedron est ad radices montis Oliveti, ubi etiam est villa quæ dicitur Gethsemani. Cedron autem in græco est genitivus pluralis ; quasi dicat : trans torrentem

[1] Al. : « promittendo. »

cedrorum. Forte erant ibi multæ cedri plantæ. Convenit autem mysterio quod torrentem transivit, quia per eum ejus passio designatur. Psal. CIX, 7 : *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Convenit etiam quod trans torrentem Cedron. Cedron enim interpretatur obumbratio ; et Christus sua passione abstulit umbram peccati et legis, et expansis manibus in cruce protexit nos sub umbra manus suæ. Psal. XVI, 9 : *Sub umbra alarum tuarum protege me.*

Erat autem congruus locus proditioni: unde dicit: *Ubi erat hortus, in quem introivit ipse, et discipuli ejus.* Et hoc convenienter, quia ipse satisfaciebat pro peccato primi hominis in horto commisso. Paradisus enim hortus deliciarum interpretatur, Gen. III. Item quia per passionem nos in hortum et paradisum coronandos introducit. Luc. XXIII, 43, *Hodie mecum eris in paradiso.* Erat etiam [1] congruus locus, quia proditori notus : unde dicit : *Sciebat autem Judas, qui tradebat eum, locum* : et hujus ratio est, *quia frequenter Jesus venerat illuc cum discipulis suis* : inter quos Judas fuerat sicut lupus inter oves. Supra VI, 71 : *Nonne ego vos duodecim elegi, et ex vobis unus diabolus est?* Lupus ovina pelle contectus, inter oves alto patrisfamilias consilio toleratus, didicit ubi ad tempus exiguum ovium dispergeret gregem.

Sed cum Judas diu ante exierit a cœna ut proditionem compleret, quæritur quomodo scivit quod Christus illa hora egrederetur illuc? Ad quod dicendum, secundum Chrysostomum, quod consuetudo Christi erat et præcipue in magnis festis, post cœnam discipulos seorsum ducere, et aliqua sublimia de festo docere, quæ non erat fas alios audire : et ideo quia tunc erat festum præcipuum, existimavit Judas quod post cœnam illuc exisset. Fecit autem hoc ut in montibus et in hortis sublimia doceret discipulos, maxime purum a tumultibus [2] inquirens locum, ne eorum mens impediatur. Oseæ II, 14 : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.*

2. *Judas ergo cum accepisset* etc. Hic ponitur proditoris apparatus. Et nota, quod, sicut dicitur Luc. XXII, Judas postquam tractaverat proditionem cum principibus, quærebat opportunitatem quomodo sine turbarum tumultu traderet eum : et ideo voluit eum in secreto invenire, et in nocte, quia in die semper circa turbarum instructionem occupatus erat. Sed quia in nocte poterat impediri vel propter subitum concursum turbarum, vel propter tenebras, quibus posset eripi vel evadere de manibus eorum ; ideo contra tenebras [3] munivit se [4] lanternis et facibus. Sed quia de turba aliqui poterant sibi resistere per potentiam populi, ideo contra hos accepit cohortem, non Judæorum, sed militum a præside : ut sic servato ordine legitimæ potestatis, nullus ei auderet obsistere. Item aliqui ex Judæis zelo legis ducti [5], præsertim quia a Gentilibus capiebatur, eis fortasse resistere voluissent : et ideo accepit etiam a *Pontificibus et Pharisæis ministros, et venit illuc.* Job. XV, 26 : *Cucurrit adversus Deum erecto collo.* Luc. XXII, 52 : *Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus.*

3. *Jesus itaque sciens*, etc. Hic ponit Evangelista promptum Christi affectum ad proditionem voluntariæ suscipiendam, dupliciter. Primo se voluntarie offerendo ; secundo discipulum resistentem comprimendo, ibi, *Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum.* Et circa primum duo facit Evangelista. Primo narrat quod Christus ostendit se, ad ostendendum suam patientiam, secundo ad demonstrandum suam patientiam, ibi, *Iterum ergo interrogavit eos, Quem quæritis?* Circa primum tria facit. Primo ponit Christi interrogationem : secundo suiipsius manifestationem, ibi, *Dixit eis Jesus, Ego sum ;* tertio manifestationis effectum, ibi, *Ut ergo dixit eis, Ego sum, abierunt retrorsum.* Circa primum tria facit. Primo commendat Christi scientiam et cognitionem : quia *Jesus sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit*, etc. Supra XIII, 1 : *Sciens Jesus quia venit hora ejus*, etc. Quod interposuit Evangelista propter duo. Primo ne videretur interrogationem quam facturus erat eis Christus, ex ignorantia fecisse ; secundo ne videatur quod se ipsis invitum et propter ignorantiam obtulisset, cum venirent ad eum occidendum. Unde omnia quæ ventura erant super eum, sciebat. Secundo ponit Christi interrogationem, qui cum ista sciret, tamen *processit, et dixit ad eos, Quem quæritis?* non ex ignorantia, ut dictum est. Tertio subdit ipso-

[1] Al. : « enim. » — [2] Al. : « puta a tumultibus. » — [3] Al. : « turbas. » — [4] Parm. omittit : « munivit se. » — [5] Parm. : « ductis. »

rum responsionem : quia *Jesum Nazarenum*, supple, quærimus, non quidem ad imitandum, sed ad malignandum et occidendum. Unde supra viii, 11 : *Quæretis me, et in peccato vestro moriemini.*

4. *Dicit eis Jesus*, etc. Hic ponitur suiipsius manifestatio, qua [1] se eis capiendum exhibuit : unde dicit, *Ego sum* scilicet Jesus Nazarenus quem quæritis. Addit autem Evangelista Judæ præsentiam : ideo quia supra dixit quod Judas ab eo exiverat. Posset autem credi quod non esset mirum, si Christns ab eis non cognosceretur facie propter tenebras sed quod quis non cognoscatur, voce, maxime a multum sibi familiari, hoc non potest tenebris ascribi. Ostendit ergo per hoc quod dicit, *Ego sum*, quod etiam a Juda familiari sibi, qui stabat cum ipsis, non est cognitus : quod est maxime divinitatis Christi potentiæ ostensivum. *Stabat ergo Judas cum ipsis;* idest perseverabat in malo, ut eum osculi signo monstraret. Isa. xxxiii, *Os ejus erit*, etc [2].

5. Hic ponitur manifestationis effectus : quia *abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram.* Et, ut Gregorius dicit, aliquando legitur de sanctis, quod cadunt in terram. Daniel. ii, 46 : *Cecidit in faciem suam, et adoravit Danielem* etc. Ezech. ii, 1 : *Cecidi in faciem meam.* De iniquis autem legitur quod cadunt. Isa. iii, 25 : *Pulcherrimi viri tui cadent.* Sed hæc est differentia : quia de iniquis dicitur quod cadunt retrorsum,et capiantur, Isai. viii. *Cadant retrorsum et capiantur* [3]. I Reg. ix, 18, *Cecidit de sella retrorsum:* de sanctis autem quod cadunt in faciem suam. Cujus ratio assignatur Proverb. iv, 18 : *Quia justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem.* Et *via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant.* Omnis enim qui post se cadit, ibi cadit ubi non videt. Iniqui ergo, quia in invisibilibus cadunt, retrorsum cadere dicuntur : quia ibi corruunt ubi quid eos tunc sequatur, modo videre non possunt. Sed qui ante se cadit, ibi cadit ubi videt : et ideo sancti qui in istis visibilibus semetipsos sponte dejiciunt, ut in invisibilibus erigantur, in faciem suam cadere dicuntur, quia timore compuncti videntes humiliantur.

Mystice autem, per hoc quod ceciderunt retrorsum, datur intelligi quod populus Judæorum, qui erat populus peculiaris, vocem Christi in prædicatione non audiens , abiit retrorsum exclusus a regno.

6. *Iterum ergo interrogavit*, etc. Hic ponitur secunda interrogatio. Et primo ponit iteratam interrogationem; secundo Christi manifestationem , et tertio ejus oblationem. Interrogavit autem iterato, secundum Chrysostomum, propter duo : ut dum scilicet indicavit suam potentiam, quod inimici contra eum venientes, coram eo retrorsum ceciderunt in terram, instruantur fideles quod sua voluntate captus sit. Isa. liii, 7 : *Oblatus est, quia ipse voluit.* Secuudo, ut etiam, quantum in se est, daret Judæis materiam conversionis , viso potentiæ suæ miraculo. Isa. v, 4 : *Quid ultra debui facere?* Et ideo cum statim ad ostensionem suæ potentiæ non fuerunt conversi, eis capiendum se sponte obtulit. Unde cum *iterum interrogavit eos, Quem quæritis? et illi dixerunt, Jesum Nazarenum,* ipse se iterum manifestans, *respondit* : *Dixi vobis, quia ego sum.* In quo patet quia cæci erant, ut eum non possent cognoscere. Oblatio sui ipsius ponitur cum dicit : *Si ergo me quæritis*, scilicet comprehendere, faciatis quod intenditis; ita tamen quod *sinite hos*, scilicet discipulos meos, *abire* : quia nondum est tempus ut tollantur de mundo per passionem. Supra xvii, 15 : *Non rogo ut tollas eos de mundo.* In quo patet quod ipse dedit eis potestatem eum capiendi : nam sicut ex sua potentia discipulos suos servavit, ita multo magis se servare potuisset. Supra x, 18 : *Nemo tollit animam meam ; sed ego ponoam eam a me ipso.* Et quod non dimiserunt ministri Apostolos ex Christi persuasione, sed ex ejus potestate, ostendit Evangelista dicens : *Ut impleretur sermo quem dixit* : quasi ideo dimiserunt ministri Apostolos abire, quia eos tenere non poterant; cum ipse dixerit, supra xvii, 12 : *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*

Sed contra. Supra dixit hoc Dominus de perditione animæ : quomodo Evangelista hoc adaptat ad perditionem corporis? Responsio. Dicendum, secundum Chrysostomum, quod Dominus supra locutus est de perditione animæ et corporis. Et si tantum de perditione animæ locutus

[1] Al.: « qui. » — [2] Forte: « Hier. XXXIV, 3: Os ejus cum ore tuo loquetur. » — [3] Parm. omittit : et capiuntur, etc. »

sit, dicendum, quod Evangelista hic per quamdam extensionem refert ad perditionem corporis. Vel, secundum Augustinum, dicendum, quod hoc quod dicitur est intelligendum etiam quantum ad perditionem animæ; quia Apostoli nondum sic credebant quomodo credunt qui non pereunt. Et ideo si tunc exissent de hoc mundo, fuissent de illis qui pereunt.

LECTIO II.

1. Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, et percussit pontificis servum, et abscidit auriculam ejus dexteram. 2, Erat autem nomen servo Malchus. 3. Dixit ergo Jesus Petro : Mitte gladium tuum in vaginam. 4. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum ?

1. Postquam Evangelista ostendit promptitudinem Christi ad proditionem sustinendam, seipsum voluntarie proditori offerendo, hic ostendit eum esse promptum ad idem, disciputi resistentiam prohibendo. Et primo ponitur resistentis discipuli manifestatio ; secundo ejus cohibitio, ibi, *Dixit Jesus Petro etc.* Circa primum duo facit. Primo ponit zelum discipuli in servi percussione ; secundo Evangelista inserit servi nuncupationem, ibi, *Erat autem nomen servo Malchus.* Dicit ergo sic : Ministri comprehenderunt Jesum; sed *Simon Petrus* ceteris discipulis ardentior, *habens gladium*, *eduxit eum*, *et percussit pontificis servum*, qui erat inter ministros, *et abscidit ejus auriculam dexteram* : non ex sua principali intentione, cum eum intenderet occidere ; sed ictus quem dirigebat ad caput, relapsus est ad aurem. Ideo enim ictum dirigebat ad caput, ut facilius moneat, quod id [1] faciebat ex zelo Domini sui. III, Reg. XIX, 10 : *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum.*

Sed hic incidit duplex quæstio; quia cum Dominus mandaverit discipulis, Matth. x, quod nec etiam duas tunicas haberent, quomodo Petrus habebat etiam gladium ? Respondeo dicendum, quod illud præceptum dedit eis Christus quando misit eos ad prædicandum, et durabile erat usque ad tempus passionis: sed [2] Christus in passione revocavit ipsum. Luc. XXII, 35 : *Quando misi vos sine sacculo et pera, numquid aliquid defuit vobis?* Et infra vers. 36 : *Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram ; et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium.* Unde ex [3] hac concessione videtur Petrus intellexisse quod liceret ei portare gladium.

Sed unde tam cito potuisset gladium habere, cum prædicta verba dixisset Dominus paulo ante ? Dicendum, secundum Chrysostomum, quod Petrus jamdiu ante, audiens quod Judæi Christum tradere deberent principibus sacerdotum ad crucifigendum , timens præparaverat sibi gladium. Vel dicendum, secundum *Interlinearem*, quod gladius accipitur hic pro cultello quem forte habuerat in mensa ad esum agni, et de cœna surgens tulerat secum.

Secundo quæritur, quod cum Dominus dixisset eis quod non resisterent malo, Matth. v, quid est, quod Petrus percussit servum principis ? Ad quod dicendum, quod Dominus prohibuit quod non resisterent alicui ad defendendum seipsos, non autem ad defendendum Dominum. Vel dicendum, quod nondum confirmati erant virtute superveniente ex alto. Luc. ult. 49, *Sedete in civitate*, *quoadusque induamini virtute ex alto.* Ideo non erant adhuc perfecti, ut omnino malo non resisterent.

2. *Erat autem*, etc. Hic ponitur nomen servi : et hoc ideo specialiter a Joanne describitur, quia, sicut infra dicitur, ipse erat notus pontifici : et ideo etiam notitiam ministrorum ejus habebat. Unde sciens nomen ejus, non tacuit ipsum propter certitudinem facti. Sed Lucas addit, quod Dominus sanavit auriculam ejus : Luc. XXII. Et hoc mysterio competit. Nam per hunc servum significatur populus Judæorum, qui opprimebatur a principibus sacerdotum. Ezech. XXXIV, 3 : *Quod crassum erat comedebatis.* Istius ergo servi Petrus princeps Apostolorum amputavit auditum : quia male audiebat verba legis, carnaliter scilicet ; sed Dominus restituit novum auditum : quia male audiebat verba legis, carnaliter scilicet; sed Dominus restituit novum auditum. Psal. XVII, 45 : *In auditu auris obedivit mihi.* Et secundum hoc congrue vocatur Malchus ; idest rex. Quia per Christum in novitate vitæ

[1] Al. : « quod quidem. » — [2] Parm. : « unde. » — [3] Parm. : « ex hac concessione, etc. »

efficimur reges. Apocal. v, 10 : *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes; et regnabimus super terram.*

3. *Dixit ergo Jesus Petro*, etc. Hic ponitur Petri cohibitio zeli : et primo ponitur Petri cohibitio : secundo cohibitionis ratio, ibi, *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Dicit ergo, quod Petrus ita eduxit gladium; sed Dominus dixit ei : *Mitte gladium tuum in vaginam* : quasi non esset opus defensionis, sed patientiæ, nec ei licitus usus gladii materialis. Hier. XLVII, 6 : *Usquequo concideris? O mucro*[1] *Domini usquequo non quiesces?* Mystice autem signatur per hoc, quod gladius verbi Dei mittendus erat in vaginam, idest in fidem Gentilium.

4. Et ratio cohibitionis ponitur cum dicit : *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Non enim resistendum his quæ ex divina providentia disponuntur. Job IX, 4 : *Quis restitit*[2] *ei, et pacem habuit?* Dicitur autem passio calix, quia ex caritate patientis dulcedinem habet, sed ex natura sua amaritudinem; sicut et medicina sanativa, propter spem sanitatis dulcis est, sed amara propter saporem. Psal. CXIV, 13 : *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* Hunc ergo calicem dedit ei Pater, quia passionem ex sua et Patris voluntate sponte suscepit. Infra XIX, 11 : *Non haberes in me potestatem, nisi datum esset tibi desuper.*

LECTIO III.

1. Cohors autem et tribunus et ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum, et adduxerunt eum ad Annam primum : 2. Erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiphas qui consilium dederat Judæis, quia expedit unum hominem mori pro populo. 3. Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, et alius discipulus. 4 Discipulus autem ille erat notus pontifici, et introivit cum Jesu in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. 5. Exvit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, et dixit ostiariæ, et introduxit Petrum. 6. Dixit ergo Petro ancilla ostiaria, Numquid et tu ex discipulis es hominis istius? 7. Dicit ille : Non sum. 8. Stabant autem servi et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se. Erat autem cum eis et Petrus stans et calefaciens se. 9. Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis, et de doctrina ejus. 10. Respondit ei Jesus : Ego palam locutus sum mundo : ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Judæi conveniunt; et in occulto locutus sum nihil. 11. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis : ecce hi sciunt quæ dixerim ego.

1. Hic ponitur quomodo Dominus a ministris captus, principibus præsentatur : et primo quomodo ducitur ad unum principem, scilicet Annam; secundo quomodo ducitur ad alium, scilicet Caipham, ibi, *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham.* Circa primum duo facit. Primo dicit quomodo Annæ præsentatur; secundo quomodo ab Anna examinatur, ibi, *Pontifex ergo interrogavit.* Circa primum duo facit. Primo ponit quomodo ducitur ad Annæ domum; secundo quomodo discipuli sequuntur eum, ibi, *Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, et alius discipulus.* Circa primum primo ostenditur quid circa Jesum sit factum; secundo describitur ipse[3] pontifex ad quem ducitur, ibi, *Erat autem socer Caiphæ.* Circa Christum autem tria acta sunt. Primo enim comprehenditur : unde dicit : *Cohors ergo*, idest militum, *et tribunus*, eorum, *et ministri Judæorum comprehenderunt Jesum*, qui incomprehensibilis est. Hier. XXXII, 19. Magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu. Forte enim cogitabant illud[4] Psal. LXXII, 11 : *Deus dereliquit eum : persequimini et comprehendite eum, quoniam non est qui eripiat.* Thren. IV, 20 : *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris*, idest propter peccata nostra, ut scilicet nos liberaret. Isa. XLIX, 25 : *Equidem captivitas a forti tolletur.* Secundo ligatur : unde dicit, *Et ligaverunt eum*, qui solvere venit ligatos, et vincula eorum disrumpere. Psal. CXV, 17 : *Dirupisti vincula mea* etc. Tertio adducitur : unde dicit : *Et adduxerunt eum ad Annam*, ut eum perderent qui venit omnes ducere in viam salutis. Psal. LX, 4 : *Deduxisti me, quia factus es spes mea.* Potest autem duplex ratio assignari quare primum ad Annam ducitur. Una scilicet mandatum[5] Caiphæ pontificis anni illius, qui scilicet ideo Jesum ad Annam misit, ut excusabilior esset, si ab Anna condemnatum ipse postmodum condemnaret. Alia ratio ex propinquitate domus Annæ; quæ in via posita, propinquior erat : et ideo timentes ne si excitaretur tumultus populi, Jesus de manibus eorum eriperetur, declinaverunt illuc.

[1] Al. : « Usquequo concideris mucro. » — [2] Al. : « resistit. » — [3] Al. omittitur : « ipse. » — [4] Al. : « illum. » — [5] Al. : « mandatum. »

2. *Erat enim socer* etc. Hic primo describitur pontifex ex affinitate ad Caipham, quia socer ejus erat; secundo describitur ipse Caiphas, quia *pontifex erat anni illius.* Sciendum est enim, quod secundum legem summus sacerdos per totam vitam officio fungebatur, cui post mortem filius succedebat. Postmodum vero, invidia et ambitione principum crescente, non solum patri non succedebat filius, sed nec ultra annum pontificatus fungebatur officio, et hoc ipsum pecunia procurabat, ut Josephus dicit. Et ideo non est mirum si in anno illius pontificatus tam nequiter acquisiti rem sic nefariam gessit. Describitur etiam ex consilio : unde dixit : *Erat autem Caiphas qui consilium dederat Judæis*, supra XI, hoc scilicet *quia expedit unum hominem mori pro populo.* Quod ideo Evangelista commemoravit, ut removeret scandalum de cordibus fidelium, ostendendo et per adversariorum prophetias, quod non propter infirmitatem aut impotentiam suam captus est et mortuus; sed propter populi salutem, ut scilicet non tota gens pereat. Testimonium enim adversarii efficacius est; et talis naturæ est veritas quod etiam adversarius eam tacere non potest.

3. *Sequebatur autem*, etc. Hic ponitur quomodo discipuli associaverunt Christum : et primo ponitur quomodo Petrus cum alio discipulo sequebatur Christum; secundo quomodo introeunt ad locum ubi Christus erat; tertio quomodo negavit. Dicit ergo quantum ad primum : *Sequebatur autem Jesum Simon Petrus*, ex devotione, quamvis a longe propter timorem, *et alius discipulus*, scilicet Joannes, cujus nomen ipsemet occultat humilitatis gratia. Datur autem per hoc intelligi quod reliqui discipuli aufugerant relicto Jesu, ut dicitur Matth. XXVI.

Mystice autem per hos duos discipulos duæ vitæ intelliguntur, quæ Christum sequuntur, scilicet activa, quæ signatur per Petrum, et contemplativa, quæ per Joannem. Et activa quidem sequitur Christum obediendo : supra X, 27 : *Oves meæ vocem meam audiunt* : contemplativa vero cognoscendo. Oseæ IV, 3 : *Sciemus sequemurque te* [1].

Sequebantur autem isti duo discipuli, quia plus præ ceteris diligebant Christum : unde primi venerunt ad monumentum, infra XX : et quia eos adinvicem major vis dilectionis uniebat : unde sæpe in Evangelio simul junguntur, et in Act. Apost. VIII, 14 dicitur, quod *miserunt ad illos Petrum et Joannem.* Et iterum III, 1 : *Petrus et Joannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam.*

4. Hic ponitur quomodo Petrus introivit quantum ad ordinem : et primo Joannes præcessit; secundo quomodo Petrum introduxit, ibi, *Exivit ergo discipulus alius* etc. Ordo autem fuit talis, quia Joannes primo intravit cum Jesu. Et hujus ratio erat, quia *erat notus pontifici, et Petrus stabat ad ostium atrii foris.* Et licet Joannes piscator fuisset, et juvenis vocatus a Christo, erat tamen notus pontifici : vel quia pater Joannis ei servierat [2], vel aliquis ex consanguineis suis : nec hoc posuit Joannes propter sui jactantiam, sed propter humilitatem, ne hoc quod primo intravit quam Petrus cum Jesu in atrium Pontificis et non Petrus, magis virtuti suæ, et majoritati quam notitiæ ascribatur : et ideo dicit : *Discipulus autem ille*, scilicet Joannes, *erat notus pontifici* : et ideo intravit cum Jesu in atrium pontificis, ubi Christus erat ductus. *Petrus autem stabat*, quasi præsagiens futuram negationem. Psalm. XXX, 13 : *Qui videbant me, foras fugerunt a me.*

Mystice autem Joannes intrat cum Jesu, quia vita contemplativa est ei familiaris. Sap. VIII, 16 : *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa.* Sed Petrus stat [3] foris, quia activa vita circa exteriora occupatur. Luc. X, 39 : *Maria sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium.*

5. *Exivit ergo*, etc. Hic ostenditur quomodo Petrus Joannis interventu introductus est, quia ille *alius discipulus*, scilicet Joannes, *erat notus pontifici, et dixit ostiariæ*, ut eum introduceret, *et introduxit Petrum.* Per quod mystice datur intelligi quod per contemplativum introducitur ad Christum activa vita : sicut enim ratio inferior dirigitur per superiorem, ita activa per contemplativam. Psalm. XLII, 3 : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam : ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.*

6. *Dixit ergo Petro*, etc. Hic ponitur Petri negatio : et primo ponitur motivum negationis, seu occasio; secundo ponitur ipsa negatio, ibi, *Dicit ille, Non sum*; ter-

[1] Al. : « sequimur te. » — [2] Parm. : « servus erat. » — [3] Al. : « stans. »

tio negationis confirmatio, ibi : *Stabant autem servi et ministri ad prunas.* Occasio autem negationis et motivum fuit Petro ancillæ interrogatio : unde dicit : *Dixit Petro ancilla ostiaria : Numquid et tu ex discipulis ejus es?* Dicit autem, *Et tu*, quia sciebat Joannem Christi esse discipulum, et tamen propter familiaritatem nil dicit ei. Apparet autem in hoc infirmitas Petri pro tempore illo, quia ex debili occasione motus est ad negandum : et hoc ex duobus. Primo ex ipsa persona interrogante: quia non armatus miles, non admirandus pontifex ; sed mulier et ancilla ostiaria interrogavit. Secundo ex forma interrogationis; quia non dicit : Numquid ex discipulis es proditoris istius ? per quod videbatur magis ex compassione loqui. Unde et ex hoc percipitur quod *Verbo Domini cœli firmati sunt et spiritu oris ejus omnis virtus eorum :* Psalm. xxxii, 6 : quia qui ad vocem ancillæ Christum negavit, postmodum nomen Christi coram principibus sacerdotum confitetur et prædicat. Actor. iv.

7. Negatio Petri ponitur cum dicit : *Dicit ille*, *Non sum.* In quo debemus advertere, secundum Augustinum, non solum ab eo negari Christum qui dicit eum non esse Christum, sed ab eo etiam qui negat se esse Christianum. Nil autem aliud isto modo negavit Petrus, quam se esse Christianum. Ideo autem Dominus Petrum negare permisit, quia voluit ut ipse, qui præponendus erat toti Ecclesiæ, infirmis et peccantibus magis compateretur, expertus in seipso infirmitatem peccati. Hebr. iv, 15 : *Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris*, *tentatum per omnia absque peccato* : verum est de Christo ; sed de Petro potest dici etiam cum peccato. Quidam tamen quandam inanem gratiam appropriantes Petro, dicunt, quod non timore negavit, sed amore, volens semper esse cum Christo, et sequi continue ; noverat enim quod si fateretur se esse de Christi discipulis, fuisset separatus a Christo, et expulsus. Sed hoc non consonat dictis Domini : quia non ideo negavit quia noluit a Christo separari, sed quia noluit pro Christo animam ponere. Supra enim xiii, 37 cum dixisset, *Animam meam pro te ponam;* respondit Jesus, *Animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi : non cantabit antequam ter me neges.*

8. *Amen dico*, etc. Confirmatio negationis ponitur ibi, *Stabant autem servi et ministri ad prunas... erat autem cum eis Petrus* ; quasi ut magis videretur non esse ejus discipulus. Nam Petrus ad hoc quod non videretur ex discipulis, posuit se inter ministros et servos stantes ad prunas, quia frigus erat, sicut quandoque in æquinoctio hiemali in martio contingit : in quo Petrus non bene consideravit quod dicitur in Ps. xvii, 26 : *Cum sancto sanctus eris... et cum perverso perverteris.* Ipsum etiam tempus congruit conditioni mentis ejus, in qua refriguerat caritas. Matth. xxiv, 12 : *Refrigescet caritas multorum*, *quoniam abundavit iniquitas.*

9. *Pontifex ergo interrogavit Jesum.* Ubi primo ponitur examinatio ; secundo Christi responsio, ibi, *Respondit ei Jesus* ; tertio responsionis reprehensio, ibi, *Hæc autem cum dixisset* etc. Duo autem imponebantur Christo a Judæis : scilicet falsa doctrina, et nova. Marc. i, 27 : *Quæ est hæc nova doctrina?* Secundo seditio, et attractio hominum ad se. Luc. xxiii, 5 : *Commovit populum per universam Judæam*, *incipiens a Galilæa usque huc.* Et ideo de istis duobus eum examinat. Primo quidem *de discipulis ejus*, quos videbat seduxisse ; secundo *de doctrina ejus*, quasi notans eam falsitatis.

10. *Respondit Jesus*, etc. Hic ponitur responsio Domini. Et primo ponit suæ doctrinæ modum; secundo requirit aliorum testimonium, ibi, *Quid me interrogas?* Circa primum duo facit. Primo doctrinæ manifestationem proponit; secundo eam exponit. Dicit ergo : *Ego palam locutus sum mundo.*

Sed contra. Supra xvi, 25, dicitur : *Venit hora*, *quando non in proverbiis*, *sed palam de Patre annuntiabo vobis.* Si ergo discipulis nondum palam locutus fuerat, quomodo palam locutus est mundo [1]? Responsio. Dicendum, quod discipulis nondum loquebatur palam, quia excellentes sententias proponebat ; mundo autem locutus est palam, quia publice prædicabat : unde hoc exponit dicens : *Ego semper docui in templo et synagogis.*

Sed contra ; Matth. xvi, dicitur, quod discipulis multa seorsum sine parabolis proponebat. Sed ad hoc est triplex res-

[1] Al. : « in mundo. »

ponsio. Una, quia quod duodecim discipulis dicebat, non reputabatur in occulto dici. Alia est, quia non proponebat ea discipulis intentione occultandi. Tertio, si fiat vis in verbo, quia Dominus hic loquitur de doctrina quam populo tradidit, quam non proposuit eis in conventiculis, sed in locis publicis. Psalm. XXXIX, 10 : *Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna.* Isa. XLV, 19 : *Non fui locutus in abscondito, in loco terræ tenebroso.*

11. Et ad hoc exigit aliorum testimonium, dicens : *Quid me interrogas ? Interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis* : et primo remittit eos ad testimonium aliorum ; secundo ostendit quorum testimonium requirat; tertio rationem eorum assignat. Quantum ad primum dicit : *Quid me interrogas?* quasi dicat : Per alios potes hoc scire. Et ideo quantum ad secundum subdit : *Interroga eos qui audierunt.* Nam, ut Matth. XXII, 15, dicitur, *miserunt ad Jesum Pharisæi, ut caperent eum in sermone* : qui tamen contra eum nihil invenire potuerunt. Et ideo remittit eum ad eos. Et rationem hujus subdit : *Ecce hi sciunt quid dixerim ego* : de quibus possunt testimonium perhibere.

LECTIO IV.

1. Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens : Sic respondes pontifici ? 2. Respondit ei Jesus : Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo ; si autem bene, quid me cædis ? 3. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. 4. Erat autem Simon Petrus stans, et calefaciens se. 5. Dixerunt ergo ei : Numquid et tu ex discipulis ejus es ? Negavit ille, et dixit, Non sum. Dixit ei unus ex servis Pontificis cognatus ejus cujus Petrus abscidit auriculam : Nonne ego te vidi in horto cum illo ? Iterum ergo negavit Petrus. 6. Et statim gallus cantavit.

1. Posita Domini responsione, hic ponitur responsionis reprehensio : et primo ponitur ministri reprehensio ; secundo Domini satisfactio, ibi, *Respondit ei Jesus* etc. Minister autem reprehendit responsionem Domini, primo quidem facto, quia dedit ei alapam ad improperium : unde dicit : *Hæc cum dixisset*, scilicet Jesus, *unus assistens ministrorum*, scilicet pontificis, *dedit ei alapam.* Quod quidem non casu contigit, sed longe ante et multipliciter fuerat prophetatum. Isa. X, 6 : *Dedi corpus meum percutientibus, et genas meas vellentibus.* Thren. III, 30 : *Dabit percutienti se maxillam* [1], *saturabitur opprobriis.* Mich. V, 1 : *In virga percutient maxillam Judicis Israel.* Secundo reprehendit verbo, dicens : *Sic respondes pontifici ?* In quo datur intelligi quod Annas pontifex erat et nondum missus erat ad Caipham : unde Luc. III, 2, hos duos pontifices commemorat : *Sub principibus* inquit *sacerdotum Anna et Caipha.* Sed dicuntur duo pontifices, quia alternis vicibus pontificatum sibi vindicabant ; sed illo anno Annas erat princeps sacerdotum. Motus est autem minister ad percutiendum Jesum ex hoc scilicet quia cum audientem eum interpellasset testimonium, supra VII, 46 : cum pontifices misissent ministros ut caperent eum, ipsi capti ad verba Jesu redierunt dicentes, quia *nunquam sic locutus est homo sicut hic homo.* Volens ergo hic se excusare quod non esset de illis, percussit eum. Sed Christum male respondisse pontifici ex hoc conjecit, quia per hoc quod dixit, *Quid me interrogas ? Interroga eos qui audierunt*, videbatur notasse pontificem de imprudenti interrogatione, cum tamen scriptum sit Exod. XXII, 28 : *Principem populi tui ne maledicas.*

2. Consequenter Jesus rationabiliter excusat se, cum dicit : *Si male locutus sum*, respondens pontifici, *testimonium perhibe de malo*; quasi dicat : Si habes ex his quæ a me prolata sunt unde me possis reprehendere, ostende quod male dixerim : quia *in ore duorum vel trium testium stat omne verbum* : Deut. XIX, 15: *Si autem bene*, idest si nequis hoc ostendere, *quid me cædis?* idest quid in me furis? Vel hoc potest referri ad hoc quod dixit supra : *Interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis*; ut sit sensus : *Si male locutus sum*, in synagoga et in templo, quod non debui, *testimonium perhibe de malo*, quod dixi coram principe sacerdotum. Sed hoc non potuisset minister ostendere. *Si autem bene*, scilicet docui, *quid me cædis ?* quasi dicat, injustum est. Hier. XVIII, 28 : *Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ ?*

Sed hic est quæstio : quia Matth. V, 29, Dominus præcipit discipulis suis : *Si quis te percusserit in dexteram maxillam,*

[1] Al. : « percutientibus maxillam. »

præbe ei et alteram. De Christo autem dicitur Actor. I, 1 : *Cœpit Jesus facere et docere.* Debuit ergo facere quod docuit. Sed hoc non fecit ; immo, quod contrarium videtur, se excusavit [1].

Responsio. Dicendum, secundum Augustinum, quod dicta et præcepta sacræ Scripturæ ex factis sanctorum interpretari possunt et intelliguntur [2], cum idem Spiritus sanctus qui inspiravit Prophetis et aliis sacræ Scripturæ auctoribus [3], moverit sanctos ad opus. Nam, sicut II Petr. I, 21, dicitur, *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Ita Rom. VIII, 14, dicitur : *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Sic sacra Scriptura intelligenda est secundum quod Christus et alii sancti servaverunt. Christus autem non præbuit isti aliam maxillam : nec Paulus, Actor. IX. Unde non est intelligendum quod Christus mandasset quod præberent maxillam aliam corporalem ad litteram ei qui percutit unam ; sed hoc debet intelligi quantum ad præparationem animi : quod si necesse fuerit, ita debet esse dispositus ut non turbetur animo contra percutientem, sed paratus sit simile et etiam amplius sustinere. Et hoc Dominus servavit, qui corpus suum præbuit occisioni. Sic ergo excusatio Domini utilis fuit ad nostram instructionem.

3. *Et misit eum Annas* etc. Hic ostenditur quomodo a pontifice mittitur ad alium pontificem. Et primo ponitur Jesu missio ; secundo completur Petri negatio, ibi, *Erat autem Simon Petrus stans et calefaciens se.* Dicit ergo : *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem*, ad quem a principio ducebatur ; sed causa quare prius declinaverat illuc, expressa est supra. Sed attende Annæ nequitiam : quia cum debuisset eum absolvere, utpote sine culpa existentem, tamen eum ligatum misit.

4. *Erat autem Simon* etc. Hic agitur de secunda negatione Petri et tertia : et primo ponitur negationis occasio ; secundo Petri duplex negatio, ibi, *Dixerunt ergo ei* etc. ; tertio ponitur signi verborum Christi adimpletio, ibi, *Et statim gallus cantavit* etc. Occasio autem secundæ negationis Petri fuit mora cum ministris pontificis stantibus ad ignem. Nam Chrysostomus dicit : « Recedente Christo ad Caipham, Petrus adhuc cum ministris remansit. » Sic enim absorptus erat a peccato post negationem, ut qui prius fervidus erat, jam non videbatur curare de Christo. Hier. VIII, 6 : *Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, Quid feci?* Et ideo dicit : *Erat autem Simon Petrus adhuc stans et calefaciens se* ; quamvis Christus recesserit inde ; immemor ejus quod dicitur in Psal. 1 : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.* Sed hæc expositio stare non potest: sequeretur quod secunda et tertia negatio quia sic facta fuissent in absentia Christi ; quod est contra illud quod dicitur Luc. XXII, quod post tertiam negationem Petri conversus Dominus respexit Petrum. Et ideo Augustinus aliter exponens, dicit, quod Evangelista loquitur per recapitulationem more suo, ut ostendat continuationem et ordinem rei. Dixerat enim supra hoc cap. quod *stabant servi et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se.* Et *Petrus erat cum eis stans, et calefaciens se* ; et postea interposuit de examinatione Christi a pontifice : et postmodum, ut continuet seriem, resumit quasi eadem verba dicens : *Erat autem Simon Petrus stans*, ante scilicet quam Christus mitteretur ad Caipham.

5. Deinde ponitur duplex negatio Petri, cum dicit : *Dixerunt ergo ei : Numquid et tu ex discipulis ejus es?* Et circa utrumque ponuntur duo, scilicet negationis occasio, idest interrogatio, et ipsa negatio.

Sed hic occurrit duplex quæstio litteralis. Nam Matth. XXXVI, 17, loquens de secunda negatione dicit : *Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, et ait his qui erant ibi : Et hic erat cum Jesu Nazareno. Et iterum negavit* [4] *cum juramento.* Et sic videtur hic duplex contrarietas. Quia Joannes dixit Petrum negasse eo stante ad focum, Matthæus autem eo exeunte domum. Alia contrarietas est ; quia secundum Matthæum interrogatur ab alia ancilla, secundum Joannem ab aliis, scilicet multis : unde dicit : *Dixerunt ergo ei : Numquid et tu ex discipulis ejus es?* Item etiam secundum Lucam solum ab una interrogatur : unde Luc. XXII, 59, dicitur : *Et intervallo facto quasi horæ unius alius quidam affirmabat, dicens : Vere et hic cum illo erat.*

Responsio. Dicendum, quod quando Petrus primo negavit, surrexit et exivit

[1] Al. : « immo contrarium, ut videtur se excusare. » — [2] Al. deest : « intelliguntur. » — [3] Al. : « latoribus. » — [4] Al. : « juravit. »

januam, et eo exeunte alia ancilla interrogavit eum. Vel dixit aliis, quia de illis erat, sicut refert Matthæus. Et sic negavit secundo. Et postmodum rediit Petrus ut excusaret se de hoc etiam, et sedit cum aliis; quo sedente ibi, alii qui audierunt ab ancilla, iterum interrogaverunt eum, ut dicit Matthæus. Vel unus primo, ut dicitur hic et postea alii multi. Et sic negavit tertio. Unde subditur de tertia negatione : *Dixit unus ex servis pontificis cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam.* Iste tertius testimonium perhibuit, quia de visu : unde dicit : *Nonne ego te vidi cum illo? Iterum ergo Petrus*, facto intervallo horæ unius, *negavit*, tertio. Nec refert si alii Evangelistæ dicunt tertiam interrogationem factam a pluribus, Joannes vero factam ab uno. Potuit enim fieri ut iste, qui magis certus erat, interrogaret, et alios ad interrogandum incitaret. Multa enim circa hæc verba dicta sunt a circumstantibus, quorum unum commemorat Evangelista unus, et alius aliud, cum non esset eorum principalis intentio ad hoc ; sed ad commemorandum verba Petri, et ostendendum veritatem ejus quod Dominus dixerat Petro : unde in verbis Petri omnes conveniunt. Num. XXIV, 13 : *Quicquid Dominus dixerit, hæc loquar.*

6. Consequenter agit de signo commemorationis Christi : unde dicit : *Et statim gallus cantavit*, motus virtute divina, ut medici esset completa prædictio, et ægroti convicta præsumptio.

LECTIO V.

1. Adducunt ergo Jesum a Caipha in prætorium. Erat autem mane : et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha. 2. Exivit ergo Pilatus ad eos foras et dixit : Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? Responderunt et dixerunt ei : Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. 3. Dixit ergo eis Pilatus : Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum. 4. Dixerunt ergo ei Judæi : Nobis non licet interficere quemquam. 5. Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus.

1. Hic agitur de assignatione Christi Gentilibus. Et primo dicit Evangelista quomodo assignatur præsidi ; secundo causa ejus a præside examinatur, ibi, *Et dixit : Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* tertio quomodo ejus innocentia declaratur, ibi, *Et hæc cum dixisset, iterum exivit.* Circa primum tria facit. Primo describit assignationis locum; secundo tempus; tertio modum. Locus quidem, quia in prætorium : unde dicit : *Adducunt autem Jesum ad Caipham in prætorium*, quod est locus judicii. Unde et in exercitu ubi erat tabernaculum principis consuevit prætorium appellari ; unde hic domus præsidis prætorium appellatur.

Sed [1] quomodo ducitur ad Caipham in prætorium? Ad quod dicendum, quod potest dici, quod Caiphas prævenerat in domum Pilati, ut eum informaret de facto Jesu sibi præsentandi : unde eo exeunte cum Pilato in prætorium, assignatus est ei Jesus. Vel potest dici, quod cum Caiphas esset princeps sacerdotum, habebat spatiosas domos : ita quod in aliqua parte earum præses hospitaretur : et sic est sensus : *Adducunt Jesum ad Caipham*, scilicet ad domum ejus, et hoc *in prætorium.* Vel dicendum, quod melius in græco habetur : *Adducunt Jesum a Caipha in prætorium :* et sic tollitur omnis dubitatio.

Tempus describitur : *Erat autem mane :* nam tanta erat eorum nequitia, ut nulla interponeretur mora quin occidendum traderent Pilato. Mich. II, 1 : *Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris. In luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorum.* Job XXIV, 14 : *Mane primo surgit homicida, interficit egenum et pauperem.*

Sed ex hoc quæstio gravis insurgit. Nam tres alii Evangelistæ dicunt, quod circa principium noctis Dominus fuit flagellatus in domo Caiphæ, et examinatus ab eo, cum dixit Luc. XXII, 66 : *Dic nobis si tu es Christus* : et summo mane ductus est ad Pilatum. Joannes vero dicit, quod ductus est ad Caipham. Ad quod dicendum, quod si volumus salvare litteram nostram, quod Caiphas primo vidit eum cum esset in domo Annæ de nocte, et tunc potuit examinari ab eo.

Sed adhuc dubium remanet de hoc quod dicunt, quod fuit flagellatus [2] in domo Caiphæ. Quod totum solvitur secundum illud quod habetur in græco, scilicet quod *ducunt eum a Caipha in prætorium* : quia secundum hoc a domo Annæ fuit de nocte

[1] Al. omittitur : « sed. » — [2] Al. « de hoc quod fuit flagellatus. »

adductus ad domum Caiphæ : ubi flagellatus et examinatus fuit, et de mane fuit a Caipha ductus in prætorium.

Ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Ubi primo designatur eorum vana superstitio, quia non introierunt in prætorium ; secundo Pilati ad eos reverentia, quia exivit eis obviam.

Sed hoc quod dicit quantum ad primum, quod non introierunt ut non contaminarentur, habet dubitationem. Dicunt enim alii Evangelistæ, quod Christus captus fuit in sero in die cœnæ : et tunc erat pascha . Luc. XXII, 15 : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.* Et de mane in crastino fuit ductus ad prætorium. Quomodo ergo *ut manducarent pascha*, cum esset in crastino paschæ ? Sed ad hoc quidam moderni græci dicunt, quod hoc factum fuit decima quarta luna, et crucifixus eo die quo Judæi celebrabant pascha, dicentes, quod Christus una die prævenit pascha, sciens sibi imminere occisionem in pascha Judæorum, unde celebravit pascha decimatertia luna ad vesperam. Et hoc dicunt, quia in lege præceptum est, quod a quartadecima luna primi mensis usque ad vigesimum primum diem mensis, non inveniatur fermentatum apud Judæos. Unde dicunt, quod Christus consecravit de fermentato corpus suum.

Sed hoc stare non potest propter duo. Primo, quia nunquam invenitur in veteri testamento quod alicui liceret prævenire celebrationem paschæ : sed si haberet impedimentum, liceret differe usque ad alium mensem. Num. IX, 10 : *Homo qui fuerit immundus super anima, aut in via procul in gente vestra, faciat phase Domino, mense secundo, quartadecima die mensis ad vesperam.* Cum ergo Christus nil prætermiserit de observantiis legis falsum dicunt, eum pascha prævenisse. Secundo, quia Marc. XIV, expresse habetur, quod Christus venit die azymorum quando necesse erat occidi pascha; et Matthæus dicit XXVI, 17 quod primo *die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere pascha ?* Non ergo dicendum est quod Christus prævenit pascha. Et ideo Chrysostomus aliter dicit : scilicet quod Christus legem per omnia implens, suo tempore pascha celebravit, scilicet quartadecima luna ad vesperam; sed Judæi sic intenti erant ad Christi occisionem quod non celebraverunt pascha die suo : sed in sequenti die, scilicet luna decimaquinta. Unde de hoc dicit : *Ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha*, quod præcedenti die omiserunt. Sed nec hoc stare potest : quia Num. IX, dicitur, quod si quis propter impedimenta non potest celebrare pascha decimaquarta luna primi mensis, celebrat illud non sequenti die, sed luna decimaquarta mensis secundi. Et ideo dicendum est, secundum Hieronymum et Augustinum et alios doctores latinos, quod decimaquarta luna est principium solemnitatis; sed pascha non dicitur solum vespera, sed totum tempus septem dierum : per quod comedebant azyma, quæ debebant manducari a mundis. Unde quia Judæi alieni judicis prætorio immunditiam contrahebant; ideo non introierunt in prætorium, *ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha*, idest panes azymorum.

Sed attende impiam cæcitatem : quia timebant contaminari de homine gentili; sed sanguinem Dei et hominis effundere non timebant. Isa. XLIX, 17 : *Venerunt structores tui destruentes te, et dissipantes a te exibunt.*

2. Consequenter ponitur Pilati ad eos reverentia, cum dicit : *Exivit ergo Pilatus ad eos foras*; et tunc Christum ab eis oblatum suscepit : *et dixit : Quam accusationem affertis adversus hominem hunc ?* Ubi ponitur Christi examinatio : et primo quomodo examinatur a Pilato coram accusatoribus; secundo quomodo a se, ibi, *Introivit ergo*, etc. Circa primum duo facit. Primo ponit Pilati examinationem; secundo liberalem ejus concessionem, ibi, *Accipite eum vos*, etc. Circa primum primo ponitur ejus examinatio; secundo malitiosa Judæorum responsio. Pilatus ergo videns eum ligatum, et a tot ductum ad damnandum dicit : *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc ? Responderunt, et dixerunt ei : Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum ;* quasi dicerent : Nos examinavimus eum, et jam condemnatum tradidimus eum tibi jam puniendum; quasi Pilato sufficeret eorum judicium. Sed falsum dicunt, dicentes eum esse malefactorem : quia, ut dicitur Actor. X, 38 : *Pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos*[1] *a diabolo.* Sed faciunt secundum illud Psal.

[1] Al. : « oppressiones. »

xxxiv, 12, *Retribuebant mihi mala pro bonis.*

Sed contra hoc est quod dicitur Luc. xxiii, 5, quod imponebant Christo multa crimina; unde dicebant : *Commovit populum per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc* : hic autem nullum. Respondeo dicendum, quod multo verba dixerunt Judæi tunc Pilato, ut Augustinus dicit; sed potuit esse quod primo hoc quod hic ostendit Joannes, et postea fuit quod dicit Lucas.

3. Consequenter ponitur liberalis concessio Pilati, cum dicit : *Accipite eum vos* : et primo ponitur Pilati concessio ; secundo Judæorum recusatio, ibi, *Dixerunt ergo ei Judæi;* tertio recusationis ratio, ibi, *Ut sermo Jesu impleretur.* Dicit ergo : *Accipite eum vos*, volens eis præstare gratiam. Sic et Felix [1] dixit Paulo : *Si velis judicari apud Judæos* : Actor. xxiv. Vel hoc dixit arguens eos : nam ipsi examinaverant, et condemnaverant : unde volebat quod qui condemnaverant eum malefactorem, darent sententiam : quia, ut dicitur Actor. xxv, 16, *Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda peccata.* Et sic est sensus : Nostrum judicium petitis; sed *vos eum accipite et damnate secundum legem vestram* : ego autem nequaquam talis judex efficiar.

4. Sed Judæorum recusatio ponitur consequenter ibi, *Dixerunt ergo ei Judæi* : *Nobis non licet interficere quemquam.*

Sed contra. Exod. xxii, 18, dicitur : *Maleficos non patieris vivere.* Jesum autem maleficum reputabant. Sed, secundum Augustinum, dicunt : *Nobis non licet interficere quemquam*, in die festo ; alio autem tempore sic. Vel, secundum Chrysostomum, Judæi amiserunt multum de potestate : quia judicium de peccato contra rempublicam non pertinebat ad eos ; ipsi autem potissime intendebant condemnare eum de hoc quod erat contra rempublicam. Infra xix, 12 : *Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari.* Unde dicunt : *Nobis non licet interficere quemquam*, scilicet qui facit contra rempublicam ; quamvis liceret pro aliquo peccato legis, cujus judicium reservatum eis erat. Vel aliter dicendum, quod aliquid non licet alicui, vel quia est divina lege prohibitum ; et hoc modo non erat eis prohibitum ; vel quia prohibitum erat eis lege humana ; et hoc modo non licebat eis interficere quemquam, quia jam residebat hæc potestas apud præsidem.

Sed tunc remanet quæstio : quia lapidaverunt Stephanum, Actor. vii. Sed ad hoc respondet Chrysostomus, quod Judæis concessum erat a Romanis quod uterentur legibus suis : unde quia pœna lapidationis erat inflicta per legem, ideo concessa erat eis a Romanis. Sed mors crucis in lege exprobabilis erat. Deut. xxi, 23 : *Maledictus omnis qui pependit in ligno.* Et ideo hoc genus mortis non erat eis servatum. Judæi autem ex sua malitia non erant contenti si Christum lapidarent : sed volebant eum morte turpissima condemnare, ut dicitur Sap. ii. Et ideo nunc dicunt : *Non licet nobis interficere quemquam*, scilicet morte crucis. Vel dicendum, quod Stephanus fuit lapidatus in magistratus mutatione : et tunc multa illicita usurpantur, quæ non fierent in processu temporis.

5. Ratio recusationis subditur cum dicit, *Ut sermo Jesu impleretur* : ut ly *ut* non referatur ad intentionem Judæorum, sed ad dispositionem divinæ providentiæ. Jesus enim dixit, Matth. xx, quod occidendus erat a Gentibus, et crucifigendus, traditus tamen Judæis. Et ideo ut istud impleretur, ipsi noluerunt eum judicare et occidere.

LECTIO VI.

1. Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus, et vocavit Jesum, et dixit ei : Tu es rex Judæorum? 2. Respondit Jesus : A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? 3. Respondit Pilatus : Numquid ego Judæus sum? Gens tua et pontifices tui tradiderunt te mihi. Quid fecisti? 4. Respondit Jesus : Regnum meum non est de hoc mundo. 5. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis. 6. Nunc autem regnum meum non est hinc. 7. Dixit ei itaque Pilatus : Ergo rex es tu? 8. Respondit Jesus : Tu dicis quia rex sum ego. 9. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. 10. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. 11. Dixit ei Pilatus : Quid est veritas? 12. Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos, et dixit eis : Ego nullam invenio in eo causam. Est autem consuetudo ut unum dimittam vobis in pascha : vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum? Clamaverunt rursum omnes dicentes : Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

[1] Forte : Festus, Actor. 15, 9 et 10.

1. Supra posita est examinatio qua Pilatus examinavit Christum coram accusatoribus; hic autem ponit Evangelista quomodo Pilatus examinavit Christum apud seipsum. Et primo Evangelista agit de interrogatione Pilati examinantis; secundo de responsione Christi examinati, ibi, *Respondit Jesus* : *Regnum meum non est de hoc mundo.* Circa primum duo facit. Primo proponit Pilati interrogationem, secundo interrogationis causam, seu examinationem, ibi, *Respondit Jesus* : *A temetipso hoc dicis?* Circa primum sciendum, quod Pilatus ut justus judex, et omnia exquisite pertractans, non statim acquievit accusationi pontificis. Exod. XXIII, 2 : *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies.* Sed *introivit iterum in prætorium, et vocavit Jesum*, scilicet seorsum, eo quod magnam de eo habebat suspicionem. Ideo autem Christum ad se vocavit, ut exquisitius omnia rimaretur, et Christus quietius responderet, amoto strepitu Judæorum. Job XXIX, 16 : *Causam quam ignorabam, diligentissime investigabam.* Et tunc dixit ei : *Tu es rex Judæorum?* Ex quo patet, ut Lucas refert XXII, quod [1] Judæi hoc crimen ei imposuerant; licet Joannes dicat tantum : *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Et multa alia crimina ei objecerunt : sed hoc magis tetigit cor Pilati, et ideo de hoc solo eum interrogat. Matth. XII, 34 : *Ex abundantia cordis os loquitur.*

2. Consequenter cum dicit, *Respondit Jesus*, etc., ponitur interrogationis examinatio : et primo ponitur Christi interrogatio; secundo Pilati responsio, ibi, *Numquid ego Judæus sum?* Dixit ergo : *Respondit Jesus*, versa vice interrogando : *A temetipso hoc dicis?* Ubi sciendum est, quod duplici ex causa homo interrogat. Quandoque ut sciat rem quam prius ignorabat; et sic discipulus interrogat magistrum : quandoque interrogat de re scita, ut sciat responsionem de quo interrogat; et sic magister interrogat discipulum. Sed Dominus sciebat et id de quo ipse interrogabat, et illud quod responsurus erat; et ideo non interrogabat quasi ignorans : quia *omnia nuda et aperta sunt oculis ejus* : Heb. IV, 13, sed interrogat ut sciamus quam opinionem habebant Judæi et Gentiles, ac simul de illo regno instruamur.

3. Consequenter cum dicit, *Respondit Pilatus*, etc., ponitur responsio Pilati. Sed quare sic respondet? Ideo scilicet quia Dominus quæsivit ab eo an a semetipso hoc dixisset. Et ideo Pilatus ostendit quod non pertinebat ad eum quærere an esset rex Judæorum, sed potius ad Judæos, quorum se regem dicebat; dans per hoc intelligere quod ab aliis hoc sibi dicebatur. Et ideo subdit : *Gens tua et pontifices tui tradiderunt te mihi*, hanc scilicet accusationem adversum te dicentes. Et dicit, *Gens tua*, quia ex Judæis, secundum hominem, natus erat. Hier. XX, 10 : *Audivi enim contumelias multorum et terrores in circuiti et persequimini eum, ab omnibus viris qui erant pacifici mei.* Michææ VII, 6 : *Inimici hominis, domestici ejus.* Et dicit, *Pontifices;* quia quanto majores erant in potestate, tanto potiores in crimine. I Esdræ IX, 2 : *Manus principum et magistratuum fuit in transgressione hac prima.* Hierem. V, 5 : *Ibo ad optimates, et loquar eis* : *ipsi enim cognoverunt vias Domini, et judicium Dei sui* : *et ecce magis hi confregerunt jugum, ruperunt vincula.* Si ergo ipsi tradiderunt te mihi, *quid fecisti?* quasi dicat; non est credendum quod tradidissent te mihi nisi pro magna causa.

4. *Respondit Jesus,* etc. Hic ponitur responsio Christi. Et primo removet suspicionis de regno suo falsitatem; secundo astruit veritatem, ibi, *Dixit itaque ei Pilatus* : *Ergo Rex es tu?* Circa primum duo facit. Primo excludit falsam suspicionem; secundo adhibet signi probationem, ibi, *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis.* Falsam suspicionem removet, dicens : *Regnum meum non est de hoc mundo.* Quod male intelligentes Manichæi, dicebant esse duos Deos et duo regna; scilicet Deum bonum, qui habet regnum suum in regione lucis; et Deum malum, qui habet regnum suum in regione tenebrarum; et hanc dicebant esse hunc mundum, quia omnia corporalia dicebant esse tenebras. Et secundum hoc sensus est : *Regnum meum non est de hoc mundo;* quasi dicat : Dominus Pater, qui bonus est, et ego non habemus regnum in regione tenebrarum.

Sed contra hoc est quod dicitur in Psal. XLVI, 8 : *Quoniam rex omnis terræ Deus.* Et iterum Psalm. CXXXIV, 6 : *Om-*

[1] Al. deest : « quod. »

nia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo et in terra. Et ideo dicendum, quod hoc dixit Christus propter Pilatum, qui credebat Christum affectare regnum terrenum, quo corporaliter, sicut et homines terreni, regnaret; et per hoc esse morte plectendus, quod illicitum affectavit regnum.

Sciendum est autem, quod regnum quandoque dicitur ille populus qui regnat, quandoque ipsa regia potestas. Primo ergo modo accipiendo regnum exponit Augustinus, et dicit : *Regnum meum*, idest fideles mei : Apoc. v, 10 : *Fecisti nos Deo nostro* regnum, *non est de hoc mundo.* Non dicit : Non est in hoc mundo: supra XVII, 11 : *Et hi in mundo sunt* : sed *Non est hoc mundo*, per affectum et imitationem, ereptus quidem per gratiæ electionem. Sic enim nos Deus eruit de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum caritatis suæ. Chrysostomus autem exponit accipiendo regnum secundo modo : et dicit : *Regnum meum*, idest potestas mea et auctoritas, qua rex sum, *non est de hoc mundo* ; idest, non habet originem ex causis mundanis et electione hominum, sed aliunde, scilicet ab ipso Patre. Dan. VII, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur.*

5. Hic adhibet signa evidentia ad probandum quod regnum ejus non est de hoc mundo : et primo ponit signum ; secundo concludit intentum, ibi, *Nunc autem regnum meum non est hinc.* Circa primum sciendum est, quod qui habet regnum terrenum, sive juste sive violenter, oportet quod habeat socios et ministros, per quos in potestate fulciatur. Cujus ratio est, quia non est potens per seipsum, sed per ministros suos. II Reg. III, 1 : *Facta est longa concertatio inter domum Saul et inter domum David : David proficiens et semper scipso robustior, domus autem Saul decrescens quotidie.* Sed rex supernus, quia potens est per seipsum, servis suis potentiam tribuit ; ideo non indiget ad regnum suum ministris. Et ideo dicit, quod regnum suum non est de hoc mundo : quia *si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri utique mei decertarent, ut non traderer Judæis.* Unde et Petrus volens decertare pro Christo, non advertebat se de hoc mundo non esse : supra eodem. Habebat tamen Dominus alios ministros, scilicet Angelos, qui potuissent eum eripere de manibus Judæorum ; sed Dominus eripi noluit. Matth. XXVI, 53 : *An non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum ?*

6. *Nunc autem regnum meum non est hinc.* Scilicet quia non quærit tales ministros, concludit quod *regnum suum non est hinc ;* idest, non habet principium de hoc mundo ; est tamen hic, quia ubique est : « attingit enim a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter : » Sap. VIII, 1. Psal. II, 8 : *Postula a me, et dabo tibi Gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Dan. VII, 14 : *Dedit potestatem et honorem et regnum* ; *et omnes populi, tribus et linguæ servient ei.*

7. *Dixit ei itaque Pilatus*, etc. Hic Dominus manifestat veritatem de regno suo quod sit. Et primo ponitur manifestationis occasio ; secundo ipsa manifestatio, ibi, *Respondit ei Jesus*, etc. ; tertio manifestationis effectus, ibi, *Dixit ei Pilatus, Quid est veritas?* Circa primum sciendum, quod Pilatus ex supradictis verbis Domini, intelligens quod regnum quasi carnale et longinquum esset de partibus illis : I Corinth. II 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei* : anhelavit ad veritatem sciendam ; et ideo inquit dicens *: Ergo rex es tu* ? Scilicet et Dominus.

8. Consequenter respondens dicit : *Tu dicis quia rex sum ego.* Ubi primo se esse confitetur regem ; secundo sui regni ostendit rationem, ibi, *Ego in hoc natus sum.... ut testimonium perhibeam veritati* ; tertio insinuat supra quos regnat, ibi, *Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Circa primum sciendum est, quod Dominus ad quæstionem respondens de regno, ita responsionem suam temperavit ut nec manifeste confiteretur se esse regem, cum rex non esset eo modo quo Pilatus intelligebat ; nec negaret, cum spiritualiter esset Rex Regum. Dicit ergo : *Tu dicis quia rex sum ego*, scilicet carnaliter, secundum quem modum rex non sum, sed alio modo rex sum ego. Isa. XXXII, 1 : *Ecce in justitia regnabit rex, principes in judicio præerunt.*

9. Modum autem et rationem regni sui ostendit dicens : *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati* ; quod dupliciter exponitur. Uno modo, secundum Augustinum, ut regnum Christi sint fideles,

sicut dictum est supra : et sic Christus super fideles regnat; et ad hoc venit in mundum ut congregans sibi fideles, regnum sibi acquirat. Luc. xix, 1 : *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum.* Et sic est sensus : *Ego in hoc*, idest ad hoc, *natus sum*, nativitate scilicet carnali. Et hoc exponit dicens : *Et ad hoc veni in mundum*, carnaliter nascendo : sic enim venit in mundum : Galat. iv, 4 : *Misit Deus Filium suum in mundum : ut testimonium perhibeam veritati*, scilicet mihi, qui sum veritas : supra vii : *Et si testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum* : supra viii, 14. Et inquantum manifesto me veritatem, intantum regnum mihi paro. Hoc enim non potest fieri nisi per manifestationem veritatis, quam manifestationem non decebat fieri nisi per me, qui sum lux. Supra i, 18 : *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Heb. xi, 3 : *Quæ cum initium accepisset enarrandi per Dominum, ab eis qui audierunt, confirmata est, contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus et Spiritus sancti distributionibus.*

Alio modo exponit Chrysostomus sic : Tu quæris si rex ego sum ; et ego dico quod sic : sed potestate divina ; quia *in hoc natus sum,* nativitate [1] æterna a Patre, sicut Deus ex Deo, ita rex ex rege. Psal. ii, 6 : *Ego autem constitutus sum rex.* Et subdit : *Ego hodie genui te.* Sed quod addit, *Et ad hoc veni in mundum*, non ponitur expositive, sed intelligitur de nativitate temporali ; quasi diceret : Etsi sum rex æternus, tamen ad hoc veni in mundum, *ut testimonium perhibeam veritati*; mihi [2] scilicet, quod sum rex a Deo Patre.

10. Hic ostendit super quos regnet. Ubi notandum, quod supra x, dixit se pastorem, et subditos dixit oves, quod idem est quod hic dicit se regem et subditos regnum : quia eadem et proportio regis ad subditos et pastoris ad oves : et sicut pastor pascit oves : Ezech. xxxiv, 2 : *Nonne greges pascuntur a pastoribus* : ita et rex sustentat subditos. Et specialiter inter alia dixit *ibid.* 27, *Oves meæ vocem meam audiunt*, unde et hic dicit : *Qui est ex veritate, audit vocem meam*, non solum exterius, sed credendo interius et amando, ac opere implendo. Supra vi, 45 : *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* Sed unde hoc homini ut audiat vocem meam? Inde scilicet quia *est ex veritate*, quæ est Deus.

Sed cum omnes sint ex Deo, omnes sunt ex veritate et audiunt vocem ejus. Respondeo dicendum, quod aliqui sunt ex Deo per creationem, et sic omnes sunt a Deo. Dicuntur etiam aliqui esse a Deo per affectum et imitationem : unde supra viii, 47, dicitur : *Ex Deo non estis*, scilicet secundum affectum, sed per creationem estis. Ille ergo audit vocem credendo et amando, *qui* scilicet *est ex veritate;* idest, qui accepit hoc munus ut veritatem amet.

Sed attende, quod non dicit : Omnis qui audit vocem, est ex veritate : quia sequeretur quod ideo essemus ex veritate quia credimus ; cum tamen ideo credamus quia sumus ex veritate, inquantum scilicet accepimus donum Dei per quod credimus et amamus veritatem. Ephes. ii, 8 : *Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis : Dei enim donum est.* Phil. i, 29 : *Vobis datum est non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.*

11. Ponit responsionis effectum : in quo datur intelligi quod Pilatus propulsa suspicione regni terreni, ac intelligens Christum Regem esse in doctrina veritatis, cupit veritatem scire, ac effici de regno ejus : unde dicit : *Quid est veritas?* non quærens quæ sit definitio veritatis, sed quid esset veritas cujus virtute de regno ejus efficeretur : dans per hoc intelligere, quod veritas mundo incognita erat, et fere ab omnibus evanuerat, dum increduli essent. Isa. lix, 14 : *Corruit veritas in plateis, et æquitas non potuit ingredi.* Psal. xi, 2 : *Diminutæ sunt veritates a filiis hominum.* Sed Pilatus responsionem non expectavit.

Et ideo quantum ad hanc quæstionem sciendum est, quod duplicem veritatem invenimus in Evangelio : unam increatam et facientem ; et hæc est Christus : supra xiv, 6 : *Ego sum via, veritas et vita*: aliam factam : supra i, 17 : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Veritas enim de sui ratione importat commensurationem rei ad intellectum. Intellectus autem dupliciter comparatur ad res. Quia quidam ut mensura rerum existens, ille scilicet qui est causa rerum ; quidam autem mensuratus a re, ille scilicet cujus

[1] Al. : « necessitate. » — [2] Al. : « hinc.

cognitio causatur a re. Non igitur est veritas in intellectu divino quia ipse adæquatur rebus, sed quia res ipsi divino intellectui adæquantur. Sed in intellectu nostro ideo est veritas, quia ita intelligit res ut res se habent. Et sic veritas increata et intellectus divinus est veritas non mensurata nec facta, sed veritas mensurans et faciens duplicem veritatem : unam scilicet in ipsis rebus, inquantum facit eas secundum quod sunt intellectu divino ; et aliam quam facit in animabus nostris, quæ est veritas mensurata tantum et non mensurans. Et inde est quod veritas increata intellectus divini appropriatur Filio, qui est ipsa conceptio divini intellectus et Dei Verbum. Veritas enim conceptionem intellectus consequitur.

12. Deinde cum dicit, *Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos*, agit de sententia Pilati in Christum ; et primo declarat ejus innocentiam ; secundo intentat impendere [1] misericordiam, ibi, *Est autem consuetudo ut unum dimittam vobis in pascha.* Sciendum est autem circa primum , quod Pilatus, ut dicit Augustinus, volebat libenter Christum liberare ; et dum quæsivisset a Christo, *Quid est veritas* ? subito venit illi in mentem quomodo per quamdam consuetudinem Christum liberare poterat qua solet eis dimitti unus in pascha : et ideo responsionem non expectans totaliter, contulit se ad hoc procurandum : et ideo dicit, *Et cum hoc dixisset.* Audiebat Judæorum tumultum ; et credens se illum posse compescere et postmodum quietius difficilis quæstionis responsionem audire, *iterum exivit ad Judæos* ; et proponens Christi innocentiam, *dixit eis* : *Ego nullam invenio in eo causam*, scilicet mortis : I Pet. II, 22 : *Qui peccatum non fecit.* Et tamen si essent aliqua in eo, ego, apud quem residet potestas, et præcipue judicandi de his quæ contra Regem fiunt, volo eum liberare et absolvere : unde dicit : *Est autem consuetudo ut unum dimittam vobis in pascha.* Ubi primo offert Christi absolutionem ; secundo ponit Evangelista Judæorum responsionem. Sciendum est autem, quod hanc consuetudinem introduxit Pilatus, vel alii præsides Romanorum, ob favorem populi. Et ideo secundum hanc consuetudinem volens eum dimittere, dicit : *Vultis ergo dimittam vobis Regem Judæorum?* Non dicit hoc quasi invenerit eum culpabilem de regno Judæorum: sed ut exaggeraret [2] ipsorum malitiam ; quasi dicat : Etsi si Rex [3] Judæorum quod ad vos judicare non pertinet, sed ad me ; tamen, si vultis, dimittam eum vobis. Sed ipsi Judæi *clamaverunt rursum omnes dicentes : Non hunc, sed Barabbam.* Et ut Judæorum malitiam ostendat, statim subdit ejus, quem liberari petebant, crimen, dicens : *Erat autem Barabbas latro.* Isa. I, 23 : *Principes tui infideles, socii furum.* In hoc impletur illud Hier. XII, 5 : 14 : *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva.* Act. III, 14 : *Justum et sanctum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis.*

[1] Al. : « impedire. » — [2] Al. : « sed exaggeraret : » item « sed ut exaggeraverat. » — [3] Al.: « quasi sit rex, etc. » item « quasi etsi sit. »

CAPUT DECIMUMNONUM

LECTIO I.

1. Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum et flagellavit. 2. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum; et veniebant ad eum et dicebant: Ave Rex Judæorum: 3. Et dabant ei alapas.

1. Supra prosecutus est Evangelista de his quæ Christus passus est a Judæis; hic prosequitur de his quæ specialiter passus est a Gentilibus : a quibus quidem tria passus est, secundum quod ipse prædixerat, Matth. xx, et Luc. xviii, 32 : *Tradetur enim Gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum*, etc. Primo ergo Evangelista agit de Christi flagellatione; secundo de ejus illusione, ibi : *Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus;* tertio de ejus crucifixione, ibi, *Exivit iterum Pilatus*, etc. Dicit ergo : *Tunc ergo*, idest post clamorem omnium, *apprehendit Pilatus Jesum et flagellavit*, non quidem propriis manibus, sed per milites : et hoc ideo ut Judæi satiati ejus injuriis, mitigarentur et usque ad ejus mortem sævire desisterent. Naturale est enim ut ira quiescat, si videat eum contra quem irascitur humiliatum et punitum, ut dicit Philosophus *In Rhet.* Quod quidem verum est in ira quæ quærit nocumentum proximi cum mensura, sed non in odio, quod totaliter quærit exitium ejus qui habetur odio. Eccli. xii, 16 : *Inimicus si inveniet tempus, non satiabitur sanguine.* Isti autem ex odio movebantur ad Christum, et ideo flagellatio non sufficiebat. Ps. lxxii, 14 : *Fui flagellatus tota die.* Isa. l, 6 : *Dedi corpus meum percutientibus.*

Sed numquid hæc intentio Pilatum excusat a flagellatione? Non quidem : quia in omnibus quæ sunt per se mala, nullum eorum potest fieri totaliter bonum per bonum per bonam intentionem : affligere autem innocentem, et præcipue Dei Filium, est maxime per se malum; et ideo nulla intentione excusari potest.

2. *Et milites plectentes*, etc. Hic agitur de illusione : et primo quantum ad falsos honores quos ei exhibuerunt : secundo quantum ad vera opprobria quæ ei intulerunt, ibi, *Et dabant ei alapas*, etc. Exhibebant autem ei falsos honores, vocantes eum regem : per quod alludebant accusationi Judæorum, qui dicebant quod ipse faciebat se regem Judæorum. Et ideo triplicem honorem regis sibi exhibebant, sed falsum. Primo quidem quantum ad illusoriam coronam; secundo quantum ad illusoriam vestem; tertio quantum ad illusoriam solutionem. Illudunt ergo ei quantum ad coronam, quia reges consueverunt auro coronari. Eccli. xlv, 14 : *Corona autem aurea super caput ejus.* Unde et de eo in Psal. xx, 4, dicitur : *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Sed *milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt supra caput ejus*, illius scilicet qui suis est corona gloriæ. Isa. xxviii, 15 : *In die illa erit Dominus* [1] *exercituum corona gloriæ et sceptrum exultationis residuo populi sui.* Et convenienter de spinis : quia per eas removit spinas peccatorum, quæ pungunt remorsu conscientiæ : Hier. iv, 3 : *Novate vobis novale, et nolite serere super spinas* : et spinas pœnalitatum quæ affligunt : Genes. iii, 18 : *Spinas et tribulos germinabit tibi*, etc.

Sed numquid hoc factum est mandato præsidis? Chrysostomus dicit, quod non; sed milites pecunia corrupti hoc ad gratiam Judaicam faciebant. Augustinus autem dicit hoc esse factum mandato vel permissione præsidis, ut scilicet magis Judæorum odia saturarentur, et facilius eum eriperet.

Secundo illudunt ei quantum ad vestem : unde sequitur : *Et veste purpurea circumdederunt eum*, quæ erat indicium regiæ dignitatis apud Romanos. Unde I Mach. viii dicitur, quod tempore illo quando Romani

[1] Al. : « domus. »

consules dominabantur [1] nullus corona aut purpura utebatur. Per hoc autem quod purpura circumdederunt eum, impletur illud Isa. LXIII, 2 : *Quare ergo rubrum est vestimentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Simul autem et per hoc significatur passio martyrum, qua totus corpus Christi, idest Ecclesia, rubricatur.

Tertio illudunt ei quantum ad salutationem : unde venientes ad eum dicebant : *Ave Rex Judæorum.* Consuetudo autem tunc erat, sicut et modo est, ut homines euntes ad regem, eum salutarent. II Reg. XVI, 16 : *Chusi vadens ad Absalonem, dixit : Salve rex, salve [2] rex.* Mystice autem illi illusorie Christum salutant qui eum confitentur ore, factis autem negant, I Matth. VII, 21 : *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum.*

3. Consequenter opprobria quæ ei intulerunt dicit : *Et dabant ei alapas* : et hoc ideo, ut ipso opere ostenderent illusorium esse quod ei talem honorem exhibebant. Isa. L, 6 : *Genas meas dedi vellentibus.* Mich. V, 1 : *Percusserunt maxillam Principis Israel.*

LECTIO II.

1. Exivit ergo iterum Pilatus foras, et dixit eis: Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. Exivit ergo Jesus portans spineam coron am, et purpureum vestimentum. Et dixit eis, Ecce homo. 2. Cum ergo vidissent eum Pontifices et ministri, clamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum. 3. Dixit eis Pilatus : Accipite eum vos, et crucifigite ; ego enim non invenio in eo causam. 4. Responderunt ei Judæi : Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. 5. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est prætorium iterum, et dixit ad Jesum : Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei. Dixit ergo ei Pilatus : Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te? Respondit Jesus : Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. Et exinde quærebant Pilatus dimittere eum.

1. Hic agit Evangelista de Christi crucifixione : et primo ponit ipsam crucifixionem; secundo addit de ejus morte, ibi, ***Postea sciens Jesus quia omnia consummata sunt***, etc.; tertio de sepultura, ibi, ***Post hæc rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa***, etc. Circa crucifixionem primo ponit Pilati et Judæorum disceptationem; secundo Christi condemnationem, ibi, ***Pilatus autem cum hoc audisset, magis timuit***; tertio ponit sententiæ executionem, ibi, ***Susceperunt autem Jesum.*** Disceptabat autem Pilatus cum Judæis, volens liberare Christum. Et ideo primo ponit quomodo nititur eum liberare ipsum Judæis ostendendo; secundo ejus innocentiam allegando, ibi, ***Dixit eis Pilatus : Accipite eum vos***, etc. Circa primum duo facit. Primo ponit demonstrationem ; secundo demonstrationis effectum, ibi, ***Cum ergo vidissent eum Pontifices***, etc. Circa primum tria ponuntur. Primo Pilati demonstrationis intentio, quæ erat eum liberare : unde dicit : ***Exivit ergo iterum Pilatus***, scilicet a prætorio, ***et dixit eis***, scilicet Judæis expectantibus : ***Ecce adduco eum vobis foras***; et hoc ideo ***ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam***, scilicet mortis. Quare ergo turpiter tractasti, impie Pilate, sine causa? Scilicet ne Judæi credant quod ob favorem eum dimittam. Qualis enim favor præstatur ei cui tot inferuntur flagella? Vel ideo ut hæc ejus ludibria inimici libentissime viderent : ut ulterius sanguinem non sitirent; quasi dicat : Si reus esset mortis, ita condemnarem eum sicut flagellavi. Fortassis tamen aliqua levia fecit contra legem, propter quæ flagellationem tantum promeruit, non autem mortem. Secundo ponitur Christi manifestatio, et hoc facto : unde dicit : ***Exivit ergo Jesus portans spineam coronam, et purpureum vestimentum***, etc. In illo habitu illum ostendit in quo a ministris illuditur, ut saltem quiescant dum ad eos exit, non clarus imperio, sed plenus opprobrio. Psal. LXVIII, 8 : ***Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.*** In quo instruimur ut opprobria omnia propter nomen Jesu Christi parati simus sustinere. Isa. LI, 7 : ***Nolite timere opprobria hominum, et blasphemias eorum ne metuatis.*** Tertio ponitur demonstrationis explicatio; et hoc per verba Pilati : unde dixit eis, ***Ecce homo***, quasi despective loquendo, quod aliquis sic despectus vellet sibi usurpare regnum. Ecce de quali homine creditis hæc, ut secundum hoc conveniat ei illud Psal. XXI, 7 : ***Ego sum vermis, et non homo.*** Si ergo regi invidetis, jam parcite, quia dejectum

[1] Parm. : « dominabantur, corona aut purpura utebantur. » — [2] Al. : « Salve rex Saule »

videtis. «Fervet ignominia, frigescat invidia : » ut dicit Augustinus.

2. *Cum ergo vidissent*, etc. Hic ponitur demonstrationis Christi effectus in Judæis : quia quantumcumque viderent eum dejectum et desolatum, et flagellatum, eorum invidia non frigescit, sed ardescit potius et crescit. Unde *cum vidissent eum*, adductum foras, *Pontifices et ministri, clamabant : Crucifige, crucifige eum*. Ingeminant propter desiderii vehementiam. Nec sunt contenti quacumque morte, sed turpissimam expetunt, scilicet crucis. Sap. II, 20 : *Morte turpissima condemnemus eum*. Et dicit, *Cum vidissent eum* : quia ex aspectu ejus qui habebatur odio, magis commovetur et inflammatur cor odientis contra eum. Sap. II, 15 : *Gravis est nobis etiam ad videndum*.

3. *Dicit eis Pilatus*, etc. Hic ostendit Evangelista quomodo Pilatus nititur liberare Christum, ejus innocentiam allegando. Ex quo orta est controversia : quia primo Pilatus allegat Christi innocentiam; secundo Judæi replicant culpam, ibi, *Nos legem habemus*, etc. Quantum ad primum, *dixit eis Pilatus* : *Accipite eum vos, et crucifigite;* quasi dicat : Nolo esse iniquus judex : ego non crucifigam eum ; vos crucifigatis eum, si vultis : *ego non invenio in eo causam*, scilicet crucifigendi. Supra XIII, 30 : *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quicquam*. Act. III, 13 : *Quem vos tradidistis et negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti*.

4. Sed Judæi adhuc replicant Christi offensam : unde sequitur : *Responderunt ei Judæi* : *Nos legem habemus*, etc. Videntur intellexisse ex responsione Pilati quod non erat motus contra Christum ex crimine affectati regni, ex quo credebant ejus animum mavime commoveri, ut eum occideret. Et ideo quasi hoc crimen non sufficeret ad ejus mortem, credebant Pilatum per hoc quod dixerat, *Accipite eum vos*, etc., petivisse, si haberent aliud crimen secundum legem de quo condemnatus esset, et de hoc condemnarent eum : et ideo dicunt : *Secundum legem debet mori*. Et primo proponunt crimen Christi contra legem Romanorum, ibi, *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*. Circa primum duo facit. Primo ponitur Judæorum accusatio contra Christum; secundo accusationis effectus in animo Pilati, ibi, *Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit*. Crimen quod imponebatur Christo contra legem Judæorum erat, quia *Filium Dei se fecit :* ex quo reputabant eum reum mortis. Supra V, 18 : *Propterea quærebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*. Et supra X, 33, dicit : *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia* : *quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum*. Et ubique dicunt, Filium Dei se facit; quasi non sit. Sec hoc non est contra legem, ut probavit eis supra X, 34, per illud Psalm. LXXXI, 6 : *Ego dixi, Dii estis*. Si enim alii homines, qui sunt filii adoptivi, absque blasphemia filios Dei se dicunt; quanto magis Christus, qui est Filius Dei per naturam? Sed quia non intelligebant æternam generationem, ideo eum et falsum et blasphemum reputabant, pro quorum quolibet quis reatum mortis incurrebant.

5. Consequenter cum dicit, *Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit*, ponit accusationis effectum in animo Pilati : et primo effectum timoris : unde dicit : *Cum audisset hunc sermonem*, scilicet quod Filium Dei se faceret, *magis timuit*, cogitans ne verum esset, et perperam ageret, si inique procederet contra eum. Per quod dabatur intelligi quod Gentiles audita proditione Filii Dei, timuerunt. Habac. III, 1 : *Domine audivi auditum tuum, et timui*. Secundo ponit effectum dubitationis et inquisitionis : unde sequitur : *Et ingressus est in prætorium iterum, et dixit ad Jesum* etc. Et primo ponitur Pilati inquisitio; secundo taciturnitas Christi; tertio taciturnitatis reprehensio. Quantum ad primum dicit : *Et ingressus est in prætorium iterum Pilatus*, scilicet timore concussus, *et dixit ad Jesum*, quem secum reduxerat : *Unde es tu*? volens scire, utrum scilicet esset Deus divinam habens originem, vel homo terrenam. Ad quod responderi potest, quod habetur supra VIII, 23 : *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Jesus autem*, quia, noluit, *responsum non dedit ei* : ut ostenderet quod nolebat per sermones vincere et excusationes componere, cum ad hoc venerit ut pateretur. Simul et per hoc dedit nobis exemplum patientiæ. Et impletur quod dicitur Isa. LIII, 7 : *Quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet* [1] *os suum*. Et dicit, *Tamquam*

[1] Al. : « aperuit. »

agnus, ut non credatur quod tacuerit sicut male sibi conscius, qui de peccatis suis convincebatur, sed sicut mansuetus, sicut qui pro peccatis alienis immolabatur. Consequenter cum dicit : *Dixit ergo ei Pilatus* : *Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te ; et potestatem habeo dimittere te?* ponitur quomodo Pilatus reprehendit ejus taciturnitatem. Et primo facit hoc Pilatus per jactantiam suæ potestatis ; secundo ponitur responsio Christi de potestate Pilati. Quia ergo Christus non dedit ei responsum, Pilatus hic reprehendens dicit : *Mihi non loqueris* etc *:* in quo seipsum condemnavit. Si enim in potestate sua totum positum erat, quare nullam causam inveniens eum non absolvit? Luc. XIX, 22 *: Ex ore tuo et judico, serve nequam.* II Mach. VII, 16 : *Potestatem in homines habens*, *cum sis corruptibilis*, *facis quod vis.* Et quia sic gloriatur de potestate sua : secundum illud Psal. XLVIII, 7 : *In multitudine divitiarum suarum gloriatur :* ideo Dominus hoc infringit dicens : *Non haberes* [1] *potestatem adversum me ullam*, *nisi tibi datum esset desuper.* Unde, sicut dicit Augustinus, Christus ubi tacet, sicut agnus tacet ; ubi loquitur, docet sicut pastor. Unde primo docet de suæ potestatis origine : secundo de sui criminis quantitate. Quantum ad primum dicit : *Non haberes potestatem adversum me ullam; nisi tibi datum esset desuper;* quasi dicat : Si aliquam videaris habere, hanc non habes a te ; sed est tibi data desuper, idest a Deo, a quo est omnis potestas : Rom. XIII. Et Prover. VIII, 15 : *Per me reges regnant.* Et dicit *ullam*, idest quantulamcumque habes, quia limitatam habebat sub alia majori, scilicet Cæsaris. Matth. VIII, 9 : *Ego sum sub potestate constitutus.* Et ideo concludit : *Propterea qui tradidit me tibi*, scilicet Judas, vel principes sacerdotum, *majus peccatum habet.* Et dicit *majus*, ut et illos qui tradiderunt et ipsum Pilatum ostenderet obnoxios esse peccato : sed illos majori qui ex se et ex invidia eum tradiderunt ; sed iste quod fecit, ex timore superioris potestatis fecit. Per hoc etiam confutatur error hæreticorum dicentium omnia peccata esse paria : alioquin non dixisset Dominus, *Majus peccatum habet.* Matth. XV, 7 : *Væ autem homini illi per quem scandalum venit.* Effectus liberationis Christi ponitur cum dicit : *Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum.* Sed quia, ut dictum est a principio, nitebatur eum dimittere, convenientius dicitur, *Exinde*, idest ex hac causa, ut, scilicet [2], non haberet peccatum. Vel supra tentabat eum dimittere, sed *exinde*, idest ex tunc, omnino et constanti animo quærebat eum dimittere.

LECTIO III.

1. Judæi autem clamabant dicentes : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. 2. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. 3. Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum, et sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostratos, hebraice autem Gabbatha. 4. Erat autem parasceve paschæ, hora quasi sexta. 5. Et dixit Judæis : Ecce rex vester. Illi autem clamabant : Tolle, tolle, crucifige eum. 6. Dixit eis Pilatus : Regem vestrum crucifigam ? Responderunt pontifices : Non habemus Regem nisi Cæsarem. 7. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur. 8. Susceperunt autem Jesum et eduxerunt eum : et bajulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, hebraice autem Golgotha : ubi crucifixerunt eum et cum eo alios duos hinc et hinc, medium autem Jesum.

1. Supra Judæi posuerunt crimen Christi contra legem : quod quia Pilatus parvipendere videbatur, utpote legi non obnoxius ; ideo adhuc imponunt ei crimen contra legem Romanorum, ut magis eum urgerent ad Christum occidendum. Et primo proponunt periculum Pilato imminens, si Christum dimittat ; secundo rationem assignant, ibi, *Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari.* Dicit ergo, quod postquam Pilatus quærebat dimittere Christum, *Judæi clamabant dicentes* : *Si hunc dimittis*, qui se regem facit, *non es amicus Cæsaris ;* idest, amicitiam ejus amittes. Sæpe namque contingit quod homines de aliis ea existimant quæ ipsi patiuntur. Et quia de eis dicitur supra XII, 43, quod *dilexerunt magis gloriam hominum quam Dei;* ideo et de Pilato existimabant quod amicitiam Cæsaris præponeret amicitiæ justitiæ : quamvis contrarium sit faciendum. Psal. CXVII, 9 : *Bonum est sperare in Domino quam in principibus.* Unde et Philosophus veritatem censet præhonorari amicitiis.

2. Rationem autem periculi imminen-

[1] Al. *Respondit Jesus : Non haberes*, etc. —

[2] Parm. : « quod non »

tis subdunt : *Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari.* Hæc enim est terrenæ potestatis natura, quod una sit impatiens consortii alterius : et ideo Cæsar non patiebatur alium [1] dominari. Eccli. VII, 4 : *Noli quærere ab homine ducatum, neque a rege cathedram honoris.*

3. *Pilatus ergo cum audisset*, etc. Hic agit Evangelista de condemnatione Christi : circa quam tria tangit. Primo quidem locum; secundo tempus, ibi, *Erat autem parasceve* etc; tertio modum, ibi, *Et dixit Judæis.* Quantum ad primum primo ponit condemnationis motivum, dicens : *Cum audisset Pilatus hos sermones, magis timuit* : non enim sic potuit contemnere Cæsarem auctorem potestatis suæ, quemadmodum legem gentis alienæ : et ideo dicit : *Et adduxit foras Jesum.* Sed frustra propter eos movetur, quia non erat talis. Non enim a purpura, non a diademate, non a sceptro, non a curru, non a militibus quos Christus haberet, credere poterat quod regnum affectaret. Ipse semper solus cum discipulis sedebat, pauper in cibo, habitu [2] et habitatione. Sed, ut dicitur Proverb. XXXVIII, 1, *Fugit impius nemine persequente.* Psal. LII, 7 : *Trepidaverunt timore ubi non erat timor.* Ezech. II, 6 : *Tu ergo ne timeas eos, neque sermones eorum metuas... et vultus eorum ne formides.* Secundo ponit locum, dicens : *Et sedit pro tribunali.* Tribunal sedes est judicis, sicut solium regis et cathedra magistri. Prov. XX, 8 : *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Et ideo dicitur tribunal, quia apud Romanos tribuni causas particulares decernebant, dicti a tribubus quibus præponebantur. Et dicitur *pro tribunali*, idest ante tribunal : nam apud Græcos hæc præpositio *pro* idem est quod in latino *ante* vel *in.* Et hoc tribunal erat in loco qui dicitur Lithostratos, idest stratura lapidum. Lithos enim in græco idem est quod lapis : nam locus ubi Pilatus pro tribunali sedebat, pavimentatus erat lapidibus diversis. Et idem locus hebraice dicitur Gabbatha, idest collis, sive sublimitas, ex coacervatione lapidum.

4. Tempus autem condemnationis describit dicens : *Erat autem parasceve*, idest præparatio paschæ, *hora quasi sexta.* Sciendum est autem, quod apud Judæos dies sabbati quantum ad aliquid solemnior erat qualibet alia festivitate, inquantum scilicet ob reverentiam illius diei non præparabant ipso die sibi cibaria, sed in sexta feria præcedenti : unde sexta feria hujus temporis ex hoc parasceve dicebatur. Et hoc ortum habet ex hoc quod Exod. XVI dicitur quod in sabbato non colligerent manna, sed in sexta feria colligerent duplum; in quo nulli festivitati deferebant. Unde licet præsens sexta feria solemnis esset apud eos, tamen in ea pro sequenti die sabbati cribaria præparabant.

Sed addit : *Erat autem hora quasi sexta* : contra quod est quod dicitur Marc. XV, 25 : *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum.* Sed constat quod ante sedit pro tribunali quam Christus fuerit crucifixus. Sed ad hoc est duplex r sponsio, secundum Augustinum. Prima et melior est, quod Christus dupliciter fuit crucifixus. Primo linguis et vocibus Judæorum dicentium, *Crucifige, crucifige eum;* secundo manibus militum, qui eum crucifixerunt. Unde Judæi, quia crucifixionem volebant imponere Gentilibus; Marcus, qui Evangelium scripsit Gentibus, ipsam imposuit Judæis, dicens, quod tunc Christum crucifixerunt quando Judæi clamaverunt *Crucifige, crucifige eum* : quod fuit in hora tertia. Joannes vero, qui sequitur ordinem temporis, dicit : *Erat quasi hora sexta* : nam quando Christus fuit in cruce, jam erat in fine horæ quintæ et in principio horæ sextæ, in qua factæ sunt tenebræ per tres horas, scilicet usque ad horam nonam. Unde quia hora sexta nondum inchoata erat, ideo dicit, *Quasi hora sexta.* Secunda responsio est, quia parasceve dicitur præparatio paschæ; pascha autem nostrum Christus est immolatus [3] : unde præparatio parasceve est præparatio immolationis Christi : cujus erat hora sexta et non diei, quia principium hujus præparationis fuit hora noctis nona, quando Christo capto dicebant Matth. XXVI, 66 : *Reus est mortis.* Unde si tribus reliquis horis noctis addamus tres horas diei, quando Christus crucifixus fuit, manifestum est quod sexta hora parasceve, idest præparationis, crucifixus fuit, licet hora diei esset tertia, ut dicit Marcus. Et certe congruit quod in sexta hora crucifigeretur : quia per crucem reparavit hominem sexta die conditum, et sexta ætate.

5. Modum autem et ordinem condem-

[1] Al. : « alteri. »

[2] Al. deest : « habitu. » — [3] Al. : « immortalis. »

nationis describit, dicens : *Et dixit Judæis* : *Ecce rex vester* etc. Ubi notandum, quod adhuc Pilatus volebat liberare eum, quamvis eum Cæsaris timor urgeret. Et ideo primo ponitur Pilati conatus ad Christum liberandum ; secundo subditur ejus consensus ad eum crucifigendum, ibi, *Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur*. Circa primum primo ponitur Pilati conatus ; secundo malitia Judæorum, ibi, *Illi autem clamabant*. Dicit ergo, quod postquam sedit pro tribunali, *dixit Judæis*, quasi cum quadam indignatione : *Ecce rex vester* ; quasi dicat : Mirum est quod hunc formidatis habere regem, sic humiliatum et abjectum : regnum non nisi divites et fortes affectant ; hic autem non est talis ; quia, ut dicitur in Psal. LXXXVII, 26, *Pauper sum ego et in laboribus*. Sed hæc nec Judæorum molliunt malitiam. Innumerabili odio affecti *clamabant*, et abundantiam malitiæ ingeminando : *Tolle, tolle, crucifige eum* : simul etiam per hoc insinuantes, quod nec eum videre poterant. Job XXI, 14 : *Dixerunt Deo : Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*. Sap. II, 15 : *Gravis est etiam ad videndum*. Et ideo subdunt : *Morte turpissima condemnemus eum* : quod idem est quod *crucifige eum*.

6. *Dixit eis Pilatus*, etc. Hic ostenditur quomodo Pilatus nititur eum liberare per Judæorum opprobrium. Et primo ponitur Pilati conatus dicentis : *Regem vestrum crucifigam?* quasi dicat : Si non movemini ab ejus humilitate, debet vos movere vestrum opprobrium, quod eum crucifigam qui regnum vestrum affectavit : quod valde ignominiosum est, si ab extraneis fiat. Secundo ponitur Judæorum pertinacia : unde dicit : *Responderunt pontifices : Non habemus regem nisi Cæsarem* : in quo seipsos servituti perpetuæ submiserunt renuentes Christi dominium ; et ideo usque in hodiernum diem alieni a Christo, effecti sunt servi Cæsaris et potestatis terrenæ. I Reg. VIII, 7 : *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*. Hier. II, 13 : *Dereliquerunt me fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, quæ continere non valent aquas*.

7. Consequenter ponitur consensus Pilati ad occidendum Christum : unde dicit : *Tunc ergo tradidit eis*, scilicet Judæis, quod sic subjecti erant potestati Romanorum, et voluntati eorum, *illum, ut crucifigeretur* : contra consilium Exod. XXIII, 2 : *Ne sequaris turbam ad faciendum malum*. Job IX, 24 : *Terra data est in manus impii*. Hier. XII, 7 : *Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum ejus*.

8. *Susceperunt autem*, etc. Hic agit Evangelista de crucifixione Christi. Et primo ponitur crucis ignominia ; secundo narrat crucifixionis consequentia, ibi, *Scripsit autem et titulum Pilatus*. Ignominiam autem crucis describit quantum ad crucifigentium conditionem, quantum ad deducendi modum, quantum ad locum, et quantum ad comitatum. Conditio quidem crucifigentium describitur, quia milites : unde dicit : *Susceperunt autem Jesum* etc. Milites quidem facto : nam sequitur, *Milites ergo, cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus* : Judæi vero voto : quia ipsi fecerunt, et quicquid factum est extorserunt. Per quod signatur quod Judæi amittere debebant utilitatem crucis Christi, et Gentiles eam consequi. Matth. XXI, 43 : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus*. Modus autem ducendi ignominiosus fuit : unde dicit : *Et bajulans sibi crucem* : nam mors crucis ignominiosa erat : unde Deut. XXI, 23, dicitur : *Maledictus omnis qui pendet in ligno*. Et ideo crucis signum tamquam profanum vitantes, et nec tangere volentes, crucem Jesu condemnato Jesu imponunt. Unde dicit : *Et bajulans sibi crucem*.

Sed contra. Matth. XXVII, dicitur quod angariaverunt quemdam Simonem venientem de villa, ut portaret crucem. Responsio. Dicendum, quod Christus eam portavit a principio ; sed dum indeceret, invenerunt illum ad votum. Nec hoc vacat a mysterio : quia ipse primus passionem crucis sustinuit, et postmodum alii, et maxime advenæ Gentiles, eum imitando. I Petri II, 21 : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*. Matth. XVI, 24 : *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me*. Sed hoc quod Christus crucem sibi portavit, etsi impiis et infidelibus sit grande ludibrium, fidelibus tamen et piis est grande mysterium I Corinth. I, 18 : *Verbum crucis pereuntibus quidem est stultitia ; his autem qui salvi fiunt, idest nobis, virtus Dei est*. Portat Christus crucem ut rex sceptrum, in signum gloriæ quæ est universale [1] rerum omnium dominium. Psal. XCV, 9 : *Dominus regnavit*

[1] Al. : « utile. »

bit a ligno. Isai. IX, 10 : *Et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Portat eam ut victor trophæum suæ victoriæ. Coloss. II, 15 : *Expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Item ut doctor portat candelabrum, in quo ponenda erat lucerna suæ doctrinæ : quia verbum crucis fidelibus est virtus Dei. Luc. XI, 33 : *Nemo accendit lucernam et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant.*

Locus autem passionis ignominiosus quantum ad duo : et quia erat extra civitatem : unde dicit : *Exivit in eum qui dicitur Calvariæ locus*, extra scilicet mœnia civitatis. Hebr. ult. 12 : *Propter quod Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Et hoc propter duo. Primo ut ostenderet virtutem passionis suæ non esse includendam inter terminos gentis Judaicæ ; secundo ut ostendat quod quicumque consequi volunt passionis fructum, exire debent mundum, saltem affectu. Unde ibidem statim subdit Apostolus : *Exeamus igitur ad eum extra castra.* Secundo quia erat infimus : unde dicit : *In eum qui dicitur calvariæ locus.* Psal. LXXXVII, 5 : *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum.* Et quidem quidam, secundum Chrysostomum, dicunt quod in illo loco, qui Calvariæ dicebatur, Adam mortuus fuit et sepultus : unde *calvariæ* dicebatur [1] a calvaria primi hominis, ut sicut mors ibi regnavit, ita illic Christus trophæum statueret. Sed, ut Hieronymus dicit, favorabilis est hujusmodi interpretatio, et mulcens aures populi, non tamen vera : quia Adam sepultus est in Hebron. Josue XIV, 15 : *Adam maximus inter enacim situs est.* Et ideo dicendum, quod ex Hierusalem foras portam locus erat in quo truncabantur capita damnatorum : unde hujus locus Calvariæ nomen sumpsit propter damnatorum seu collatorum decalvata capita ibi jacentia. Comitatus autem et societas passionis ignominiam indicant : quia *cum eo alios duos crucifixerunt*, scilicet latrones, ut dicitur Luc. XXIII. Et dicit, *Hinc et hinc* ; idest unum ad dexteram, et alium ad sinistram ; *medium autem Jesum.*

Sed attende, quod Christus etiam in passione medius stat. Sed hoc quantum ad intentionem Judæorum factum est ei ad ignominiam ; ut scilicet causa mortis ejus similis judicaretur causæ mortis latronum. Isai. LIII, 12 : *Et cum iniquis deputatus est.* Sed si ad mysterium attendatur, hoc ad claritatem Christi pertinet : nam per hoc ostenditur quod Christus per passionem merebatur judiciariam potestatem. Job XXXVI, 17 : *Causa tua quasi impii judicata est ; sed judicium causam que recipies.* Medium autem tenere proprium est judicis : unde, et secundum Philosophum, ire ad judicem est ire ad medium. Et ideo melius ponitur, et unus a dextris, et alius a sinistris ; quia in judicio statuet quidem oves a dextris, hædos autem a sinistris. Unde latro a dextris qui credidit liberatur, et alter a sinistris qui insultat est condemnatus.

LECTIO IV.

1. Scripsit autem et titulum Pilatus, et posuit super crucem. Erat autem scriptum : Jesus Nazarenus Rex Judæorum. 2. Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt, quia prope civitatem erat locus ubi crucifixus est Jesus. Et erat scriptum hebraice, græce et latine. 3. Dicebant ergo Pilato pontifices Judæorum : Noli scribere, rex Judæorum ; sed, Quia ipse dixit, rex sum Judæorum. Respondit Pilatus : Quod scripsi, scripsi. 4. Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus (et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem.) 5. Et tunica inconsutilis, desuper contexta per totum, 6. Dixerunt ergo ad invicem : Non scindamus eam ; sed sortiamur de illa cujus sit. 7. Ut Scriptura impleretur dicens : Partiti sunt vestimenta mea sibi, et super vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt. 8. Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. 9. Cum vidissst ergo Jesus matrem et discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. 10. Deinde dicit discipulo Ecce mater tua. 11. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

1. Postquam Evangelista egit de Christi crucifixione, hic agit de consequentibus ipsam : et primo de his quæ sequuntur crucifixionem quantum ad Pilatum : secundo quantum ad milites, ibi, *Milites ergo cum crucifixissent eum acceperunt vestimenta ejus* ; tertio quantum ad amicos astantes, ibi, *Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus* etc. Ponuntur autem

[1] Al. : « dicebant. »

tria pertinentia ad Pilatum : scilicet inscriptio [1], tituli lectio, tituli conservatio. Quantum ad primum duo ponuntur. Primo inscriptio tituli : unde dicit : *Scripsit autem et titulum Pilatus, et posuit super crucem.* Et hoc satis convenienter : ut saltem per hoc vindicaret se de Judæis, ostendens ipsorum malitiam, dum in regem suum insurrexerunt. Sed tamen convenit mysterio : quia sicut in triumphis in trophæo titulus ponebatur victoriam ostendens, per hoc quod homines memoriam sui celebrare volebant : Gen. xi, 4 : *Celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras* : ita [2] titulum cruci inscribi disposuit, ut passio ejus in memoria haberetur Thren. iii, 19 : *Recordare paupertatis meæ et transgressionis meæ absinthii et fellis.* Secundo ponitur tenor tituli : *Erat autem scriptum* : *Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* Quæ quidem tria verba satis conveniunt ad crucis mysterium : nam hoc quod dicit, *Jesus*, qui salvator interpretatur, convenit ad virtutem crucis, per quam nobis facta est salus. Matth. i, 21 : *Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Hoc vero quod dicit, *Nazarenus*, quod interpretatur floridus, pertinet ad patientis innocentiam. Cant. ii, 1 : *Ego flos campi, et lilium convallium.* Isa. xi, 1 : *Et flos de radice ejus ascendet.* Hoc [3] vero quod dicit, *rex Judæorum*, pertinet ad potestatem, ad dominium quod ex passione promeruit. Phil. ii, 9 : *Propter quod et Deus illum exaltavit.* Hier. xxiii, 5 : *Regnabit Dominus, et sapiens erit.* Isa. ix, 7 : *Super solium David et super regnum ejus sedebit.*

Sed cum ipse sit per crucem non solum rex Judæorum, sed etiam Gentium : unde in Psal. vi, cum dixisset vers. 6, *Ego autem constitutus sum rex ab eo*, subdit 8, *Postula a me et dabo tibi Gentes hereditatem tuam* : quare ergo scripsit : *rex Judæorum* tantum ? Responsio, Dicendum, quod Gentiles intromissi sunt in pinguedinem olivæ sicut oleaster. Rom. xi ; et sicut oleaster particeps fit pinguedinis olivæ, non autem oliva fit particeps amaritudinis amaritudinis oleastri : ita ipsi Gentiles ad fidem conversi spiritualiter Judæi confitentes dicuntur effecti, non circumcisione carnis, sed spiritus ; et ideo per hoc quod dicitur, *rex Judæorum*, intelliguntur etiam Gentiles conversi.

2. Consequenter cum dicit, *Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt*, agitur de tituli lectione : et primo ponitur tituli lectio : quia *hunc titulum multi legerunt Judæorum :* per quod signatur quod plures salvantur per fidem, passionem Christi legendo, quam eorum qui viderunt. Infra penult. 31 : *Hæc autem scripta sunt ut credatis.* Secundo ponitur legendi facultas ; et hæc est duplex. Una est ex loci propinquitate : *quia prope civitatem erat locus ubi crucifixus est Jesus*, ad quem multi confluebant : alia ex scripturæ multiplicitate, quia *erat scriptum hebraice, græce et latine :* ut nullus ignoraret : et quia hæ tres linguæ præ ceteris eminebant. Hebræa quidem propter unius Dei cultum ; græca propter sapientiam ; latina propter Romanorum potentiam. Unde hæ tres gentes sibi dignitatem vindicant in cruce Christi, ut dicit Augustinus : in quo signatur quod per crucem Christi subjugari debebant et converti devoti et religiosi, qui signantur per hebræam linguam ; sapientes qui per græcam : potentes, qui per latinam. Vel per hebræam significabatur quod Christus dominari debebat theologicæ philosophiæ; quæ significatur per Hebræam, quia Judæis est tradita divinarum rerum cognitio : per græcam vero philosophiæ naturali et philosophicæ : nam Græci erga naturalium speculationem insudaverunt : per latinam vero philosophiæ, quia apud Romanos maxime viguit scientia moralis : ut sic in captivitatem redigantur omnes intellectus in obsequium Christi, ut dicitur II Cor. x.

3. Conservatio autem tituli ponitur cum dicitur : *Dicebant ergo Pilato pontifices Judæorum* etc. Et primo ponitur Judæorum conatus ad titulum destruendum : unde *dicebant Pilato pontifice Judæorum : Noli scribere, rex Judæorum ; sed : Quia ipse dixit, rex sum Judæorum.* Nam in hoc ostenditur Christi præconium, et Judæorum opprobrium, quod ponitur rex Judæorum : nam contumeliosum est Judæis quod regem suum fecerunt crucifigi. Sed si poneretur, *Quia dixit, rex sum Judæorum*, hoc redundasset in Christi improperium, et indicasset ejus culpam : et hoc ipsi intendebant, ut scilicet cruci-

[1] Al. : « descriptio. » — [2] Al. : « et sic. » — [3] Al. : « per hoc. »

fixo auferrent famam, cui jam vivo abstulerunt vitam. Psalm. LXVIII, 13 : *Adversum me loquebantur qui sedebant in porta.* Secundo ponitur Pilati constantia ad titulum conservandum : quia Pilatus volens eis ignominiam facere, noluit mutare sententiam : unde sequitur : *Respondit Pilatus : Quod scripsi, scripsi.* Quod non casu factum est ; sed diu ante a Deo dispositum et prophetatum. Nam quidam Psalmi LVIII sic intitulantur : *Ne disperdas, David in tituli inscriptionem* : qui quidem Psal. LVIII, maxime pertinet ad passionem : sicut est *Eripe me de inimicis meis* : et duo præcedentes : *Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea*: et: *Si vere utique justitiam loquimini.* Et ideo stulte clamabant pontifices : quia sicut non potest corrumpi quod veritas dixit, ita non potest deleri quod Pilatus scripsit. Ideo enim Pilatus, *Quod scripsi, scripsi*, dixit, quia Dominus quod dixit, dixit, ut dicit Augustinus.

4. Deinde cum dicit, *Milites ergo, cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus* ; ponit consequentia ad crucifixionem quantum ad milites : et primo ponit aliarum vestium partitionem ; secundo tunicæ inconsutilis sortitionem, ibi, *Et tunicam* ; tertio inducit propheticam prænuntiationem, ibi, *Ut Scriptura impleretur.* Dicit ergo : *Milites ergo, cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus.* Ex quo duo colligere possumus : scilicet mortis Christi abjectionem, per hoc quod denudaverunt eum ; quod abjectis personis tantum fieri consuevit ; secundo militum rapacitatem : quia *acceperunt vestimenta, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem.* Hoc enim genus hominum rapacissimum est : ideo Joannes Baptista dixit eis : *Neninem concutiatis... et contenti estote stipendiis vestris.* Luc. III, 14, et Job XXIV, 7 : *Nudos dimittunt homines, vestimenta tollentes.*

5. Quantum ad secundum dicit, *Et tunicam.* Et primo ponitur tunicæ descriptio ; secundo ejus sortitio, ibi, *Et dixerunt, Non scindamus eam.* Dicit ergo, *Et tunicam*, scilicet acceperunt simul cum illis. *Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum.* Dicit autem, quod erat inconsutilis, ut ostendat rationem indivisionis. Ex quo, ut quidam dicunt, pretiositas tunicæ potest convinci. Chrysostomus vero e contrario dicit, quod hoc dicens Evangelista, occulte vestis vilitatem insinuat. Nam in Palæstina est quoddam genus vestium propter pauperes ex multis pannis contextum quasi unus pannus super alium. II Cor. VIII, 9 : *Scimus enim gratiam Domini nostri Jesu Christi : quia cum dives esset in omnibus, propter nos egenus factus est.*

Mystice autem potest referri ad corpus Christi mysticum : et sic vestimenta dividuntur in quatuor partes, quia Ecclesia per quatuor partes mundi diffusa est. Isa. XLIX, 18 : *Vivo ego, dicit Dominus : quia his omnibus velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos quasi sponsa.* Tunica inconsutilis quæ non dividitur, significat caritatem : quia aliæ virtutes non sunt secundum se unitæ, sed per aliud uniuntur, inquantum omnes conveniunt in fine ultimo, cui conjungitur sola caritas. Nam etsi fides finem ultimum demonstret[1], spes in ipsum tendere faciat, tamen sola caritas conjungit. Coloss. III, 14 : *Super omnia autem caritatem habentes, quæ est vinculum perfectionis.* Quæ dicitur esse desuper contexta, quia caritas est super omnes alias virtutes. I Corinth. XII, 31 : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Ephes. III, 19 : *Scire etiam supereminentem caritatem scientiæ Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Vel quia caritas non est nobis a nobismetipsis, sed a Spiritu sancto. Rom. V, 5 : *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Potest etiam hoc referri ad corpus Christi verum ; et sic est desuper contexta : quia formatum est corpus Christi, virtute superiori, scilicet Spiritus sancti. Matth. I, 20 : *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.*

6. Sortitio tunicæ ponitur cum dicit : *Dixerunt ergo ad invicem : Non scindamus eam ; sed sortiamur de illa cujus sit.* Est enim quædam sors divinatoria ; et hæc, quia necessitatem non habet, est illicita est et alia divisoria ; et hæc in rebus mundanis est licita, sed non in spiritualibus : ut scilicet quæ homines arbitrio suo dividere non valent, committunt arbitrio et consilio divino. Proverb. XVI, 33 : *Sortes mittuntur in signum, sed a Domino temperantur.* Et ejusdem XVIII, 18 : *Contradictiones comprimit sors, et inter potentes quoque dijudicat.*

[1] Al. : « nam si fides finem ultimum demonstraret. »

Sed contra videtur quod Matth. v, 27, dicitur, quod miserunt sortes super vestimenta sua. Responsio. Dicendum, quod Matthæus non dicit quod super omnes mitterent sortem, sed dum dividerent alias miserunt sortem scilicet[1] supra tunicam. Præterea Marcus adhuc magis urget dicens xv, 24 : *Sortes miserunt quis quid tolleret* : ergo super omnes portiones. Responsio. Dicendum, secundum Augustinum, quod sic intelligenda sunt verba Marci, et exponenda. Miserunt sortes super eis, idest super aliquo eorum : quis quid; idest, quis eorum tolleret tunicam.

7. Consequenter ponit Scripturæ vaticinium, cum dicit : *Ut Scriptura impleretur*. Et primo ponitur prophetica prænuntiatio : in quo notatur Prophetæ diligentia, dum etiam ventura quædam accidentia quæ super Christum fienda erant, prænuntiavit. Patet etiam quod non a casu prædicta contigerunt : et ideo dixit : *Ut Scriptura impleretur*, consecutive scilicet, quæ dixit in Psalm. xxi, 19 : *Partiti sunt vestimenta mea* non dicit vestem, quia plures erant, *et in vestem meam*, idest super tunicam, *miserunt sortem*. Secundo ponitur prophetiæ adimpletio : quia *milites quidem fecerunt* : per quod datur intelligi quod Scriptura divina etiam in minimo impletur. Matth. v, 18 : *Jota unum aut unus apex non præteribit a lege donec omnia fiant*. Luc. ult. 44 : *Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in Lege et Prophetis et Psalmis de me*.

8. Deinde cum dicit, *Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus* etc., ponitur consequens tertium quantum ad amicos : et primo ponitur astantium mulierum præsentia; secundo Christi de matre sollicita diligentia, ibi, *Cum ergo vidisset matrem* etc.; tertio prompta discipuli obedientia, ibi, *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua*. Mulieres autem astantes juxta crucem describuntur tres : scilicet *Mater ejus*[2], *et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene*.

Sed notandum, quod cum alii Evangelistæ mentionem faciant de multis mulieribus Christo astantibus, nullus facit mentionem de Beata Virgine, excepto Joanne: unde ex utrorumque narratione duplex incurrit dubitatio. Prima, quia Matthæus et Marcus dicunt, quia mulieres stabant a longe; Joannes vero, quod juxta crucem. Ad hoc dici posset, quod aliæ erant mulieres quas commemorant Matthæus et Marcus, et aliæ quas commemorat Joannes. Sed huic repugnat quod Maria Magdalena connumeratur inter mulieres quas Matthæus et Marcus commemorant, et etiam Joannes. Et ideo dicendum, quod eædem mulieres intelligendæ sunt istæ et illæ; nec est in hoc contradictio. Nam juxta et a longe relative dicuntur; et nihil prohibet aliquod quodammodo dici longe et quodammodo dici juxta. Juxta quidem fuisse dicit, quia in conspectu ejus erant; sed longe, quia inter ipsum et mulieres erant intermedii[3]; Vel potest dici, quod a principio crucifixionis stabant juxta eum, ita quod eis loqui poterat; sed postmodum superveniente multitudine irridentium, secedentes longe steterunt . Unde Joannes narrat quod primo fuit, alii quod postea.

Secunda quæstio est, quia Joannes commemorat Mariam Cleophæ; sed Matthæus et Marcus loco ejus Mariam Jacobi, quæ dicebatur Alphæi. Sed ad hoc dicendum est, quod eadem est Maria Cleophæ, quam nominat Joannes, cum ea Alphæi, quam nominat Matthæus. Habuit enim duos viros, scilicet Alphæum et Cleopham. Vel potest dici, quod Cleophas fuit pater ejus.

Quod autem et mulieres stabant juxta crucem et discipuli eo relicto fugerant, mulierum commendat devotam[4] constantiam. Job xix, 20 : *Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum* : quasi scilicet discipuli, qui per carnem significantur, recesserant, et mulieres, quæ per pellem intelliguntur, adhæserunt.

10. Consequenter ponitur sollicitudo ejus ad matrem, ibi, *Cum vidisset ergo Jesus matrem* etc. Et primo ponitur solicitudo quantum ad curam discipuli, quam matri imposuit; secundo quantum ad curam matris, quam discipulo commisit, ibi, *Deinde dicit discipulo : Ecce mater tua*. Quantum ad primum dicit : *Cum vidisset ergo Jesus matrem, et discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ : Mulier, ecce filius tuus*; quasi dicat : Usque modo curam tui habui, et fui memor tui : tibi istum derelinquo. In quo dignitas Joannis ostenditur.

Sed attende, quod supra ii, 3, quando

[1] Al. : « scilicet tunicam. » — [2] Al. : « describuntur tres, Mater Jesu : unde dicit : *Mater ejus*, etc. » — [3] Al. : « quia mulieres erant intermedii. » — [4] Al. omittitur : « devotam. »

mater dixit, *Vinum non habent* etc., dicit : *Nondum venit hora mea*, scilicet passionis, qua patiar, secundum illud quod a te suscepi : cum autem autem venerit hora illa, tunc recognoscam. Unde et modo eam recognoscit matrem. Facere autem miracula non convenit mihi secundum quod a te suscepi ; sed secundum quod habeo a Patre paternam generationem, scilicet secundum quod sum Deus.

Et nota, secundum Augustinum, quod Christus in cruce pendens se habuit sicut magister in cathedra. Unde et docet nos parentibus existentibus in necessitate subvenire, et de eis curam habere, ut dicitur Exod. xx, 12 : *Honora patrem tuum et matrem tuam.* Et I Tim. v, 8 : *Si quis suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, non habet fidem, et est infideli deterior.*

Sed contra est quod dicitur Luc. xiv, 26 : *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios, adhuc autem et animam suam ; non potest meus esse discipulus.* Responsio. Dicendum, quod sicut Dominus præcipit parentes odiri, sic et animam nostram, in qua præcepit naturam diligere et odire iniquitatem, et quod avertit a Deo. Et sic [1] parentes sustentare debemus, diligere et revereri, quantum ad naturam ; sed odire quantum ad vitia, et ad id quo nos avertunt a Deo.

11. Quantum ad secundum, *dicit discipulo* : *Ecce mater tua* : ut scilicet iste tantum serviret ut filius matri ; ista illum diligeret ut filium mater.

12. Consequenter cum dicit, *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua*, ponitur discipuli obedientiæ. Et secundum Bedam, oportet dici, *In suam* et sic est sensus ; *Accepit eam*, scilicet matrem Jesu, *discipulus*, scilicet Joannes, *in suam*, matrem videlicet. Sed, secundum Augustinum, etiam ut habetur in græco, debet dici, *In sua* : non quidem prædia, quia de illis erat qui dixerant Matth. xix, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia;* nam Matth. iv, dicitur, quod Jacobus et Joannes relictis omnibus secuti sunt Jesum : sed *in sua*, scilicet officia, quibus ei diligenter et reverenter obsequebatur.

LECTIO V.

1. Postea sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit, Sitio. Vas autem erat positum aceto plenum. Illi ergo spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. 2. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit, Consummatum est. 3. Et inclinato capite, tradidit spiritum. 4. Judæi ergo, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura et tollerentur. Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura ; sed unus militum lancea latus ejus aperuit ; et continuo exivit sanguis et aqua. 5. Et qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus : et ille scit quia vera dicit, ut et vos credatis. 6. Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur : Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit : Videbunt in quem transfixerunt.

1. Postquam egit de crucifixione, et consequentibus eam, hic narrat venerandam Christi mortem : et primo ponit moriendi opportunitatem ; secundo describit mortem, ibi, *Et inclinato capite, tradidit spiritum* ; tertio exprimit mortui vulnerationem, ibi, *Judæi ergo, quoniam parasceve erat... rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura.* Opportunitas autem moriendi astenditur in hoc quod jam *omnia consummata sunt.* Unde circa consummationem primo præmittitur scientia Christi de ipsa consummatione ; secundo consummatur id quod consummandum restabat, ibi, *Cum ergo accepisset Jesus acetum* etc. Dicit ergo quantum ad primum : *Postea*, idest post omnia quæ præmissa sunt, *sciens Jesus quia consummata sunt omnia*, quæ Prophetæ et lex prædixerant de eo : Luc. ult. 44. Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in Lege et Prophetis et Psalmis de me. Psal. cxviii, 96 : « Omnis consummationis vidi finem. » Sed quia adhuc aliud in Scriptura prædicta consummandum erat, ideo subdit, *Ut consummaretur Scriptura, dixit, Sitio.* Et primo ponitur verbum Christi quod protulit; secundo opportunitas implendi quod petiit; tertio administratio ejus quod noluit. Dicit ergo : *Ut consummaretur Scriptura.* Ubi sciendum est, quod ly *ut* non ponitur causative, sed consecutive. Non enim ideo petit *ut Scriptura*, veteris testamenti, *consummaretur* ; sed ideo sunt

[1] Al. : « sicut »

dicta, quia consummanda erant per Christum. Si enim dicamus quod Christus ideo hoc fecit, quia Scripturæ hoc prædixerunt, sequeretur quod novum testamentum esset propter vetus, et ejus impletionem, cum tamen sit e converso. Sic ergo ideo prædicta sunt, quia implenda erant per Christum. Per hoc vero quod dicit, *Sitio*, ostendit mortem suam esse veram, non phantasticam. Item ostenditur ejus ardens desiderium de salute generis humani. I Tim. II, 4 : *Vult omnes salvos fieri.* Luc. XIX, 10 : *Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat.* Vehemens autem [1] desiderium consuevimus exprimere per sitim. Psal. XLI, 3 : *Sitivit anima mea ad Deum vivum.* Opportunitas implendi quod petiit, ostenditur ex hoc quod *vas positum erat aceto plenum.* Per hoc igitur vas Judæorum synagoga significatur, quæ a vino Patriarcharum et Prophetarum degeneraverat in acetum, idest in malitiam et crudelitatem pontificum. Ministratio autem ponitur : quia *illi spongiam plenam aceto obtulerunt ori ejus.*

Ex quo oritur quæstio litteralis, quomodo scilicet obtulerunt spongiam ori Christi in altum pendentis. Sed hoc solvitur Matth. XXVII, quia imposuerunt eam arundini. Vel, secundum quosdam, imposuerunt hyssopo, quæ magna erat. Unde et a Matthæo arundo vocatur.

Mystice autem per hæc tria signantur tria mala quæ in Judæis erant : scilicet invidia per acetum, dolositas per spongiæ concavitatem, malitia per amaritudinem hyssopi. Vel hyssopus significat humilitatem Christi, quæ est herba mundans pectus, quod præcipue per humilitatem mundatur. Psal. L, 9 : *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor.*

2. Finalis consummatio ponitur cum dicit : *Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit : Consummatum est :* quod potest referri vel ad consummationem mortis : Hebr. II, 10 : *Decebat in gloriam auctorem salutis eorum per passionem consummari* : item ad consummationem sanctificationis quæ est per passionem et crucem ejus : Hebr. X, 14 : *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos :* vel ad consummationem Scripturarum : Luc. XVIII, 31 : *Consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.*

3. Consequenter cum dicit, *Et inclinato capite, tradidit spiritum*, describit Evangelista mortem Christi. Et primo ponitur causa mortis : quia *inclinato capite.* Non enim est intelligendum : quia tradidit spiritum, ideo inclinavit caput ; sed e converso : nam inclinatio capitis obedientiam designat, pro qua mortem sustinuit. Phil. II, 8 : *Factus est obediens usque ad mortem.* Secundo ponitur morientis potestas : quia *tradidit spiritum*, scilicet propria potestate. Supra, 10, 18 : *Nemo tollit a me animam meam* ; *sed ego pono eam a meipso.* Nam, ut Augustinus dicit, nullus sic habet in potestate dormire cum velit, sicut Christus mori cum voluit.

Sed attendendum, quod ex hoc quod *tradidit spiritum*, aliqui dicunt in homine esse duas animas : scilicet intellectualem, quam vocant spiritum, et aliam animalem, puta vegetativam et sensitivam, quæ corpus animat, et præcipue anima dicitur. Unde dicunt, quod Christus tradidit solum animam intellectualem. Sed hoc est falsum : tum quia duas esse animas in homine inter errores computatur in libro *De ecclesiasticis dogmatibus* : tum quia si tradidisset spiritum remanente adhuc anima, non fuisset mortuus. Quia ergo nihil est aliud spiritus in homine quam anima, dicendum, quod *tradidit spiritum*, idest animam. Per quod etiam excluditur error quorumdam dicentium, animas hominum mortuorum non ire statim post mortem ad paradisum vel infernum seu purgatorium ; sed in tumulis usque ad diem judicii remanere. Nam Dominus statim tradidit spiritum Patri : per quod datur intelligi, quod *justorum animæ in manu Dei sunt* : Sap. III, 2.

4. *Judæi ergo*, etc. Hic ponitur vulneratio corporis Christi : et primo ponitur narratio vulnerationis ; secundo narrationis certitudo, ibi, *Et qui vidit, testimonium perhibuit.* Circa primum tria facit. Primo ponitur conatus Judæorum et intentio ; secundo impletio conatus quantum ad partem ; tertio quomodo hoc impletur in Christo. Dicitur ergo quantum ad primum, quod *Judæi, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato . . . rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura et tollerentur.* Sciendum est enim, quod, sicut habetur Deut. XXI, præceptum est in lege, quod cadavera suspensorum propter delicta,

[1] Al. omittitur : « autem. »

hoc quod dicit, *Non fregerunt ejus crura* teris testamenti. Unam quæ refertur ad non dimitterentur suspensa usque mane, ne pollueretur terra ; et etiam ad delendam ignominiam eorum qui suspendebantur : nam hujusmodi mors turpissima reputabatur. Unde dicitur ibidem xxiii : *Maledictus omnis qui pendet in ligno, scilicet maledictione pœnæ*. Licet autem hujus pœnæ infligendæ jam non esset in Judæorum potestate, tamen quod in eis erat, facere nitebantur. Et ideo quia parasceve erat, ut corpus Christi et etiam aliorum non remanerent in cruce in die sabbati, qui valde solemnis erat et propter ipsum sabbatum et festum azymorum, *rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura et tollerentur*. Hi quidem in parvis diligentes sunt ad servandam legem, sed in magnis contempserunt. Matth. xxiii, 24 : *Excolantes culicem, camelum autem glutientes*. Quomodo autem hoc in parte impleatur subdit : *Venerunt ergo milites* : *et primi quidem*, scilicet latronis, *fregerunt crura*, ad quem primo venerunt, *et alterius qui crucifixus est cum eo*, scilicet Jesu ; in quo eorum crudelitas ostenditur. Mich. iii, 3 : *Carnem populi mei comederunt*.

Sed quid est quod subdit, *Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura?* Non in medio crucifixus erat ? Responsio. Dicendum, quod duorum militum singuli ad singulum latronem confringendum venerunt : quibus confractis, unus ab uno et alius ab alio, ad Jesum venerunt. Unde inde signatur occasio vulnerandi, quia cum vidissent eum jam mortuum, *non fregerunt ejus crura*.

Sed ut certificarentur de morte, *unus militum lancea latus ejus aperuit*. Et signanter dicit, *Aperuit*, non vulneravit : quia per hoc latus, aperitur nobis ostium vitæ æternæ. Apoc. iv, 1 : *Post hoc vidi ostium apertum*. Hoc est ostium in latere arcæ, per quod intrant animalia diluvio non peritura : Genes. vii. Sed hoc ostium est causa salutis : unde *continuo exivit sanguis et aqua* : quod est valde miraculosum, ut de corpore mortui, in quo est congelatus sanguis, sanguis exeat. Sed si quis dicat, quod hoc contigit propter calorem aliquem qui adhuc in corpore remanserat ; fluxus autem aquæ inficiari non potest, quin miraculosus existat, cum aqua exiens purissima fuerit. Quod quidem factum est ut Christus ostenderet id quod erat, scilicet verus homo. In homine enim est duplex compositio : una scilicet ex elementis, alia ex humoribus. Unum elementorum est aqua ; inter humores autem præcipuus est sanguis. Item hoc factum est ad ostendendum quod per passionem Christi plenam ablutionem consequimur, a peccatis scilicet et maculis. A peccatis quidem per sanguinem, qui est pretium nostræ redemptionis : I Petr. i, 18 : *Non corruptibilibus auro et argento redempti estis de vana vestra conversatione* ; *sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati et immaculati Christi* : a maculis vero per aquam quæ est lavacrum nostræ regenerationis : Ezech. xxxvi, 25 : *Effundam super vos aquam mundam* ; *et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Zach. xiii, 1 : *Erit fons patens domui David et habitatoribus Hierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatæ*. Et ideo hæc duo specialiter pertinent ad duo sacramenta : aqua ad sacramentum baptismi, ad eucharistiam sanguis. Vel utrumque pertinet ad eucharistiam : quia in sacramento eucharistiæ miscetur aqua cum vino ; quamvis aqua non sit de substantia sacramenti. Competit etiam hoc figuræ : quia sicut de latere Christi dormientis in cruce fluxit sanguis et aqua, quibus consecratur Ecclesia ; ita de latere Adæ dormientis formata est mulier, quæ ipsam Ecclesiam præfigurabat.

5. *Et qui vidit*, etc. Hic ponitur certitudo narrationis : et primo ex apostolico testimonio ; secundo ex Scripturæ vaticinio, ibi, *Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur*. Circa primum tria facit. Primo describit testis idoneitatem : quia *qui vidit testimonium perhibuit*, hoc est ipse Joannes. I Joan. i, 3 : *Quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis*, Secundo astruit testimonii veritatem, quia *verum est testimonium ejus*. Rom. ix, 1 : *Veritatem dico, non mentior*. Supra viii, 32 : *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos*. Tertio exposcit fidem : *Et ille scit quia vere dicit, ut et vos credatis*. Infra xx, 31 : *Hæc autem scripta sunt ut credatis* etc.

6. Et non solum ex testimonio Apostolico certificatur, sed additur vaticinium Scripturæ : unde dicit : *Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur* : ut ly *ut* accipiatur consecutive, sicut jam dictum est supra. Et ponit duas auctoritates ve-

etc., et habetur Exod. xii, 46 : *Os non comminuetis ex eo*, scilicet agno paschali qui præfigurabat Christum. Quia, ut dicitur I Corinth. v, 7, *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Ideo ordinatum est ut non comminuerentur ossa agni paschalis, ut daretur intelligi quod fortitudo veri agni et incontaminati Jesu Christi nullo modo erat commovenda per passionem. Unde Judæi putabant per passionem virtutem doctrinæ Christi destruere ; sed potius corroborata est. I Corinth. i, 18 : *Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est ; sed nobis virtus Dei est.* Ideo supra viii, 28 dixit : *Dum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Secunda auctoritas refertur ad hoc quod dicit, *Lancea latus ejus aperuit ;* et habetur Zach. xii, 10 : *Videbunt in quem transfixerunt :* ubi nostra littera habet : *Aspicient ad me, quem confixerunt.* Unde si nos conjungimus verbum Prophetæ, manifestum est quod Christus crucifixus, est Deus. Nam quod Propheta dicit in persona Dei, Evangelista attribuit Christo. *Videbunt,* inquit, ad judicium venientem : Apocal. i. Vel aspicient conversi per fidem etc.

LECTIO VI.

1. Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa (eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum) ut tolleret corpus Jesu : et permisit Pilatus. 2. Venit ergo, et tulit corpus Jesu. Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ et aloes, quasi libras centum. 3. Acceperunt autem corpus Jesu et ligaverunt eum linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire. 4. Erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus; et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat. 5. Ibi ergo propter parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum.

1. Postquam Evangelista egit de crucifixione et morte, hic agit de sepultura Christi : et primo ponitur facultas et licentia sepeliendi ; secundo studium corporis procurandi, ibi, *Venit ergo et tulit corpus Jesu ;* tertio ponitur locus sepulturæ, ibi, *Erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus* etc. ; quarto ponitur ipsa sepultura, ibi, *Ibi ergo.... posuerunt Jesum.* Dicit ergo : *Post hæc,* scilicet passionem et mortem, *rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa* : quod idem est quod Ramatha, ut habetur I Reg. i : *eo quod esset discipulus Jesu :* non de duodecim, sed de multis aliis credentibus : quia omnes credentes a principio discipuli vocabantur. Erat autem *occultus propter metum Judæorum,* sicut et multi alii, sed ante passionem. Supra xii, 42 : *Verumtamen ex principibus multi crediderunt in eum ; sed propter Pharisæos non confitebantur, ut de synagoga non ejicerentur.* Unde patet quod ubi discipuli amiserunt fiduciam post passionem latentes, hic assumpsit fiduciam publice obsequendo. Hic inquam, *rogavit Pilatum, ut tolleret corpus Jesu,* de cruce scilicet, et sepeliret : quia secundum leges humanas, corpora damnatorum non debebant sine licentia sepeliri. *Et permisit Pilatus* ; quia Joseph nobilis erat et sibi familiaris. Unde Marc. penult. dicitur, quod erat decurio.

2. Quantum ad secundum dicit : *Venit ergo et tulit corpus Jesu* : ubi agitur de studio corporis procurandi. Et primo ponitur materia corporis procurandi ; secundo ponitur ipsa procuratio, ibi, *Acceperunt corpus Jesu.* Materia corporis procurandi fuit mixtura myrrhæ et aloes, quam Nicodemus in magna quantitate procuravit. Et ideo de duobus mentionem facit. Primo de Joseph, qui tulit corpus : secundo de Nicodemo, qui tulit aromata. Hic autem Nicodemus fuit qui venit ad Jesum nocte, scilicet ante passionem, ut habetur supra iii. Et hoc ideo commemorat, quia de Joseph dixerat quod occultus erat propter metum Judæorum, ut ostendat quod etiam hic qui occultus erat discipulus, nunc factus est publicus, sed nondum habens veram fidem de resurrectione ; quia attulit myrrham et aloes, quasi corpus ejus muniri a corruptione indigeret : de quo Scriptura dicit Psalm. xv, 10 : *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

Mystice autem datur per hoc intelligi quod Christum crucifixum debemus in corde nostro recondere cum amaritudine pœnitentiæ et compassionis. Cant. v, 5 : *Manus meæ distillaverunt myrrham.*

3. Habita ergo præparationis materia, ponitur ipsa præparatio : unde dicit : *Acceperunt autem corpus Jesus* etc. Ubi oritur dubitatio : quia Joannes dicit quod *ligaverunt illud linteis ;* cum Matth. xxvii, dicatur quod involverunt illud sindone. Respondeo dicendum, secundum Augus-

tinum, quod Matthæus dicit unam sindonem tantum, quia non facit mentionem nisi de Joseph ; et hic unam portavit. Sed quia solus Joannes mentionem facit de Nicodemo, ideo dicit, *Linteis*, quia Nicodemus aliam portavit. Vel dicendum, quod linteum dicimus omnem pannum de lino factum. Corpus autem Christi involutum fuit fasciis, sicut etiam de Lazaro legitur, quia sic erat Judæis mos sepelire. Erat etiam positum sudarium ad caput : et ideo omnia complectens Joannes, dicit, *Linteis*. Per hoc vero quod aromatibus eum condiunt, admonemur in hujus pietatis officiis morem cujuslibet gentis esse servandum.

4. Locus sepulturæ designatur consequenter cum dicit : *Erat autem in loco ubi crucifixus est*, *hortus* etc. Ubi notandum, quod Christus in horto captus, et in horto passus, et in horto sepultus fuit : ad designandum quod per suæ passionis virtutem liberamur a peccato quod Adam in horto deliciarum commisit, et quod per eum Ecclesia consecratur, quæ est sicut hortus conclusus. *Et in hoc horto erat monumentum novum.* Est autem duplex ratio quare in sepulcro novo voluit sepeliri. Una litteralis, ne alia corpora quæ ibi fuissent, resurrexisse crederentur, et non Christus : vel omnia æquali virtute. Alia ratio est, quia qui est de Virgine intacta natus, congrue fuit in sepulcro novo sepultus : ut sicut in utero Mariæ nemo ante eum nemo post eum fuit, ita et in hoc monumento. Similiter ut daretur intelligi quod reconditur per fidem in animo innovato. Ephes. III, 17 : *Habitare etiam Christum per fidem in cordibus nostris.*

5. Consequenter cum dicit, *Ibi ergo propter parasceven Judæorum... posuerunt Jesum*, ponitur sepultura. *Ibi ergo*, idest in monumento novo, *propter parasceven Judæorum*, quia jam vespere appropinquabat, quando propter sabbatum nihil operari licebat. Nam circa horam nonam expiravit, et propter procurationem sepulturæ et rerum quæ necessariæ erant, fere dies usque ad vesperam decursus erat. Et *quia monumentum erat juxta locum* ubi erat crucifixus, *posuerunt ibi Jesum.*

CAPUT VIGESIMUM

LECTIO I.

1. Una autem sabbati Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, et vidit lapidem sublatum a monumento. 2. Cucurrit ergo, et venit ad Simonem Petrum, et ad alium discipulum quem amabat Jesus, et dicit illis : Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum. 3. Exiit ergo Petrus et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul : et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introivit. 4. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum et vidit linteamina posita, et sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. 5. Tunc ergo introivit et ille discipulus qui venerat primus ad monumentum : 6. Et vidit et credidit : nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere.

1. Enarratis mysteriis passionis Christi, hic Evangelista manifestat ejus resurrectionem : et primo manifestat quomodo resurrectio Christi manifestata est mulieribus ; secundo quomodo manifestata est discipulis, ibi, *Cum ergo sero esset die illo* etc. Manifestata est resurrectio Christi mulieribus quodam ordine. Primo quantum ad monumenti apertionem ; secundo quantum ad Angeli apparitionem, ibi, *Abierunt ergo iterum* etc. ; tertio quantum ad Christi visionem, ibi, *Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, et vidit Jesum.* Circa primum primo ponitur mulieris visio ; secundo rei visæ denuntiatio, ibi, *Cucurrit ergo* etc. ; tertio rei denuntiatæ inquisitio, ibi, *Exiit ergo Petrus* etc. Circa primum quatuor consideranda occurrunt. Primo scilicet visionis tempus, quia *una sabbati*, scilicet prima feria. Nam apud Judæos dies sabbati solemnior habebatur, et ideo ab eo omnis alius dies denominabatur : unde dicebant prima sabbati ; secunda sabbati etc. Unde et Matth. xxviii, 1, dicit, *Prima sabbati.* Sed Joannes dicit : *Una sabbati*, propter mysterium : quia in hac die, in qua resurrectio facta est, inchoavit quasi quædam nova creatura. Psal. ciii, 30 : *Emitte spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ.* Gal. vi, 15 : *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet neque præputium, sed nova creatura.* Moyses autem in principio Gen. de prima die non dicit, Factus est dies primus, sed dies unus. Ideo Evangelista ad ipsam renovationem insinuandam utitur verbo Moysi. Item quia in hac die inchoabatur dies æternitatis, quæ est una non habens interpolationem noctis ; quia sol qui eam facit, non occidit. Apoc. xxi, 22 : *Civitas illa non eget sole neque luna ut luceant in ea : nam claritas Dei illuminabit illam, et lucerna ejus est agnus.* Zach. ult. 7 : *Erit dies una, quæ nota est Domino, non dies neque nox : et in tempore vesperi erit lux.* Secundo ponitur persona videns, quia *Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum.*

Sed hic est dubium : quia in Marc. xvi, 1, dicitur : *Maria Magdalene et Jacobi et Salome.* Et Matth. ult. connumeratur etiam alia Maria. Responsio. Dicendum, secundum Augustinum, quod Maria Magdalena ferventior et devotior erat ad Christum aliis mulieribus : unde Luc. vii, 47, dicitur : *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et ideo eam Evangelista specialius nominat. Et inde est quod prius ei apparuit Dominus, Marc. ult. Sap. vi, 14 : *Præoccupat eos qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.*

Tertio ponitur hora, seu qualitas temporis, quia *mane cum adhuc tenebræ essent.* Luc. xxiii, dicitur, quod mulieres quæ cum Jesu venerunt de Galilæa, viderunt monumentum, et quemadmodum positum erat corpus Jesu ; et revertentes paraverunt aromata et unguenta, et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum. Et ideo statim transacto sabbato ante lucem primæ sabbati venit ad monumentum : nam nimius ardor amoris

eam sollicitabat. Cant. VIII, 6 : *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum, scilicet caritatis.*

Sed hic est quæstio litteralis : quia, ut dicitur Marc. ult. II, *valde mane orto jam sole.* Quid igitur dicit Evangelista, *Cum adhuc tenebræ essent ?* Responsio. Dicendum quod hoc quod dicit Marcus intelligitur de aurora : unde orto jam sole, non quod supra terram appareret ; sed appropinquaret ad nostras regiones.

Quarto quid videt : quia *vidit revolutum lapidem* : quod erat signum vel quod aliquis Christum abstulerit, vel quod resurrexerit. Et, sicut dicitur Matth. ult. XI, *Angelus Domini descendit de cœlo.* : quod non est intelligendum quod ante lapis esset revolutus quam Christus resurgeret, sed post : nam Christus exivit de clauso utero virginis nondum gloriosum corpus habens : non est ergo [1] mirum si cum corpore glorioso exivit de sepulcro. Nam lapis est revolutus, ut videntes ibi Christum non esse, facilius crederent ejus resurrectionem.

2. Consequenter cum dicit, *Cucurrit ergo ad Simonem Petrum*, ponitur rei visæ denuntiatio. Ex nimio enim amore non distulit nuntiare discipulis quod vidit ; sed *cucurrit, et venit ad Simonem Petrum, et alium discipulum quem diligebat Jesus.* IV Reg. VII, 9 : *Hæc dies boni nuntii est : si tacuerimus, et noluerimus nuntiare usque mane, sceleris arguemur.* Sic qui audit verba Dei, debit festinus aliis dicere : Apoc. ult. 17, *Qui audit dicat, Veni.* Sed ad illos venit qui præcipui erant, et Christum ferventius diligebant, ut aut secum quærerent, aut secum dolerent. *Et dicit eis : Tulerunt Dominum de monumento.* Viso enim sepulcro vacuo, nondum habens in corde quod Christus resurrexerit, dicit : *Et nescimus ubi posuerunt eum.* Ubi dat intelligere quod non sola fuerit ad monumentum , et quod adhuc de resurrectione dubitaret. Et ideo Evangelista non sine causa dixit, *Cum adhuc tenebræ essent* ; per qualitatem temporis, qualitatem mentis, in qua dubitationis tenebræ erant, designans. Psal. LXXXI, 5 : *Nescierunt neque intellexerunt* : *in tenebris ambulant.* Sed attende, quod in græcis codicibus habetur, *Dominum meum,* ad designandum propensiorem caritatem, et famulatus affectum. Psal. LXXII, 25 : *Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram ? Defecit caro mea et cor meum : Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.*

3. Consequenter cum dicit, *Exiit ergo Petrus et ille alius discipulus*, ponitur denuntiatæ rei inquisitio : et primo ponitur quærentium studium ad inquirendum ; et hoc per exitum, dum dicit : *Exiit ergo Petrus et alius discipulus.* Qui enim scrutari vult mysteria Christi, debet exire quodammodo a se, et a carnali consuetudine. Cant. III, 11 : *Egredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem.* Secundo ponitur inquisitionis ordo seu modus. Et primo quantum ad cursum, quia *currebant duo simul*, qui præ ceteris Christum diligebant. Psal. CXVIII, 32 : *Viam mandatorum tuorum cucurri.* I Corinth. IX, 24 : *Sic currite ut comprehendatis.* Secundo quantum ad adventum, quia et *ille alius discipulus præcucurrit citius Petro.* Ubi primo ponitur quomodo Joannes prævenit ; secundo quomodo Petrus eum sequitur, ibi, *Venit ergo Simon Petrus sequens eum.*

Sed nota, quod non sine causa Evangelista etiam particularia diligenter narrat. Nam istis duobus discipulis, populus duplex, Judæorum scilicet et Gentilium designatur. Quia licet Judæi prius [2] habuerint cognitionem unius veri Dei, tamen quantum ad statum mundi, populus Gentium est antiquior : quia ex Gentilibus processerunt etiam Judæi. Genes. XIII, 1 : *Egredere de terra tua et de cognatione tua.* Isti simul currebant : vel decursum hujus mundi : Judæi per litteram legis, Gentiles per legem naturæ : vel simul currunt naturali desiderio ad beatitudinem et veritatis cognitionem, quam omnes homines natura scire desiderant, *Sed ille alius discipulus*, scilicet minor, *præcucurrit citius Petro* : quia Gentiles ad cognitionem veritatis tardius venerunt quam Judæi : quia quondam Deus erat tantum in Judæa notus : unde dicunt, Psal. CXLVII, 20 : *Non fecit taliter omni nationi. Et venit prior ad monumentum* : quia prius consideravit mysteria Christi, et prius Judæis de Christo facta [3] est promissio. Rom. IX, 4 : *Quorum est adoptio filiorum et gloria et testamentum et legislatio et obsequium et promissa, quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem* etc.

Et cum se inclinasset, vidit linteamina

[1] Al. deest : « ergo. » — [2] Al. : « proprius. » — [3] Al. omittitur : « facta. »

posita, non tamen introivit. Et cum se inclinasset, scilicet sub jugo legis : Exod. xxiv, 7 : « Omnia quæcumque præcepit Dominus, faciemus : » *vidit linteamina posita*, scilicet figuras quasdam omnium mysteriorum. II Corinth. iii, 14 : *Usque in hodiernum diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum. Non tamen introivit* : quia non pervenit ad veritatis cognitionem dum in mortuum credere noluit. Et hoc dicitur Luc. xv, de fratre majore, qui audiens simphoniam et tripudia fratri revertenti facta, noluit intrare : cum tamen introitum promittat David, dicens, Psal. xlii, 4 : *Introibo ad altare Dei.*

4. *Venit ergo*, etc. Hic agitur de perventione Petri. Et secundum litteram, quod simul currebant, signum erat ferventis devotionis ; sed Joannes citius pervenit, quia junior erat sene Petro. Sed secundum mysterium, Petrus Joannem sequitur : quia Gentiles ad Christum conversi, non erant congregandi in aliam Ecclesiam ab Ecclesia Judæorum, sed inserendi in precedentem olivam et Ecclesiam : Rom. ii. Et ideo Apostolus, I Thess. ii, 14, commendans eos, dicit : *Vos autem, fratres, facti estis imitatores Ecclesiarum quæ sunt in Judæa in Christo Jesu.*

Tertio ponitur ordo inquisitionis quantum ad eorum ingressum, quia *introivit in monumentum*. Et primo, ponitur quomodo Petrus intravit primo; secundo quomodo Joannes, ibi, *Tunc ergo introivit in monumentum.* Dicit ergo, quod Petrus introivit in monumentum : et quidem, secundum litteram Joannes, qui primo pervenit, non intravit propter reverentiam Petri, cui priorem ingressum servabat. Sed secundum mysterium, signatur quod populus Judæorum, qui primo mysteria incarnationis audivit, posterius ad fidem convertitur quam populus Gentium. Rom, ix, 30 : *Gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam..... Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit, Et vidit*, scilicet Petrus *posita linteamina.* Joannes vidit sola linteamina quæ Petrus similiter vidit : quia non reprobamus vetus testamentum : nam Luc. ult. 45, *aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Sed adhuc ulterius vidit *sudarium quod fuerat super caput ejus*, I Corinth. xi, 3 : *Caput Christi Deus.* Videre ergo sudarium quod fuerat super caput Jesu, est habere fidem divinitatis Christi, quam Judæi acceptare noluerunt. Quod quidem sudarium describitur et *separatum* ab aliis et *involutum*, et *in unum locum* : quia divinitas Christi occulta est, et separata ab omni creatura propter sui excellentiam. Rom. ix, 5 : *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, amen.* Isa. xlv, 15 : *Vere tu es Deus absconditus.* Involutum vidit quasi in modum circuli : quia lintei quando involvuntur, nec initium nec finis in eis aspicitur : celsitudo divinitatis est, quæ nec cœpit esse nec desinit. Heb. ult. 8, *Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula.* Psal. ci, 28 : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Sed in unum locum viderunt, quia Deus non habitat ubi est scissura mentium ; sed illi ejus merentur gratiam qui sunt unum per caritatem. Psalm. lxxv, 3 : *In pace factus est locus ejus.* I Corinth. xiv, 33 : *Non est Deus dissensionis, sed pacis.* Vel aliter per sudarium quo laborantium sudor detergi solet, intelligi potest labor Dei qui etsi quietus semper permaneat, tamen se laborare denuntiat, dum duras hominum pravitates portat. Isa. i, 14 : *Facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.* Et præcipue hunc laborem pertulit Christus in humanitate assumpta. Thren. iii, 30 : *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Hoc igitur sudarium longe seorsum invenitur, quia ipsa Redemptoris nostri passio longe est a nostra passione disjuncta. Nam per linteamina, quæ ita se habent ad membra sicut sudarium ad caput, intelliguntur passiones sanctorum, a quibus sudarium seorsum, scilicet passio Christi : quoniam ipse sine culpa pertulit, quod nos cum culpa toleramus. I Pet. iii, 18 : *Christus mortuus est, justus pro injustis.* Ipse sponte morti succumbere voluit. Supra x, 18 : *Nemo tollit a me animam meam : sed ego pono eam a meipso.* Ephes. v, 2 : *Dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis.* Sed sancti ad mortem vadunt inviti. Infra ult. 18 : *Alius te cinget, et ducet quo tu non vis.*

Sed quare Evangelista sic diligenter omnia narrat ? Ad quod dicendum, secundum Chrysostomum, ut excluderet falsam opinionem a Judæis divulgatam, quod corpus Christi furtim sublatum esset, ut habetur Matth. ult. Nam si hoc modo aliqui transtulissent illud : non utique eum denudassent, præcipue cum oportuisset eos festinanter hoc facere propter præsentiam custodum : neque etiam fuis-

sent ita soliciti ut levarent sudarium, et involverent, et seorsum in unum locum ponerent; sed ea simpliciter ut contigisset, suscepto corpore, dimisissent. Hujus etiam rei causa permisit quod sepultus fuit cum myrrha et aloe, quæ conglutinant corpori linteamina, ita quod non potuissent tam cito a corpore separari.

5. Consequenter cum dicit, *Tunc ergo introivit et ille discipulus qui venerat primus ad monumentum*, agit de introitu Joannis: non enim foris remansit, sed post Petrum intravit: quia in fine mundi ad redemptoris fidem[1] etiam Judæi colligentur. Rom. xi, 25: *Ex parte cæcitas contigit in Israel donec plenitudo gentium subintraret; et sic omnis Israel salvus fieret.* Isa. 10, 22: *Reliquiæ salvæ fient.*

Vel aliter, secundum mysterium, per istos duos discipulos duo genera hominum designantur: scilicet vacantes contemplationi veritatis, et hi signantur per Joannem: et insistentes obedientiæ mandatorum, qui signantur per Petrum: unde Simon obediens interpretatur. Contingit autem plerumque quod prius perveniat ad cognitionem mysteriorum Christi contemplativus, sua docibilitate, sed non intrat: quia quandoque præcedit intellectus, et sequitur tardus aut nullus affectus. Sed activus instantia fervoris et sedulitate, etsi tardius intelligat: Psalm. cxvii, 104: *A mandatis tuis intellexi*: tamen citius intrat: ita ut qui fuerunt posteriores in perveniendo, fiant priores in cognoscendo. Matth. xx, 16: *Erunt primi novissimi, et novissimi primi.*

6. Consequenter cum dicit, *Et vidit, et credidit*, ponitur effectus inquisitionis. Et in primo aspectu posset talem sensum habere, quod *vidit*, illa scilicet, *et credidit* quod Christus resurrexerit. Sed, secundum Augustinum, hoc non potest stare: quia sequitur: *Nondum enim sciebant Scripturam* etc. Ideo dicendum, quod *vidit* vacuum monumentum, *et credidit* his quæ dixerat mulier, scilicet quod aliqui Dominum asportassent; et tunc, sequitur: *Nondum enim sciebant Scripturam*, quia nondum eis erat apertus sensus, ut intelligerent Scripturas: Luc. ult.

Sed nonne Christus passionem et resurrectionem ejus prædixit? Matth. xx. 19: *Et tertia die resurget.* Respondeo dicendum, quod quadam consuetudine audiendi ab eo parabolas, multa quæ eis aperte dicebat, non intelligebant, et aliquid aliud eum significare credebant. Vel secundum Chrysostomum, *vidit* linteamina posita sic ordinata, quod non fuisset factum, si corpus furtim fuisset sublatum: *et credidit*, scilicet vera fide, quod Christus a morte resurrexerit. Et tunc hoc quod sequitur, *Nondum enim sciebant Scripturam*, refertur ad hoc quod dicit, *Vidit et credidit*; quasi diceret: Antequam videret non sciebat Scripturam, *quia oportebat eum a mortuis resurgere.* Sed quando vidit, credidit quod a mortuis resurrexisset.

LECTIO II.

1. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos: Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum. 2 Et vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput et unum ad pedes, ubi positum erat corpus Jesu. 3. Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum.

1. Posito quomodo Maria Magdalena venit ad aspiciendum sepulcri apertionem, hic Evangelista ostendit quomodo pervenit ad Angelorum visionem. Et primo ponitur devotio; secundo insinuatur Angelorum visio, ibi, *Vidit duos Angelos* etc.; tertio describitur Angelorum allocutio, ibi, *Dicunt ei illi* etc. Devotio autem mulieris, quæ meruit Angelorum visionem, commendatur ex tribus. Primo quidem ex ejus constantia [2], quam commendabilem reddidit primo discipulorum recessus: quia *abierunt ergo iterum discipuli*, nondum scientes Scripturam, *quia oporteret eum a mortuis resurgere, ad semetipsos*, idest ubi habitabant [3], et unde ad monumentum cucurrerant. Adhuc enim ex timore dispersi non simul manebant. Zach. xiii, 7: *Percutiam pastorem et dispergentur oves gregis.* Thren. iv, 1: *Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum.* Secundo constans ejus mora: quia *Maria stabat ad*

[1] Parm.: « ad receptionis fidem. » et in notula forte: « resurrectionis: » vel « receptionem fidei. » — [2] Al.: « instantia. » — [3] Al.: « habitant. »

monumentum foris, plorans. Nam discipulis recedentibus, infirmiorem sexum fortior et ferventior in eodem loco figebat [1] affectus.

Sed hic est quæstio, quia Marc. ult. dicitur quod mulieres egressæ sunt de monumento : ergo fuerunt intus. Ut quid ergo tunc dicit Joannes, *Stabat foris*? Responsio. Dicendum, quod monumentum Christi erat excisum in lapide, et circa ipsum erat clausura horti, sicut supra habitum est. Quandoque ergo monumentum vocant Evangelistæ solum locum ubi corpus reconditum fuit, quandoque totum illud quod clausum erat. Cum ergo dicitur quod ingressæ sunt monumentum, intelligendum de tota clausura horti : sed hoc quod dicitur, *Stabat foris*, intelligendum est de illo saxei sepulcri loco, sed tamen intra illud spatium quod jam ingressæ fuerant, ubi stabat propter amoris constantiam, quæ mentem ejus [2] accenderat. I Cor. xv, 58 : *Stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper.* Psal. cxxi, 2 : *Stantes erant pedes nostri.*

Secundo commendatur ejus devotio ex lacrymarum affluentia, quia *plorans.* Thren. I, 2 : *Plorans ploravit in nocte.* Est autem duplex lacrymarum genus : scilicet compunctionis ad peccata abluenda : Psalm. vi, 7 : *Lacrymis meis stratum meum rigavi* : *et devotionis ad cælestia desideranda.* Psal. cxxv, 6 : *Euntes ibant, et flebant mittentes semina sua*[3], idest properantes ad cælestia. Sed Maria Magdalena lacrymis quidem compunctionis abundavit tempore suæ conversionis, quando quæ fuerat in civitate peccatrix, amando veritatem lavit lacrymis maculas criminis. Luc. vii, 47 : *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Abundavit etiam lacrymis devotionis in Christi passione et resurrectione, ut habetur hic. Tertio commendatur ejus devotio ex inquisitionis diligentia. Unde dicit : *Dum ergo fleret, inclinavit se et prospexit in monumentum.* Fletus enim iste ex desiderio amoris proveniebat. Natura enim amoris est quod velit dilectum præsentem habere ; et si hoc non potest in re, saltem ejus præsentiam habet in cognitione. Matth. vi, 21 : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Amare ergo flebat Maria, quia oculi qui Dominum quæsierant et non invenerant, lacrymis vacabant, amplius dolens quod ablatus fuit de monumento : quoniam magistri [4] tanti, cujus vita subtracta fuerat memoria remanebat : et ideo quia eum habere non poterat, volens saltem videre locum ubi positus fuerat, *inclinavit se, et prospexit in monumentum.* In quo datur intelligi quod in mortem Christi debemus prospicere cum humilitate cordis. Matth. II, 25 : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. Et prospexit,* ut daret exemplum continue oculis mentis mortem Christi prospicere : quia amanti semel aspexisse non sufficit, cujus vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis. Heb. xii, 2 : *Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contempta. Inclinavit* autem *se, et prospexit* : quia caritas Christi eam urgebat. II Corinth. v, 14 : *Caritas Christi urget nos.* Vel potius, secundum Augustinum, divino instinctu in animo ejus factum est ut perspiceret, et altius aliquid videret, scilicet Angelos. Rom. viii, 14 : *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.*

2. Consequenter cum dicit, *Et vidit duos Angelos in albis sedentes*, agit Evangelista de Angelorum visione : circa quam quatuor tangit Evangelista. Primo quid vidit, quia *duos Angelos* : ut ostendat quod omnes Angelorum ordines tam assistentium quam ministrantium Christo obsequebantur. Heb. I, 6 : *Adorent eum omnes Angeli ejus.*

Sed circa hoc est quæstio : quia Matth. et Marc. ult. dicitur, quod Maria et aliæ mulieres viderunt unum Angelum existentem in latere monumenti ; hic autem dicitur quod duos et intus. Sed utrumque verum est : quia illud præcessit quod narrant Matthæus et Marcus, quando scilicet primo venerunt, et credentes eum sublatum, redierunt ad discipulos : et istud quod narrat Joannes, contigit in reditu, quando rediit cum discipulis, et eis recedentibus ipsa remansit.

Secundo describit habitum, quia *in albis* : per quod claritas resurrectionis et gloria Christi resurgentis demonstratur. Apocal. III, 4 : *Ambulabunt mecum in albis.* Et ejusdem xx, dicitur, quod exercitus qui est in cœlo sequebatur eum in veste alba, idest gloriosa. Tertio describit situm, quia *sedentes* : per quod quies et

[1] Al. : « fiebat. » — [2] Al. deest : « ejus. » — [3] Al. omittitur : « sua. » — [4] Al. : « magister.

potestas Christi designatur, qui jam ab omnibus tribulationibus requiescens regnat in carne immortali, sedens ad dexteram Patris. Psal. cix, 1 : *Sede a dertris meis*. Isa. ix, 7 : *Super solium David et super regnum ejus sedebit*. Quarto describit ordinem : *Unum ad caput, et unum ad pedes* : quod potest referri ad tria. Primo quidem ad duo testamenta : Angelus enim graece, latine dicitur nuntius. Christum autem annuntiaverunt testamenta : quia dicitur Matth. xxi, 9 : *Turba quæ præibat et quæ sequebatur, clamabat : Hosanna filio David*. Sic ergo Angelus sedens ad caput, signat vetus testamentum, et qui ad pedes, novum. Secundo ad prædicatores. In Christo enim est duplex natura, divina scilicet, et humana. Caput autem Christi est Deus, ut dicitur I Corinth. ; pedes vero humanitas [1] Psal. cxxxi, 7 : *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus*. Qui ergo annuntiat divinitatem Christi, sicut est illud supra 1 : *In principio erat Verbum*, sedet ad caput; qui vero humanitatem annuntiat, sicut illud ibid. 14 : *Verbum caro factum est*, sedet ad pedes. Tertio potest referri ad tempus annuntiationis; et sic sedet unus ad caput, et unus ad pedes : quia ab initio usque ad finem mundi mysteria Christi significabant esse annuntianda. I Corinth. ii, 26 : *Mortem Domini annuntiabitis donec veniat*.

3. Consequenter cum dicit, *Dicunt ei, Mulier quid ploras?* agitur de Angelorum allocutione. Et primo ponit Angelorum interrogationem; secundo mulieris responsionem. Circa primum sciendum est, quod Angeli scientes mulierem adhuc dubitare, quasi a remotis incipientes, causam fletus exquirunt. Unde dicit : *Dicunt illi*, scilicet Angeli, *Quid ploras?* quasi dicerent : Plorare noli ; supervacuum enim est, quia Psal. xxix, 6 : *Ad vesperum*, scilicet passionis, *demorabitur* [2] *fletus, et ad matutinum* resurrectionis *lætitia*. Hier. xxxi, 16 : *Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo*. Ubi notandum, secundum Gregorium, quod ipsa sacra eloquia quæ in nobis lacrymas amoris excitant, easdem lacrymas consolantur, dum nobis Redemptoris nostri spem repromittunt. Psal. xciii, 19 : *Secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lactificaverunt animam meam*. Sed mulier quasi nescientes [3] eos interrogasse putans, non Angelos, sed homines esse putat, et causam fletus sui exponit, *et dicit eis : Tulerunt Dominum meum*, idest corpus Domini mei : a toto partem significans : sicut confitemur Dominum Jesum Christum Filium Dei sepultum, cum ejus sola sepulta sit caro, qui divinitas carnem non deseruit. *Et nescio ubi posuerunt eum*. Hoc enim erat ei causa desolationis, quia nesciebat quo iret, et eum ad consolationem sui doloris inveniret.

Sed numquid ad consolationem amantis est habere aliquid quod fuit amici? Et quidem, secundum Augustinum, IV *Confessionum*, magis pertinet ad dolorem. Unde ipse dicit, quod fugiebat omnia loca in quibus conversatus fuerat cum amico suo. Et tamen Chrysostomus dicit, quod est ad consolationem. Sed utrumque est verum. In omnibus enim quæ habent admixtionem gaudii et tristitiæ, spes rei desideratæ est delectabilis [4]. Rom. xii, 12 : *Spe gaudentes, in tribulatione patientes* : est etiam et tristabilis, quia Prov. xiii, 12, *spes quæ differtur affligit animam* : sed non secundum eamdem rationem : nam inquantum per spem repræsentatur res amata ut possibilis consequi, causat gaudium ; inquantum autem separat actu, absens contristatur [5]. Et sic est in isto loco : quia res amici inquantum repræsentat amicum, amanti delectabilis est ; inquantum vero subtractionem amici ad memoriam reducit, tristitiam infert.

LECTIO III.

1. Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, et vidit Jesum stantem, et non sciebat quia Jesus est. 2. Dicit ei Jesus : Mulier, quid ploras? Quid quæris? 3. Illa existimans quia hortulanus esset, dixit ei : Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum ; et ego eum tollam. 4. Dicit ei Jesus, Maria. Conversa illa dixit ei, Rabboni : quod dicitur magister. 5. Dicit ei Jesus : Noli me tangere : nondum enim ascendi ad Patrem meum. 6. Vade autem ad fratres meos, et cie eis : Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum. Venit Maria Magdalene annuntians discipulis, quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi.

[1] Al. : « humanitatis. » — [2] Al. : « demonstrabitur. » — [3] Al. : « nesciens. » — [4] Al. : « et delectabilis. » — [5] Al. : « contristat. »

1. Hic ponitur quomodo mulier ista pervenit ad Christi visionem : et primo agitur de Christi visione ; secundo de ejus a muliere cognitione, ibi, *Dixit ei Jesus, Noli me tangere* etc. Circa primum primo ponit Christi visionem ; secundo ejus allocutionem, ibi, *Dicit ei Jesus* : *Mulier, quid ploras* ? Dicit ergo quantum ad primum : *Hæc cum dixisset*, scilicet Maria Magdalena ad Angelum, *conversa est retrorsum.*

Sed quærit Chrysostomus : Mulier quæ loquebatur cum Angelis, quos saltem venerandos viros putabat, quare non expectabat eorum responsum de hoc quod dixit, sed retrorsum convertitur? Responsio. Dicendum, quod cum mulier Angelis respondisset, Christus advenit, cui Angeli reverentiam exhibentes assurrexerunt : quod videns mulier admirans respexit retro, ut sciret ad quid assurrexissent. Unde et Lucas ult. Angelos stantes visos esse commemorat : et sic retrorsum ad aspiciendum conversa, *vidit Jesum stantem, et non sciebat quia Jesus est*: videbat enim eum in specie non gloriosum, quem Angeli gloriosum videntes honorabant. Ostendit etiam per hoc, quod si aliquis Christum videre desiderat, oportet quod ad eum convertatur. Zach. I, 3 : *Convertimini ad me* [1], *ait Dominus exercituum, et convertar ad vos.* Illi ad eum videndum perveniunt qui se totaliter in eum per amorem convertunt. Sap. VI, 14: *Præoccupat eos qui se concupiscunt.*

Mystice autem per hoc signatur quod hæc mulier per infidelitatem ad Christum verterat dorsum : sed quando animum ejus ad cognoscendum convertit, retrorsum conversa est.

Sed quare eum non agnoscebat, cum idem ipse esset? Dicendum, quod hoc erat vel quia quem [2] mortuum viderat, resurrexisse non credebat, vel quia tenebantur oculi ejus ne eum agnosceret, ut dicitur de duobus discipulis euntibus in Emaus, Luc. ult.

2. Allocutio Christi ponitur cum dicit : *Dixit ei Jesus* : *Mulier, quid ploras?* Et primo ponitur Christi interrogatio ; secundo mulieris responsio. Circa primum sciendum est, quod mulier ista paulatim proficit : nam Angeli causam ploratus exquirunt ; sed Christus quid quærat, interrogat. Nam ploratus ex desiderio inquisitionis causabatur. Quem quærit enim interrogat ut augeatur desiderium, quatenus cum nominaret quem quæreret, in amorem ejus ardentius æstuaret, et sic semper quæreret. Psal. CIV, 4 : *Quærite faciem ejus semper.* Prov. IV, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem.*

3. Consequenter cum dicit, *illa existimans quia hortulanus esset, dixit ei* etc., ponitur responsio mulieris : et ponitur primo opinio quam de interrogante habebat ; secundo ponuntur verba responsionis. Opinabatur autem illa quod *hortulanus esset.* Sciebat enim quod exterriti custodes propter terræmotum et aspectum Angelorum, jam fugerant, et nullum circa loca illa [3] occupari nisi eum qui eorum cultor esset. Et ut Gregorius dicit, « hæc mulier errando non erravit, dum Christum hortulanum credidit : quia in ejus pectore per amoris sui vim semina virtutis plantabat. » Eccli. XXIV, 42. *Dixit* : *Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum. Et dixit ei, Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi* : dominum enim vocat ut benevolentiam captet.

Sed cum iste de novo venisset, nec ei dixerat quem quærebat, quare dixit, *Si tu sustulisti eum*? Quem eum ? Sed dicendum, quod vis amoris hoc agere solet in amato, ut quod ipse semper cogitat, nullum alium credat ignorare. Unde Luc. ult. 17, cum quæreret Dominus, *Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ? dixerunt* : *Tu solus peregrinus es in Hierusalem*? etc.

Sed quid dicit : *Si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum; et ego eum tollam?* Mirabilis mulieris audacia, quam mortui non terret aspectus ; et cujus valetudo ad grave mortui funus tollendum plus intentat quam possit. Sed hoc est quod dicitur I Corinth. XIII, 7 : *Caritas omnia sperat* [4]. Ideo autem eum accipere volebat, ne Judæi in corpus sævirent exanime ; et ideo volebat in alium locum incognitum illud transportare.

4. Consequenter cum dicit: *Dicit ei Jesus, Maria* etc., agit de recognitione Christi a muliere. Et primo ponitur vocatio cum dicit *Maria*, quam supra alloquens, mulierem quasi nomine communi vocaverat [5]. Sed hic proprio nomine vo-

[1] Al. : « oportet ut ad eum perveniat, quod se totaliter in eum per amorem convertat. Sap. VI, 14 : *Præoccupat eos qui se concupiscunt.* Zach. I : *Convertimini ad me.* — [2] Al. deest : « quem. »

[3] Al. : « etiam loca illa. » — [4] Al. : « superat. » — [5] Al. : « vocaverat *Maria.* »

catur *Maria*, ut designet specialem notitiam quam habet ad sanctos : Psal. CXLVI, 4 : *Qui numerat multitudinem stellarum et omnibus eis nomina vocat*. Exod. XXXII, 12 : *Novi te ex nomine* : et ut ostendat quod licet quadam generali motione omnes res moveantur a Deo [1], specialiter tamen ad hominis justificationem necessaria est gratia specialis. Effectus vocationis[2] ponitur cum dicit : *Conversa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur magister*.

Sed numquid non respiciebat ad Christum qui eam vocaverat ? Respondeo dicendum, secundum Augustinum, quod hoc referendum est ad interiorem dispositionem [3] mentis : nam prius, cum corpore conversa fuit, putavit Christum esse quod non erat, scilicet hortulanum ; nunc autem corde convertitur, dum quod erat agnovit. Vel dicendum, quod, ut dictum est, credebat eum esse aliquem alium hominem. Unde, dum sibi loqueretur, solicita de eo quod gerebat in corde, non eam respexit, sed circumquaque, si aliquod signum videret sepulti. Et ideo Christus revocans eam, ex proprio nomine vocavit dicens, *Maria* ; quasi dicat : Quo respicis? Recognosce eum a quo recognosceris. Et ideo statim vocata ex nomine recognovit auctorem, dicens : *Rabboni, quod dicitur magister* : sic enim eum consueverat vocare. In quo datur intelligi, quod vocatio Christi est causa justificationis nostræ et confessionis veræ.

5. Consequenter cum dicit, *Dicit ei Jesus, Noli me tangere*, ostendit Evangelista quomodo Maria instruitur a Christo : et primo ponit unam instructionem prohibitivam [4] ; secundo aliam affirmativam, ibi, *Vade autem ad fratres meos*. Circa primum duo facit. Primo ponit prohibitionem ; secundo assignat ejus rationem. Admonet quidem Christus Mariam ne eum tangat, dicens : *Noli me tangere*. Etsi non legatur hic quod mulier vellet eum tangere, datur ex hoc intelligi, secundum Gregorium, quod Maria ad pedes prostrata amplecti voluit ejus vestigia quem recognovit. Sed subditur pro ratione : *Nondum enim ascendi ad Patrem meum* : per quod videtur quod Dominus post resurrectionem noluit tangi ab hominibus antequam ascenderet : cujus contrarium habetur Luc. ult. 39, *Palpate et videte quoniam spiritus carnem et ossa non habet*. Et si dicas eum a discipulis se tangi voluisse, non autem a mulieribus ; hoc non potest stare : quia Matth. ult. dicitur de Magdalena et aliis mulieribus, quia accesserunt et tenuerunt pedes ejus. Intelligendum est ergo, secundum litteram, quod mulier hæc bis vidit Angelos in hoc itinere. Primo quidem simul cum aliis mulieribus vidit unum [5] Angelum sedentem super lapidem, ut dicitur Matth. XXVIII et Marc. XVI. Secundo vero in reditu vidit duos Angelos intus in monumento, sicut dicit Joannes. Similiter etiam in hoc eodem itinere bis vidit Christum. Primo quidem in horto, quando æstimavit eum hortulanum, ut supra habitum est ; secundo in via, quando currebat cum aliis annuntiare discipulis quæ viderat, ut magis firmarentur in fide resurrectionis : et tunc accesserunt et tenuerunt pedes ejus, ut [6] dicunt Matthæus et Marcus.

Est autem duplex ratio mystica quare tangi noluit. Una, quia hæc mulier significabat Ecclesiam Gentium, quæ Christum non erat tactura per fidem, nisi cum ascendisset ad Patrem. Psal. VII, 8 : *Synagoga populorum circumdabit te : propter hanc in altum regredere*. Alia ratio est, quia secundum Augustinum [7] I *De Trinit.* cap. IX, tactus facit quasi fidem cognitionis. Quando enim videmus rem, utcumque eam cognoscimus ; sed per tactum consummatam cognitionem de ea habemus. Mulier autem hæc aliquam fidem habebat de Christo sicut de sancto viro, unde et magistrum eum vocabat : necdum ad hoc pervenerat ut cognosceret eum æqualem Patri et unum cum Deo ; et ideo dicit : *Noli me tangere ;* idest, non constituas finem tuæ notionis in eo quod credis de me, *Nondum enim ascendi ad Patrem meum*, scilicet in corde tuo, quia non credis me esse unum cum eo ; tamen postea credidit. Nam in ejus intimis sensibus quodammodo Christus ascendit ad Patrem, qui sic in ea profecerat ut Patri cognoscat æqualem. Vel dicendum, secundum Chrysostomum, quod hæc mulier videns Christum surrexisse, credidit quod esset in eadem qualitate in qua fuerat prius, habens mortalem vitam : unde et volebat cum eo esse sicut ante passionem, et præ gaudio nihil magnum excogitabat ; quamvis caro Christi multo melior facta fuerit resurgendo. Et ideo ab

[1] Al. omittitur : « a Deo. » — [2] Al. : « notionis. » — [3] Al. : « responsionem. » — [4] Al. : « prohibitam. »

[5] Al. deest : « unum. » — [6] Al. : « dicitur. » — [7] Al. : « in libr. *De civit. Dei.* »

hac intelligentia eam revocare volens, dicit : *Noli me tangere* ; quasi dicat : Non putes me de cetero habere vitam mortalem et vobiscum eo modo conversari quo primo, II Cor. v, 16 : *Et si novimus secundum carnem Christum, sed jam nunc non novimus.* Et hoc est quod subdit : *Nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Et tunc non est monitionis ratio, sed tacitæ quæstionis responsio, quasi dicat : Etsi videas me hic manentem, non est propter hoc quod non habeam gloriosam carnem; sed *quia nondum ascendi ad Patrem meum.* Voluit enim priusquam ascenderet, fidem resurrectionis et suæ divinitatis firmare in cordibus Apostolorum.

6. Deinde ponit instructionem affirmativam, dicens : *Vade autem ad fratres meos*, scilicet Apostolos, qui sunt fratres per conformitatem naturæ : Hebr. xxi, 17 : *Debuit per omnia fratribus assimilari* : et per adoptionem gratiæ, quia ejus Patris sunt filii adoptivi, cujus ipse est filius naturalis. Ubi notandum est triplex privilegium, quod Magdalenæ est collatum. Primo quidem propheticum, per hoc quod meruit Angelos videre : Propheta enim est medius inter Angelos et populum. Secundo Angelorum fastigium, per hoc quod vidit Christum, in quem desiderant Angeli prospicere. Tertio officium apostolicum : immo facta est Apostolorum Apostola, per hoc quod ei committitur ut resurrectionem dominicam discipulis annuntiet : ut sicut mulier viro primo nuntiavit verba mortis, ita et mulier primo nuntiaret verba vitæ. *Et dic eis : Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum.* Supra xiv, 5 : *Vado ad eum qui me misit.* Ephes. iv, 10 : *Qui descendit ipse et qui ascendit super omnes cœlos.*

Sed ex hoc Arius sumit sui erroris fulcimentum : quia per hoc quod dicit, *Patrem meum et Patrem vestrum*, concludere voluit quod eodem modo Deus sit Pater Filii, sicut est noster Pater; et Deus Filii sicut Deus noster. Sed contra hoc dicendum quod hæc verba qua intentione dicantur apparet ex circumstantiis loquendi. hicit enim supra: *Vade ad fratres meos*, etc.: Dos autem fratres habet Christus secundum quod homo; et secundum hoc Christus est subjectus Patri, sicut creatura creatori : nam ipsum corpus Christi creatura quædam est. Vel aliter, secundum Augustinum, Christus hic loquitur de se secundum utramque naturam : quia quod dicit, *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum*, pertinet ad divinam naturam, secundum quam habet Patrem Deum connaturalem cui est æqualis : et sic intelligendum est aliter *meum*, et aliter *vestrum* : natura *meum*, geatia *vestrum*; quasi, hoc quod estis filii adoptivi per gratiam, per me habetis. Galat. iv, 4 : *Misit Deus Filium suum..... ut adoptionem filiorum Dei reciperemus.* Rom. viii, 29 : *Quos præscivit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Quod addit, *Deum meum et Deum vestrum* refertur ad humanam naturam, secundum quam habet Deum gubernatorem; et sic dicit: *Deum meum*, sub quo ego homo sum, *et Deum vestrum*, inter quos et ipsum mediator sum; quia per ipsum habemus Deum nobis placatum, et sic Deum nostrum. Rom. v, 1 : *Justificati igitur ex fide, pacem habemus per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem habemus accessum in gratiam in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* II Cor. v, 19 : *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.*

Promptitudo obedientiæ Mariæ ponitur cum dicit : *Venit Maria Magdalena annuntians, quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi. Venit*, de loco ubi erat horti spatium ante lapidem monumenti, *annuntians discipulis.* I Cor. xi, 23 : *Ergo enim accepi a Domino quod et tradidi vobis.* Isa. xxi, 10 : *Quæ audivi a Domino Deo exercituum, domus Israel, annuntiavi vobis.*

LECTIO IV.

1. Cum ergo sero esset die illo, una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum : 2. Venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis, Pax vobis. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus et latus. 3. Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino. 4. Dixit ergo eis iterum : Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. 5. Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum ? quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.

1. Positis apparitionibus Christi sanctis mulieribus, in parte ista agit Evangelista de apparitionibus factis Apostolis : et primo de apparitione qua simul omnibus in Hierusalem apparuit, excepto Thoma; secundo de ea quæ facta est, Thoma præsente, ibi, *Et post dies octo*, etc.; tertio de ea quæ facta est quibusdam specialiter

juxta mare, XXI capitulo, *Postea manifestavit se*, etc. [1]. Circa primum duo ponuntur. Primo Domini apparitio; secundo discipulorum dubitatio, ibi, *Thomas autem*, etc. Circa primum tria ponuntur. Primo Domini apparitio; secundo officii injunctio, ibi, *Dixit eis*, *Pax vobis*, etc.; tertio spiritualis muneris collatio, ibi, *Hæc cum dixisset*, *insufflavit*, etc. Circa primum tria facit. Primo ponit apparitionis circumstantias; secundo apparitionis continentiam, ibi, *Venit Jesus*, etc.; tertio apparitionis consequentia, ibi, *Gavisi sunt discipuli viso Domido.* Describit ergo apparitionem dominicam discipulis a quatuor circumstantiis. Primo quidem ex horæ descriptione, quia *cum sero esset;* secundo ex diei designatione, quia *die illa;* tertio ex loci conditione, quia *cum fores essent clausæ;* quarto ex discipulorum dispositione, quia *erant congregati propter metum Judæorum.* Fuit ergo hora apparitionis serotina : cujus duplex est ratio litteralis. Una, quia voluit simul apparere omnibus et ideo præstolatus est usque in sero, ut qui dispersi erant de die, simul convenirent in sero : nam de nocte simul erant. Alia ratio est, quia Dominus eis apparuit ut confortaret eos. Illam ergo elegit horam qua magis stupentes confortatione indigebant : hæc est sero. Psal. XLV, 2 : *Adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.* Est etiam ratio mystica : quia scilicet Dominus in fine mundi apparebit fidelibus, quando media nocte clamor fiet : ecce sponsus venit redditurus eis mercedem suam. Matth. XX, 8 : *Cum sero factum esset*, *dixit dominus vineæ procuratori suo* : *Voca operarios*, *et redde eis mercedem.* Dies apparitionis fuit ipsamet dies resurrectionis, quia *die illa una sabbatorum*, scilicet dies dominica, de qua dictum est supra hoc cap. *Una autem sabbati*, Quare autem dicatur *una sabbatorum*, jam dictum est.

Potest autem ex Evangeliis colligi, Dominum quinquies isto die apparuisse. Bis scilicet mulieribus, semel Magdalenæ soli, de qua immediate supra, et iterum simul cum aliis mulieribus revertentibus; et tunc accesserunt, et tenuerunt pedes ejus. Tertio vero apparuit duobus discipulis ipso die euntibus in Emaus, Luc. ult. Quarto autem Simoni Petro. Sed quando et quomodo et ubi, non exprimitur, nisi tantum quod apparuit. Luc. ult. XXXIV : *Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni.* Quinto apparuit omnibus simul congregatis de sero, ut habetur hic. Et ideo cantatur : *Hæc dies quam fecit Dominus* : *exultemus et lætemur in* Psal. : CXVII, 24 : Per hoc autem datur intelligi, quod in die communis resurrectionis apparebit manifeste omnibus mulieribus, peccatoribus, peregrinis, Apostolis, et apostolicis viris : quia *videbit eum omnis oculus*, *et qui eum pupugerunt* : Apocal. I, 7.

Conditio autem loci describitur per clausuram, dubia et timida : quia *fores essent clausæ* : ad litteram propter tarditatem, quia nox erat, et *propter metum Judæorum;* sed ex parte Christi, clausuræ causa fuit ut manifestaret eis virtutem suæ potestatis intrando ad eos januis clausis.

Sciendum est autem circa hoc, quod secundum quosdam intrare januis clausis est de proprietate corporis gloriosi, quod dicunt per quamdam conditionem sibi inhærentem posse esse cum alio corpore simul in eodem loco, inquantum est gloriosum : et hoc factum esse et fieri posse sine miraculo. Sed hoc non potest stare : quia quod corpus humanum non glorificatum, non possit simul cum alio corpore esse, inest sibi ex natura. Oportet ergo quod si corpus glorificatum dicatur habere in se proprietatem aliquam inhærentem, quod possit simul cum alio corpore esse in eodem loco quod excludatur ab eo illa proprietas qua nunc impeditur ne simul cum alio possit esse. Hæc autem proprietas nullo modo est separabilis vel destructibilis a corpore, cum non sit [2] corpulentia, ut ipsi dicunt, sed ipsæ dimensiones corporis quanti, quibus proprie accidit situs. Unde Philosophus arguit contra ponentes idola et mathematica et quod dato etiam quod vacuum esset totum spatium super terram [3], adhuc corpus sensibile non potest esse simul cum illis, propter dimensiones quantitatis. Per nullam autem proprietatem corporis gloriosi possent removeri dimensiones a corpore natura corporis remanente. Et ideo dicendum est, quod hoc miraculose Christus fecit virtute suæ divinitatis ; et quandocumque in sanctis simile contingeret, miraculosum esset, et per [4] novum miraculum fit. Et hoc expresse dicunt Augustinus et Gregorius. Dicit enim Augus-

[1] Al. omittitur totum quod sequitur usque ad : « circa primum tria ponuntur. »
[2] Parm. addit : « mathematica. » — [3] Al. : « ponentes ideas, et quod dato etiam quod vacuum esset totum super terram, etc. » — Parm. : « ideas et materias; et, etc. » — [4] Al. : « propter. »

tinus : « Quæris quomodo per ostia clausa intrare potuit. Si comprehendis modum, non est miraculum. Ubi deficit ratio, ibi est fidei ædificatio. » Et subdit : « ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente virginitas matris inviolata permansit. » Sicut ergo ortus ejus ex virgine matre virtute suæ divinitatis miraculosus fuit, sic introitus iste. Mystice autem per hoc datur intelligi quod Christus nobis apparet quando fores, idest sensus exteriores, sunt clausi in oratione : Matth. vi, 6 : *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum* : et in fine mundi, quando quæ paratæ erunt, intrabunt ad nuptias, et postea claudetur janua, ut habetur Matth. xxv. Dispositio discipulorum describitur imitanda, quia *congregati erant* : quod quidem non vacat a mysterio. Christus enim ad congregatos venit, Spiritus sanctus ad congregatos descendit : quia Christus et Spiritus sanctus non nisi in caritate congregatis adsunt. Matth. xviii, 20 : *Ubicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

2. *Venit Jesus*, etc. Hic ponitur ipsa apparitio Christi quantum ad tria. Primo quantum ad Christi præsentiam quam exhibuit ; secundo quantum ad salutationem quam eis protulit ; tertio quantum ad sui certam manifestationem, quam eis ostendit. Præsentiam autem suam exhibuit eis Christus absque omni dubio : quia *venit, et stetit in medio discipulorum.* Venit quidem personaliter ipse idem, sicut eis promiserat supra xiv, 28 : *Vado, et venio ad vos.* Sed *stetit in medio*, ut omnes certitudinaliter agnoscerent. Unde arguuntur Judæi qui eum cognoverunt. Supra 26, i : *Medium autem vestrum stetit quem vos nescitis.* Item *stetit in medio* discipulorum, ut ostendat conformitatem humanæ naturæ quam habet ad eos. Eccli l, 13 : *Circa illum corona fratrum, quasi plantatio cedri in monte Libano.* Item *stetit in medio*, per condescensionem, quia inter eos conversatus est sicut unus ex eis. Eccli. xxxii, 1 : *Rectorem te posuerunt? Noli extolli, esto in illis quasi unus ex ipsis.* Luc. xxii, 27 : *Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.* Item ad designandum quod nos debemus esse in medio virtutis. Isa xxx, 21 : *Hæc est via : ambulate in ea, neque declinetis ad dexteram neque ad sinistram.* Qui enim excedit in plus, divertit ad dexteram ; qui autem deficit in minus, vadit in sinistram. Salutationis autem verba eis protulit, dicens, *Pax vobis.* Sed hæc fuit necessaria : erat enim eorum pax multipliciter perturbata, et quantum ad Deum, contra quem quidam peccaverunt negando, quidam fugiendo. Matth. xxvi, 31 : *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte : scriptum est enim : Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.* Et contra hoc proposuit eis pacem reconciliationis ad Deum : Rom. v, 10 : *Reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus* : hanc enim per passionem fecit. Item quantum ad seipsos : quia tristes erant, et in fide dubii ; et hanc etiam pacem factam proposuit. Psalm. cxviii, 165 : *Pax multa diligentibus legem tuam.* Item quantum ad exteriores : quia a Judæis persecutiones patiebantur [1] ; et contra hoc dicit eis, *Pax vobis*, contra Judæorum scilicet persecutiones. Supra xiv, 27 : *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Certam autem sui manifestationem ostendit eis per manus et latus : unde sequitur : *Hæc cum dixisset, ostendit eis manus et latus* : quia in eis specialiter remanserunt signa passionis suæ, Luc. ult. 39, *Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum.* Sic et in gloria se ostendet. Supra xiv, 23 : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit;* et infra vers. 21 : *Manifestabo ei meipsum.*

3. *Gavisi sunt* etc. Hic ponitur apparitionis effectus, qui est gaudium in cordibus discipulorum de visione Domini, quam promiserat eis supra xvi, 22 : *Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum.* Sed hoc gaudium implebitur in patria, scilicet bonis, ex aperta visione Dei. Isa. ult. 14 : *Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt.*

4. Injungit Apostolis officium : et primo præmittit pacis vinculum ; secundo injungit officium, ibi, *Sicut misit me Pater* etc. *Dixit ergo eis iterum, Pax vobis.* Hoc dixit eis contra perturbationem duplicem : nam contra perturbationem præsentem a Judæis, dixit eis primo, *Pax vobis.* ; sed contra conturbationem factam a Gentibus, *dixit eis iterum, Pax vobis* Supra xvi, 33 : *In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem.* Nam ad Gentes mittendi erant ; et ideo statim subditur injunctio officii : *Sicut misit me*

[1] Al. : « persequebantur. »

Pater, et ego mitto vos : in quo ostendit se mediatorem inter Deum et homines. I Timoth. II, 5: *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* etc. Hoc erat ad consolationem discipulorum ; qui cognoscentes auctoritatem Christi, sciebant eum mittere ipsos auctoritate divina. Item considerantes dignitatem propriam, scilicet quod habebant officium proprium Apostolorum [1] : Apostolus enim idem est quod missus. Dixit ergo : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos ;* idest, sicut Pater diligens me misit in mundum ad passionem tolerandam pro salute fidelium: supra III, 17 : *Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* : ita ego diligens vos, mitto vos ad tribulationes sustinendas pro nomine meo. Matth. x, 16 : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*. Secundo datur eis idoneitas officii per dationem Spiritus sancti. II Cor. III, 6 : *Qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti, non littera, sed spiritu.*

5. Unde sequitur : *Hæc cum dixisset, insufflavit* etc. Et circa hanc dationem primo præmittit dationis signum, quod est insufflatio : unde dicit, *Insufflavit*. Simile habetur Gen. II, 7 : *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, quod primus homo depravavit, scilicet vitæ naturalis : sed hoc Christus reparavit, dando Spiritum sanctum. Non est intelligendum quod hujusmodi [2] flatus Christi fuerit Spiritus sanctus, sed signum ejus. Unde Augustinus dicit IV *De Trinitate* : « Flatus ille corporeus substantia Spiritus sancti non fuit, sed demonstratio per congruam significationem non tantum [3] a Patre, sed etiam a Filio procedere Spiritum sanctum. »

Notandum autem, quod super Christum Spiritus sanctus missus est primo quidem in columbæ specie in baptismo, supra III, et in specie nubis in transfiguratione ; Matth. XVII. Cujus ratio est, quia gratia Christi, quæ datur per Spiritum sanctum, derivanda erat ad nos per propagationem gratiæ in sacramentis : et sic descendit in specie columbæ in baptismo, quæ est animal fecundum ; et per doctrinam : et sic descendit in nube lucida. Unde et ibi ostenditur doctor : unde dicit *ibid.* v : *Ipsum audite*. Super Apostolos autem primo descendit in flatu, ad designandam propagationem gratiæ in sacramentis, cujus ipsi ministri erant : unde dicit, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Matth. ult. 19 : *Euntes ergo baptizate eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*. Secundo vero in igneis linguis ad significandam propagationem gratiæ per doctrinam. Unde dicit Act. II, quod postquam repleti sunt Spiritu sancto [4], statim cœperunt loqui.

Secundo ponit dationis verba ; dicens : *Accipite Spiritum sanctum.*

Sed numquid hic acceperunt Spiritum sanctum ? Videtur quod non : quia cum nondum ascendisset in altum, non debuit dona dare hominibus. Et quidem, secundum Chrysostomum, quidam dicunt, quod Christus non dedit eis hic Spiritum sanctum ; sed præparavit eos ad dationem futuram in Pentecoste. Et moventur ad hoc, quia Daniel. x, dicitur, quod non potuit sustinere visionem Angeli : unde isti nisi præparati non [5] potuissent sustinere Spiritus sancti adventum. Sed tamen ipse Chrysostomus dicit : « Spiritus sanctus datus fuit discipulis non communiter ad omnia : sed ad aliquem effectum, » scilicet ad dimittendum peccata : sicut Matth. x, ad faciendum miracula. Augustinus autem et Gregorius dicunt, quod Spiritus sanctus habet duo præcepta dilectionis, scilicet Dei et proximi : et ideo primo datus fuit in terra ad designandum præceptum dilectionis proximi ; secundo de cœlo ad designandum præceptum dilectionis Dei.

Tertio ponitur dationis fructus : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* : quod conveniens effectus est Spiritus sancti, scilicet remissio peccatorum ; nam ipse caritas est, et per eum nobis datur caritas. Rom. v, 5 : *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Remissio autem peccatorum non fit nisi per caritatem. Quia Prov. x, 12 : *universa delicta operit caritas*. I Petri IV, 8 : *Caritas operit multitudinem peccatorum.*

Hic ergo primo quæritur de hoc quod dicit, *Quorum remiseritis peccata*, cum solus Deus peccata remittat. Ad hoc aliqui dicunt, quod solus Deus remittit culpam ; sed sacerdos absolvit tantum a reatu pœnæ, et denuntiat eum absolutum a macula culpæ. Sed hoc non est verum:

[1] Al. : « apostolicum. » — [2] Al. : « hujus. » — [3] Al. : « non tamen. » — [4] Al. : « sapientia. » — [5] Al. deest : « non. »

nam sacramentum pœnitentiæ cum sit sacramentum novæ legis, confert gratiam, sicut et in baptismo confertur : sed in baptismo sacerdos baptizat instrumentaliter, et tamen confert gratiam : ergo similiter in sacramento pœnitentiæ sacramentaliter et ministerialiter absolvit a pœna et culpa, inquantum dat sacramentum in quo peccata dimittuntur. Quod autem dicitur, quod solus Deus peccata dimittit, verum est auctoritate. Sic etiam solus Deus baptizat ; sed sacerdos ministerio, ut dictum est.

Item quæritur de hoc quod dicit : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Videtur ergo quod qui non habet Spiritum sanctum, non possit peccata dimittere. Ad quod dicendum, quod si remissio peccatorum esset proprium opus sacerdotis, idest quod ex sua virtute hoc faceret ; non utique posset sanctificare nisi sanctus. Remissio autem peccatorum est proprium opus Dei, qui propria virtute et auctoritate peccata dimittit ; sacerdotis autem non nisi est sicut instrumenti. Sicut ergo dominus per servum et ministrum suum, sive sit bonus sive malus, potest facere voluntatem suam ad exequendum aliqua ; ita et Dominus per ministros, etiam si mali sint, potest sacramenta conferre, in quibus datur gratia.

Item quæritur de hoc quod dicitur : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ad quod dicendum est quod, sicut dictum est, sacerdos in sacramentis agit sicut minister Dei. I Corinth. IV, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Eodem ergo modo quo Deus remittit et retinet peccata, simul et sacerdos. Remittit autem Deus peccata largiendo gratiam ; sed dicitur retinere non largiendo eam propter impedimentum ex parte recipientis ; sic et minister remittit peccata, inquantum impendit sacramentum Ecclesiæ ; et retinet inquantum aliquos indignos ostendit sacramentorum receptione.

LECTIO V.

1. Thomas autem, unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus. 2. Dixerunt ergo ei discipuli : Vidimus Dominum. 3. Ille autem dixit eis : Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam.

1. Posita Salvatoris apparitione, hic agit Evangelista de discipuli dubitatione. Et primo ponitur discipuli absentia ; secundo ponitur sibi denuntiatio, ibi, *Dixerunt ergo ei alii discipuli, Vidimus Dominum ;* tertio obstinata ejus dubitatio, ibi, *Ille autem dixit* etc. Absens autem discipulus describitur primo ex nomine, quia *Thomas*, qui interpretatur abyssus, sive geminus. In abysso autem duo sunt : scilicet profunditas, et obscuritas. Abyssus ergo Thomas propter [1] obscuritatem infidelitatis, quam habet ex se. Item abyssus ex profunditate miserationis, quam habet a Christo : unde de hoc dicitur in Psal. XLI, 8 : *Abyssus* profunditatis, scilicet Christus *abyssum* obscuritatis, scilicet Thomam, *invocat* miserando ; et *abyssus* obstinationis, scilicet Thomas *abyssum* profunditatis, scilicet Christum *invocat* confitendo. Secundo ex dignitate, quia *unus ex duodecim :* non quod tunc duodecim essent, quia jam Judas interierat, Matth. XXVII : sed dicitur unus de duodecim, quia erat electus ad eam dignitatem quam Deus sacraverat duodenario numero. Luc. VI, 13 : *Elegit duodecim, quos Apostolos nominavit.* Et hunc numerum Deus voluit semper esse integrum. Tertio ex interpretatione : *Qui dicitur Didymus.* Thomas enim est nomen Syrum vel Hebræum, et habet duas interpretationes, scilicet geminus et abyssus. Geminus autem latine, græce dicitur Didymus : et ideo quia Joannes in græco scripsit Evangelium, posuit *Didymus.* Dicitur autem geminus, quia forte fuit de tribu Beniamin, in qua aliqui vocabantur gemini ; vel etiam omnes. Vel potest hoc referri ad ejus dubitationem : quia qui certus est, firmatus est in unam partem ; sed qui dubitat, accipit unam partem cum formidine alterius. Iste ergo Thomas *non erat cum eis*, scilicet discipulis, *quando venit Jesus* : tardius enim rediit quam alii qui de die dispersi erant ; et sic amisit solatium

[1] Al. deest : « propter. »

dominicæ visionis, pacis eulogium, et sancti Spiritus afflatum. Instruimur autem per hoc a societate separari non debere. Hebr. x, 25 : *Non deserentes collectionem nostram, sicut est consuetudinis quibusdam.* Sed, ut Gregorius dicit, non hoc casu, sed divina gestum est voluntate, ut electus discipulus tunc deesset ; sed divinæ pietatis dispensatione : ut scilicet discipulus dubitans dum in magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Unde in hoc apparent potissima signa altissimæ pietatis Dei. Et primo in hoc quod intantum diligit genus humanum, quod aliquando permittit aliquas tribulationes fieri electis suis, ut inde aliquod bonum humano generi proveniat. Propter hoc enim Apostolos, Prophetas et sanctos Martyres permisit affligi. Oseæ vi, 5 : *Propter hoc dolavi in Prophetis, occidi eos in verbis oris mei.* II Corinth. i, 6 : *Sive tribulamur pro vestra exhortatione et salute, sive consolamur pro vestra consolatione, quæ operatur tolerantiam earumdem passsionum quas et nos patimur.* Sed, quod adhuc mirabilius est, permittit aliquem sanctum labi in peccatum propter instructionem : ut quid enim permisit aliquos sanctos et justos viros graviter peccasse (sicut quod David adulter fuit et homicida) nisi quod ex hoc instructi cautiores simus et humiliores? ut qui existimat stare, videat ne cadat; et qui cecidit, adjiciat [1] ut resurgat. Unde Ambrosius dixit Theodosio imperatori : « Secutus es errantem, sequi studeas pœnitentem. » Et ideo dicit Gregorius, quod plus profuit nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum.

2. Consequenter cum dicit : *Dixerunt ergo ei alii discipuli, Vidimus Dominum,* ponit denuntiationem. Quia statim non venit Thomas, *dixerunt autem ei alii discipuli, Vidimus Dominum.* Et hoc est ex ordinatione divina : ut quod unus accipit a Deo, communicet aliis. I Petr. iv, 10 : *Unusquisque gratiam quam accepit, in alterutrum illam administrantes.* Et Isai. xxii, 10 : *Quæ audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis.* Genes. xxxii, 30 : *Vidi Dominum, et salva facta est anima mea.*

3. Consequenter cum dicit, *Ille autem dixit eis* etc., ponitur obstinata Thomæ dubitatio. Et quidem satis fuisset excusabilis, quod non statim credidit : quia, ut dicitur Eccli. xix, 4 : *Qui cito credit, levis est corde.* Sed multum investigare, præsertim ubi de secretis Dei agitur, grossities mentis est. Proverb. xxv, 27 : *Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum; sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria.* Eccl. iii, 22 : *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris. Sed quæ præcepit Deus tibi, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus.* Circa Thomam considerandum est, quod durus fuit ad credendum, et irrationabilis ad petendum. Durus quidem, quia noluit credere nisi sensibili argumento ; et non tantum unius sensus, sed duorum ; scilicet visus, quia *nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum*; et tactus *et mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Irrationabilis vero fuit, quia petebat vulnera videre ad comprobationem fidei ; cum majus videret, scilicet totius hominis resuscitati reparationem. Et licet hoc Thomas propter sui dubietatem diceret, tamen hoc divinitus factum est propter nostram utilitatem et ædificationem. Certum est enim quod qui se totum hominem reparavit resurgendo, potuit etiam vulnerum cicatrices extergere ; sed servatæ sunt propter nostram utilitatem.

LECTIO VI.

1. Et post dies octo iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit eis, Pax vobis. 2. Deinde dicit Thomæ : Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis. 3. Respondit Thomas, et dixit ei : Dominus meus, et Deus meus. 4. Dixit ei Jesus : Quia vidisti me, Thoma, credidisti. 5. Beati qui non viderunt et crediderunt. 6. Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt ut credatis quia Jesus Christus est Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.

1. Hic agitur de secunda apparitione dominica, qua apparuit omnibus discipulis præsente Thoma. Et primo ponit Christi apparitionem; secundo discipuli confirmationem, ibi, *Deinde dixit Thomæ*

[1] Al. : « alliciat. »

etc. : tertio eorum quæ dicta sunt in Evangelio, recapitulationem, ibi, *Multa quidem et alia signa fecit Jesus* etc. Circa primum tria facit. Primo describit apparitionis tempus ; secundo manifestat personas quibus apparuit ; tertio modum apparitionis ostendit. Tempus quidem, quia *post dies octo*, scilicet a die resurrectionis dominicæ, in cujus sero facta fuit prima apparitio. Cujus quidem una ratio litteralis est, ut ostenderet etiam Evangelista quod licet Christus pluries apparuisset discipulis, non tamen continue conversatus est cum eis, cum non ad eumdem vivendi modum surrexerit, sicut nec nos ad eamdem vitam resurgemus. Job xiv, 14 : *Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.* Secundo ut Thomas interim audiens a discipulis apparitionem præcedentem, accendatur ad majus desiderium, et fidelior fieret ad credendnm. Alia ratio mystica est, quia hujusmodi [1] apparitio illam designat qua nobis apparuerit, in gloria. I Joan. iii, 2 : *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Quæ quidem apparitio erit in octava ætate resurgentium. Quibus autem apparuit ostendit subdens : *Iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis.* Ubi notandum, quod Thomas solus hac apparitione indigebat ; non tamen ei singulariter Dominus apparuit, sed in congregatione existenti, ad designandum quod singularitates non sunt multum Deo acceptæ, sed hi qui in communitate caritatis existunt. Matth. xviii, 20 : *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Similiter etiam hi quibus nunc apparet non sunt collecti simul in unum ; sic nec in ipsa apparitione simul omnes fuerunt ; sed in futura simul omnes erunt, ita quod nullus deerit. Matth. xxiv, 28 : *Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ.* Et infra vers. 31 : *Mittet Angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabant electos ejus a quatuor ventis, a summis cælorum asque ad terminos eorum.* Modum autem apparendi ostendit dicens : *Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit eis, Pax vobis* : quod supra est expositum. Nihilominus tamen ponit circa hoc tria : nam prima ponit modum veniendi, quia *januis clausis* : quod miraculose factum est, ut dicit Augustinus, ex virtute qua super mare siccis pedibus ambulavit ; secundo modum standi, quia *in medio*, ut ab omnibus videretur ; et decebat ut in medio staret ; tertio modum loquendi, quia *Pax vobis*, scilicet reconciliationis, quam annuntiavit factam ad Deum. Rom. v, 10 : *Reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.* Coloss. i, 20 : *Pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in cœlis sive quæ in terris sunt.* Item æternitatis et immortalitatis futuram, quam promisit eis habendam [2]. Psal. cxlvii, 14 : *Qui posuit fines tuos pacem.* Item caritatis et unitatis, quam præcepit eis servandam. Marc. ix, 49 : *Pacem habete inter vos.*

2. *Deinde dicit Thomæ.* Hic ponitur confirmatio et revocatio discipuli dubitantis : in quo apparet secundum signum divinæ pietatis, quod electis suis in casu cito subvenit, licet cadant. Cadunt enim electi aliquando, sicut et reprobi ; sed differenter ; quia reprobi franguuntur ; electis vero cito Dominus supponit manum suam, ut resurgant. Psal. xxxvi, 24 : *Cum ceciderit justus, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Item Psal. xciii, 18 : *Si dicebam, Motus est pes meus ; misericordia tua, Domine, adjuvabat me.* Et ideo statim supponit Thomæ lapso manum, ita ut cum diceret, *Nisi videro non credam*, revocat dicens : *Infer digitum tuum huc.* Et circa hoc tria ponuntur. Primo cicatricum exhibitio ; secundo Thomæ confessio, ibi, *Respondit Thomas* etc. ; tertio tarditatis ejus reprehensio, ibi, *Quia vidisti me, Thoma, credidisti.* Notandum autem circa primum, quod Thomas petiit conditiones ut crederet, scilicet videre et palpare cicatrices, ut dictum est ; et si hoc sibi fieret, promisit se crediturum. Et ideo Dominus, cum hæc diceret, præsentia suæ divinitatis assistens, servatis illis conditionibus revocat eum. Unde primo exhibet conditionem ; secundo petit promissi solutionem, ibi, *Noli esse incredulus, sed fidelis.* Conditio fuit palpare cicatrices : et ideo dicit : *Infer digitum tuum.*

Sed hic oritur dubitatio : quia in corporibus glorificatis nullus potest esse defectus ; cicatrices autem sunt defectus quidam : quomodo ergo fuerunt in corpore Christi ? Ad hoc respondet Augustinus in libro *De symbolo*, sic dicens : « Posset autem de corpore suscitato et glorificato omnem maculam cujuslibet cicatricis in

[1] Al. : « hujus. » — [2] Al. : « habituram. »

suo corpore abstergere : sed sciebat quare cicatrices in suo corpore servaret. Primo quidem ut demonstraret Thomæ non credenti, nisi tangeret et videret; deinde vero ad exprobrandum infidelibus et peccatoribus in judicio. Non ut eis dicat sicut Thomæ : Quia vidisti me, credidisti : sed ut convincens eos dicat : Ecce hominem quem crucifixistis : videte vulnera quæ infixistis, agnoscite latus quod pupugistis : quoniam et propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis. »

Juxta hoc tamen quæritur, utrum in corporibus martyrum remaneant vestigia vulnerum? Sed ad hoc similiter respondet Augustinus, XXII *De civitate Dei*, quod remanebunt quidem, non ad turpitudinem, sed ad immensum decorem, sic dicens : « Non hoc in eis deformitas, sed dignitas erit; et quidem in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit. Nec ideo tamen si aliqua martyribus amputata vel ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum : quibus dictum est : Capillus de capite vestro non peribit : sed ubi membra, ut præciderentur, percussa sunt vel secta, ibi cicatrices, sed in eisdem membris redditis, non perditis apparebunt. »

Sed, secundum Gregorium, cum quod incorruptibile est, palpari non possit, quomodo Dominus corpus suum, quod incorruptibile erat, palpandum præbuit? Rom. VI, 9 : *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur.* Unde hac ratione motus Eutyches hæreticus dixit, quod corpus Christi et corpora omnium resurgentium non erunt palpabilia, sed subtilia et spiritualia ad modum venti et spirituum. Sed quia hoc est contra illud quod Dominus dicit Luc. ult., 39 : *Palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet* : incorruptibilem ergo et palpabilem se Dominus demonstravit, ut ostenderet corpus suum esse post resurrectionem ejusdem naturæ, quod fuerat corruptibile, et induerat incorruptionem, I Corinth. XV, et alterius gloriæ : quia quod crassum et ignobile fuerat, surrexit in gloria et subtile per effectum spiritualis potentiæ.

Sed addit : *Et vide manus*, quæ pependerunt in cruce, *et mitte in latus*, lancea perforatum, et cognosce me illum eumdem esse qui pependit in cruce. Mystice autem per digitum discretio designatur, per manus opus nostrum. Monet ergo et digitum et manus in latus suum mittere, ut quicquid nobis est discretionis, et operis, in Christi servitium expendamus. Galat. ult., XIV : *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Et petit promissi solutionem, dicens : *Et noli esse incredulus, sed fidelis.* Apocal. II, 10 : *Esto fidelis usque ad mortem.*

3. Consequenter cum dicit, *Respondit Thomas* etc., ponitur Thomæ confessio : ubi apparet quod statim factus est Thomas bonus theologus, veram fidem confitendo : quia humanitatis Christi, cum dicit : *Dominus meus.* Sic enim vocabant eum ante passionem. Supra XIII, 13 : *Vos vocatis me Magister et Domine.* Item divinitatis : quia *Deus meus.* Ante enim non vocabant eum Deum, nisi quando Petrus dixit Matth. XVI, 16 : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* I Joan. ult., 20, *Hic est verus Deus, et vita æterna.* Psalm. XCVII, 28 : *Deus meus, et confitebor tibi.*

4. Tarditatem autem Thomæ Dominus arguit dicens : *Quia vidisti me, Thoma, credidisti :* et primo reprehendit ejus tarditatem ; secundo commendat aliorum ad credendum facilitatem, ibi, *Beati qui non viderunt et crediderunt.* Dicit ergo : *Quia vidisti me.*

Ubi est una dubitatio ; quia cum fides sit substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium, ut dicitur Hebr. XI ; quomodo hic Dominus dicit[1] : *Quia vidisti me, credidisti?* Sed dicendum, quod aliud vidit, et aliud credidit. Vidit hominem et cicatrices, et ex hoc credidit divinitatem resurgentis.

Sed secunda dubitatio est, quia Thomæ petenti, *Nisi videro et tetigero*, Deus utrumque exhibuit, scilicet tactum et visum ; ergo debuit dicere, quia vidisti et tetigisti, credidisti. Respondeo dicendum, secundum Augustinum, quod sensu visus utimur pro quolibet sensu : dicimus enim : Vide quomodo calet, quomodo sonat, quomodo sapit, quomodo redolet. Dicit ergo : *Infer digitum tuum huc, et vide*; non quod in digito sit visus, sed dicitur quasi: Tange et experire ; ita et hic, *Quia vidisti me* ; idest quia expertus es etiam per tactum. Vel dicendum, quod Thomas videns vulnera et cicatrices confusus est in seipso, et antequam poneret digitum credidit, et dixit : *Dominus meus et Deus meus.* Sed tamen Gregorius dicit, quod tetigit, et ad visum confessus est.

[1] Al. : « Dominus Christus. »

5. Consequenter cum dicit, *Beati qui non viderunt et crediderunt*, commendat facilitatem aliorum ad credendum; et hoc specialiter ad nos pertinet. Utitur autem præterito pro futuro propter certitudinem.

Sed contra hoc Luc. x, 23, dicitur : *Beati oculi qui viderunt quæ vos videtis.* Ergo magis beati qui viderunt quam qui non viderunt. Respondeo, quod duplex est beatitudo. Una est rei, quæ consistit in munere divino, de quo quanto alicui plus conceditur, tanto beatior est; et sic quantum ad hoc beati sunt[1] oculi qui vident, quia hoc est munus gratiæ. Alia est beatitudo spei, quæ consistit in merito : unde secundum hanc tanto quis est beatior, quanto potest plus mereri. Plus autem meretur qui credit et non vidit, quam qui videns credit.

6. Hic ponitur epilogus : et primo ponitur insufficientia hujus scripturæ; secundo ejus utilitas, ibi, *Hæc autem scripta sunt ut credatis* etc. Insufficientia quidem apparet, quia multa et alia fecit Jesus signa et facta quæ non sunt scripta in libro hoc. Job. xxvi, 14 : *Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum ejus : et cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Eccli. xliii, 36 : *Multa sunt abscondita majora his : pauca enim videmus ejus.* Sed secundum Chrysostomum, hoc ideo dicit, quia pauciora miracula narrat Joannes quam alii Evangelistæ. Et ideo ne videretur ea negare, dicit hoc; et ideo specialiter subdit : *Quæ non sunt scripta in libro hoc.* Vel hoc refertur ad passionem et resurrectionem; quasi, multa ostensiva suæ resurrectionis post resurrectionem fecit in conspectu discipulorum, quæ non ostendit aliis. Actor. x, 40 : *Dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo.* Ponitur et hujus utilitas, quia effectus fidei : quia *hæc scripta sunt ut credatis quia Jesus Christus est Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Ad hoc enim est tota Scriptura novi et veteris testamenti. Psal. xxxix, 9 : *In capite libri scriptum est de me.* Supra v, 39 : *Scrutamini Scripturas..... quoniam ipsæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Item fructus vitæ, quia *ut credentes vitam habeatis* : hic vitam justitiæ, quæ habetur per fidem : Habac. ii, 2 : *Justus autem meus ex fide vivit* : et in futuro vitam speciei[2] quæ habetur per gloriam; et *in nomine ejus*, scilicet Christi. Actor. iv, 12 : *Non est aliud nomen sub cœlo in quo oporteat nos salvos fieri.*

[1] Al. omittitur : « sunt. » — [2] Al. : « spei. »

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM

1. Postea manifestavit se iterum Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. 2. Manifestavit autem sic. Erant simul Simon Petrus, et Thomas, qui dicitur Didymus, et Nathanael, qui erat a Cana Galilææ, et filii Zebedæi, et alii ex discipulis ejus duo. 3. Dicit eis Simon Petrus, Vado piscari. Dicunt ei, Venimus et nos tecum. Et exierunt, et ascenderunt in navim, et illa nocte nihil prendiderunt. 4. Mane autem facto, stetit Jesus in littore, non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus est. 5. Dicit ergo eis Jesus : Pueri, numquid pulmentarium habetis ? Responderunt ei, Non. Dixit eis : Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis. Miserunt ergo, et jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.

1. Positis duabus apparitionibus Christi ad discipulos, hic ponit Evangelista tertiam apparitionem. Et si ordinem et finem harum apparitionum consideremus, patet quod in prima ostendit suæ divinitatis auctoritatem, Spiritum sanctum [1] insufflando; in secunda personæ identitatem, cicatrices ostendendo; in [2] hac tertia naturæ resurgentis veritatem, cum eis comedendo. Dividitur autem hæc pars in duas. In prima ostendit quid communiter discipulis pluribus Dominus exhibuit; in secunda quid specialiter duobus prædilectis, ibi, *Cum ergo prandissent*, etc. Circa primum primo ponitur apparitionis titulus; secundo apparitionis modus, ibi, *Manifestavit autem sic* ; tertio apparitionis epilogus, ibi, *Hoc jam tertio manifestatus est Jesus.* In titulo autem tria designantur; scilicet tempus, modus et locus. Tempus quidem, quia *postea*, idest post prædicta : quod signanter dicit, quia ut dictum est, non continue erat cum eis, sed per vices eis apparebat. Cujus ratio est, quia non surrexerat ad eamdem vitam, sed ad gloriosam, in qua sunt Angeli, et erunt beati. Dan. II, 11 : *Exceptis diis*, idest Angelis *quorum conversatio non est cum hominibus*.

Sed cum supra fecerit quasi [3] quamdam conclusionem, dicens, *Hæc autem scripta sunt*, quare addit hic hanc narrationem? Ad [4] hoc Augustinus assignat rationem mysticam. Per hanc enim apparitionem significatur gloria futuræ vitæ, quando nobis apparebit sicut est. Et ideo post finem hanc posuit, ut faceret evidentiorem locum quo illam daret intelligi.

Modus [5] vero quia *manifestavit se iterum Jesus ad mare Tiberiadis.* In natura enim corporis gloriosi est, et virtute [6], ut possit videri et non videri, sicut vult, a corpore non glorioso ; et ideo dicit, *Manifestavit* : idest, se visibilem præbuit. In hoc [7] etiam modo dicitur apparere, quod idem est quod manifestari. Actor. I, 3 : *Per dies quadraginta apparens eis*. Nam, ut Ambrosius dicit, id apparet in cujus potestate est videri et non videri. Locus autem [8] *ad mare Tiberiadis*, quod est mare Galilææ [9] ; sic nominatum a provincia Galileæ; sed Tiberiadis dicitur a Tiberiade civitate ædificata in honorem Tiberii Cæsaris. Ponit autem hoc Evangelista primo quidem ut ostendat completam esse promissionem factam discipulis, Matth. XXVIII, 7 : *Præcedet vos in Galilæam.* Secundo ut ostendat quoniam Dominus plurimum timorem de cordibus discipulorum abstulerat, ut de reliquo jam non in domo manerent inclusi ; sed longe procedunt usque in Galilæam.

2. Consequenter cum dicit, *Manifestavit autem sic*, ponitur ipsa apparitio : et primo ponuntur personæ quibus facta est; secundo ipsarum personarum officium, ibi, *Dixit ei Simon Petrus* etc. : tertio apparitionis modus, ibi, *Mane autem facto stetit Jesus in littore*. Personæ autem quibus se manifestavit, sunt septem : unde [10] : *Erant autem simul Simon Petrus*, qui negaverat, *et Thomas qui dicitur Didymus*, qui in prima apparitione non fuerat, *et Nathanael, qui erat a Cana Galilææ*, qui, ut creditur, frater Philippi

[1] Parm. addit : « ibi. » — [2] Parm. omittitur : « hac. » — [3] Parm. omittit : « quasi. » — [4] Parm. : « hæc. » — [5] Parm. : « modum vero ponit. » — [6] Al. : « et virtutis. » — [7] Al. : « id quod. » — [8] Parm. : « locus est. » — [9] Parm. omittit : « sic nominatum a Provincia Galilææ, » in alio cod. : « sic denominatur. » — [10] Parm. addit : « dicit. »

erat, de quo supra II, *et filii Zebedæi*, scilicet Jacobus et Joannes, *et alii ex discipulis ejus duo*, qui non expresse nominantur. Per hunc autem numerum mystice significatur futuræ gloriæ apparitio, quæ erit post septimam ætatem, scilicet in octava, quæ est resurgentium. Isa. ult. 23 : *Erit mensis ex mense et sabbatum ex sabbato*; *et veniet omnis caro ut adoret coram facie mea.*

3. Officium autem quo occupati erant, est piscationis : unde dicit : *Dicit eis Simon Petrus*, *Vado piscari.* Et primo ponitur Petri invitatio ad hoc officium; secundo aliorum assensus; tertio officii executio. Invitat quidem ad officium, dicens, *Vado piscari :* per quod quidem mystice significatur prædicationis officium. Matth. IV, 19 : *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Sic ergo [1] dicit Petrus aliis[2]: *Vado piscari* [3] *:* quia alios assumit in partem suæ solicitudinis et prædicationis. Exod. XVIII, 22[4]: *Ut tibi facilius sit*, etc.

Sed contra. Luc. IX, 62 : *Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro*, *aptus est regno Dei.* Constat autem quod Petrus dimiserat piscationem : quomodo ergo rediit et respexit retro? Responsio, secundum Augustinum. Si rediisset ad officium piscationis ante resurrectionem Christi et vulnerum inspectionem, putaremus eum ex desperatione hoc fecisse. Nunc vero post eum sibi de sepulcro redditum vivum, post inspecta vulnerum loca et acceptum ejus insufflatione Spiritum sanctum [5], sunt sicut fuerant piscium piscatores. Per quod datur intelligi quod prædicator potest ex arte sua licita victum necessarium quærere, sui apostolatus integritate servata, si aliunde non habeat. Si enim beatus Paulus, ut alios non gravaret, artem quam non noverat, didicit, ut sibi necessarium acquireret victum; quanto magis Petrus de arte sua licita potuit hoc facere?

Sed dicit, quod hoc est faciendum si [6] non habent [7] aliunde. Sed constat quod semper habent quia Dominus promisit eis [8] : Matth. VI, 23 : *Quærite primum regnum Dei et hæc omnia adjicientur vobis*, scilicet necessaria. Ad quod dicendum est, quod verum est quod adjiciuntur, sed nobis cooperantibus : et ideo Dominus Petro cooperante hoc implevit. Nam quis alius pisces qui caperentur apposuit nisi ipse Dominus?

Sed notandum, secundum Gregorium, quod duplex est officium. Unum quod occupat mentem et impedit spiritualia opera[9], et ad tale officium non est redeundum, nec eo procurandum victum; sicut est vectigal et hujusmodi. Unde Matthæum non legimus rediisse ad telonium. Est autem et aliud quod sine peccato et mentis occupatione exerceri potest, sicut est officium piscationis et hujusmodi; et ideo hoc negotium post conversionem repetere, culpa non fuit.

Assensus autem aliorum ponitur cum dicit : *Venimus et nos tecum :* in quo datur exemplum prædicatoribus et prælatis cooperandi summo Pontifici ad conversionem [10] hominum. Prov. XVIII, 19 : *Frater qui juvatur a fratre*, *quasi civitas firma.* Eccli. L, 13 : *Circa illum corona fratrum quasi plantatio cedri in monte Libano.* Executio vero officii ponitur cum dicit : *Exierunt et ascenderunt in navim*, *et illa nocte nihil prendiderunt.* Et tangit tria quæ debent facere prædicatores. Primo quidem exire a peccatorum conversatione : II Corinth. VI, 17 : *Exite de medio eorum* scilicet Chaldæorum *et separamini*, *dicit Dominus*, *et immundum ne tetigeritis*; *et ego recipiam vos.* A carnalium affectione. Gen. XII, 1 : *Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tuis.* Et a quietis contemplatione ad laborem [11]. Cant VII, 11: *Egrediamur in agrum*, *commoremur in vineis* : *mane surgamus ad vineas* etc. Secundo debent ascendere in navim, idest proficere in caritate unitatis Ecclesiæ, quæ dicitur navis. I Petr. III, 20 : *In diebus Noe cum fabricaretur arca*, *in qua pauci*, *idest octo animæ salvæ factæ sunt per aquam.* Item in navi crucis, assumendo carnis mortificationem. Gal. ult. 14 : *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*, *per quem mihi mundus crucifixus est*, *et ego mundo.* Sap. XIV, 7 : *Benedictum lignum per quod fit justitia.* Tertio totalis de [12] Dei adjutorio fiducia : unde [13]*nocte*

[1] Parm. : « dixit. » — [2] Parm omittit : « aliis. » — [3] Parm. addit : « per quod mystice significatur quod. » — [4] Parm. : *Levius tibi sit partito in alios onere.* — [5] Parm. addit : « facti. — [6] Parm. : « quando. » — [7] Parm. : « habet, » et item infra. — Parm. addit : « et habuit. » — [8] Parm. omittit : « eis, » et addit : « dicens. » — [9] Parm. omittit : « opera. » — [10] Parm. : « cohortandi se mutuo ad conversionem. Prov. XVIII. » — Al. : « summopere ad conversionem peccatorum laborare. » — [11] Parm. omittit : « ad laborem. » — [12] Parm. : « de adjutorio Christi. » — [13] Parm. addit : « tota. »

illa nihil prendiderunt, quia quamdiu deest auxilium divinum et interior prædicator, frustra laborat lingua prædicantis [1]; sed tunc capiunt quando venit lux corda illuminans. Psal. XLII, 3 : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam.* Unde hoc modo nox dicitur carentia divini auxilii. Joan. IX, 4 : *Venit nox quando nemo potest operari.* Vel in *nocte* idest in veteri testamento, *nihil prendiderunt*, quia non potuerunt gentes ad fidem adducere. Rom. XIII, 12 : *Nox præcessit.* Secundum autem Lucam [2], de nocte piscabantur, quia adhuc timidi erant.

4. Modus autem apparitionis et ordo ponitur cum dicit : *Mane autem jam facto, stetit Jesum in littore* : et primo exhibet corporalem inspectionem; secundo suam [3] cognitionem, ibi, *Pueri, numquid pulmentarium habetis?* tertio familiarem comestionem, ibi, *Dixit eis Jesus* : *Afferte de piscibus quos prendidistis nunc.* Circa [4] primum primo ponit Christi præsentiam, secundo discipulorum ignorantiam. Dicit ergo : *Mane autem jam facto.* Mystice [5] per mane intelligitur gloria resurrectionis. Psal. XXIX, 6 : *Ad vesperum demorabitur fletus et ad matutinum lætitia.* Item status [6] vitæ æternæ. Psal. V, 5 : « Mane astabo tibi et videbo.

Sed cum ante passionem in simili miraculo non steterit in littore sed in navi; quare post passionem in littore stat? Cujus ratio est, quia mare commotionem præsentis sæculi significat, littus autem est terminus maris. Hier. XXII, 5 : *Posuit arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit.* Christus autem ante passionem in mare [7] stetit, quia corpus mortale habebat; sed quia post [8] resurrectionem suam [9] jam corruptionem carnis excesserat; ideo in littore stabat [10].

Vel [11] ignorantia discipulorum est, quia *non cognoverunt eum quia Jesus est.* Per quod datur intelligi, quod in mari hujus fluctuationis non possumus Christi secreta cognoscere. Isa. LXIV, 5 : *Oculus non vidit, Deus, absque te quæ præparasti expectantibus te.*

5. Consequenter cum dicit, *Dixit ergo eis Jesus* etc., inducit eos ad cognitionem suam. Et primo ponitur reductio ad sui cognitionem; secundo ordo, ibi, *Dixit ergo discipulus ille quem diligebat Jesus* etc. Circa primum tria facit. Primo ponitur Domini inquisitio de pulmento, dicentis : *Pueri, numquid pulmentarium habetis?* Credebant enim discipuli quod non esset Christus, sed aliquis piscium emptor; et ideo loquitur eis ut emptor. Mystice autem a nobis pulmentum petit unde reficiatur, quod est obedientia mandatorum Dei. Supra IV, 34 : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus. Responderunt ei*, scilicet discipuli, *Non*, scilicet a nobis ipsis. Rom. VII, 18 : *Nam velle adjacet mihi : perficere autem bonum non invenio.* Secundo mandatum : *Mittite in dexteram navigii rete.*

Sed Luc. V, simile habetur [12] ante passionem factum : non tamen præcipit [13] eis ut mitterent ad dexteram, sicut hic. Cujus ratio est, quia per hanc significatur piscatio, per quam prædestinati trahuntur ad vitam æternam, ad quam non introducuntur nisi filii dexteræ. Prov. IV, 27 : *Vias quæ a dextris sunt novit Dominus; perversæ autem sunt quæ a sinistris sunt.* Psal. CXVII, 16 : *Dextera Domini fecit virtutem.* In alia autem piscatione significatur vocatio ad præsentem Ecclesiam; et ideo indifferenter ex omni parte mittitur rete, quia capiuntur et trahuntur ad ipsum de singulis. Luc. XIV, 21 : *Exi cito in plateas et vicos.*

Consequenter ponitur obedientia discipulorum, quia [14] *Miserunt ergo rete;* et effectus obedientiæ, quia *jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium*, idest salvandorum. Gen. XXII, 18 : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes, quia obedisti voci meæ.* Apoc. IX, 7 : *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Differt autem hæc piscatio ab illa de Luca, quia in illa rumpitur rete : sic Ecclesia scissuras patitur per dissensiones et hæreses. In ista autem non rumpitur rete, quia in futura vita nulla erit scissura. Item in illa pisces trahuntur ad navim. In ista autem ad littus : quia sancti qui sunt in illa gloria, occulti sunt nobis. Psal. XXX, 21 : *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum.*

[1] Parm. : « prædicatoris. » — [2] Parm. : « Augustinum. » — [3] Parm. : « sui. » — [4] Parm. omittit : « circa primum, etc. » — [5] Parm. addit : « autem. » — [6] Parm. : « fletus. » — [7] Parm. : « mari. » — [8] Parm. omittit : « post. » — [9] Parm. omittit : « suam. » — [10] Parm. : « stetit. » — [11] Parm. : « et. » — [12] Parm. omittit : « ante passionem. » — [13] Parm. : « præcepit. » [14] Parm. : « cum dicit. »

LECTIO II.

1. Dixit ergo discipulus ille quem diligebat Jesus, Petro : Dominus est. Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) et misit se in mare. Alii autem discipuli navigio venerunt (non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium. 2. Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas et piscem suppositum et panem. 3. Dixit eis Jesus : Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete. 4. Dixit eis Jesus : Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum, Tu quis es ? scientes quia Dominus est. 5. Et venit Jesus, et accepit panem et dabat eis, et piscem similiter. 6. Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis, cum surrexisset a mortuis.

1. Posita inductione ad cognoscendum Christum, quæ fuit multitudo piscium captorum, eis a Christo præstita, hic consequenter ponitur ordo recognitionis : et primo ponit quomodo in ea se habuit Joannes; secundo quomodo se habuit Petrus; tertio vero [1] quomodo se habuerunt alii discipuli. Joannes autem ut perspicax in cognoscendo, quia [2] statim Christum cognovit; et ideo dixit Petro quem præ ceteris diligebat, et etiam quia prior erat inter alios, *Dominus est*, motus ad hoc exemplo [3] piscium. Psal. LXXX, 10 : « Tu dominaris potestati maris. » Et alibi CXXXIV, 6 : *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis.* Dixit autem, *Dominus est*, tantum [4], quia isto nomine soliti erant vocare eum. Supra XIII, 13 : *Vos vocatis me Magister et Domine.* Petrus vero ponitur fervens ad consequendum : cujus fervor apparet primo quantum ad promptitudinem; quia [5] *Simon Petrus, cum audisset quia Dominus est; succinxit se, erat enim nudus et misit se in mare. Alii autem discipuli navigio venerunt.* Simon Petrus cum audisset, non distulit, sed statim præparat se ad eundum. Eccli. VIII, 5 : *Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem.* Secundo quantum ad reverentiam ejus ad Christum; quia noluit nudus præ pudore accedere, sed *tunica succinxit se, erat enim nudus*, et propter caliditatem terræ, et propter expeditionem operis. Et per hoc datur intelligi quod venientes ad Christum debent exuere veterem hominem, et induere novum qui secundum Deum creatus est in fide Apoc. III, 5 : *Qui vicerit, vestietur sic vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ.* Tertio quantum ad ejus securitatem : quia ex nimia dilectione noluit cum navi ire, qua [6] retardabatur ; sed *misit se in mare*, ut citius perveniret ad Christum.

Mystice autem per mare quidem [7] signatur tribulatio præsentis sæculi. Unde illi qui desiderant pervenire ad Christum, in mare se mittunt, quia [8] non refugiunt tribulationes hujus mundi. Actor. XIV, 21 : *Per multas tribulationes oportet intrare nos in regnum Dei.* Eccl. II, 1 : *Fili accedens ad servitutem Dei sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem.* Et [9]. tamen illæsus pervenit ad Christum : quia inter tribulationes securus et illæsus Christi servus evadit. Sap. XIV, 3 : *Dedisti in mari viam, et inter fluctus semitam firmissimam.* Et ut Chrysostomus dicit, ponitur hic optime conditio Joannis et Petri : quia Joannes altior intellectu, Petrus ferventior affectu. Alii vero [10] discipuli aliter se habuerunt. Unde primo ponit quid fecerunt; quia *navigio venerunt*, sicut [11] minus ferventes Per hoc [12]. navigium significatur Ecclesia, Sap. XIV, 6 : *Spes orbis terrarum ad ratem confugiens remisit sæculo semen nativitatis.* Et per hanc signatur Ecclesia, ut habetur I Pet. III. *Alii vero navigio venerunt*, idest protecti societate Ecclesiæ, quæ est terribilis ut castrorum acies ordinata. Psal. XXX, 21 : *Proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum.* Secundo assignat rationem prædictorum, et quia [13]: *Non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis, trahentes rete piscium.* Quod potest esse ratio quare Petrus se misit in mare, scilicet quia prope terram erat, vel quare isti cito pervenerunt. Et quidem non longe erant, quia Ecclesia non longe est a terra viventium : est enim *domus Dei et porta cœli* : Gen.

[1] Parm. omittit : « vero. » — [3] Parm. omittit : « quia. » — [5] Parm. : « ex captura. » — [4] Parm. omittit : « tantum. » — [5] Parm. : « unde dicit. » — [6] Parm. : « quia. » — [7] Parm. omittit : « quidem. » — [8] Parm. omittit : « quia. » — [9] Parm. addit : « Petrus autem misit se in mare. » — [10] Parm. : « alii autem discipuli navigaverunt. » — [11] Parm. : « quia minus ferventes Petro. » — [12] Parm. : « navigium significat Ecclesiam. » — [13] Parm. : « cum dicit. »

xxviii, 17 : et terram illam sancti quotidie contemplantur. II Corinth. iv, 18 : *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.* Philip. iii, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Et dicit : *Cubitis ducentis* : quod idem significant duæ naves, Luc. v, scilicet duos populos : de quibus electi trahuntur ad vitam æternam. Ephes. ii, 15 : *Ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, et reconcilians ambos in uno corpore Deo.* Rete autem quo pisces trahuntur est doctrina fidei, qua quidem Deus trahit inspirando interius; supra vi, 44 : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* : et Apostoli exhortando, ut hic.

2. *Ut*[1] *ergo descenderunt.* Hic ponitur[2] quomodo Christus suis discipulis exhibuit familiare convivium : et primo ponitur[3] convivii præparatio ; secundo Christi ad convivium invitatio ; ibi, *Dixit eis Jesus* ; *Venite, et prandete* ; tertio ipsa convivii refectio, ibi, *Venit Jesus, et accepit panem* etc. Præparatio autem[4] convivii describitur primo quantum ad ea quæ a Christo præparata sunt ; secundo quantum ad ea quæ a discipulis sunt allata, ibi, *Dixit eis Jesus* : *Afferte de piscibus quos prendidistis nunc.* A Christo autem sunt præparata tria[5] scilicet prunas, piscem, et panem : unde dicit : *Ut ergo descenderunt de navi in terram viderunt prunas*, quas Christus sua potestate creaverat ex nihilo, vel ex aliqua præjacente materia formaverat.

Sed supra vi, pavit turbam de panibus multiplicatis ; hic autem post passionem suam miraculose de novo creat vel format : quia jam non est tempus infirmitatis ostendendæ, sed potestatis manifestandæ. Nam id quod supra fecit[6] fuit condescensionis, quia[7] si voluisset, potuisset de novo panes[8] creare vel formare.

Per hoc autem datur intelligi, quod in convivio spirituali præparatur a Christo aliquid. Et si quidem convivium hoc sumatur allegorice pro convivio Ecclesiæ, sic Christus[9] tria præparat : scilicet prunas caritatis : Prov. xxv, 21 : *Hæc autem faciens, carbones ignis congeres super caput ejus.* Ezech. x, 2 : *Imple manum tuam prunis ignis.* Has prunas Christus de cœlo portavit ad terras. Supra xiii, 34 : *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Item Luc. xii, 49 : *Ignem veni mittere in terram.* Item præparat piscem[10], superpositum prunis, qui est Christus : nam piscis[11] assus, est Christus passus, qui super prunas ponitur, quando ex incendio caritatis ad nos immolatur in cruce. Ephes. v, 2 : *Obtulit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Item ibidem i : *Estote imitatores Dei sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos.* Item præparat panes quibus reficimur[12] qui est ipse. Nam inquantum Christus latet per suam divinitatem, dicitur piscis, cujus proprietas est latere sub aquis : Isa. xlv, 15 : *Vere tu es Deus absconditus* : sed inquantum nos reficit per doctrinam et etiam dando[13] nobis corpus suum in cibum, vere panis est. Supra vi, 6 : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi.* Isa. xxx, 23 : *Panis frugum terræ tuæ erit uberrimus et pinguis.* Sed ad hoc convivium debet afferri aliquid ex parte ministrorum Ecclesiæ : sed tamen nihil[14] est nisi præexistat nobis a Deo.

3. Quid autem afferatur, subdit : *Dixit eis Jesus* : *Afferte de piscibus quos prendidistis nunc.* Et primo ponitur mandatum Domini ; secundo executio discipuli. Præcipit autem ut afferant de piscibus ab eis captis : quasi diceret : Ego dedi donum caritatis, assavi corpus in cruce, et proposui vobis panem doctrinæ, ex quo perficitur et roboratur Ecclesia : vestrum est ut vos aliquos[15] capiatis ; et isti sunt qui convertuntur ad prædicationem Apostolorum. Psal. xxviii, 1 : *Afferte Domino, filii Dei, afferte domino filios arietum.* Isa. ult., 20 : *Adducetis omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino.*

Si autem hoc convivium sumatur pro convivio morali : sic Christus ad convivium animæ præparat[16] prunas caritatis. Rom. v, 5 : *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Luc. xii, 49 : *Ignem veni mittere in terram.* Item piscem, idest fidem absconditam, cum sit de non apparentibus, Heb. xi. Item panem, idest

[1] Parm. omittit : « ut ergo descenderunt. » — [2] Parm. : « ponitur. » — [3] Parm. omittit : « ponitur. » — [4] Parm. omittit : « autem. » — [5] Parm. : « tria. Primo piscis et panis. » — [6] Parm. addit : « ante passionem. » — [7] Parm. : « quæ. » — [8] Parm. omittit : « panes. » — [9] Parm. addit : « ista. » — [10] Parm. : « suppositis. » — [11] Parm. : « piscis passus. » — [12] Parm. : « reficitur. » — [13] Parm. : « dat. » — [14] Parm. omittit : « est. » — [15] Parm. : « alios. » — [16] Parm. addit : « primum. »

solidam doctrinam. Heb. xiv, 5 : *Perfectorum autem est solidus cibus.* Ad quod convivium ex parte nostra requiritur ut bene utamur gratia nobis concessa. I Corinth. x, 14 : *Gratia Dei sum id quod sum*; *et gratia ejus in me vacua non fuit.* Unde præcipit dicens [1] : *Afferte de piscibus*; idest, portetis vestra bona opera, vobis data. Matth. v, 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, *ut videant opera vestra bona.* Et ideo consequenter ponitur executio discipuli, scilicet Petri, qui ferventior erat : quia [2] : *Ascendit autem Simon Petrus*, *et traxit rete in terram*, *plenum magnis piscibus*, *centum quinquaginta tribus.* Ascendit in gubernaculum [3] Ecclesiæ. Cant. vii, 8 : *Ascendam [4] in palmam*, etc., in statum perfectionis. Psal. lxxxiii, 7 ; *Ascensiones in corde suo disposuit. Et traxit rete in terram*, vel ascendit:ipsi quippe [5] sancta Ecclesia est commissa : et ipsi specialiter dicitur : *Pasce oves meas* : infra eodem. Quod ergo tunc Christus aperit in voce dicens, *Pasce oves meas*, hoc ipse nunc præfigurat in opere : nam ipse pisces ad soliditatem littoris protrahit, quia stabilitatem æternæ patriæ fidelibus ostendit. Sed dicit, *Rete plenum magnis piscibus* : quia *quos prædestinavit*, *hos est vocavit*, *et quos vocavit hos et magnificavit* : Rom. viii, 30. Et Eccli. xliv, 4 : *Homines magni virtute*, *et prudentia sua præditi*, *annuntiantes in Prophetis dignitatem*, *et imperantes in præsenti populo*, *et virtute prudentiæ populis sanctissima verba.* In alia autem piscatione non additur numerus sicut hic : fuerunt enim centum quinquaginta tres. Quia in vocatione ad præsentem Ecclesiam trahuntur boni et mali, ut dicitur Eccle. i, 15 : *Stultorum infinitus est numerus.* Unde Genes. xxii, 17, dicitur Abrahæ de illa vocatione : *Erit semen tuum sicut arena quæ est in littore maris*, quæ ponitur in malam partem. Sed de ista dicitur Gen. xv, 5 : *Inspice stellas*, *et numera eas*, *si potes.* Hi enim numerantur a Deo quasi habiti in pretio. Psal. cxlvi, 4 : *Qui numerat multitudinem stellarum.*

Sed numquid non plures salvabuntur quam centum quinquaginta tres? Immo plures ; sed hic numerus aliquid mystice signat. Nullus enim potest ad patriam per venire nisi per observantiam Decalogi ; nec hoc observari potest nisi per septiformem gratiam Spiritus sancti : de quo Isa. xi, 2 : *Requiescet super eum Spiritus Domini*; *Spiritus sapientiæ et intellectus*, *Spiritus consilii et fortitudinis. Spiritus scientiæ et pietatis; et replebit eum Spiritus timoris Domini.* Sanctificatio autem primo legitur facta in septimo die. Genes. ii, 5 : *Benedicent diei septimo*, *sanctificavit illum.* Decem autem et septem faciunt septemdecim. Si ergo numeretur ordine progressionis ab uno [6] usque ad decem et septem fient centum quinquaginta tres [7]. Vel aliter. Hi discipuli quibus Christus apparuit erant septem. Multiplicando autem septem per septem quæ sunt dona Spiritus sancti, fiunt quadraginta novem : quibus si addas unum ad significandum unitatis perfectionem in qua esse debent filii Dei qui spiritu Dei aguntur, fiunt quinquaginta : quibus triplicatis, et iterum additis tribus ad significandum fidem Trinitatis, quæ in confessione cordis et oris et operis [8] consistit, fiunt centum quinquaginta tres.

[1] Parm. omittit : « dicens. » — [2] Parm. : « unde dicit. » — [3] In alio cod. : « gubernationem. » — [4] Parm. : « cant. vii, 8 : Ascendam in statum. » — [5] Parm. omittit : « quippe. »

[6] Parm. non habet : « ab uno, etc., » sed loco illorum verborum : « ut primo accipias unum et duo quæ faciunt tria, et tria quæ faciunt sex, et quatuor quæ faciunt decem et quinque quæ faciunt quindecim, et sic deinceps addendo numerum qui sequitur usque ad decem et septem, numero conjuncto, habebis centum quinquaginta tres. » — [7] Et sic habes de facto centum quinquaginta tres, ut patet :

1		7 = 28		13 = 91	16 = 136
2 = 3		8 = 36		14 = 105	17 = 153
3 = 6		9 = 45		15 = 120	
4 = 10		10 = 55			
5 = 15		11 = 66			
6 = 21		12 = 78			

— Codex autem Mazarin. 179 hæc habet infra paginam : « Nota : ordo progressionis est ut primo accipias unum et duo, et sic sunt tria, et post duo et tria, et sic sunt quinque, et post tria et quinque, et sic sunt octo, et post quatuor et octo, et sic sunt duodecim, et sic deinceps. » Hæc scripta sunt eadem manu ac eodem atramento ac ipse codex. In codice autem Mazarin. 177, qui posterior esse videtur, licet antiquissimus, eadem verba inseruntur in textu : — Unde concludi recte potest nullum horum codicum esse primum a fratre Raynaldo conscriptum.

[8] Codices Mazarin. habent : « in confessione oris et cordis firmitate. »

Quia qui sunt perfecti septem donis Spiritus sancti, et uniti in fide Trinitatis, perveniunt ad patriam [1].

Sed dicit, *Et cum tanti essent* [2] et numero, et magnitudine, *non est scissum rete*; in alia autem dicitur quod rumpebatur : quia in præsenti Ecclesia, quæ per illam significatur, sunt multæ scissuræ schismatum, hæresum, seditionum; licet [3] totaliter non rumpatur : quia *ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* : Matth. ult. Sed in futura patria quæ significatur per istam, idest in illa pace sanctorum, nulla erunt schismata. Psal. XLVII, 14 : *Qui posuit fines* [4] *tuos*, scilicet Jerusalem cœlestis, pacem,

4. Consequenter cum dicit, *Dixit eis Jesus : Venite, prandete*, ponitur invitatio ad convivum præparatum : et primo ponitur Christi invitatio : secundo discipulorum in convivio dispositio, ibi, *Et nemo audebat discumbentium interrogare eum*. Invitat autem ad convivium Christus interius inspirando per seipsum, dicens : *Venite prandete* : Matth. XI, 28 : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis*; *et ego reficiam vos*. Cant. V, 1 : *Comedite amici, bibite et inebriamini carissimi* : et exterius docendo et exhortando per alios : Luc. XIV, 16 : *Homo quidam fecit cœnam magnam... et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent*. Dispositio discipulorum ponitur cum dixit : *Et nemo audebat discumbentium interrogare eum* : quod, secundum Augustinum, designat discipulorum de resurrectione Christi certitudinem : quia scilicet ita certi erant quod Christus esset, quod nullus discumbentium ausus est dubitare an ipse esset. Et quia interrogatio est signum dubitationis, nullus audebat eum interrogare, *Tu quis es*? Supra XVI, 23 : *In illo die me non interrogabitis quicquam*. Secundum Chrysostomum, significat majorem solito reverentiam discipulorum ad Christum. Nam [5] libenter interrogassent eum; sed Christus apparebat [6] eis in quodam magnifico aspectu, et mirabili gloria, ita ut non auderent eum interrogare præ stupore et reverentia. Et hoc specialiter detinebot eos ab interrogando, quia sciebant *quoniam Dominus est*.

5. Consequenter cum dicit, *Et venit Jesus, et accepit panem, et dabat eis*, ponitur ipsa refectio, quam habuerunt [7] discipuli ipso manducante [8]. Psal. CXLIV, 16 : *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione*. Ipse est enim qui dat *escam illorum in tempore opportuno*.

Sed numquid Christus comedit cum eis? Dicendum quod sic, licet hic non exprimatur. Luc. ult., expresse dicitur quod comedit cum eis. Et Act. I, 4, dicitur : *Et convescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent*.

Sed numquid fuit vera comestio? [9] Dicendum ad hoc, quod aliquis actus dicitur esse verus dupliciter; scilicet veritate significationis, et veritate speciei. Veritate quidem significationis verus est actus qui configuratur rei significatæ : sicut si volo aliquid significare per orationem [10], et illud quod significo est verum, et concordat rei significatæ, sic oratio est vera veritate significationis, licet non speciei : sicut hoc [11] quod dixit Christus supra XV, 1 : *Ego sum vitis vera*, verum est; licet non sit vitis vera secundum speciem vitis, sed tantum [12] secundum quod vitis significat. Secundum veritatem speciei dicitur aliquid verum quod habet quæ pertinent ad speciei veritatem. Hujusmodi autem sunt principia speciei, non autem effectus consequentes : sicut locutio hæc: Homo est animal, primo modo vera est, quia verum significat; sed veritate speciei non est vera, nisi formetur ab ore animalis loquentis organis debitis. Nec requiritur ad ejus veritatem effectus locutionis [13]; puta quod audiatur, et hujusmodi. Sic ergo dicendum est de comestione, quod aliqua est de veritate significationis tantum, sicut comestio Angelorum, quia in Angelis non sunt membra ordinata ad comestionem; sed verum est illud quod ipsi per hoc significabant, scilicet desiderium quod habebant de salute hominum. Comestio autem Christi post resurrectionem vera fuit et veritate significationis, quia ad hoc fiebat ut ostenderet se habere naturam humanam, quam in veritate habebat, et veritate speciei, qui habebat instrumenta propria [14] et delata ad comestionem. Sed tamen ef-

[1] Parm. : « ad Patrem. » — [2] Parm. omittit : « et numero et magnitudine. » — [3] Parm. : « sed totaliter non rumpitur. » — [4] Parm. omittit : « scilicet Jerusalem cœlestis. » — [5] Parm. omittit : « nam. » — [6] Parm. : « apparuit. » — [7] Parm. omittit : « discipuli. » — [8] Parm. : « manducante. » — [9] Parm. addit : « responsio. » — [10] Al. : « per rationem. » — [11] Al. : « sic omnino est vera veritate significationis speciei; si hoc, etc. » — [12] Al. omittitur : « sed tantum. » — [13] Al. « ad ejus effectus locutionis. » — [14] Parm. omittit : « et delata. »

fectus consequentes comestionem non erant ibi : quia cibus non fuit conversus in comedentem, cum haberet corpus glorificatum et incorruptibile ; sed resolutus fuit virtute divina in præjacentem materiam. Hujusmodi autem effectus nihil faciunt ad veritatem speciei, ut dictum est.

6. Consequenter cum dicit, *Hoc jam tertio manifestatus est Jesus dicispulis suis*, epilogat apparitiones. Et secundum Augustinum, si hoc quod dicitur : *Jam tertio*, referatur ad vices, non est verum : quia ut dictum est, primo die apparuit quinque vicibus [1] ; item ante ascensionem similiter quinque vicibus, primo quidem octavo die quando Thomas erat cum eis : supra xx : secundo juxta mare, ut hic ; tertio in monte Galilææ, ut habetur Matth. ult. ; quarto recumbentibus : Marc. ult. ; quinto ipso die ascensionis, quando videntibus illis elevatus est : Act. I. Quamquam pluribus aliis vicibus apparuerit [2] eis per dies quadraginta, [3] non est scriptum. Est ergo, *Hoc jam tertio*, referendum ad dies quibus apparuit : quia prima die apparuit ipso die resurrectionis ; secunda die in octava ipsius resurrectionis, supra xx : *Et post dies octo* ; et tertia die apparuit hic. Vel dicendum, quod etiam referendo ad vices salvatur veritas dicti ; quia non legitur quod multis discipulis simul congregatis apparuit, nisi primo de sero, cum fores essent clausæ etc. ; et secundo post octo dies, quando erant discipuli congregati ; et tertio hic : unde signanter dicit : *Manifestatus est Jesus discipulis suis.*

LECTIO III.

1. Cum ergo prandissent, dixit Simoni Petro Jesus : Simon Joannis, diligis me plus his ? 2. Dixit ei : Etiam Domine, tu scis quia amo te. 3. Dixit ei : Pasce agnos meos. 4. Dixit ei iterum : Simon Joannis, diligis me? Ait illi : Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dixit ei iterum : Pasce agnos meos. Dixit ei tertio : Simon Joannis, amas me ? Contristatus est Petrus quia dixit ei tertio, Amas me ? et dixit ei : Domine, tu omnia nosti, tu scis quia amo te. Dixit ei : Pasce oves meas.

1. Supra posuit Evangelista quid Dominus discipulis communiter exhibuit; hic ostendit quid specialiter duobus prædilectis : et primo ponit quid exhibuit Petro ; secundo quid exhibuit Joanni, ibi, *Conversus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Jesus*. Circa primum duo facit. Primo injungit sibi pastorale officium ; secundo prænuntiat sibi passionis martyrium: ibi, *Amen amen dico tibi* etc. Pastorale autem officium injungit, examinatione præmissa : et ideo qui ad hoc officium assumuntur, prius [4] examinantur. I Tim. v, 22 : *Manus nemini cito imposueris.* Sed ter examinat eum : et ideo secundum hoc, pars ista dividitur in tres partes secundum tres examinationes. Partes patent. In prima autem primo ponitur quæstio Domini ; secundo responsio Petri, ibi, *Dixit ei : Etiam Domine, tu scis quia amo te*, tertio injunctio officii, ibi, *Dixit ei : Pasce oves meas*. Circa primum tria consideranda occurrunt. Primo ordo examinationis ; secundo modus allocutionis ; tertio de quo est examinatio. Ordo quidem, quia *cum prandissent* : in quo signatur spirituale convivium, in quo etiam simul cum [5] anima per spiritualia dona reficitur. Apoc. III, 20 : *Intrabo ad eum, et cœnabo cum illo.* Et ideo conveniens est ut qui ad hoc assumuntur officium, primo sint isto felici convivio refectis : alias enim ipsi famelici quomodo alios pascere [6] possent ? Hierem. XXXI, 14 : *Inebriabo animas sacerdotum pinguedine* : illa inquam, de qua in Psal. LXII, 6, dicitur : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea.* Modus autem allocutionis ponitur cum dixit : *Dixit Simoni Petro* : ubi tria ponuntur quæ necessaria sunt prælato. Obedientia, cum dixit, *Simon*, qui interpretatur obediens, quæ est prælatis necessaria : nam qui nescit superioribus obedire, inferioribus nescit imperare. Prov. XXI, 28 : *Vir obediens loquetur victorias* etc. Item scientia, cum dixit, *Petro*, qui interpretatur agnoscens : quod necessarium est prælato, quia ponitur ut speculator ; qui autem cæcus est, malus speculator est. Isa. LVI, 10 : *Speculatores ejus omnes cæci.* Oseæ IV, 6 : *Quia tu scientiam repulisti, repellam te ego, ne sacerdotio fungaris mihi.* Item gratia, cum dicit, *Joannis*, idest filius Joannis : et hæc est necessaria prælatis, quia sine ea nihil

[1] Parm. omittit : «item ante Ascensionem similiter quinque vicibus : primo, » et habet : « postea quidem, etc.» — [2] Parm. : «apparuit.» — [3] Parm. : « licet non sit scriptum. »

[4] Parm. : « primo. » — [5] Parm. : « simul cum corpore anima. » — [6] Parm. : « reficere. »

sunt [1] I Corinth. xv, 10 : *Gratia Dei sum id quod sum.* Gal. II, 9 : *Cum cognovissent gratiam Dei, quæ data est mihi, Petrus, Jacobus et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi, et Barnabæ societatis.* Examinatio autem est de dilectione : *Diligis me*, inquit *plus his* ? Et hoc quidem satis convenienter Petrus autem [2] prius in peccatum ceciderat, ut patet supra ; nec idoneus erat ut præferretur, nisi prius ejus culpa aboleretur : quod non fit nisi per caritatem. I Pet. IV, 8 : *Caritas operit multitudinem peccatorum.* Prov. x, 12 : *Universa delicta operit caritas.* Et ideo oportuit ut per examinationem manifestaretur ejus caritas, non sibi qui scrutatur renes et corda, sed aliis : et ideo non quasi ignorans dicit : *Diligis me plus his?* sed quia, ut dicitur I Joan. IV, 18, *perfecta caritas foras mittit timorem.* Inde est quod Petrus, qui cum Dominus moreretur, timuit et negavit [3], sed resurgens Dominus [4] amorem inseruit, et [5] fugavit timorem. Et [6] ideo qui tunc negavit timens mori, resurgente Domino nil timuit. Quid enim timeret, cum jam mortem mortuam reperiret ? Congruit etiam hæc examinatio officio. Multi enim pastorale officium assumentes, utuntur eo sicut seipsos amantes. II Tim. III, 1 : *Instabunt tempora periculosa, et erunt homines seipsos amantes.* Non [7] amat Dominum, per consequens, non est idoneus prælatus ; sed magis ille qui non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesus Christi, et hoc amore ejus. II Corinth. v, 14 : *Caritas Christi urget nos.* Congruit etiam officio quantum ad utilitatem proximorum : ex abundantia enim caritatis est quod aliqui diligentes Deum [8] interdum quietem propriæ contemplationis intermittant, ut procurent proximorum utilitatem. Cum enim Apostolus diceret, Rom. VIII, 39 : *Certus sum enim, quod neque mors poterit nos separare a caritate Dei*, subdit IX, 3 : *Optabam ego ipse anathema esse pro fratribus meis.* Et ideo necessaria est examinatio de dilectione ad prælatum. Addit autem, *Plus his*, quia ut etiam ex Philosopho habetur in *Politica* sua [9] quod mundi naturali regimine ille qui præsidet et gubernat, debet excellentior esse : unde dicit, quod sicut anima se habet ad corpus quod regit, et ratio ad inferiores, similiter etiam homo ad animalia bruta ; sic se debet habere prælatus ad subditos. Unde [10] secundum Gregorium, talis debet esse vita pastoris quod in comparatione ejus subditi sint sicut sunt animalia ad comparationem sui pastoris. Et ideo dicit, *Plus his*, quia quanto plus diligit, tanto major est. I Reg. x, 24 : *Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis ei in omni populo.*

Sed numquid necessarium est in electione semper eligere simpliciter meliorem ; etsi jura determinent quod sufficit bonum eligere ? Ad quod dicendum, quod duplici distinctione opus est. Nam aliquid sufficit secundum judicium humanum quod tamen non sufficit secundum judicium divinum. Secundum judicium humanum sufficit illud de quo homo non potest accusari, nec ejus electio improbatur. Constat autem difficile esse fieri electiones, si possent reprobari ex hoc quod alius melior est quam ille qui electus est. Unde sufficit secundum judicium humanum, ut habetur in *Decretali*, quod electio sit recta, et eligatur idoneus. Secundum vero judicium divinum et conscientiam, necessarium est eligere meliorem. Sed tamen aliquis dicitur melior simpliciter : et sic ille dicitur melior qui est sanctior ; sanctitas enim facit bonum ; sed non est melior quantum ad Ecclesiam. Et quo ad hoc aliquis est melior inquantum est litteratior [11] potentior et discretior, et magis concorditer eligitur. Sed si, ceteris paribus quæ sunt ad utilitatem Ecclesiæ et melioritatem quantum ad hoc, aliquis minus bonum simpliciter præligat alicui, peccat, quia de necessitate aliquid eum movet ad hoc. Aut ergo hoc pertinet ad honorem Dei et utilitatem Ecclesiæ, aut ad aliquid privatum. Si quidem utilitas Ecclesiæ et honor Dei movet eum ; hoc bonum intelligitur in conditione electi, et facit meliorem quantum ad hoc. Si vero aliquid privatum, puta affectio carnalis, spes beneficii et commodi temporalis, est fraudulenta electio, et acceptio personarum.

2. *Dixit ei : etiam Domine.* Hic ponitur responsio Petri : ex qua evidens signum correctionis de sua negatione apparet, et

[1] Parm. : « habent. » — [2] Parm. omittit : « autem. » — [3] Al. : « quod Petrus, qui cum Dominus moreretur timuit, et negavit. » — [4] Parm. : « quod Petro... resurgens Dominus, etc. » — [5] Parm. addit : « et. » — [6] Parm. omittit : « et. » — [7] Parm. : « et qui non amat Dominum, non est. » — [8] Parm. omittit : « Deum. » — [9] Parm. : « politica sua, naturali ordine ille. » — [10] Al. : « vel. » — [11] Al. : « liberatior. » — Parm. : « competentior. »

quod prædestinati semper corriguntur in melius, si quando labantur. Nam antequam negaret, Petrus superbivit contra ceteros Apostolos, dicens Matth. xxvi, 33 : *Etsi omnes scandalizati fuerint, ego nunquam in te scandalizabor.* Item contra Dominum : quia Domino dicente, *Ter me negabis*, ille subdit : *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Sed modo de propriis viribus victus, non audet confiteri suum amorem, nisi sub testimonio et protestatione Domini, humilians se Christo, et dicens : *Domine, tu scis quia amo te.* Job xvi, 20 : *Ecce in cœlo est testis meus, et conscius meus in excelsis.* Item humilians se Apostolis, non dicit, Plus his ; sed simpliciter, *Amo te.* In quo instruimur quia non debemus nos aliis præponere ; sed alios nobis. Philip. ii, 3: *Sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.*

Notandum etiam, secundum Augustinum, quod Domino quærente, *Diligis me*, non respondit Petrus, Diligo, sed *Amo te* ; quasi idem sit amor et dilectio. Quod est verum secundum nomen : amor enim est motus appetitus : et si quidem reguletur appetitus ratione ; sic est amor voluntatis, qui proprie est dilectio, quia sequitur electionem ; et inde est quod bruta proprie non dicuntur diligere : si vero motus non reguletur ratione, dicitur amor.

3. *Dixit ei* : *Pasce*, etc. Hic jam examinato Petro, injungit ei officium, dicens : *Pasce agnos meos*, idest fideles meos, a me agno agnos vocatos : supra i, 29 : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* : ut sic non possit dici Christianus qui dicit se non esse sub cura istius pastoris, scilicet Petri. Ezech. xxxvii, 24 : *Pastor unus erat omnium vestrum.* Oseæ i, 11 : *Ponent sibi caput unum.* Congrue autem hoc officium, omnibus intermissis, Petro commisit, qui, secundum Chrysostomum, eximius Apostolorum erat, et os discipulorum, et vertex collegii.

4. *Dixit ei iterum.* Hic ponitur secunda examinatio. Ut autem non reputentur pluries eadem verba, nota, quod ter dicit, *Pasce oves meas* : quia ter debet pascere. Scilicet doctrinæ verbo. Hier. iii, 15 : *Dabo vobis pastores secundum cor meum, qui pascent vos scientia et doctrina.* Item vitæ exemplo : I Tim. iv, 12 : *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate.* Hier. xxxiv : *In montibus Israel* idest in sublimitate magnorum viorum *erunt pascua vestra.* Item temporali subsidio : Ezech. xxxiv, 2 : *Væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur a pastoribus?*

Sed attende quod tertia vice dicit ei, *Pasce oves meas* [1], cum prius bis dixisset : *pasce agnos meos.* Cujus ratio est, quia in Ecclesia sunt tria genera hominum : scilicet incipientium, proficientium, et perfectorum. Et primi quidem duo sunt agni, quasi adhuc imperfecti ; alii autem sicut perfecti dicuntur oves. Psal. cxiii, 4 : *Montes* scilicet perfecti *exultaverunt ut arietes, et colles* idest alii *sicut agni ovium.* Et inde est quod omnes prælati debent custodire subditos ut oves Christi, et non proprias. Sed heu, quia, ut dicit Augustinus in *Sermone paschali*, « extiterunt quidam servi infideles, qui dimiserunt gregem Christi, et furtis suis peculia gregem sibi fecerunt, et audis eos dicere : Oves meæ sunt illæ. Quid quæris oves meas? Non te inveniam ad oves meas. Sed si nos dicamus meas, et illi dicunt suas ; perdidit Christus oves suas. »

Notandum etiam, quod sicut ter injungit, ita ter examinat. Primo quidem quia ter eum negaverat ; et « ideo exigitur trina confessio, ne minus amori lingua serviat quam timori, et plus vocis elicuisse [2] videatur mors imminens, quam vita præsens : » ut dicit Augustinus. Secundo, quia Petrus tenebatur Christum ex triplici causa diligere. Primo ex peccato dimisso : Luc. vii, 42 : *Cui plus dimittitur, plus diligit.* Secundo ex honore promisso, quia magnum ; scilicet *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* : Matth. xvi, 18. Tertio officio commisso, ut hic, cum commisit sibi curam Ecclesiæ ; vel cum dicit, *Pasce*, propter hoc quod Dominus præcepit, Deuter. vi, 5 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* ut scilicet totam intentionem tuam ad Deum dirigas, *ex tota anima* scilicet ut tua voluntas tota in Deum per amorem quiescat, *et ex tota fortitudine* [3] *tua*, ut tota executio operum tuorum Deo serviat.

Notandum etiam, quod Petrus tertio

[1] Parm. omittit : « cum prius bis dixisset : *Pasce agnos meos.* » — [2] Al. : « et plus votis licuisse. » — [3] Al. : « formidine. »

interrogatus, contristatus est. Quia cum ante passionem prompte assereret Christum diligere, reprehensus fuit a Domino, ut dictum est. Videns ergo quod toties de dilectione interrogatur, timet ne reprehendatur a Domino, et contristatur : et ideo dicit : *Tu omnia nosti : tu scis quia amo te*; quasi dicat : Ego diligo te, quantum mihi videtur ; sed tu omnia nosti, et forte scis an aliquid aliud debeat contingere. Et ideo Petro sic humiliato fit finalis commissio Ecclesiæ. Et secundum quemdam Doctorem Græcum, dicitur, quod ideo [1] ter interrogantur baptizandi in baptismo.

LECTIO IV.

1. Amen amen dico tibi, cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis. 2. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.

1. Supra commisit Dominus Petro pastorale officium ; hic prænuntiat sibi passionis martyrium ; et satis convenienter : nam ad bonum pastorem pertinet ut pro ovibus suis animam ponat : supra x. Petro autem non fuit datum ut pro Christo juvenis animam poneret ; sed ut senex pro ovibus suis [2] ; et hoc ei prænuntiat. In hac autem prænuntiatione Dominus primo commemorat conditionem vitæ præteritæ ; secundo prænuntiat perfectionem vitæ futuræ, ibi, *Cum autem senueris, extendes manus tuas* ; tertio Evangelista exponit verba Domini, ibi, *Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Conditio autem Petri præterita fuit cum defectu : quia in sua juventute nimis præsumptuosus fuit, et propriæ voluntatis : est hoc enim proprium juvenum, ut dicit Philosophus in sua *Rhetorica*. Unde Eccle. xi, 9, quasi objurgando dicitur : *Lætare juvenis in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum in diebus juventutis, et ambula in viis cordis tui.* Et ideo Dominus hoc designans [3] dicit : *Cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas.* Et dicit, *Cingebas te*, idest ab aliquibus illicitis et superfluis cohibebas te ; quasi tuo arbitrio non passus quod ab aliquo cohibereris ; et etiam inde est quod in processu bonorum operum semper vis esse pro me in periculis. Non tamen datum est tibi quod juvenis pro me patiaris ; sed *cum senueris*, implebo tuum desiderium, ut quæ non es passus juvenis, patiaris senex : quia *extendes manus tuas, et alius te cinget.* Mirabilis prænuntiatio. Totum tempus et passionem exponit. Nam post tempus quo ista verba [4] sunt dicta usque ad tempus mortis Petri fluxerunt fere triginta septem [5] anni : unde patet quod satis senex erat. Dicit autem, secundum Chrysostomum, *Cum autem senueris*, quia aliter [6] est in humanis, aliter in divinis : in humanis enim negotiis juvenes sunt utiles, senes vero inutiles ; sed in divinis virtus non tollitur propter senectutem ; immo aliquando magis roboratur. Psal. xci, 11 : *Senectus mea in misericordia uberi.* Deut. xxxiii, 25 : *Sicut dies juventutis tuæ, ita et senectus tua.* Sed hoc intelligendum est in his qui a [7] juventute sua in bono exercitantur [8], ut Tullius dicit. Sed qui in juventute sua dant se inertiæ, non multum vel nihil valent senes. Intelligitur etiam per hoc, ut dicit Origenes super illud Matth. xxv, 19 : *Post multum vero temporis reversus*, quod raro inveniuntur utiles rectores et doctores Ecclesiæ parvo tempore vivere : et inducit exemplum de Paulo, qui ut legitur Act. vii, 9, erat adolescens, et postea scribit ad Philemonem ix, *Cum es talis ut Paulus senex.* Et hujusmodi ratio est, quia cum pauci inveniantur ad hoc idonei, quando aliqui inveniuntur fideles [9], conservantur [10] a Domino ut diutius vivant. Item exponit passionis modum, quia *extendes manus tuas* : nam Petrus crucifixus fuit : sed non cum clavis ; sed cum funibus, ut diutius viveret. Et hoc Christus vocat cincturam. Sunt autem tria in passione sanctorum consideranda. Primo motus [11] naturalis affectionis : nam inter animam et corpus est adeo naturalis amor quod nunquam vellet anima a corpore separari, nec e converso. II Corinth. v, 4 : *Nolumus expoliari, sed*

[1] Parm. omittit : « ideo. »

[2] Parm. omittit : « suis. » — [3] Parm. : « significans. » — [4] Parm. omittit : « verba. » — [5] Cod. Mazarin. 179 : « triginta sex. » — [6] Parm. omittit : « est. » — [7] Parm. : « in. » — [8] Al. : « excitantur. » — [9] Parm. : « tales. » — [10] Al. : « observantur. » — [11] Al. : « scilicet motus. » —

supervestiri. Matth. xxvi, 38 : *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Et ideo dicit : *Quo tu non vis*, scilicet naturæ instinctu, qui sic est naturalis ut nec ipsa senectus potuerit eum auferre Petro. Sed desiderium gratiæ hoc minuit : unde ad Phil. i, 23 : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo*. II Corinth. v, 8 : *Audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Deum*. Secundo diversitas intentionis persecutorum ab intentione sanctorum : *Et ducet quo tu non vis*. Tertio quod nos [1] debemus prompti esse ad patiendum, non tamen occidere nos : unde dicit : *Extendes manus tuas*. Et hoc patet de Petro : quia cum populus vellet suscitare seditionem contra Neronem, et eruere Petrum, ipse repressit. I Petr. ii, 21 : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*. Sed notandum, quod hoc quod dicit, *Ducet*, debet præcedere hoc quod dicit, *Alius cinget te* ; quasi dicat : *Cinget*, quia *ducet te quo non vis*. Sed ne credatur hoc quasi vanum [2] scriptum est, sed post mortem. Nam Petrus occisus fuit tempore Neronis ; sed Joannes hoc Evangelium scripsit postquam revocatus est ab exilio, ad quod relegatus fuerat tempore Domitiani, inter quem et Neronem fuerunt plures alii Imperatores.

2. Et ideo exponit hoc quasi [3] jam factum, dicens : *Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum* : mors enim sanctorum [4], non solum vita, est ad gloriam Christi. Psal. i, 20 : « Magnificabitur Christus in corpore meo. » I Pet. iv, 10 : « Nemo vestrum patiatur quasi fur aut homicida . . . Si autem ut Christianus, non erubescat; glorificet autem Deum in isto nomine. » Ex hoc enim ostenditur magnitudo Domini, quod pro ejus veritate et fide sancti exponunt se morti.

LECTIO V.

1. Et cum hoc dixisset, dixit ei, Sequere me 2. Conversus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Jesus sequentem, qui et recubuit in cœna super pectus ejus ; et dixit : Domine, quis est qui tradet te ? 3. Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Jesu : Domine, hic autem quid ? 4. Dicit ei Jesus : Sic eum volo manere donec veniam : quid ad te ? Tu me sequere. 5. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jesus, Non moritur; sed, Sic eum volo manere donec veniam : quid ad te ?

1. Postquam proposuit Evangelista quid Dominus exhibuit Petro, hic narrat quid exhibuit Joanni, scilicet sibi ipsi. Et primo ponitur commendatio discipuli; secundo commendatio sui Evangelii, ibi, *Sunt autem et alia multa quæ fecit Jesus*. Circa primum primo ponitur commendationis occasio; secundo subditur ipsius discipuli commendatio, ibi, *Conversus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Jesus*. Occasio autem commendationis fuit invitatio Christi invitantis Petrum ad sequendum : quia *cum hæc dixisset*, scilicet de officio et martyrio, *dixit*, Jesus Petro, *Sequere me*, secundum Augustinum, quantum ad martyrium, patiendo scilicet pro me : quia non sufficit qualitercumque pati, sed solum sequendo Christum, idest propter ipsum. Luc. vi, 22 : *Beati eritis cum vos oderint homines propter Filium hominis*. I Pet. ii, 21 : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*. Sed cum alii multi qui ibi aderant fuerint passi fuerint propter Christum, et præcipue Jacobus, qui prius occisus fuit : Actor. xii, 2 : *Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio*, quare specialiter Petro dicitur, *Sequere me*? Ideo scilicet, secundum Augustinum, quia non solum mortem passus est pro Christo, sed etiam in specie mortis, scilicet crucis, secutus est Christum. Matth. xvi, 24 : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me*. Vel, secundum Chrysostomum, dicitur *Sequere me*, in prælationis officio ; quasi dicat : Sicut habeo a Deo Patre curam Ecclesiæ : Psal. ii, 8 : *Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam* : ita ut loco mei sis super totam Ecclesiam.

Sed quare post Christum Jacobus habuit primatum in Hierusalem post ascensionem Christi? Dicendum, quod habuit quidem specialem loci illius, sed Petrus universale dominium totius Ecclesiæ fidelium.

[1] Parm. omittit : « nos. » — [2] Parm. : « vane dictum scriptum est post mortem Petri. » — [3] Parm. : « adhuc futurum. » — [4] Parm. : « mors enim sanctorum via est ad gloriam. »

2. *Conversus Petrus.* Hic ponitur commendatio[1] Joannis : et primo quantum ad præterita ; secundo quantum ad futura, ibi, *Hunc ergo cum vidisset* etc. Commendatur Joannes quantum ad præterita ex triplici privilegio. Primo specialis dilectionis Christi : unde dicit, *Conversus Petrus*, qui jam sequi etiam [2] corporaliter inceperat Jesum, *vidit illum discipulum quem diligebat Jesus* : in quo datur intelligi quod Petrus jam pastor effectus, ad curam aliorum intendebat. Luc. XXII, 32 : *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Diligebat autem Joannem Jesus non exclusis aliis : quia supra XV, 9, dixit : *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos* : sed eum speciali dilectione præ ceteris dilexit ; et hoc propter tria. Primo propter intellectus ejus perspicacitatem : magistri enim specialiter diligunt intelligentes discipulos. Proverb. XIV, 35 : *Acceptus est regi minister intelligens.* Secundo propter munditiæ puritatem, quia virgo fuit. Proverb. XXII, 2 : *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum habebit amicum regem.* Tertio propter teneram ætatem : pueris enim et deficientibus magis compatimur, et signa familiaritatis ostendimus : sic et Christus Joanni juveni converso. Oseæ XI, 1 : *Puer Israel, et dilexi eum.* In quo datur intelligi quod Deus specialiter diligit illos qui a juventute serviunt ei. Mich. VII, 1 : *Præcoquas ficus desideravit anima mea.*

Sed contra. Prov. VIII, 17 : *Ego diligentes me diligo.* Sed Petrus diligebat plus Christum ; supra : *Diligis me plus his?* Ergo Christus plus debuit Petrum diligere quam Joannem. Responsio. Posset dici, quod Joannes quia plus dilectus, fuit felicior, sed Petrus quia plus diligens, fuit melior. Sed hoc esset contra justitiam. Et ideo hoc refertur ad mysterium : nam per hos duos duplex vita significatur, scilicet activa et contemplativa, et utriusque finis et objectum est Christus. Sed vita activa, quæ signatur per Petrum, plus diligit Deum quam vita contemplativa, quæ significatur per Joannem : quia magis sentit præsentis vitæ angustias, et æstuantius ab eis liberari desiderat et ad Deum ire. Contemplativam vero vitam Deus plus diligit, quia eam magis conservat : non enim simul finitur cum vita corporis, sicut vita activa. Psalm. LXXXVI, 2 : *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.*

Sed aliqui secundum litteram hoc solvere volentes distinguunt in Christo duplicem dilectionem, secundum duplicem voluntatem, divinam scilicet et humanam ; et dicunt quod Christus dilexit plus Petrum dilectione divina, Joannem vero plus dilectione humana. Sed contra hoc est quod voluntas humana in Christo totaliter conformis erat voluntati divinæ : unde quem plus diligebat voluntate divina, plus etiam dilexit voluntate humana. Dicendum ergo, quod illum plus diligebat cui magis bonum volebat. Petrum autem plus diligebat ad hoc ut faceret eum magis suum dilectorem ; Joannem autem diligebat ad aliud, scilicet ad perspicacitatem intellectus. Eccl. XV, 5 : *Implevit eum Dominus spiritu sapientiæ et intellectus.* Et secundum hoc Petrus est melior, quia caritas supereminet scientiæ, I Cor. XIII ; Joannes vero melior secundum perspicacitatem intellectus. Sed merita ipsorum ponderare solius Dei est. Prov. XVI, 1 : *Spirituum ponderator est Dominus.* Et ideo alii dicunt, et melius, quod Petrus plus dilexit Christum in membris, et sic etiam fuit plus a Christo dilectus, et ideo ei Ecclesiam commendavit, Joannes vero, plus Christum in seipso, et sic ab eo plus fuit dilectus, unde ei matrem commendavit. Vel dicendum, quod Petrus plus [3] dilexit Christum quantum ad promptitudinem et fervorem ; Joannes vero plus fuit dilectus quantum ad familiaritatis indicia, quæ ei Christus magis demonstrabat propter ejus juventutem et puritatem.

Et ideo consequenter cum subjungit, *Qui et recubuit in cœna super pectus ejus*, commendatur ex secundo privilegio, scilicet specialis familiaritatis ad Christum : et hoc est supra expositum.

Tertio commendatur ex privilegio specialis fiduciæ quam habebat de Christo, ita ut confidentius præ omnibus aliis eum interrogaret : unde dicit supra XIII, 25 : *Et dixit ei : Domine, quis est quis tradet te?* quod similiter expositum est. Causam autem quare Joannes commemorat hujusmodi privilegia sua, dixit Chrysostomus esse ad commendationem

[1] Al. : « commemoratio. » — [2] Parm. addit : « specialiter. » — [3] Parm. omittit : « plus. »

Petri [1]. Posset enim credi quod Petrus propter hoc quod Christum negaverat, non fuisset admissus ad pristinam familiaritatem : et ideo ut hoc excludat, ostendit quod ad majorem admissus est. Cui in cœna non audebat interrogare, sed Joanni interrogationem commisit, post passionem fratrum præpositura committitur, et non solum pro se interrogat, sed [2] etiam pro aliis de reliquo interrogat, scilicet pro Joanne. In quo datur intelligi, quod lapsi in peccatum quandoque in majorem gratiam resurgunt. Baruch. IV, 28 : *Sicut enim fuit s.nsus vester ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum.*

3. Et ideo statim Evangelista primo subdit interrogationem, dicens : *Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Jesu : Hic autem quid?* Ubi ponitur commendatio Joannis quantum ad futura : et primo ponitur interrogatio Petri ; secundo responsio Christi, ibi, *Dixit ei Jesus*: *Sic eum volo manere donec veniam*; tertio ponitur intellectus hujus responsionis, ibi, *Exivit ergo sermo inter fratres* etc. Sciendum est autem circa primum, quod Domino dicente Petro, *Sequere me*, Petrus progressu [3] corporali cœpit eum sequi, et Joannes etiam cum eo [4] : quem videns Petrus sequentem, interrogabat pro eo Christum dicens : *Hic autem quid?* quasi dicat : Ecce ego sequor te in passione ; sed hic numquid non [5] morietur? de quo etiam Joannes interrogasset; sed non audebat [6]. Secundum autem Chrysostomum, Petrus non intendebat quærere de passione, sed de prælatione. Petrus enim super omnes alios condiscipulos diligebat Joannem, et semper leguntur esse simul et in Evangelio, et Act. III ; et ideo volebat eum habere socium in officio prædicationis per orbem : unde dicit, *Hic autem quid?* supple faciet. Veniat mecum.

4. Consequenter ponitur responsio Christi : *Sic eum volo manere donec veniam.* Sed sciendum, quod in græco non habetur *sic ;* sed *Si eum volo manere* etc. Sed non multum refert : qualitercumque enim dicatur, occurrit a principio sensus ille horum verborum, qui ipsis Apostolis visus est, scilicet quod non moritur. Dicit enim : *Sic eum volo manere donec veniam*; quasi dicat : non morietur usque ad secundum [7] adventum meum. Sed hoc excluditur per hoc quod subditur : *Et non dixit Jesus, quia non moritur*; *sed, Sic eum volo manere donec veniam*; *quid ad te?* Sed quidam hunc sensum sustinere volentes, dicunt quod Joannes hoc subdit, non ut excluderet prædictum intellectum, sed ut ostenderet quod Dominus hunc intellectum per hæc verba non expressit, sed per illa tantum, *Sic eum volo manere.* Et propter hoc dicunt, quod Joannes nondum est mortuus. Sed diversimode opinati [8] sunt de ejus sepultura. Verum est enim, secundum omnes, quod sepulcrum intravit, et adhuc illud apparet. Quidam autem dicunt, quod sepulcrum vivens intravit, et divina virtute exivit translatus ad locum Enoch et Eliæ, ubi reservatur usque ad finem mundi. Et secundum hoc exponitur sic : *Sic eum*, vivum, *volo manere*, usque ad finem mundi; et tunc pro me patietur martyrium ab Antichristo cum illis duobus. Nam inconveniens est quod non moriatur : quicquid enim oritur, moritur. Heb. IX, 27 : *Statutum est omnibus* [9] *hominibus semel mori.* Alii vero dicunt, quod sepulcrum suum, quod est apud Ephesum, vivens intravit, et in eo adhuc vivit dormiens donec veniat Christus ; habentes in argumentum hujusmodi, quod illic terra sursum quasi ebulliens scaturit : quod ejus anhelitu fieri dicunt. Sed contra loquitur hoc [10] Augustinus, dicens, quod minus est si dormiens vivit, quam si viveret beatus in Christo [11]. Cur ergo Christus discipulo quem præ ceteris diligebat, pro magno munere longum donasset somnum, et privasset tanto bono, pro quo Apostolus cupiebat dissolvi, et cum Christo esse? Phil. I. Et ideo non est hoc credendum ; sed quod mortuus fuit, et resurrexit etiam in corpore. Et hujusmodi signum est, quia corpus ejus non invenitur; et sic beatus manet cum Christo, secundum quod invitavit eum, Apoc. ult. XX : *Dicit qui testimonium perhibet istorum : Etiam venio* [12] *cito.* Est ergo exponendum mystice, secundum Augustinum, ut intelligatur per hoc quod dicit, *Manere*, idest permanere,

— [1] Parm. omittit : « Petri. » — [2] Parm. omittit : « etiam pro aliis de reliquo interrogat, scilicet. »
[3] Parm. : « gressu. » — [4] Parm. : « secum. » — [5] Parm. omittit : « non. » — [6] Al. : « audiebat. » — [7] Parm. omittit : « secundum » — [8] Parm. : « opinatum est. » — [9] Al. deest : « omnibus. » — [10] Parm. : « sed hoc excludit. » — [11] Parm. omittit : « in Christo. » — [12] Al. : « veniam. »

sive expectare, secundum illud Luc. xxiv, 49 : *Manete in civitate donec induamini virtute ex alto.* Et sic Dominus de Joanne, idest de vita contemplativa dicit [1] : *Sic eum volo manere*, idest expectare, *donec veniam*, vel in fine mundi, vel in morte cujuslibet contemplativi : quia contemplativa hic inchoata non perficitur ; sed inchoata manet, et expectat donec Christus veniat, perficienda cum venerit. Apoc. vi, 11 : *Dictum est illis ut requiescerent tempus adhuc modicum donec compleatur numerus conservorum eorum.* Luc. x, 43 : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Prov. iii, 16 : *Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra illius divitiæ et gloria.* Sed activa vita perfecta, et informata ejus passionis exemplo, interim sequitur [2] Christum, patiendo pro eo. Sed, secundum Chrysostomum, legitur sic : *Sic eum volo manere*, idest remanere in Judæa, et in hac terra ad prædicandum, et te volo me sequi habendo sollicitudinem totius orbis, et patiendo pro me ; et hoc *donec veniam*, ad delendum Judæos. *Quid ad te*? quasi dicat ; meum est ordinare. Nam, sicut habetur in historiis, Joannes non recessit de Judæa usque ad tempus quo Vespasianus veniens in Judæam cepit Hierusalem ; et tunc inde discedens venit ad Asiam. Vel, secundum Hieronymum, *tu me sequere*, idest per passionem, et *sic*, scilicet Joannem, *volo manere*, absque passione martyrii et mortis, *donec veniam*, ad vocandum eum ad me. Supra xiv, 3 : *Iterum veniam, et accipiam vos ad meipsum. Quid ad te*? scilicet de hoc privilegio. Unde in legenda beati Joannis dicitur, quod cum nonaginta esset annorum, apparuit ei Dominus Jesus Christus, et invitavit eum ad convivium suum [3].

5. Consequenter cum dicit, *Exiit sermo iste inter fratres quia discipulus ille non moritur*, ponitur quomodo discipuli prædicta verba Domini intellexerunt, scilicet quod non moreretur : et hoc est quod dicit : *Exiit sermo*, idest vulgatum est, *inter fratres*, idest inter discipulos : Psal. cxxxii, 1 : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* : *quod discipulus ille*, scilicet Joannes, *non moritur*. Sed hunc intellectum corrigit, dicens : *Et non dixit Jesus, Non moritur.* Matth. xvi, 16 : *Adhuc et vos sine intellectu estis*? Cætera prædicta [4] exposita sunt.

LECTIO VI.

1. Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc. 2. Et scimus quia verum est testimonium ejus. 3. Sunt autem et alia multa quæ fecit Jesus, quæ scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros.

1. Hic ponitur ultima pars Evangelii, quæ est quasi epilogus : et primo ponitur commendatio Evangelii ; secundo superexcessus rei quæ in Evangelio narratur, ibi, *Sunt autem et alia multa quæ fecit Jesus.* Evangelium autem commendatur dupliciter. Primo quidem ex auctore ; secundo vero ex veritate, ibi, *Et scimus quia verum est testimonium ejus.* Circa auctorem tria ponit. Primo ejus dignitatis [5] privilegium : quia *hic est discipulus ille* : supple replicando, prædilectus, familiaris, fideliter interrogans, et cui datum est ut sic maneat donec veniam : quæ omnia ad auctoritatis privilegium sunt [6]. Dicitur Joannes specialiter prædilectus propter specialitatem caritatis. Supra xiii, 35 : *In hoc cognoscent omnes quod mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.* De dilectione autem fraterna nullus Apostolorum tantum loquitur quantum ipse in Epistolis suis. Legitur etiam de eo, quod jam senex effectus portabatur ad Ecclesiam a discipulis suis, ut instrueret fideles ; quibus dicebat hoc tantum : Filioli, diligatis invicem. Et in hoc est perfectio disciplinæ christianæ. Secundo propter ejus officium, quod est perhibere testimonium : unde dicit : *Et testimonium perhibet de his.* Hoc est proprium Apostolorum officium. Actor. i, 8 : *Eritis mihi testes.* Isa. liv, 8 : *Vos testes mei, dicit Dominus.* Tertio subdit ejus studium, cum dicit, *Et*

[1] Al. omittitur : « dicit. » — [2] Al. : « et ideo sequitur. » — [3] Al. deest : « suum. » — [4] Parm. : « alia omnia. » — [5] Parm. : « auctoritatis. » — [6] Parm. : « spectant. »

scripsit hæc : qui enim ex officio Apostolatus præsentibus testificatus est de gestis Christi, ipsemet ex studio, prædicta gesta ad utilitatem futurorum et absentium scripsit. Isa. VIII, 1 *: Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis* : *Velociter spolia detrahe, cito prædare.* Eccli. XXXVIII, 25: *Sapientiam scribet in tempore vacuitatis*; *et qui minoratur actu, sapientiam percipiet*; *qua sapientia replebitur.* Datum est Apostolo [1] ipsi Joanni ut viveret usque ad tempus quo Ecclesia in pace erat ; et tunc hæc omnia scripsit. Sed ideo addit hoc, ne videatur hoc Evangelium, propter hoc quod scriptum fuerat post mortem omnium Apostolorum, et alia Evangelia approbata fuerant ab eis, et specialiter illud Matthæi, minoris esse auctoritatis quam alia tria Evangelia.

2. *Et scimus quia verum.* Hic ponitur veritas Evangelii. Et loquitur in persona totius Ecclesiæ a qua receptum est hoc Evangelium. Prov. LIII, 7 : *Veritatem meditabitur guttur meum.* Notandum autem, quod cum multi scriberent de catholica [2] veritate, hæc est differentia : quia illi [3] qui scripserunt canonicam Scripturam, sicut Evangelistæ et Apostoli, et alii hujusmodi, ita constanter eam asserunt quod nihil dubitandum relinquunt. Unde hic dicit : *Et scimus quia verum est testimonium ejus.* Gal. I, 9 : *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* Cujus ratio est, quia sola canonica Scriptura est regula fidei. Alii autem sic edisserunt de veritate, quod [4] tamen sibi credi nisi in his quæ vera dicunt.

3. *Sunt et alia multa.* Hic ponitur insufficientia scripturæ suæ quantum ad rem quam scribit : ut quasi removeat quod hæc scripsit quasi volens præstare gratiam dilectori suo : quia non solum ista fecit, sed etiam *multa quæ non sunt scripta in libro hoc.* Hoc autem quod sequitur, *Quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum posse capere eos qui scribendi sunt libros*, potest dupliciter exponi. Uno modo, ut *capere* referatur ad capacitatem intellectus ; quasi dicat : Tot possent dici de Christo quod nec mundus caperet [5] eos libros qui de his scriberentur. Supra XVI, 12 : *Multa habeo vobis dicere ; sed non potestis portare modo*, idest capere. Alio modo, ut sit locutio hyperbolica : et significat excessum operum Christi.

Sed quid est hoc quod dicit ? Præmisit enim : *Et scimus quia verum est testimonium ejus* ; et statim subdit hyperbolicam locutionem. Sed, secundum Augustinum, sacra Scriptura utitur quibusdam figuratis locutionibus : sicut Isa. VI, 1 : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum* : et tamen non sunt falsæ : ita quando in sacra Scriptura est aliqua locutio hyperbolica. Non enim est intentio dicentis ut credatur quod dicit, sed quod intendit significare, scilicet excessum operum Christi. Hoc tamen non fit quando aliquid quod erat obscurum vel dubium exponitur ; sed quando id quod est apertum, augetur vel attenuatur ; puta, cum quis volens copiam alicujus rei commendare, dicit : Hoc sufficit centum personis vel mille. Volens autem vituperare dicit : Hoc vix sufficeret [6]. Nec tamen falsum dicit : quia sic verba rem quæ indicatur excedunt, ut ostendatur quod non intendit mentiri, sed ostendere, esse parum vel multum. Vel potest referri ad virtutem Christi, qui signa faciebat : ut fiat vis in hoc quod dicit, *Per singula.* Scribere enim per singula, signa et dicta Jesu Christi, est dictorum singulorum et factorum enucleare virtutem. Verba autem et facta Christi sunt etiam Dei. Si qui autem vellet eorum rationem per singula scribere vel narrare, nullo modo posset ; immo etiam nec totus mundus hoc potest. Infinita enim verba hominum non possunt attingere unum Dei verbum. A principio enim Ecclesiæ semper scripta sunt de Christo, nec tamen sufficienter ; immo si duraret mundus per centum millia annorum, possent libri fieri de Christo, nec ad perfectionem per singula, facta et dicta sua enuclearentur. Eccle. ult., 12 : « *Faciendi plures libros nullus est finis.* » Psalm. XXXIX, 6 : « *Annuntiavi, et locutus sum ; multiplicati sunt super numerum.*

Hæc ergo sunt quæ ego frater Raynaldus de Piperno ordinis Prædicatorum, ad preces quorumdam sociorum et specialiter ad mandatum Reverendi Patris Domini Præpositi St Audomari post fra-

[1] Parm. omittit : « Apostolo. » — [2] Al. : « canonica. » — [3] Parm. : « illa. » — [4] Parm. omittit : « tamen. » — [5] Cod Mazarin. 177 : « sed nec libri qui. » — [6] Parm addit : « tribus. »

trem Thomam de Aquino, quasi qui colligit racemos post vindemiam, utinam non diminute, collegi; ubi de bene dictis, Deo inspiranti laudes, magistro dicenti grates a legentibus referantur, sed de minus bene dictis, mihi tantum attribuendis, veniam labor et imperitia impetrent, caritas vero qua labor assumitur orationum suffragia mereatur. Amen.

EXPLICIT COMMENTARIUM IN JOANNEM.

SANCTI

THOMÆ AQUINATIS

EXPOSITIO

IN OMNES SANCTI PAULI EPISTOLAS

PROLOGUS

Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus et Regibus et Filiis Israel. Act., 9, 15.

Homines in sacra Scriptura inveniuntur vasis comparati propter quatuor; scilicet propter constitutionem, repletionem, usum et fructum. Primo [1] quantum ad constitutionem : vas enim artificis arbitrio subjacet. Hierem. XVIII, 4 : *Fecit illud vas alterum sicut placuerat ei ut faceret.* Sic et constitutio hominum subjacet Dei arbitrio, de quo in Psal. XLIX, 3 : *Ipse fecit nos, et non ipsi nos.* Unde Isaias XLV, 9, dicit : *Numquid dicit lutum figulo suo, Quid facis?* Et infra, ad Roman. IX, 20 : *Numquid dicit figmentum ei qui se finxit : Quid me fecisti sic?* Et inde est quod secundum voluntatem Dei artificis, diversa invenitur vasorum constitutio. II Timoth. XI, 20 : *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed etiam lignea et fictilia.* Beatus autem Paulus, qui vas electionis nominatur in verbis propositis, quale vas fuerit patet per id quod dicitur Eccli. L, 10, *Quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso.* Aureum quidem vas fuit propter fulgorem sapientiæ; de qua potest intelligi quod dicitur Gen. II, 12 [2] : *Et aurum terræ illius optimum est :* quia, ut dicitur Proverb. III, 15, *pretiosior est cunctis opibus.* Unde et beatus Petrus testimonium perhibet ei, dicens II Petr. III, 20 : *Sicut et carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis.* Solidum quidem fuit virtute caritatis, de qua dicitur Cant. ult. 6, *Fortis est ut mors, dilectio.* Unde et ipse dicit Rom. VIII, 38, *Certus sum enim quia neque mors neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterunt nos separare a caritate Dei.* Ornatum autem fuit omni lapide pretioso, scilicet omnibus virtutibus, de quibus dicitur I Corinth. III, 12 : *Si quis superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos*, etc. Unde et ipse dicit II Corinth. I, 12 : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo.* Quale autem fuerit istud vas [3] patet ex hoc quod talia propinavit : docuit enim excellentissimæ divinitatis mysteria, quæ ad sapientiam pertinent, ut patet I Corinth. II, 6, *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Commendavit etiam excellentissime caritatem, I Cor. XIII. Instruxit homines de diversis virtutibus, ut patet Colos. III, 12 : *Induite vos*

[1] Al. : « primo enim. » — [2] Al. : « quod dicitur Prov. III : Pretiosior, etc. » intermediis omissis. — [3] Al. : « quale autem fuit illud vas, talia propinavit. »

sicut electi Dei sancti et dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.

Secundo etiam ad vasa pertinere videtur ut liquore aliquo impleantur, secundum illud IV Reg. IV, 5 : *Illi offerebant vasa, et illa infundebant.* Invenitur etiam inter vasa diversitas quantum ad hujusmodi plenitudinem : nam quædam inveniuntur vasa vini, quædam olei, et diversa diversi generis; sic etiam et homines diversis gratiis, quasi diversis liquoribus, replentur divinitus. I Corinth. XII, 8 : *Alii datur per spiritum sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem spiritum*, etc. Hoc autem vas de quo nunc agitur, plenum fuit pretioso liquore, scilicet nomine Christi, de quo dicitur Cantic. I, 2 : *Oleum effusum nomen tuum.* Unde dicitur : *Ut portet nomen meum.* Totus enim videtur fuisse hoc nomine plenus, secundum illud Apocal. III, 12 : *Scribam super eum nomen meum.* Habuit enim hoc nomen in cognitione intellectus, secundum illud I Corinth. II, 2 : *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos nisi Christum.* Habuit etiam hoc nomen in dilectione affectus, secundum illud Roman. VIII, 35 : *Quis nos separabit a caritate Christi?* I Corinth. ult. 22 : *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.* Habuit etiam ipsum in tota vitæ suæ conversatione : unde dicebat Gal. II, 20 : *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.*

Tertio quantum ad usum, considerandum est quod omnia vasa alicui usui deputantur; sed quædam ad honorabiliorem, quædam ad viliorem, secundum illud Roman. IX, 21 : *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Sic etiam homines secundum divinam ordinationem diversis usibus deputantur, secundum illud Eccli. XXXIII, 10, *Omnes homines de solo, et ex terra, unde et creatus est Adam. In multitudine disciplinæ Dominus separavit eos, et immutavit vias eorum : ex ipsis benedixit et exaltavit... maledixit et humiliavit.* Hoc autem vas ad nobilem usum est deputatum; est enim vas portatorium divini nominis : dicitur enim : *Ut portet nomen meum :* quod quidem nomen necessarium erat portari, quia longe erat ab hominibus, secundum illud Isa. XXX, 27, *Ecce nomen Domini venit de longinquo.* Est autem nobis longinquum propter peccatum [1] secundum illud Psal. CXVIII, 155 : *Longe a peccatoribus salus.* Est etiam longinquum nobis propter intellectus obscuritatem : unde et de quibusdam [2] dicitur Hebr. XI, quod erant *a longe aspicientes :* et Numer. XXIV, 17, dicitur : *Videbo eum, sed non modo; intuebor illum, sed non prope.* Et ideo sicut angeli divinas illuminationes ad nos deferunt tamquam a Deo distantes, ita Apostoli evangelicam doctrinam a Christo [3] ad nos detulerunt; et sicut in veteri [4] testamento post legem Moysi leguntur Prophetæ, qui legis doctrinam populo tradebant, secundum illud Malach. IV, 4 : *Mementote legis Moysi servi mei;* ita etiam in novo testamento post Evangelium legitur Apostolorum doctrina, qui ea quæ a Domino audierunt, tradiderunt fidelibus, secundum illud I Corinth. XI, 23 : *Accepi a Domino quod et tradidi vobis.* Portavit autem beatus Paulus nomen Christi primo quidem in corpore, conversationem et passionem ejus imitando, secundum illud Galat. ult. 17, *Ego enim stigmata Christi Jesu in corpore meo porto.* Secundo in ore : quod patet in hoc quod in Epistolis suis frequentissime Christum nominat : *ex abundantia enim cordis os loquitur*, ut dicitur Matth. XII, 34. Unde potest significari per columbam, de qua dicitur Genes. VIII, quod *venit ad arcam portans ramum olivæ in ore suo.* Quia enim oliva misericordiam significat, congrue per ramum olivæ accipitur nomen Jesu Christi, quod etiam misericordiam significat, secundum illud Matth. I, 21, *Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Hunc autem ramum virentibus foliis detulit ad aram, scilicet Ecclesiam, quando ejus virtutem et significationem multipliciter expressit, Christi gratiam et misericordiam ostendendo : unde ipse [5] dicit I Timoth. I, 16 : *Ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primum ostenderet Jesus Christus omnem patientiam.* Et inde est quod sicut inter Scripturas veteris testamenti maxime frequentantur in Ecclesia Psalmi David, qui post peccatum veniam obtinuit;

[1] Al. : « propter pœnitentiam. » — [2] Al. : « et quibusdam. » — [3] Al. omittitur : « a Christo. » — [4] Al. : « a veteri. » — [5] Al. : « iste. »

ita in novo testamento frequentantur Epistolæ Pauli, qui misericordiam consecutus est, ut ex hoc peccatores ad spem erigantur : quamvis possit et alia ratio esse, quia in utraque Scriptura fere tota Theologiæ continetur doctrina. Tertio portavit non solum ad præsentes, sed etiam ad absentes et futuros, scripturæ ipsum tradendo [1] secundum illud Isa. VIII, 1 : *Sume tibi librorum grandem, et scribe in eo stilo hominis.* In hoc autem officio portandi nomen Dei, ostenditur ejus excellentia quantum ad tria. Primo quidem quantum ad electionis gratiam : unde dicitur vas electionis : Ephes. I, 4 : *Elegit nos in Christo ante mundi constitutionem.* Secundo quantum ad fidelitatem, quia nihil sui quæsivit, sed Christi, secundum illud II Corinth. IV, 5 : *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Christum Jesum.* Unde dicit : *Vas electionis est mihi.* Tertio quantum ad singularem excellentiam : unde ipse dicit I Corinth. XV, 19 : *Abundantius illis omnibus laboravi.* Unde signanter dicit : *Vas electionis est mihi :* quasi præ aliis singulariter.

Quantum ad fructum considerandum est, quod quidam sunt quasi vasa inutilia, vel propter peccatum, vel propter errorem, secundum illud Hier. LI, 34 : *Reddidit me quasi vas inane.* Sed beatus Paulus fuit purus a peccato et errore : unde fuit vas electionis utile, secundum illud II Tim. II, 21 : *Si quis emundaverit se ab istis* (scilicet erroribus et peccatis), *erit vas in honorem sanctificatum, utile Domino :* unde utilitas sive fructus hujus vasis exprimitur cum dicitur, *Coram Gentibus*, quarum doctor fuit, secundum illud I Tim. I, 7 : *Doctor Gentium in fide et veritate : et Regibus*, quibus fidem Christi annuntiavit, sicut Agrippæ, ut habetur Act. XXVI, et etiam Neroni, et ejus principibus : unde dicit Philipp. I, 12 : *Quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii; ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo omni prætorio.* Isa. XLIX, 7 : *Reges videbunt, et consurgent principes : et filiis Israel*, contra quos de Christo disputabat. Act. IX, 22 : *Saulus autem magis convalescebat, et confundebat Judæos qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus.*

Sic igitur ex verbis præmissis possumus accipere quatuor causas hujus Operis, scilicet Epistolarum Pauli, quas præ manibus habemus. Primo quidem auctorem in vase. Secundo materiam in nomine Christi, quæ est plenitudo vasis : quia tota doctrina hæc est de Christi. Tertio modum in usu portationis : traditur enim hæc doctrina per modum Epistolarum, quæ per nuntios portari consueverunt, secundum illud II Paral, XX, 6 : *Perrexerunt cursores cum Epistolis, ex Regis imperio, et principum ejus.* Quarto distinctionem operis in utilitate prædicta : scripsit enim quatuordecim epistolas quarum instruunt Ecclesiam Gentium; quatuor prælatos et principes Ecclesiæ, idest Reges; una populum Israel, scilicet quæ est ad Hebræos, filios Israel [2]. Est enim hæc doctrina tota de gratia Christi : quæ quidem potest tripliciter considerari. Uno modo secundum quod est in ipso capite, scilicet Christo; et sic commendatur in Epistola ad Hebræos. Alio modo secundum quod est in membris principalibus corporis mystici ; et sic commendatur in Epistolis quæ sunt ad prælatos. Tertio modo secundum quod in ipso corpore mystico quod est Ecclesia ; et sic commendatur in Epistolis quæ mittuntur ad Gentiles : quarum hæc est distinctio. Nam ipsa gratia Christi tripliciter potest considerari. Uno modo secundum se ; et sic commendatur in Epistola ad Romanos. Alio modo secundum quod est in sacramentis gratiæ; et sic commendatur in duabus Epistolis ad Corinthios : in quarum prima agitur de ipsis sacramentis, in secunda de dignitate ministorum : et in Epistola ad Galatas, in qua excluduntur superflua sacramenta contra illos qui volebant vetera sacramenta novis adjungere. Tertio consideratur gratia Christi secundum effectum unitatis [3] quem in Ecclesia fecit. Agit ergo Apostolus primo quidem de institutione ecclesiasticæ unitatis in Epistola ad Ephesios ; secundo de ejus confirmatione et profectu in Epistola ad Philippenses ; tertio de ejus defensione. contra errores quidem in Epistola ad Colossenses ; contra persecutiones [4] vero præsentes in prima ad Thessalonicenses ; contra futuras vero, et præcipue tempore Antichristi, in secunda. Præla-

— [1] Edit. Romana an. 1570, et Veneta Nicolini habent: « sensum Scripturæ tradendo. » — [2] Al. legitur : « quæ est ad Hebr. ! Est enim hæc doctrina, etc. » — [3] Al. : « veritatis. »

[4] Al. : « contra persecutores. »

tos vero Ecclesiarum instruit et spirituales, et temporales. Spirituales quidem de instructione [1] et gubernatione ecclesiasticæ unitatis in prima ad Timotheum ; de firmitate contra persecutores in secunda ; tertio de defensione contra hæreticos in Epistola ad Titum. Dominos vero temporales instruit in Epistola ad Philemonem. Et sic patet ratio distinctionis et ordinis omnium Epistolarum.

Sed videtur quod Epistola ad Romanos non sit prima : prius enim videtur scripsisse ad Corinthios, secundum illud Rom. ult. 1 : *Commendo autem vobis Phœben* [2] *sororem nostram*, *quæ est in ministerio Ecclesiæ quæ est Cenchris*, ubi est portus Corinthiorum. Sed dicendum, quod Epistola ad Corinthios prior est in tempore scripturæ, sed Epistola ad Romanos præmittitur tum propter dignitatem Romanorum, qui aliis Gentibus dominabantur ; tum quia hic confutabatur superbia, quæ est initium omnis peccati, ut dicitur Eccli. x ; tum quia etiam hoc exigit ordo doctrinæ, ut prius gratia consideretur in se quam ut est in sacramentis.

Item quæritur unde Apostolus hanc Epistolam scripsit. Augustinus dicit quod de Athenis, Hieronymus quod de Corintho. Nec est contradictio ; quia forte Athenis incepit eam scribere,sed Corinthi consummavit.

Item objicitur contra id quod in *Glossa* dicitur quod aliqui fideles, antequam Petrus, Romanis prædicaverunt ; in *ecclesiastica* vero *Historia* dicitur, quod Petrus primus prædicavit eis. Sed intelligendum est primus inter Apostolos, et cum sequela magni fructus. Ante vero prædicavarat Romæ Barnabas, ut habetur in *Itinerario* Clementis.

— [1] Al. : « spirituales qui instruit de institutione, et gubernatione, etc. »

— [2] Al. : « commendo vobis Phœben, quæ est Cenchris, » intermediis omissis.

EPISTOLA AD ROMANOS

CAPUT PRIMUM

LECTIO I.

Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei.

Hæc Epistola in duas partes dividitur, scilicet in salutationem, et epistolarem tractatum, qui incipit ibi, *Primum quidem gratias ago Deo meo.* Circa primum tria facit. Primo describitur persona salutans, secundo personæ salutatæ, ibi, *Omnibus qui sunt Romæ*; tertio salus optata, ibi, *Gratia vobis et pax.* Circa primum duo facit : primo enim describitur persona auctoris; secundo commendatur ejus officium, ibi, *Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo.* Persona autem scribentis describitur a quatuor. Primo quidem ex nomine, cum dicit, *Paulus* : circa quod tria consideranda sunt. Primo quidem proprietas ejus : hoc enim nomen secundum [2] quod his litteris describitur non potest Hebraicum esse, quia apud Hebræos non invenitur hoc elementum P : sed potest esse Græcum et Latinum. Si tamen aliquod elementum ei propinquum sumatur quod est P, potest esse Hebræum. Secundo consideranda est ejus significatio : secundum enim quod potest Hebræum esse, idem est quod mirabilis vel electus ; secundum autem quod est Græcum, idem est quod quietus : secundum vero quod est Latinum, idem est quod modicus. Et hæc quidem ei conveniunt. Electus quidem fuit quantum ad gratiam : unde Act. IX, 15 : *Vas electionis est mihi iste.* Mirabilis fuit in opere : Eccli. XLIII, 2 : *Vos admirabile opus excelsi.* Quietus in contemplatione : Sapien. VIII, 16 : *Intrans in domum meum conquiescam cum illa.* Modicus per humilitatem : I Cor. XV, 9 : *Ego autem sum minimus Apostolorum.* Tertio considerandum est quando sit hoc nomen Apostolo impositum, cum tantum ante Saulus vocaretur, ut habetur Act. IX. Circa hoc triplex est opinio. Hieronymus dicit, quod cum prius vocaretur quoddam insigne suum quod fecit, scilicet quia convertit Sergium Paulum proconsulem, ut habetur Act. XIII, sicut et Scipio dictus est Africanus, quia devicit. Africam. Alii vero dicunt, quod hoc nomen impositum est sibi propter profectum virtutum, qui ex hoc nomine signatur, ut dictum est. Imponuntur enim divinitus quibusdam nomina a principio nativitatis, ad designandum gratiam quam principio consequuntur, sicut patet de Joanne Baptista. Lucæ I. Quibusdam vero mutantur nomina ad designandum profectum virtutis eorum, ut Chrysostomus dicit, sicut patet de Abraham Gent. XVII, et de Petro Matth. XVI. Alii vero dicunt, et melius. quod Paulus fuit a principio binomius. Consuetum enim erat apud Judæos ut simul cum nominibus Hebraicis assumerent sibi nomina illarum gentium quibus serviebant, sicut Græcis servientes no-

[1] Al. omittiur : « personæ. » — [2] Al. : « nomen servi, quod his litteris, etc. »

minabantur[1] nominibus Græcorum, ut patet de Jasone et Menelao, II Machab. iv. Hoc autem nomen Paulus, ab antiquo celebre fuit apud Romanos ; et ideo cum diceretur Saulus secundum Hebræos, vocatus est etiam Paulus secundum Romanos ; quo nomine non videtur usus nisi postquam cœpit Gentibus prædicare : unde Act. xiii, 9, dicitur : *Saulus, qui et Paulus*. Et hoc magis approbat Augustinus. Secundo describitur persona scribentis ex conditione, cum dixit, *Servus, Christi*. Videtur autem esse abjecta conditio servitutis, si absolute consideretur : unde et sub maledicto pro peccato infligitur. Genes. ix, 25 : *Maledictus Chanaan puer, servus servorum erit fratrum suorum*. Sed redditur commendabilis ex eo quod additur, *Jesu Christi* : Jesus enim interpretatur Salvator : Matth. i, 21 : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Christus interpretatur unctus secundum illud Ps. xliv, 8 : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ* : per quod designatur dignitas Christi : et quantum ad sanctitatem, quia sacerdotes ungebantur, ut patet Exod. xxix; et quantum ad potestatem, quia etiam reges ungebantur, ut patet de David, I Reg. xvi, et de Salomone, III Reg. i; et quantum ad cognitionem, quia etiam Prophetæ ungebantur, ut patet de Eliseo, III Reg. xix. Quod autem aliquid subjiciatur suæ saluti et spirituali unctioni gratiæ, laudabile est : quia tanto aliquid est perfectius quanto magis suæ perfectioni subjicitur ; sicut corpus animæ, et aer luci. Psal. cxv, 16 : *O Domine, quia ego servus tuus sum*.

Sed contra est quod dicitur Joan. xv. 15 : *Jam non dicam vos servos, sed amicos*. Sed dicendum, quod duplex est servitus. Una timoris, quæ non competit sanctis : Rom. viii, 15 : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore ; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*. Alia humilitatis et amoris, quæ sanctis convenit, secundum illud Luc. xvii, 10 : *Dicite : Servi inutiles sumus*. Cum enim liber sit qui est causa sui, servus autem qui est causa alterius, sicut ab alio movente motus ; si quis sic agat causa alterius sicut ab alio motus, sic est servitus timoris, quæ cogit hominem operari contra suam voluntatem ; si vero aliquis agat causa alterius sicut propter finem, sic est servitus amoris : quia amicorum est benefacere et obsequi amico propter ipsum, ut Philosophus dicit IX *Ethic*. cap. iv.

Tertio commendatur a dignitate, cum dicitur *Vocatus Apostolus*. Dignitas Apostolatus est præcipua in Ecclesia, secundum illud I Cor. xii, 28 : *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos*. Apostolus enim idem est quod missus, secundum illud Joan. xx, 21 : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*; idest ex eadem dilectione, et cum eadem auctoritate. Dicit autem, *Vocatus Apostolus*, ad designandum gratiam, idest vocatus ad hoc quod sit Apostolus : Hebr. v, 4 : *Nemo assumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron* : vel ad designandum excellentiam, ut sicut urbs antonomastice vocatur ipsa Roma, ita Apostolus vocetur Paulus, secundum illud I Cor. xv, 10 ; *Abundantius illis omnibus laboravi* ; vel ad designandum humilitatem. ut sit sensus : Non audeo me dicere Apostolum sed homines me ita vocant[2] : sic I Cor. xv, 19 : *Non sum dignus vocari Apostolus*. Quarto describitur persona scribentis ex officio, cum dicit : *Segregatus in Evangelium Dei* : segregatus, inquam, vel per conversionem ab infidelibus, secundum illud Gal. i, xv : *Cum autem placuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ*, scilicet synagogæ : vel segregatus per electionem ab aliis discipulis, secundum illud Act. xiii, 2 : *Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos*. Evangelium autem idem est quod bona annuntiatio. Annuntiatur enim in ipso conjunctio hominis ad Deum, quæ est bonum hominis, secundum illud Psal. lxxii, 27 : *Mihi autem Deo adhærere bonum est*. Triplex autem conjunctio hominis ad Deum annuntiatur in Evangelio. Prima quidem per gratiam unionis, secundum illud Joan. i, 14 : *Verbum caro factum est*. Secunda per gratiam adoptionis, prout inducitur in Psal. lxxi, 6 : *Ego dixi : Dii estis et filii excelsi omnes*. Tertia per gloriam fruitionis. Joan. xvii, 3 : *Hæc est vita æterna*. Isa. lii, 7 : *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis* ! Hæc est autem annuntiatio non humanitus sed a Deo facta. Isa. xxi, 10 : *Quæ audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis*. Unde dicit, *In Evangelium Dei*.

[1] Al. : « sub Græcis existentes nominabantur. » — [2] Al. : « me vocant. »

LECTIO II.

Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.

Descripta persona scribentis, hic commendatur negotium sibi commissum, scilicet Evangelium, cujus in præmissis duplex commendatio posita est : quarum una pertinet ad utilitatem quam habet ex materia, quæ significatur ex ipso Evangelii nomine, ex quo datur intelligi quod in eo bona annuntientur; alia vero ex auctoritate quam habet ex parte auctoris, quæ est expressa in eo quod dictum est, *Dei.* Utramque ergo commendationem prosequitur Apostolus ; primo quidem illam quæ est ex parte auctoris; secundo illam quæ est ex parte materiæ, ibi, *De Filio suo.* Circa primum commendatur Evangelium quadrupliciter. Primo quidem ex antiquitate quod fuit necessarium contra Paganos, qui Evangelio detrahebant, quasi post longa tempora subito ejus prædicatio esset exorta; et ad hoc excludendum dicit, *Quod ante :* quia licet ex tempore certo prædicari inceperit, ante tamen prænuntiatum fuit divinitus. Isa. XLVIII, 5 : *Antequam venirent indicavi tibi.* Secundo ex ejus firmitate, quæ designatur in hoc quod dicit, *Promiserat* quia ipse ante promisit qui non mentitur. Act. XIII, 32 : *Nos vobis annuntiamus eam quæ ad patres nostros repromissio facta est.* Tertio ex dignitate ministrorum, sive testium, cum dicit, *Per Prophetas*, quibus ante fuerant revelata quæ sunt completa circa Verbum incarnatum. Amos III, 7 : *Non faciet Dominus Deus verbum* scilicet incarnari *nisi revelaverit secretum ad servos suos Prophetas.* Act. X, 43 : *Huic omnes Prophetæ testimoniam perhibent.* Signanter autem dicit, *Suos* : sunt enim aliqui prophetæ spiritu humano loquentes, secundum illud Hier. XXIII, 16 : *Visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini.* Unde dicit ad Titum I, 12 : *Dixit quidam ex illis, proprius illorum propheta.* Sunt etiam quidam prophetæ dæmonum, qui immundo spiritu inspirantur, sicut prophetæ quos interfecit Elias, ut dicitur III Regum XVIII. Sed Prophetæ Dei dicuntur qui divino spiritu inspirantur. Joel. II, 28 : *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ.* Quarto ex modo tradendi; quia non solum sunt hujusmodi promissa verbo edita, sed litteris scripta : unde dicit, *In Scripturis.* Habacuc II, 2 : *Scribe visum et explana illud.* Non autem consueverunt scribi nisi magna, quæ sunt digna memoria, et quæ oportet ad posteros devenire. Et ideo, ut Augustinus dicit, XVIII *De civitate Dei*, tunc inceperunt scribi prophetiæ de Christo per Isaiam et Oseam, quando Roma est edita, sub cujus imperio Christus erat nasciturus. et fides ejus gentibus prædicanda. Joann. V, 39 : *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis ipsis vitam æternam habere.* Addit autem, *Sanctis,* ad differentiam scripturarum gentilium. Dicuntur autem sanctæ primo quidem quia, ut dicitur II Pet. I, 21 : *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* II Timoth. III, 16: *Omnis Scriptura divinitus inspirata.* Secundo, quia sancta continent : Psalm. XCVI, 12 : *Confitemini memoriæ sanctificationis ejus.* Tertio quia sanctificant : unde Joan. XVII, 17 : *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.* Unde dicitur I Machab. XII, 9 : *Habentes solatio sanctos libros qui sunt in manibus nostris.* Secundo prosequitur commendationem quæ sumitur ex bonis in Evangelio denuntiatis, quæ pertinent ad materiam Evangelii, quæ est Christus : quem quidem commendat tripliciter. Primo quidem ex origine; secundo ex dignitate, sive virtute, ibi, *Qui prædestinatus est*; tertio ex liberalitate, ibi, *Per quem accepimus.* Originem autem Christi describit duplicem. Primo quidem æternam, cum dicit, *De Filio suo* : in quo excellentiam Evangelii designavit : nam mysterium generationis æternæ ante erat absconditum [1] : unde Salomon dicit Prov. XXX, 10 : *Quod nomen est ejus, et quod nomen filii ejus, si nosti?* Sed in Evangelio Patris testimonio est declaratum, Matth. III et XVII, 5 : *Hic est Filius meus dilectus.* Convenienter autem Filius Dei materia sanctarum Scripturarum esse dicitur, quæ divinam sapientiam exponunt, secundum illud Deut. IV, 6 : *Hæc est sapientia vestra et intellec-*

[1] Al. : « valde absconditum. »

tus coram populis. Filius autem dicitur esse Verbum et Sapientia genita. I Corinth. I, 24 : *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam*.

Sed circa hanc filiationem tripliciter aliqui erraverunt. Quidam enim dixerunt eum filiationem habere adoptivam, sicut Photinus, qui posuit Christum initium sumpsisse ex Maria Virgine, quasi hominem purum, qui per vitæ meritum ad hanc celsitudinem pervenit ut præ ceteris sanctis Filius Dei diceretur. Sed secundum hoc Christo non competeret descensus ad humanitatem, sed magis ascensus ad divinitatem; contra id quod dicitur Joan. v, 38 : *Descendi de cœlo*. Quidam vero posuerunt hujusmodi filiationem solummodo nuncupativam, sicut Sabellius, qui dixit ipsum Patrem incarnatum, et ex hoc Filium nominari; ita quod eadem sit persona, et solum nomina sint divisa. Sed secundum hoc non competeret Filio mitti a Patre; quod falsum est [1], cum ipse dicat Joan. VI, se descendisse ut faciat voluntatem ejus qui misit eum. Alii vero posuerunt, sicut Arius, hujusmodi filiationem esse creatam; ita quod Filius Dei sit excellentissima creatura, ex nihilo tamen producta, postquam prius non fuerat. Sed secundum hoc omnia non essent per ipsum facta, contra id quod dicitur [2] Joan. I. Oportet enim esse non factum per quem facta sunt omnia. Et hæc tria excluduntur per hoc quod signanter addit, *Suo*, id est proprio et naturali [3]. Dicit enim Hilarius : « Hic verus et proprius est filius origine, et non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate non creatione. » Procedit enim a Patre, sicut verbum a corde; quod pertinet ad eamdem naturam, præsertim in Deo, in quo non potest aliquid accidentaliter advenire. Unde ipse dicit Joan. x, 30 : *Ego et Pater unum sumus*. Quod dicit Unum, liberat te ab Ario; quod dicit, Sumus, liberat a Sabellio, ut Augustinus dicit.

Secundo tangit temporalem originem, cum dicit, *Qui factus est* : ubi statim videntur patrocinium sui erroris assumere tres prædicti errores per hoc quod dicit, *Qui factus est ei* : non enim confitentur æternum, sed factum. Sed per ea quæ adduntur, tollitur eorum intentio. Quia enim dicit, *Qui factus est ei*, excludit dictum Sabellii : non enim potest esse Filius factus Patri, si sit eadem persona cum ipso; sed per incarnationem erit filius Virginis. Quod vero subdit, *Ex semine David*, tollit intentionem Photini. Si enim per adoptionem esset factus Dei Filius, non diceretur factus ex semine David, sed magis ex spiritu, scilicet qui est spiritus adoptionis filiorum, ut dicitur infra VIII; et ex semine Dei, ut dicitur I Joan. III. Quod vero sequitur, *Secundum carnem*, tollit intentionem Arii, qui ponit eum factum non solum secundum carnem, sed etiam secundum divinam naturam.

Est etiam considerandum ulterius, quod circa ipsum incarnationis mysterium multipliciter aliqui erraverunt. Nestorius enim posuit unionem Verbi ad hominem esse factam solum secundum inhabitationem, scilicet prout Filius Dei hominem illum inhabitavit excellentius ceteris. Manifestum est enim quod alia est substantia inhabitantis et inhabitati; sicut hominis et domus. Secundum hoc ponebat aliam esse personam vel hypostasim Verbi, et hominis; ita quod alius esset secundum personam Filius Dei, et alius Filius hominis. Sed hoc manifeste apparet falsum esse per hoc quod Apostolus Phil. II, unionem hujusmodi vocat exinanitionem. Pater autem et Spiritus sanctus inhabitant homines, secundum illud Joan. XIV, 23 : *Ad eum veniemus, et apud eum mansionem faciemus*. Sequeretur igitur quod Pater et Spiritus sanctus essent exinaniti; quod est absurdum. Hoc ergo excluditur per hoc quod Apostolus dicit, *De Filio suo* [4], qui scilicet Filius Dei *est factus secundum carnem*: idest habens carnem, *ex semine David*, qui modus loquendi locum non haberet, si hæc unio facta esset solum secundum inhabitationem. De aliis enim, quos Verbum inhabitat, non dicitur quod Verbum factum est hic vel ille; sed quod factum est ad Hieremiam, vel Isaiam. In hoc ergo quod Apostolus, cum dixit, *De filio suo*, addidit, *Qui factus est ei ex semine David*, manifeste excludit errorem prædictum. Rursus aliqui alii, licet duas personas non concedant in Christo, concedunt tamen duas hypostases, vel duo supposita, quod in idem redit : quia nihil aliud est persona quam hypostasis et

[1] Al. omittitur : « quod falsum est. » — [2] Al. : «ut dicitur. » — [3] Al. : « et generali. »

[4] Al. omittuntur hæc verba : « De Filio suo. »

suppositum rationalis naturæ. Cum ergo sit una solum hypostasis et unum suppositum vel hypostasis Verbi æterni; non potest dici quod illa hypostasis sit facta Filius Dei, quia non incepit esse Filius Dei. Et ideo non proprie dicitur quod homo sit factus Deus, vel Filius Dei [1]. Sed tamen si inveniatur ab aliquo doctore dictum, exponendum est sic : Factum est ut homo esset Deus. Secundum hoc proprie dicitur : Dei Filius factus est homo : quia semper non fuit homo. Et ideo legendum est quod hic dicitur, ut ly *qui* accipiatur ex parte subjecti, ut sit sensus : Qui Filius Dei factus est ex semine David : non tamen ex parte prædicati : quia sensus esset, quod aliquis existens ex semine David factus est Filius Dei; quod non dicitur vere et proprie, sicut dictum est. Fuerunt autem alii qui posuerunt unionem esse factam secundum conversionem Verbi in carnem, sicut dicitur aer fieri ignis : unde Eutiches dixit, quod etiam ante incarnationem fuerunt duæ naturæ, post incarnationem vero una. Sed hoc est expresse falsum : quia cum Deus sit immutabilis, secundum illud Malach. III, 6 : *Ego Deus, et non mutor* : non potest in aliquid aliud converti. Unde cum dicitur, *Factus est*, non intelligitur secundum conversionem, sed secundum unionem absque divina mutatione. Potest enim aliquid de novo dici relative de aliquo absque ejus immutatione : puta, aliquis immobiliter [2] sedens, fit dexter per mutationem ejus qui transfertur; et sic Deus dicitur ex tempore Dominus vel Creator per mutationem creaturæ; et eadem ratione dicitur de novo factus [3], secundum illud Psal. LXXXIX, 1 : *Domine, refugium factus es nobis*. Quia igitur unio relatio quædam est per mutationem creaturæ, Deus dicitur de novo factus homo, idest unitus in persona humanæ naturæ. Fuerunt etiam alii qui dixerunt animam Christum non habuisse, sed ibi fuisse Verbum loco animæ : scilicet Arius et Apollinarius; contra quos est illud Joan. X, 18 : *Nemo tollit animam meam*. Quod ergo dicitur, *Secundum carnem*, non excluditur a Christo anima; sed caro ponitur pro toto homine, secundum illud Isa. XL, 5 : *Videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est*.

Quæritur autem, cum nos confitemur Christum natum ex Virgine, quare Apostolus dicat eum esse factum ex muliere. Et dicendum, quod illud nascitur quod naturali ordine producitur, sicut fructus ex arbore, vel proles a parente; quod autem ex voluntate agentis producitur, non secundum naturæ ordinem, sicut domus ab artifice, non potest dici nasci, sed factum. Quia igitur Christus ex Virgine processit naturali ordine quantum ad aliquid, scilicet quod conceptus est ex femina spatio novem mensium, dicitur natus : quia vero quantum ad aliquid non naturali ordine, sed sola virtute divina processit absque virili semine, dicitur factus. Eva autem dicitur ex Adam facta, non nata; Isaac autem ex Abraham natus, non factus.

Item quare specialiter dicitur ex semine David, et non ex semine Abrahæ? cui promissio facta fuit de Christo, secundum illud Gal. III, 16 : *Abrahæ dictæ sunt promissiones*. Et dicendum est, quod factum est ad dandam spem veniæ peccatoribus : quia David peccator fuit, ex cujus semine nascitur Christus; Abraham vero justus : ad commendandam etiam dignitatem regiam Christi Romanis, regnum Gentium tenentibus. Excluditur etiam per verba ista triplex error Manichæorum. Primo quidem quod dicunt non eumdem esse Deum veteris testamenti, et qui est Pater Domini nostri Jesu Christi : quod excluditur per hoc quod dicit Apostolus : *Quod Deus ante promiserat per Prophetas suos de Filio suo in Scripturis sanctis*, scilicet veteris testamenti. Secundo vero quod damnant Scripturas veteris testamenti, quas Apostolus hic dicit sanctas. Non enim aliæ Scripturæ fuerunt sanctæ ante Evangelium. Tertio quod dicunt Christum habuisse carnem phantasticam : quod excluditur per hoc quod dicit, Christum factum ex semine David secundum carnem ei, idest ad gloriam Patris, secundum illud Joan. VIII, 50 : *Ego gloriam meam non quæro, sed gloriam ejus qui misit me*.

— [1] Al. deest : « Et ideo non proprie dicitur quod homo sit factus Deus, vel Filius Dei. » — [2] Al. : « non immobiliter. » — [3] Al. : « et eadem ratione dicitur de novo factus homo idest unitus in persona humanæ naturæ » intermediis omissis.

LECTIO III.

Qui prædestinnatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri.

Commendata origine Christi, hic commendat virtutem ipsius; et ponit tria. Primo prædestinationem [1], cum dicit, *Qui prædestinatus est*; secundo dignitatem, seu virtutem, cum dicit, *Filius Dei in virtute*; tertio signum, sive effectum, cum dicit, *Secundum spiritum sanctificationis*. Circa primum considerandum est, quod nomen prædestinationis a destinatione sumitur: dicitur enim prædestinatus quasi ante destinatus. Destinatio autem dupliciter sumitur. Quandoque pro missione: dicuntur enim destinati qui ad aliquid mittuntur, secundum illud I Mach. I, 14: *Destinaverunt aliqui ex populo, et abierunt ad Regem*. Quandoque vero destinare, idem est quod proponere, secundum illud II Mach. VI, 20: *Destinavit Eleazarus non admittere illicita*. Hæc autem secunda significatio a prima derivari videtur. Sicut enim nuntius qui mittitur, ad aliquid dirigitur; ita quod proponimus, ad finem aliquem ordinamus. Secundum hoc igitur, prædestinare nihil est quam ante in corde disponere quid sit de re aliqua faciendum. Potest autem [2] aliquis de futura re seu operatione disponere, uno modo quantum ad ipsam rei constitutionem, sicut artifex disponit qualiter debeat facere domum; secundo modo quantum ad ipsum usum vel gubernationem rei, sicut aliquis disponit qualiter debeat uti suo equo: et ad hanc secundum prædispositionem pertinet prædestinatio, non ad primam. Id enim quo aliquis utitur, refert in finem: quia, ut Augustinus dicit in libro I cap. VI *De doctrina christiana*, uti, est referre aliquid in finem, quo fruendum est. Sed cum res in seipsa constituitur, non dirigitur ex hoc ipso in aliud: unde prædispositio constitutionis rei, proprie prædestinatio dici non potest. Ergo idem est negare prædestinationem, quod negare præordinationem divinam ab æterno de his quæ sunt fienda in tempore. Sed quia omnia naturalia pertinent ad constitutionem rei ipsius, quia vel sunt principia ex quibus res constituitur, vel ex hujusmodi principiis consequuntur; consequens est quod naturalia proprie sub prædestinatione non cadant; sicut non dicimus proprie, quod homo est prædestinatus habere manus. Relinquitur ergo quod prædestinatio dicatur proprie eorum solum quæ sunt supra naturam, in quæ rationalis creatura ordinatur. Supra autem naturam rationalis creaturæ est Deus solus, cui unitur rationalis creatura per gratiam, uno modo quantum ad actum ipsius Dei, puta cum per gratiam prophetiæ communicatur homini præcognitio futurorum, quæ est propria Deo; et hujusmodi dicitur gratia gratis data: alio modo quantum ad ipsum Deum, cui unitur rationalis creatura communiter quidem secundum effectum dilectionis, secundum illud I Joan. IV, 16: *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo*: quod quidem fit per gratiam gratum facientem, quæ est gratia adoptionis: alio modo, qui est singularis Christo, per unionem in esse personali; et hæc dicitur gratia unionis. Sicut ergo hominem esse unitum Deo per gratiam adoptionis, cadit sub prædestinatione; ita etiam esse unitum Deo per gratiam unionis in persona, sub prædestinatione cadit: et quantum ad hoc dicit: *Qui prædestinatus est* [3] *Filius Dei*. Et ne hoc referatur ad filiationem adoptionis, additur, *In virtute*; quasi diceret: Prædestinatus est, ut sit talis Filius, ut habeat æqualem, immo eamdem virtutem cum Deo Patre: quia, ut dicitur Apocal. V, 12: *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem*. Quinimmo ipse Christus est Dei virtus, secundum illud I Cor. I, 24: *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam*. Unde Joan. V, 19: *Quæcumque Pater facit, hæc et Filius similiter facit*. Respectu vero gratiæ gratis datæ non dicitur aliquis prædestinari simpliciter: quia gratia gratis data non ordinatur directe ad hoc quod ille qui eam recipit, ad finem ultimum dirigatur, sed ut per eam alii dirigantur, secundum illud I Corinth. XII, 7: *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem*. Manifestum est autem quod id quod est per se, est mensura et regula eorum quæ dicuntur per aliud, et per participationem: unde prædestinatio

[1] Al.: « præordinationem. » — [2] Al.: « tamen. » — [3] Al.: « scilicet esse Filius Dei. »

Christi, qui est prædestinatus ut sit Filius Dei per naturam, est mensura et regula[1] vitæ, et ita prædestinationis nostræ, qui prædestinamur in filiationem adoptivam, quæ est quædam participatio et imago naturalis filiationis, secundum illud infra VIII, 29 : *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Sicut igitur homo Christus prædestinatus non est propter merita præcedentia, sed ex sola gratia, ut sit Filius Dei naturalis ; ita et nos ex sola gratia, non ex meritis, prædestinamur, ut simus filii Dei adoptivi, secundum illud Deuteron. IX, 5 : *Ne dicas in corde tuo, cum deleverit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo : Propter justitiam meam introduxit me Deus, ut terram hanc possiderem.* Est igitur manifestum ad quid sit ista prædestinatio ; scilicet ad hoc quod aliquis sit Dei Filius in virtute. Sed restat inquirendum : Quis est iste qui est ad hoc prædestinatus? Cum autem prædestinatio antecessionem importet, videtur quod ille qui est prædestinatus ut sit Filius Dei in virtute, non semper fuerit Filius Dei in virtute. Non enim videtur esse prædestinatio de eo quod semper fuit, quia hoc non potest antecessionem habere. Si igitur poneremus secundum Nestorium quod persona Filii hominis esset alia a persona Filii Dei, nulla esset dubitatio : quia possemus dicere, quod persona creata Filii hominis, quæ non fuit ab æterno, ex tempore incepit esse Filius Dei in virtute. Et simile est, si quis dicat quod est alia hypostasis vel suppositum Filii Dei et Filii hominis. Sed hæc aliena sunt a fide, ut supra dictum est. Cum igitur non solum sit eadem persona Filii Dei et Filii hominis, sed etiam hypostasis, et idem suppositum, ratione cujus non potest dici vere et proprie quod Filius hominis est factus Filius Dei, ne aliquod suppositum creatum intelligatur esse de quo de novo prædicatur Filius Dei ; pari ratione videtur quod non possit dici Filius Dei, quia, Filius hominis supponit suppositum æternum, quod fuit semper Filius Dei. Unde antecessio quam importat prædestinatio, locum non habet. Propter hoc igitur Origenes dicit, quod littera non debet esse, *Qui prædestinatus est*, sed *Qui destinatus est Filius Dei in virtute*, ut nulla antecessio designetur : et secundum hoc planus est sensus, quia Christus destinatus, idest missus est a Deo Patre in mundum, tamquam verus Filius Dei[2], in virtute divina. Sed quia communiter omnes libri latini habent, *Qui prædestinatus* ; aliter alii hoc exponere voluerunt secundum consuetudinem Scripturæ, in qua dicitur aliquid fieri quando innotescit ; sicut Dominus post resurrectionem dicit Matth. ult. 18 : *Data est mihi omnis potestas* : quia post resurrectionem innotuit talem potestatem sibi esse datam ab æterno. Sed secundum hoc, quod dicit, *Prædestinatus*, non proprie accipitur : quia prædestinatio est de eo quod pertinet ad gratiam : non autem in hoc gratia Christo facta est quod ejus virtus divina innotuit, sed potius nobis. Et ideo etiam in *Glossa* dicitur, quod secundum hunc sensum, *Prædestinatus* large ponitur pro præscito ; ut sit sensus : Christus prædestinatus est, idest ab æterno præscitus, ut innotesceret ex tempore esse Filius Dei in virtute. Unde quidam alii prædestinationem ad ipsam unionem referentes, non attribuerunt eam personæ, sed naturæ ; ut sit sensus : *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute* ; idest, cujus natura prædestinata est, ut sit ei unita qui est Filius Dei in virtute. Sed hæc etiam expositio impropria est, et extorta. Cum enim prædestinatio importet ordinem in finem ; ejus est prædestinari cujus est per suam operationem ordinari in finem. Agere autem propter finem non est naturæ, sed personæ. Ideo si proprie accipiatur, oportet quod prædestinatio attribuatur ipsi personæ Christi. Sed quia persona Christi subsistit in duabus naturis, humana scilicet et divina : secundum utramque potest aliquid dici de eo : sicut enim de homine potest aliquid dici secundum corpus, ut tangi et vulnerari ; aliquid autem secundum animam, ut intelligere et velle ; ita de Christo potest aliquid dici et secundum divinam naturam, sicut ipse de se dicit Joan. X, 30 : *Ego et Pater unum sumus* : aliquid secundum humanam naturam, sicut cum dicimus eum crucifixum et mortuum ; et hoc modo dicitur esse prædestinatus secundum humanam naturam. Quamvis enim ipsa persona Christi semper fuerit Filius Dei, tamen non semper fuit ut existens in humana natura esset Filius Dei, sed hoc fuit ineffabilis gratiæ. Est autem alia ratio de hoc participio *factus*, quod designat actum realem, et de hoc

[1] Al. deest : « et regula. »

[2] Al. omittitur : « Dei. »

participio *prædestinatus*, quod designat actum animæ. Anima enim secundum suum intellectum et rationem potest distinguere ea quæ sunt secundum rem conjuncta : potest enim aliquid de pariete albo cogitare et loqui seorsum quidem quantum ad hoc quod est paries, seorsum autem ex hoc quod est albus. Ita etiam in prædestinatione : nam prædestinatio[1] potest attribui personæ Christi secundum quod subsistit in humana natura, licet non attribuatur ei secundum quod subsistit in divina. Unde et Apostolus prius Filium Dei incarnatum esse præmiserat, et postea ei prædestinationem attribuit, ut intelligatur prædestinatus esse secundum quod factus est ex semine David secundum carnem ; et sic a Filio Dei, explicando incarnationis mysterium, descendit ad carnem ; et a carne secundum prædestinationem ascendit ad Filium Dei ; ut ostendatur quod neque gloria divinitatis impedivit infirmitatem carnis, neque infirmitas carnis diminuit majestatem Dei.

Quæritur autem in *Glossa*, prima quidem utrum Christus, secundum quod homo, sit Filius Dei. Et videtur quod sic : quia hic est Christus qui prædestinatus est ut sit ; sed secundum quod homo, est prædestinatus ut sit : ergo secundum quod homo, est Filius Dei. Et dicendum quod si ly secundum quod denotat unitatem suppositi, verum est quod secundum quod homo, est Filius Dei : quia unum est suppositum Dei et hominis. Si autem designat conditionem naturæ, vel causam. falsum est : non enim ex natura humana habet ut sit Filius Dei. In argumento autem est fallacia[2] compositionis et divisionis, ex eo quod ly secundum quod potest determinare participium *prædestinatus* ; et sic verum est quod secundum quod homo, est prædestinatus ; vel potest determinare ipsum esse Filium Dei, ad quod ordinatur prædestinatio ; et sic falsum est : non enim prædestinatus est ut secundum quod homo, sit Filius Dei ; et in hoc sensu procedit ratio.

Secundo quæritur utrum Christus secundum quod homo, sit persona. Et dicendum quod si ly secundum quod referatur ad ipsum suppositum hominis, concedendum est quod ipsum suppositum hominis est persona divina ; si vero designet naturæ conditionem vel causam, sic Christus secundum quod homo, non est persona ; quia humana natura non causat novam personalitatem in Christo ; adjungitur enim digniori, in cujus personalitatem transit.

Item objicitur de hoc quod *Glossa* dicit, quod qui suscepit et quod suscepit est una persona ; id autem quod suscepit Filius Dei, est humana natura : ergo humana natura est persona. Et dicendum est, quod hujusmodi locutiones sunt exponendæ, ut sit sensus, quod ille qui suscepit, et natura quam suscepit, uniuntur in una persona.

Quarto quæritur utrum hoc sit verum : Homo est assumptus a Verbo. Et videtur quod sic, secundum illud Psalm. LXIV, 4 : *Beatus quem elegisti et assumpsisti.* Et dicendum est, quod cum homo supponat suppositum æternum, non potest proprie dici quod homo sit assumptus a Verbo : non enim assumitur idem a seipso ; sed exponendum est, sicubi inveniatur homo assumptus, idest humana natura.

Quinto quæritur utrum hæc sit vera : Iste homo semper fuit. Et dicendum est hanc esse veram, propter hoc quod homo supponit æternum suppositum : unde Hebr. ult. 8, dicitur : *Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula* : non tamen cum reduplicatione est vera hujusmodi propositio : non enim ille homo, secundum quod homo est, semper fuit, sed secundum quod est Filius Dei.

Sic igitur patet et de præordinatione, et de virtute Filii Dei. Restat tertium, scilicet de signo, quod tangitur in eo quod subditur : *Secundum spiritum sanctificationis.* Est enim proprium virtutis divinæ per collationem Spiritus sanctificare homines : Levit. XX, 8 : *Ego Dominus, qui sanctifico vos.* Ipse etiam Spiritum sanctum solus dare potest, secundum illud Isai. XLII, 5 : *Hæc dicit Dominus Deus creans cœlos* : et infra : *Dans flatum populo qui est super terram, et spiritum calcantibus eam.* Ex hoc igitur apparet Christum habere virtutem divinam, quia ipse dat Spiritum sanctum, secundum illud Joan. XV, 26 : *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam.* Ejus etiam virtute sanctificamur, secundum illud I Corinth. II : *Sed sanctificati estis, sed justificati*

[1] Al. : « ita etiam prædestinatio potest attribui personæ Christi, etc. » intermediis omissis. —

[2] Al. : « falsitas. »

estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et spiritu Dei nostri. Dicit ergo : Quod Christus sit Filius Dei in virtute, apparet *secundum spiritum sanctificationis*, idest secundum quod dat spiritum sanctificantem : quæ quidem sanctificatio incepit *ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri*, idest ex mortuis, secundum illud Joan. VII, 39 : *Nondum erat Spiritus datus, quia nondum Jesus fuerat glorificatus* : quod non est sic intelligendum quod nullus ante Christi resurrectionem Spiritum sanctificantem acceperit ; sed quia ex illo tempore quo Christus surrexit, incepit copiosius et communius spiritus sanctificationis dari. Potest etiam intelligi quod hic designentur duo signa virtutis divinæ in Christo. Primum quidem ex hoc quod dicit *Secundum spiritum sanctificationis*, sive intelligatur secundum sanctificantem Spiritum, sicut dictum est ; sive intelligatur secundum hoc quod ipse per Spiritum sanctum est in utero virginali conceptus, quod est signum divinæ virtutis in ipso, secundum illud Lucæ I, 25 : *Spiritus sanctus superveniet in te;* et postea sequitur : *Ideoque et quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Secundum autem signum virtutis divinæ est resuscitatio mortuorum, secundum illud Joan. v, 22, *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat* [1] ; *sic et Filius.* Est ergo sensus, quod apparet Christum esse Filium Dei in virtute, *ex resurrectione mortuorum* : idest ex hoc quod mortuos fecit secum resurgere, secundum illud Matth. XXVII, 52 : *Multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt* : et tandem faciet omnes resurgere, secundum illud Joan. v, 28 : *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent.* Vel potest intelligi de spirituali resurrectione mortuorum quæ est a peccatis, secundum illud Ephes. v, 14 : *Surge qui dormis, et exurge a mortuis.* Dicuntur autem mortui *Jesu Christi* qui ab ipso resuscitantur, sicut et infirmi alicujus medici a quo sanantur. Possunt autem hæc duo signa ad duas præcedentes clausulas referri hoc modo : *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem* ; et hoc secundum spiritum sanctificationis, ex quo scilicet caro ejus concepta est : *qui prædestinatus est Filius Dei in virtute;* et hæc apparet in resurrectione mortuorum etc. Sed prima expositio est melior.

LECTIO IV.

Per quem accepimus gratiam et Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine ejus, in quibus estis et vos vocati Jesu Christi omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis. Gratia vobis et pax a Deo Patre, et Domino nostro Jesu Christo.

Postquam commendavit Christum ab origine et virtute, hic commendat ipsum ex liberalitate, quæ ostenditur ex muneribus quæ fidelibus contulit. Ponitur autem duplex munus. Unum quidem commune omnibus fidelibus, scilicet gratia per quam reparamur, quam quidem a Deo per Christum accepimus : unde dicit : *Per quem accepimus*, omnes fideles, *gratiam* : Joan. I, 17 : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est* : et hic infra, Roman. v, 2 : *Per quem accessum habemus in gratiam istam in qua stamus.* Conveniens est enim ut sicut per Verbum Dei omnia ista facta sunt, ut habetur Joan. I, ita per ipsum, sicut per artem omnipotentis Dei, omnia instaurentur ; sicut et artifex eadem arte reparat domum qua condidit. Colossen. I, 20 : *Per eum placuit Deo reconciliare omnia.... sive quæ in cœlo sive quæ in terra sunt.* Aliud autem est munus spirituale collatum Apostolis, quod tangit subdens, *Et Apostolatum*, quod est præcipuum inter ecclesiasticos gradus. I Corinth. XII, 28 : *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum quidem Apostolos.* Apostolus autem idem est quod missus : sunt enim a Christo missi, quasi ejus auctoritatem et vicem gerentes. Joan. XX, 21 : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, id est cum plenitudine auctoritatis. Unde ipse Christus Apostolus nominatur : Hebr. III, 6 : *Considerate Apostolum et Pontificem Jesum Christum.* Unde et per ipsum tamquam principalem Apostolum, sive missum, alii sunt secundario Apostolatum consecuti. Luc. VI, 13 : *Elegit duodecim, quos et Apostolos nominavit.* Præmittit autem gratiam Apostolatui, tum quia non ex meritis, sed ex gratia Apostolatum sunt

[1] Al. : « et vivificat. »

consecuti : I Corinth. xv, 9 : *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.... gratia autem Dei sum id quod sum* : tum etiam quia Apostolatus digne haberi non potest, nisi præhabita gratia sanctificante. Ephes. iv, 7 : *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Describit autem hunc Apostolatum primo quidem ex utilitate, cum subdit : *Ad obediendum fidei* : quasi diceret : Ad hoc sumus missi ut faciamus homines fidei obedire. In his obedientia locum habet quæ voluntarie facere possumus; his autem quæ sunt fidei, ex voluntate consentimus, cum sint supra rationem : nullus enim credit nisi volens, ut dicit Augustinus : et ideo circa fidem locum habet illud infra vi, 17 : *Obedistis ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis.* De hoc fructu dicitur Joan. xv, 16 : *Posui vos ut eatis, et fructum afferatis.* Secundo describitur ex amplitudine, cum subditur, *In omnibus Gentibus* : quia non tantum in una gente Judæorum, sed ad instructionem omnium Gentium sunt directi. Matth. ult. 19 : *Euntes docete omnes Gentes.* Specialiter Paulus in omnes Gentes Apostolatum acceperat, ut ei competere possit quod dicitur Isai. xlix, 6 : *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandum tribus Jacob, et fæces Israel convertendas dedi te in lucem Gentium.* Tamen ab ejus Apostolatu exclusi non erant Judæi, præsertim qui inter Gentes habitabant. Infra, xi, 13 : *Quamdiu quidem ego sum Gentilium Apostolus, ministerium meum honorificabo, si quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, et salvos faciam aliquos ex ipsis.* Tertio ex plenitudine potestatis, cum subdit, *Pro nomine ejus*, idest vice et auctoritate ipsius. Sicut enim Christus in nomine Patris venisse dicitur Joan. xx, quasi plenam Patris auctoritatem habens; ita et Apostoli in nomine Christi venisse dicuntur quasi in persona Christi. II Corinth. ii, 10 : *Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Vel per hoc describitur ex fine, ut sit sensus, pro nomine ejus dilatando, non pro aliquo terreno fructu sibi quærendo. Act. ix, 15 : *Vas electionis est mihi ille, ut portet nomen meum coram Gentibus et Regibus et filiis Israel.* Unde ad hoc fideles hortabatur Coloss. iii, 17 : *Omnia in nomine Jesu Christi agite.* Quarto ex potestate super illos quibus scribebat, qui prædicto Apostolatui erant subjecti : unde subdit : *In quibus*; idest inter quas Gentes nostro Apostolatui subjectas, *estis et vos*, scilicet Romani, quamvis sublimes. Isai. xvi, 5 : *Civitatem sublimem humiliabit....* conculcabit eam per pauperis scilicet Christi *gressus egenorum*, idest Apostolorum Petri et Pauli. II Corinth. x, 14 : *Usque ad vos pervenimus in Evangelio Christi.* Subdit : *Vocati Jesu Christi*; idest specialiter [1] a Jesu Christo, secundum illud Oseæ i, 9 : *Vocabo non populum meum.* Vel *vocati* ut sitis *Jesu Christi.* Infra ix : *Quos prædestinavit, hoc et vocavit.* Vel *vocati Jesu Christi*, idest dicti a Jesu Christo Christiani. Act. xi, 26 : *Ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli Christiani.*

Consequenter describuntur personæ salutatæ : et primo ex loco, cum dicit : *Omnibus qui sunt Romæ.* Signanter autem [2] omnibus scribit, quia omnium salutem cupiebat. I Corinth. vii, 7 : *Volo omnes homines esse sicut meipsum.* Act. xxiii, 12, dictum est ei : *Oportet te et Romæ testificari.* Secundo describuntur personæ salutatæ ex gratiæ dono [3], ibi, *Dilecti Dei.* Circa quod primo ponitur prima gratiæ origo [4], quod est Dei dilectio. Deuter. xxxiii, 3 : *Dilexit populos omnes sancti illius sunt.* I Joan. iv, 10 : *Non quasi non dilexerimus Deum* scilicet prius *sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Dei enim dilectio non provocatur ex bono creaturæ, sicut dilectio humana; sed magis ipsum bonum creaturæ causat; quia diligere est bonum velle dilecto; voluntas autem Dei est causa rerum, secundum illud Psalm. cxxxiv, 6 : *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Secundo ponitur vocatio cum subdit, *Vocatis.* Quæ quidem est duplex : una exterior, secundum quam vocavit Petrum et Andream, Matth. iv; alia autem est vocatio interior, quæ est secundum interiorem inspirationem. Prov. i, 24 : *Vocavi et renuistis.* Tertio ponit gratiam justificationis, cum dicit, *Sanctis;* idest per gratiam, et sacramenta gratiæ sanctificatis. I Corinth. vi, 11 : *Sed abluti estis, sed sanctificati estis*, ut sitis dilecti a Deo, vocati ad hoc quod sitis sancti.

Deinde ponuntur bona quæ eis optat,

[1] Al. omittitur : « specialiter. » — [2] Al. deest : « autem. » — [3] Al. : « ex gratia. Circa quod, etc. » intermediis omissis. — [4] Al. : « primo ponitur origo. »

quæ sunt *gratia et pax* : quorum unum, scilicet gratia, est primum inter Dei dona, quia per eam justificatur impius. Infra III, 24 : *Justificati gratiam ipsius.* Aliud autem, scilicet pax, est ultimum, quod in beatitudine perficitur. Psal. CXLVII, 14. *Qui posuit fines tuos pacem.* Tunc enim erit perfecta pax, quando voluntas requiescet in plenitudine omnis boni, consequens immunitatem ab omni malo. Isai. XXXII, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* Et sic per hæc duo bona, alia media intelliguntur. Ostendit etiam consequenter unde sint hujusmodi bona expectanda, cum subdit : *A Deo Patre nostro.* Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum est descendens a Patre luminum.* Psalm. LXXXIII, 12 : *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Addit autem, *Et Domino Jesu Christo* : quia, ut[1] dicitur Joan. I, 17, *gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Ipse etiam dicit Joan. XIV, 27 : *Pacem meam do vobis.* Quod autem dicit, *Deo Patre nostro*, potest teneri essentialiter pro tota Trinitate; quæ dicitur Pater, quia nomina importantia relationem ad creaturam, communia sunt toti Trinitati; sicut Creator et Dominus. Addit autem, *Domino Jesu Christo*, non quod sit alia persona a tribus, sed propter humanam naturam, per cujus mysterium ad dona gratiarum perveniunt. II Pet. I, 4 : *Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit.* Vel potest dici, quod hoc quod dicit, *Deo Patre nostro*, tenetur pro persona Patris, quæ secundum proprietatem dicitur Pater Christi, sed secundum appropriationem Pater noster. Joan. XX, 17, *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum.* Tangitur autem persona Filii, cum dicitur, *Et Domino Jesu Christo.* Persona autem Spiritus sancti expresse[2] non ponitur, quia intelligitur in donis ejus, quæ sunt gratia et pax : vel etiam qui intelligitur in duabus personis Patris et Filii, quarum est unio et nexus.

LECTIO V.

Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestras annuntiatur in universo mundo. Testis enim est mihi Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis, obsecrans si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos : desidero enim videre vos, ut aliquid impartiar vobis gratiæ spiritualis, ad confirmandos vos : id est, simul consolari in vobis per eam quæ invicem est fidem vestram atque meam. Nolo autem vos ignorare, fratres, quia sæpe proposui venire ad vos : et prohibitus sum usque adhuc, ut aliquem fructum habeam in vobis, sicut et in ceteris Gentibus. Græcis ac barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum; ita quod in me est promptum est et vobis, qui Romæ estis, evangelizare : non enim erubesco Evangelium.

Præmissa salutatione, hic Apostolus epistolarem tractatum incipit : in quo primo ostendit affectum suum ad eos quibus scribebat, ut reddat auditores benevolos; secundo instruit eos de veritate, quæ pertinet ad virtutem gratiæ Christi, ibi, *Virtus enim Dei est.* Ostendit autem affectum ad eos tripliciter : primo quidem ex gratiarum actione, qua de eorum bonis gratias agit; secundo ex oratione, quam pro eis ad Deum fundit, ibi, *Testis enim est mihi Deus*; tertio ex desiderio visitationis eorum, ibi, *Obsecrans si quo modo.* Circa primum tria oportet considerare. Primo quidem gratiarum actionis ordinem, cum[3] dicit : *Primum quidem gratias ago Deo meo.* Necesse est enim ut in omnibus gratiarum actionem præmittamus, secundum illud I Thess. ult. 18 : *In omnibus gratias agite.* Non enim est dignus beneficium consequi qui de acceptis beneficiis gratias non agit. Sapient. XVI, 29 : *Ingrati spes tamquam hybernalis glacies tabescet*; et Eccle. I, 7 : *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur* : quia ad principium unde proveniunt beneficia revertuntur scilicet per gratiarum actiones : « ut iterum fluant, » scilicet per iteratam beneficiorum exhibitionem. In omnibus autem quæ petimus vel agimus, divino beneficio indigemus : et ideo ante omnia debet gratiarum actio præmitti. Secundo designat personas tres : quarum una est persona cui fit gratiarum actio, quam designat dicens, *Deo meo*, scilicet cui debetur gratiarum actio de omnibus bonis, quia ab eo fluunt. Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum.* Et quamvis sit Deus omnium per creationem et gubernationem, secundum illud, infra X,

[1] Al. deest : « ut. » — [2] Al. omittitur : « expresse. » — [3] Al. : « quia. »

12. *Dominus omnium*; specialiter tamen dicitur esse Deus justorum tripliciter. Primo quidem secundum specialem curam quam de eis gerit. Psal. xxxiii, 10 : *Oculi Domini super justos*. Et alibi. Psal. xxvi, 1, dicit : *Dominus illuminatio mea*. Secundo per specialem cultum. Exod. xv, 2 : *Iste Deus meus, et glorificabo eum*. Tertio, quia eorum præmium. Genes. xv, 1 : *Ego Dominus merces tua magna nimis*. Secunda persona est mediatoris, quam tangit dicens, *Per Jesum Christum*. Eodem enim ordine debet gratiarum actio in Deum recurrere quo gratiæ a Deo in nos deveniunt, quod quidem est per Jesum Christum. Infra v, 5 : *Per quem accessum habemus per fidem in gratiam istam in qua stamus*. Tertia est persona illorum pro quibus gratias agit, quam designat subdens, *Pro omnibus vobis* : quia scilicet eorum gratias quasi suas reputat propter vinculum caritatis; quasi diceret [1] : *Majorem horum non habeo gratiam quam ut audiam filios meos in veritate ambulare* : III Joan. iv. Signanter autem dicit, *Pro omnibus vobis*, quia scilicet omnibus placere desiderat. I Corinth. x, 33 : *Sicut et ego per omnia omnibus placeo* : et omnium salutem cupit, secundum illud I Corinth. vii, 7 : *Volo omnes homines esse sicut meipsum*. Tertio ponit materiam gratiarum actionis, cum subdit : *Quia fides vestra annuntiatur in universo mundo*. Agit quidem gratias de fide, eo quod est bonorum omnium spiritualium fundamentum. Hebr. xi, 1 : *Est autem fides sperandarum substantia rerum*. Commendantur autem Romani de fide : quia fidem de facili susceperant, et in eadem firmiter permanebant. Unde et usque hodie apud eos plurima fidei signa ostenduntur in visitatione sanctorum locorum, ut Hieronymus dicit *Super Epistolam ad Gal*. Nondum tamen perfectam fidem habebant : quia aliqui eorum præventi erant a pseudoapostolis, ut crederent legis cæremonias Evangelio jungendas. Gaudet autem, et gratias agit de eorum fide, non solum propter eos, sed propter utilitatem inde consequentem : quia scilicet eorum exemplo qui erant domini Gentium, aliæ Gentes provocabantur ad fidem : quia, ut dicit *Glossa*, prompte facit inferior quod videt fieri a superiori. Propter quod admonentur prælati ut fiant *forma gregis ex animo* : I Pet. ult. 3. Consequenter cum dicit, *Testis enim est mihi Deus*, ostendit affectum suum ad eos ex oratione quam pro eis fundit. Et quia orationis negotium in secreto agitur coram Deo, secundum illud Matth. vi, 6 : *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum*. Dei testimonio probat se pro eis orare. Primo ergo inducit testem; secundo manifestat supra quod testimonium inducat, *Quod sine intermissione*. Testem autem inducit cum dicit : *Testis est mihi Deus*, sub cujus testimonio omnia aguntur, Hier. xxix, 3 : *Ego sum judex et testis*. Et ut justum testem non frustra se invocare ostendat, ponit consequenter quomodo sit ei conjunctus. Primo quidem quantum ad servitium, cum dicit, *Cui servio*, scilicet per latriæ cultum : Deuter. vi, 13 : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*. Secundo quantum ad modum serviendi, cum dicit, *In spiritu meo*, quasi dicat : Non solum in exteriori servitio corporali, sed præcipue interius secundum spiritum. Joan. iv, 24 : *Spiritus est Deus; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate adorare oportet*. Vel *in spiritu*, idest in spiritualibus observantiis, non in carnalibus, sicut Judæi. Philip. iii, 3 : *Nos sumus* * *circumcisio, qui spiritu* [2] *servimus Deo*. Tertio quantum ad officium in quo servit, scilicet, *in evangelio Filii ejus*, secundum illud, supra eodem, *Segregatus in Evangelium* : quod quidem est Filii Dei tripliciter. Uno modo, quia est de ipso : Luc. ii, 10 : *Evangelizo vobis gaudium magnum*. Alio modo quia est ab ipso prædicatum ex proprio officio. Luc. iv, 53 : *Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum*. Tertio quia est ab eo injunctum : Marc. ult. 15 : *Prædicate Evangelium omni creaturæ*.

* *Non sumus.*

Sed secundum Augustinum, cum idem sit, *Testis est mihi Deus*, quod juro per Deum, videtur Apostolus facere contra id quod Dominus dicit Matth. v, 34 : *Ego dico vobis, non jurare omnino*. Jac. ult. 2 : *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare*. Sed sicut dicit Augustinus *De Mend.*, cap. xv [3], intellectus sacræ Scripturæ ex actibus Sanctorum intelligitur : idem enim spiritus quo sacræ Scripturæ

[1] Al. omittitur : « quasi diceret, » et ejus vice omitur index II Joan i. — [2] Al. : « spiritu Dei. » — [3] Non ut prius : « *De mendacio ad Consentium* » item : « lib. *Contra Manich.* »

sunt editæ, secundum illud I Pet. I, 21, *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines* : sanctos viros ad operandum inducit : infra VIII, 14 : *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Ex hoc ergo quod Paulus jurasse invenitur, ostenditur verbum Domini et Apostoli Jacobi non sic esse intelligendum quasi juramentum sit omnino illicitum; sed quia ad hoc homo niti debeat ut quantum ex ipso est, juramento non utatur, tamquam quodam bono, et per se appetibili : tum propter periculum quod imminet ex frequenti juratione, ne homo labatur in perjurium propter labilitatem humanæ linguæ, secundum illud Eccli. XXIII, 9 : *Jurationi non assuescat os tuum, nam multi casus in illa* : tum etiam quia contra reverentiam Dei facere videtur qui ipsum absque necessaria causa testem inducit : unde Eccli. XXIII, 10 : *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo.* Unde nec Apostolus jurasse invenitur nisi scribendo, quando homo cum majori deliberatione et cautela loquitur. Est autem quandoque necessarium juramentum, ut fides verbo dicentis adhibeatur, quod quandoque utile est etiam ei qui audit; et sic Apostolus jurat propter utilitatem auditorum, quibus erat sibi utile ut ei crederent; quasi non quærens quod sibi utile est, sed multis, ut salvi fierent. Unde quod Dominus dicit Matth. V, 37 : *Quod amplius est* (scilicet quam simplex verbum) *a malo est*, non est intelligendum a malo ejus qui jurat, sed ejus qui exigit juramentum : non quidem a malo culpæ, nisi in casu quando existimat quis eum a quo exigit juramentum, esse falsum juraturum : tunc enim est grave peccatum, ut dicit Augustinus *De verbis Apost.* serm. XXX, et *De Sanct.* serm. II : sed intelligit esse a malo penæ, scilicet ignorantia qua nescimus an sit verum quod dicitur nobis. Est autem duplex modus jurandi. Unus quidem per simplicem attestationem, sicut cum dicitur, Per Deum, vel *Testis est mihi Deus;* et hoc modo Apostolus jurat hic. Alius autem per execrationem, quando scilicet aliquis implorat divinum testimonium secundum aliquam pœnam sibi infligendam si mentitur, secundum illud Psalm. VII, 5 : *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.* Et hoc etiam modo Apostolus jurat II Corinth. I, 23 : *Testem Deum invoco in animam meam.*

Consequenter hic ponit id supra quod eum testem invocat, dicens : *Quod memoriam vestri facio semper in orationibus meis, quæ sunt sine intermissione,* scilicet quia semper in orationibus suis pro eis orabat propter utilitatem communem quæ ex eorum conversione proveniebat. I Reg. XII, 13 : *Absit hoc peccatum a me in Domino, ut cessem orare pro vobis.* Quod autem dicit, *Memoriam vestro facio,* dupliciter potest intelligi. Uno modo sic. Memoriam vestri habeo, secundum illud Psalm. CXXXVI, 6 : *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.* Alio modo *memoriam vestri facio*, scilicet coram Deo [1] qui respicit orationes humilium. Et sic dum sancti pro aliquibus orant, quodammodo divino aspectui proponuntur : sicut et cetera sanctorum facta. Unde III Regum XVII, 18, dixit mulier ad Eliam : *Ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ;* quasi illud sit in memoria et in oculis Dei, quod contra justos agitur. Quod autem dicit orationes sine intermissione se habere, congruit ei quod dicit I Thess. ult. 17 : *Sine intermissione orate :* et Lucæ XVIII, 1 : *Oportet semper orare, et nunquam deficere.* Quæ quidem possunt intelligi tribus modis. Uno modo quantum ad ipsum actum orandi; et sic semper vel sine intermissione orat qui statutis temporibus et horis orat. Act. III, 1 : *Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.* Alio modo quantum ad finem orationis, qui est ut intellectus noster ascendat in Deum; et sic tamdiu homo orat quamdiu [2] totam vitam suam in Deum ordinat. I Corinth. X, 31 : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Tertio quantum ad causam : dum enim aliquis agit unde alii pro eo orent, ipse orare videtur : ut patet in his qui dant eleemosynas pauperibus, qui pro eis orant. Eccli. XXIX, 15 : *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo.* Sic ergo continuanda est littera : Gratias ago pro vobis, quia bona vestra reputo quasi mea : quod patet ex hoc quod pro vobis oro, sicut pro meipso.

[1] Al. : « scilicet orationem Deo. » — [2] Exemplum Veneta anni 1498, curante Octaviano Scoto : « et sic tamdiu homo orat quamdiu agit corde, ore, vel opere ut in Deum tendat ; et sic semper orat qui totam vitam suam in Deum ordinat.

Deinde cum dicit : *Obsecrans si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos*, probat affectum suum ex desiderio visitationis : et primo ponit desiderium; secundo propositum exequendi, ibi, *Nolo autem vos ignorare, fratres, quia sæpe proposui venire ad vos*. Circa primum duo facit. Primo ponit desiderii signum; secundo desiderii causam, ibi, *Desidero enim videre vos*. Signum autem desiderii est oratio, quam pro hoc faciebat : ex hoc autem signo ostenditur desiderium hujusmodi : primo quidem intensum, per hoc quod dicit, *Obsecrans*, quasi ob sacra contestans, sicut pro aliquo magno, quod mea merita excedit. Proverb. XVIII, 23 : *Cum obsecrationibus loquetur pauper, et dives effabitur rigide*. Quod autem intense desideratur, magnum desideranti videtur. Secundo ostenditur esse anxium, cum dicit, *Si quo modo* : quæ enim anxie aliquis desiderat, quærit adipisci quocumque modo, sive facili, sive laborioso. Philipp. I, 18 : *Quid enim? Dum omni modo prædicetur, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur ; et in hoc gaudeo, sed et gaudebo*. Tertio ostenditur esse diuturnum in hoc quod dicit, *Tandem aliquando*, scilicet post longa desideria : justi enim non ad horam, sed perseveranter afficiuntur. Proverb. XVII, 17 : *Omni tempore diligit qui amicus est*. Quarto ostenditur esse rectum ex hoc quod est divinæ voluntati conforme : unde subdit : *Prosperum iter habeam*, et hoc *in voluntate Dei*, idest secundum voluntatem ejus, secundum quam solum aliquid reputo prosperum ; sicut et Dominus dicit Luc. XXII, 42 : *Non mea voluntas, sed tua fiat*. Deinde cum dicit, *Desidero enim videre vos*, ostendit desiderii causam : quæ quidem est duplex. Una, utilitas eorum qui erant visitandi : unde dicit : *Desidero enim videre vos*. Philipp. I, 8 : *Cupio omnes vos esse in visceribus Christi*. Et hoc non in vanum, sicut est in amicitia sæculari, sed *ut impartiar*, idest tradam vobis, *aliquid gratiæ spiritualis*, non tamquam auctor gratiæ, sed sicut minister : I Corinth. IV, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi* : et hoc *ad confirmandos vos*, scilicet in fide quam suscepistis. Lucæ XXII, 32 : *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*. Impartitur autem gratiam minister multipliciter : tum per administrationem sacramentorum gratiæ : I Pet. IV, 10 : *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei:* » tum per exhortationem sermonum : Ephes. IV, 29 : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat ; sed si quis bonus est ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus*. » Secunda causa est mutua consolatio, quæ consideratur in convictu amicorum : unde subdit : *Idest simul consolari in vobis*, scilicet me videre vos, et impartiri gratiam, et me simul consolari cum vobis, *per eam quæ invicem est fidem vestram atque meam* : ad mutuam enim consolationem redit, si unanimes in fide reddamur. II Corinth. XII, 6 : *Qui consolatur humiles, consolatus est non Deus in adventu Titi : non solum autem in adventu ejus, sed etiam in consolatione qua consolatus est in vobis*. Deinde cum dicit, *Nolo autem vos ignorare*, ne videatur esse vanum desiderium, subdit propositum prosequendi : et primo proponit propositum ; secundo ostendit [1] causam propositi, ibi, *Ut aliquem fructum habeam in vobis*, tertio concludit propositi promptitudinem, ibi, *Ita quod in me promptum est*. Circa primum duo facit. Primo ponit propositum ; secundo impedimentum, ibi, *Et prohibitus sum* etc. Dicit ergo primo : Non solum desidero vos videre, sed etiam proposui ad hoc operam dare ; et hoc, *fratres, nolo vos ignorare, quia sæpe proposui venire ad vos* ut dilectionem meam ostenderem non solum verbo et lingua, sed etiam opere et veritate, ut dicitur I Joan. III. Secundo tangit obstaculum impediens eum ab isto proposito exequendo, dicens : *Prohibitus sum usque adhuc* : et hoc vel a diabolo, qui nititur impedire prædicationem, ex qua provenit salus hominum : Prov. XXV, 23 : *Ventus aquilo dissipat pluviam*, idest doctrinas prædicatorum : vel etiam ab ipso Deo, secundum cujus nutum dispensantur prædicatorum [2] itinera et verba. Job. XXXVII, 2 : *Nubes* idest prædicatores, *spargunt lumen suum, quæ lustrant per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit*. Unde et Act. XIII, 6, dicitur : *Transeuntes autem Phrygiam et Galatiæ regionem vetati sunt a Spiritu sancto loqui* : et iterum VII : *Tentabant ire in Bithyniam, et non permisit eos Spiri-*

[1] Al. omittitur : « ostendit. » — [2] Al. deest : « prædicatorum. »

tus Jesu. Utrumque autem horum vult Apostolus eos non ignorare propter eorum utilitatem, ut scilicet cognoscentes affectum Apostoli, devotius ejus verba suscipiant, et impedimentum visitationis ejus imputent suæ culpæ, et sic corrigantur : nam in pœnam culpæ dicitur Isai. v, 6 : *Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem.* Deinde ponit causam duplicem propositi : quarum prima est utilitas : unde dicit : *Ut aliquem fructum habeam in vobis sicut in ceteris Gentibus* quibus scilicet prædicavi : quod potest dupliciter intelligi. Uno modo quasi dicat : Ut faciam aliquem fructum in vobis per meam prædicationem. Joan. xv, 16 : *Ut eatis et fructum afferatis.* Alio modo quasi ex eorum conversione ei fructus accrescat, secundum illud Joan. iv, 36 : *Qui metit, mercedem accipit, et fructum congregat in vitam æternam.* Alia autem causa est debitum, quod sibi imminebat ex suspecto officio. I Corinth. 9, 16 : *Si non evangelizavero, væ mihi est.* Et quia universalem Gentium Apostolatum susceperat, omnibus se asserit debitorem, secundum illud I Corinth. ix, 19 : *Cum essem liber ex omnibus, omnium me servum feci.* Et ideo duplicem diversitatem ponit. Una quidem secundum diversitatem Gentium [1], cum dicit, *Græcis ac Barbaris.* Dicitur autem aliquis Barbarus dupliciter : uno modo secundum quid, qui scilicet est extraneus quo ad aliquem, secundum illud I Corinth. xiv, 11 : *Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquar, barbarus.* Alio modo simpliciter, qui scilicet est quasi extraneus [2] a communitate hominum, inquantum ratione non regitur : unde proprie barbari dicuntur qui ratione non reguntur, secundum quod dictum est II Machab. xv, 2 : *Ne ita ferociter ac barbare feceris*, idest inhumane. Et quia Græci fuerunt primi legum inventores, omnes Gentiles, qui humanis legibus reguntur, nominat Græcos. De Judæis autem qui divinis legibus regebantur, mentionem non facit : quia non erat institutus Apostolus Judæorum, sed Gentilium. Galat. ix: *Ita ut illi in circumcisis* [3], *nos autem in Gentibus.* Ex utraque autem causa concludit promptitudinem voluntatis, cum subdit : *Ita quod in me*, idest quantum ad me pertinet, dummodo aliunde non impediar, *promptum est etiam vobis qui Romæ estis evangelizare*, Exod. xxxv, 20 : *Egressaque omnis multitudo filiorum Israel de conspectu Moysi, obtulit mente promptissima atque devota.* Et excludit impedimentum promptitudinis, scilicet erubescentiam, propter quam multi ea prætermittunt quæ alias facerent prompte : et hoc est quod subdit : *Non enim erubesco Evangelium* : quod quidem infidelibus apud quosdam erubescibile videbatur, propter id quod dicit I Corinth. i, 23 : *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Non est autem secundum rei veritatem erubescendum propter id quod sequitur 24 : *Ipsum autem vocatis Judæis atque Græcis* [4] *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Unde dicitur Luc. 6, 26 : *Qui erubuerit me et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet.* Et inde est quod baptizati liniuntur chrismate in fronte signo crucis, ubi est sedes verecundiæ, ne scilicet Evangelium erubescant.

LECTIO VI.

Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum et Græco. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est : Justus autem ex fide vivit. Revelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent : quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas.

Postquam Apostolus Romanos fideles, quibus scribebat, sibi benevolos reddidit, ostendendo affectum suum ad eos; hic incipit instruere eos de his quæ pertinent ad evangelicam doctrinam, in quam se segregatum prædixerat : et primo ostendit virtutem evangelicæ gratiæ; secundo exhortatur ad executionem operum hujus gratiæ : xii capite, ibi, *Obsecro itaque.* Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Revelatur enim ira Dei.* Circa primum tria facit. Primo proponit virtutem evangelicæ gratiæ; secundo exponit,

[1] Al. : « secundum gentem. » — [2] Al. : « est extraneus. » — [3] Al. : « in circumcisione. » Legit modo Vulgata : *Ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem.* — [4] Al. : « atque Gentibus. »

ibi, *Justitia enim Dei*; tertio expositionem confirmat, ibi, *Sicut scriptum est*. Dicit ergo primo. Ideo Evangelium non erubesco, quia quamvis, ut dicitur I Corinth. I, 18, *verbum crucis pereuntibus quidem stultitia sit, nobis tamen virtus Dei est*. *Virtus enim Dei est*. *Virtus enim Dei est* : quod potest intelligi dupliciter. Uno modo quia virtus Dei in Evangelio manifestatur, secundum illud Psal. CX, 5 : *Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo* : alio modo quia ipsum Evangelium in se Dei virtutem continet, secundum illud Psal. LXVII, 34 : *Dabit voci suæ vocem virtutis*. Circa quam virtutem tria sunt consideranda. Primo quidem ad quid se ista virtus extendat; et hoc designatur cum subditur, *In salutem*. Jac. I, 31 : *In mansuetudine suscipite insitum verbum, potest salvare animas vestras*. Quod quidem fit tripliciter. Uno modo inquantum per verbum Evangelii remittuntur peccata. Joan. XV, 3 : *Jam mundi estis propter sermonem quam locutus sum vobis*. Secundo inquantum per Evangelium homo consequitur gratiam sanctificantem. Joan. XVII, 17 : *Sanctifica eos in veritate : sermo tuus veritas est*. Tertio inquantum perducit ad vitam æternam. Joan. VI, 69 : *Verba vitæ æternæ habes*. Secundo per quem modum Evangelium salutem conferat, quia [1] per fidem : quod designatur cum dicitur, *Omni credenti* : quod fit tripliciter. Primo per prædicationem. Marc. ult. 15 : *Prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*. Secundo per confessionem. Infra. X, 10 : *Oris confessio fit ad salutem*. Tertio per scripturam : unde etiam verba Evangelii scripta virtutem salutiferam habent, sicut beatus Barnabas infirmos curabat, Evangelium superponendo. Cavendæ sunt tamen superstitiones characterum, quia hoc est superstitiosum : unde Ezech. IX, illi salvati sunt in quorum frontibus est scriptum *Tau*, quod est signum crucis. Tertio quibus Evangelium fit in salutem, quia tam Judæis quam Gentibus : non enim Judæorum tantum Deus est, sed et Gentium : infra III; et ideo subdit : *Judæo primum et Græco* : per Græcum, omnem Gentilem intelligens, eo quod a Græcis Gentilium sapientia est exorta.

Sed cum infra X, 12, dicatur : *Non est distinctio Judæi et Græci*, quomodo hic, *Judæo primum?* Dicendum est ergo, quod quantum ad salutis finem consequendum non est distinctio inter eos : æqualem enim consequuntur mercedem utrique, sicut pro labore etiam in vinea priores et posteriores eumdem denarium acceperunt, ut dicitur Matth. XX, sed quantum ad ordinem salutis, Judæi sunt primi, quia eis promissiones sunt factæ, ut infra XV, et in eorum gratiam sunt Gentiles assumpti, ac si ramus oleastri inseratur in bonam olivam, ut infra XI. Ex his etiam Salvator noster natus est, Joan. IV, 22 : *Salus ex Judæis est*.

Exponit autem consequenter quomodo Evangelium sit in salutem, cum dicit : *Justitia enim Dei revelatur in eo ex fide* [2] *in fidem* : quod quidem dupliciter potest intelligi. Uno modo de justitia qua Deus justus est, secundum illud Psal. X, 8 : *Justus Dominus, et justitias dilexit* : et secundum hoc sensus est quod *justitia Dei*, qua scilicet justus, est, servando promissa *in eo revelatur*, scilicet in homine credente Evangelio, quia credit Deum implesse quod promisit de Christo mittendo ; et hoc *ex fide*, scilicet Dei promittentis : Psal. CXLIV, 13 : *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis* : *in fidem* scilicet hominis credentis. Vel alio modo, ut intelligatur de justitia Dei qua Deus homines justificat. Nam justitia hominum dicitur, qua se homines propriis viribus justificare præsumunt. Infra. XIII : *Ignorantes Dei justitiam, et suam quærentes statuere justitiæ Dei non sunt subjecti*. Quæ quidem justitia revelatur in Evangelio, inquantum per fidem Evangelii homines justificantur secundum quodcumque tempus : unde subdit : *Ex fide in fidem* ; idest, ex fide veteris testamenti procedendo in fidem novi testamenti : quia ab utroque homines justificantur, et salvantur per fidem Christi : quia eadem fide crediderunt venturum qua nos venisse credimus : et ideo dicitur II Corinth. IV, 13 : *Habentes eamdem speciem fidei... credimus propter quod loquimur*. Vel potest intelligi *ex fide* prædicatorum *in fidem* auditorum. Infra X, 14 : *Quomodo credent ei quem non audierunt?* Vel *ex fide* unius articuli *in fidem* alterius : quia ad justificationem requiritur omnium articulorum fides. Apoc. I, 3 : *Beatus qui legit et audit verba prophe-*

[1] Al. : « quia tripliciter. Primo per fidem. Marc. ult. Prædicate Evangelium, » intermediis omissis. — [2] Al. *per fidem*.

tiæ hujus, scilicet omnia, non unum tantum. Alio modo potest intelligi *ex fide* præsenti *in fidem* futuram[1] : quæ quidem dicitur fides ratione certæ et firmæ cognitionis; hæc autem ratione evangelicæ cognitionis. I Corinth. xiii, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc facie ad faciem.* Probat autem hanc expositionem, cum subdit : *Sicut scriptum est* : *Justus autem meus ex fide vivit.* Quod quidem accipitur secundum litteram LXX : nam in littera nostra, quæ est secundum Hebraicam veritatem, dicitur Habac. x, 1 : *Justus ex fide sua vivit.* Dicitur autem *justus meus*, scilicet a me justificatus, et apud me justus reputatus. Infra iv, 2 : *Si autem Abraham ex operibus legis justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim Scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam.* Unde ex hoc subditur, *Ex fide vivit*, scilicet vita gratiæ. Gal. ii, 20 : *Quod*[2] *autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei.*

Quatuor autem hic considerare oportet circa fidem. Primum quidem quid sit fides : importat enim assensum quemdam cum certitudine ad id quod non videtur, ex voluntate : quia nullus credit nisi volens, ut Augustinus, *Super Joan.* tract. xvi, dicit. Et secundum hoc differt credens[3] a dubitante, qui in neutram partem assentit. Differt etiam ab opinante, qui assentit in unam partem, non cum certitudine, sed cum formidine alterius. Differt etiam a sciente, qui per certitudinem assentitur ex necessitate rationis. Et secundum hoc fides est media inter scientiam et opinionem.

Secundo considerandum est an fides sit virtus. Et manifestum est quod non est virtus, si accipitur pro eo quod creditur, secundum illud : « Fides catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur etc. » Si autem accipiatur pro habitu quo credimus, sic quandoque est virtus, quandoque non. Est enim virtus principium actus perfecti. Actus autem ex duobus principiis dependens non potest esse perfectus, si alteri principiorum desit sua perfectio; sicut equitatio non potest esse perfecta, si vel equus bene non vadat, vel sessor equum ducere nesciat. Actus autem fidei, qui est credere, dependet ex intellectu et voluntate movente intellectum ad assensum. Unde actus fidei erit perfectus, si voluntas perficiatur per habitum caritatis, et intellectus per habitum fidei; non autem si habitus caritatis desit : et ideo fides formata caritate est virtus, non autem fides informis.

Tertio considerandum est, quod idem numero habitus fidei, qui sine caritate erat informis, adveniente caritate fit virtus : quia cum caritas sit extra essentiam fidei, per ejus adventum vel recessum non mutatur substantia ejus.

Quarto considerandum est, quod sicut corpus vivit per animam naturali vita, ita anima vivit per Deum vita gratiæ. Primo autem Deus animam inhabitat per fidem. Ephes. iii, 17 : *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris* : nec tamen est perfecta habitatio, nisi fides per caritatem sit formata, quæ per vinculum perfectionis nos unit Deo, ut dicitur Coloss. iii. Et ideo quod hic dicit, *Ex fide vivit*, intelligendum est fide formata.

Deinde cum dicit, *Revelatur enim ira Dei*, probat quod dixerat, scilicet virtutem evangelicæ gratiæ esse omnibus hominibus in salutem. Et primo ostendit quod est necessaria ad salutem, secundo quod est efficax, sive sufficiens : v cap. ibi, *Justificati igitur ex fide.* Circa primum duo facit. Primo ostendit virtutem evangelicæ gratiæ fuisse necessariam ad salutem Gentibus, quia scilicet sapientia, de qua confidebant, salvare eos non potuit; secundo ostendit quod fuit necessaria Judæis, quia scilicet circumcisio, et lex, et alia in quibus confidebant, eis salutem non attulerunt : ii cap., ibi, *Propter quod inexcusabilis es.* Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Quia quod notum est Dei.* Proponit autem tria. Primo quidem pœnam, dicens : Recte dico quod in eo justitia Dei revelatur : *revelatur enim ira Dei in eo*, idest vindicta ipsius, quæ dicitur ira Dei secundum similitudinem hominum irascentium, qui vindictam quærunt; extra[4] tamen Deus vindictam infert ex animi tranquillitate. Sap. xiv, 18 : *Tu autem dominator noster cum tranquillitate judicas.* Et de hac ira Dei dicitur Joan. iii, 36 : *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam; sed ira Dei manet super eum.* Hoc autem dicitur, quia

[1] Al. additur : « idest in plenam visionem Dei. » — [2] Al. : « hoc. » — [3] Al. deest : « credens. »

[4] Al. omittitur : « extra. »

quidam philosophi dicebant, a Deo non esse pœnas peccatorum, contra id quod dicitur in Psal. xciii, 10 : *Qui corripit Gentes, non arguet?* Unde additur, *De cœlo* : quia credebant circa cœlestia ejus providentiam occupari, ita quod ad res terrenas non se extenderet. Job xxii, 14 : *Circa cardines cœli perambulat, nec nostra considerat.* Sed sicut etiam in Psal. ci, 20, dicitur, *Dominus de cœlo in terram prospexit.* Vel dicitur *de cœlo* eorum iniquitatem demonstrare, quia maxime ex magnitudine cœli, Creatoris virtutem intelligere debuerunt. Job. xx, 27 : *Revelabunt cœli iniquitatem ejus.* Vel *de cœlo* venturi ad judicium. Act. i, 11 : *Quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum, ita veniet.* Secundo ponit culpam, pro qua pœna infligitur. Et primo quidem culpam [1] quæ contra Deum committitur, cum subdit, *Super omnem impietatem* ; sicut enim pietas dicitur cultus qui Deo exhibetur, tamquam summo parenti; sic impietas dicitur peccatum quod est contra cultum divinum. Ezech. xviii, 20 : *Impietas impii super eum erit.* Secundo ponit culpam quæ committitur in homines, cum dicit, *Et injustitiam* : nam justitia est per quam homines sibi invicem ratione conveniunt et communicant. Job xxxv, 8 : *Filium hominis adjuvabit justitia tua.* Tertio ponit cognitionem quam de eo habuerunt, cum subdit : *Hominum eorum qui veritatem Dei*, idest veram de Deo cognitionem, *detinent in injustitia*, quasi captivatam. Nam vera Dei cognitio, quantum est de se, inducit homines ad bonum; sed ligatur quasi captivitate detenta, per injustitiæ affectum, per quam, ut Psal. xi, 1, dicitur, *diminutæ sunt veritates a filiis hominum.* Deinde cum dicit, *Quia quod notum est*, manifestat propositum, ordine tamen retrogrado. Primo enim consentit quod sapientes Gentilium de Deo cognoverunt veritatem; secundo ostendit quod in eis impietas et injustitia fuerit, ibi. *Ita ut sint inexcusabiles*, tertio quod iram Dei incurrerunt, ibi, *Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quod qui talia agunt, digni sunt morte.* Circa primum tria facit. Primo ostendit quid de Deo cognoverunt; secundo ostendit a quo hujusmodi cognitionem acceperunt, ibi, *Deus enim illis revelavit* ; tertio ostendit per quem modum, ibi, *Invisibilia enim ipsius.* Dicit ergo primo : Recte dico, quod veritatem Dei detinuerunt : fuit enim in eis quantum ad aliquid vera Dei cognitio : *quia quod notum est Dei*, id est quod cognoscibile est de Deo ab homine per rationem, *manifestum est in illis* ; idest, manifestum est eis ex eo quod in illis est, idest ex lumine intrinseco.

Sciendum est ergo, quod aliquid circa Deum est omnino ignotum homini in hac vita, scilicet quid est Deus : unde et Paulus invenit Athenis aram inscriptam *ignoto Deo* Act. xvii : et hoc ideo, quia cognitio hominis incipit ab his quæ sunt ei connaturalia, scilicet a sensibilibus creaturis, quæ non sunt proportionatæ ad repræsentandam divinam essentiam. Potest tamen homo ex hujusmodi creaturis Deum tripliciter cognoscere, ut Dionysius dicit libro *De divinis Nominibus.* Uno quidem modo per causalitatem : quia enim hujusmodi creaturæ sint defectibiles et mutabiles, necesse est eas reducere ad aliquod principium immobile et perfectum : et secundum hoc cognoscitur de Deo an est. Secundo per viam excellentiæ : non enim reducuntur omnia in primum principium sicut in propriam causam et univocam, prout homo hominem generat; sed sicut in causam communem et excedentem : et ex hoc cognoscitur quod est super omnia. Tertio per viam negationis : quia si est causa excedens, nihil eorum quæ sunt in creaturis, potest ei competere; sicut etiam neque corpus cœleste proprie dicitur grave vel leve, aut calidum aut frigidum : et secundum hoc dicimus Deum immobilem et infinitum, et si quid aliud hujusmodi dicitur. Hujusmodi autem cognitionem habuerunt per lumen rationis inditum [2]. Ps. iv, 6 : *multi dicunt : Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.*

Deinde cum dicit, *Deus illis manifestavit*, ostendit a quo auctore hujusmodi cognitio eis fuerit manifestata; et dicit, quod *Deus illis manifestavit*, secundum illud Job xxxv, 11 : *Docet nos super jumenta terræ.*

Ubi considerandum est, quod unus homo alteri manifestat, explicando conceptum suum per aliqua signa exteriora, puta per vocem vel scripturam; Deus

[1] Al. desideratur : « culpam. » — [2] Al. omittitur : « inditum. »

autem dupliciter aliquid homini manifestat. Uno modo infundendo lumen interius, per quod homo cognoscit. Psal. XLII, 3 : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam.* Alio modo proponendo suæ sapientiæ signa exteriora, scilicet sensibiles creaturas. Eccl. I, 10 : *Effudit illam* scilicet sapientiam *super omnia opera sua.* Sic ergo Deus illis manifestavit, vel interius infundendo lumen, vel exterius proponendo visibiles creaturas, in quibus, sicut in quodam libro, Dei cognitio legeretur.

Deinde cum dicit, *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, ostendit perquem monum hujusmodi cognitionem acceperunt.

Ubi primo considerandum est quæ sunt ista quæ de Deo cognoverunt. Et ponit tria. Primo quidem invisibilia ipsius, per quæ intelligitur Dei essentia quæ, sicut dictum est, a nobis videri non potest. Joan. I, 18 : *Deum nemo vidit unquam*, scilicet per essentiam vita mortali vivens. I Tim. I, 11 : *Regi sæculorum immortali et invisibili.* Dicit autem pluraliter *invisibilia*, quia Dei essentia non est nobis cognita secundum illud quod est, scilicet prout in se est una : sic erit nobis in patria cognita, et tunc erit Dominus unus et nomen ejus unum, ut dicitur Zachar. ult. Est autem manifesta nobis per quasdam similitudines in creaturis repertas, quæ id quod in Deo unum est, multipliciter participant; et secundum hoc intellectus considerat unitatem divinæ essentiæ sub ratione bonitatis, sapientiæ, virtutis, et hujusmodi, quæ in Deo non sunt. Hæc ergo invisibilia Dei dixit, quia illud unum quod his nominibus, seu rationibus, in Deo respondet, non videtur a nobis. Heb. XI, 3 : *Ut ex invisibilibus visibilia fierent.* Aliud autem quod de Deo cognoscitur, est virtus ipsius, secundum quam res ab eo procedunt, sicut a principio. Psal. CXLVI, 5 : *Magnus Dominus, et magna virtus ejus.* Hanc ergo virtutem philosophi perpetuam esse cognoverunt : unde dicitur : *Sempiterna quoque virtus ejus.* Tertium cognitum est quod dicit, *Et divinitas* : ad quod pertinet quod cognoverunt Deum sicut ultimum finem in quem omnia tendunt. Divinum enim bonum dicitur bonum commune quod ab omnibus participatur : propter hoc potius dixit divinitatem, quæ participationem significat, quam deitatem, quæ significat essentiam Dei. Coloss. XI, 9 : *Et in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis.* Hæc autem tria referuntur ad tres modos cognoscendi supradictos : nam invisibilia Dei cognoscuntur per viam negationis, sempiterna virtus per viam causalitatis, divinitas per viam excellentiæ.

Secundo considerandum est per quod medium illa cognoverunt, quod designatur cum dicitur, *Per ea quæ facta sunt.* Sicut enim ars manifestatur per artificis opera, ita et Dei sapientia manifestatur per creaturas, Sap. XIII, 5 : *A magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.*

Tertio ostendit quomodo per ista cognoscatur Deus, cum dicit, *Intellecta conspiciuntur* : intellectu enim cognosci potest Deus, non sensu vel imaginatione, quæ corporalia non transcendunt; Deus autem spiritus est, ut Joan. IV dicitur. Isai. LII, 13 : *Ecce intelligit servus meus.*

Quarto potest designari a quo per hunc modum Deus cognoscatur, cum dicitur, *A creatura mundi* : per quod uno modo potest intelligi homo. Marc. ult. 15 : *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Vel propter excellentiam hominis, qui ordine naturæ minor est Angelis, sed excellit inter inferiores creaturas, secundum illud Psal. VIII, 7 : *Minuisti eum paulo minus ab angelis... omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi.* Vel quia communicat cum omni creatura ; habet enim esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis, ut Gregorius, hom. XXIX *Super Evang.* dicit. Alio modo potest intelligi de universali creatura. Nulla enim creatura ex propriis naturalibus potest Dei essentiam in seipsa videre : unde et de Seraphim dicitur Isai. VI, quod duabus alis velabant caput. Sed sicut homo intelligit Deum per creaturas visibiles, ita Angelus per hoc quod intelligit propriam essentiam. Potest autem aliter intelligi per creaturam mundi non ipsa res creata sed rerum creatio ; ac si diceretur, A creatione mundi ; et tunc potest dupliciter ordinari. Uno modo quod intelligatur quod invisibilia Dei intelliguntur per ea quæ facta sunt tempore gratiæ : alio modo quod intelligatur quod a crea-

tione mundi, homines inceperunt Deum cognoscere per ea quæ facta sunt. Job xxxvi, 25 : *Omnes homines vident eum.* Glossa, autem dicit quod per invisibilia Dei intelligitur persona patris, secundum illud [1] I Tim. ult. 16 : *Quem nullum hominum vidit, sed nec videre potest* : per sempiternam virtutem persona Filii, secundum illud I Corinth. I, 24 : *Christum Dei virtutem* : per divinitatem, persona Spiritus sancti, cui appropriatur bonitas : non quod philosophi ductu rationis potuerint pervenire per ea quæ facta sunt in cognitionem personarum, quantum ad propria quæ non significant habitudinem causæ ad creaturas ; sed secundum appropriata. Dicuntur tamen defecisse in tertio signo, id est in Spiritu sancto : quia non posuerunt aliquid respondere Spiritui Sancto, sicut posuerunt aliquid respondere Patri. scilicet ipsum primum principium ; et aliquid respondere Filio, scilicet primam mentem creatam, quam vocabant paternum intellectum, ut Macrobius dicit in *Libro super somnium Scipionis.*

LECTIO VII.

Ita ut sint inexcusabiles : quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum : dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis ; et volucrum et quadrupedum et serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis ; quia commutaverunt veritatem Dei in mendacium ; et coluerunt et servierunt creaturæ potius quam creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen.

Postquam Apostolus ostendit veritatem Dei fuisse Gentibus cognitam, hic ostendit eos fuisse obnoxios culpæ impietatis et injustitiæ : et primo ostendit hoc quantum ad culpam impietatis ; secundo quantum ad culpam injustitiæ, ibi, *Et sicut non probaverunt* etc. Posset aliquis credere, eos a culpa impietatis excusari propter ignorantiam, sicut Apostolus de se dicit, infra I Tim. I, 13 : *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.* Primo ergo ostendit Gentiles non esse excusabiles ; secundo ponit eorum culpam, ibi, *Et mutaverunt gloriam.* Circa primum considerandum est, quod tunc ignorantia culpam excusat quando sic procedit et causat culpam, quod non causatur a culpa ; sicut cum aliquis adhibita diligentia debita, dum credit percutere hostem, percutit patrem. Si vero ignorantia causetur ex culpa, non potest subsequentem culpam ignorantia excusare : unde si quis per ebrietatem homicidium committit, non excusatur a culpa, quia peccavit se inebriando : unde secundum Philosophum II *Pol.* cap. ult., meretur duplices multationes. Primo igitur proponit quod intendit, dicens : Ita quod est Dei, notum est eis, *ut sint inexcusabiles;* idest, ut per ignorantiam excusari non possint. Jac. IV, 17 : *Scienti bonum et non operanti peccatum est illi.* Infra II, 1 : *Propter quod inexcusabilis es.* Secundo ibi, *Quia cum cognovissent Deum* etc.,probat quod dixerat : et primo ostendit quod prima eorum culpa ex ignorantia non processit ; secundo quod ex hac culpa est ignorantia subsecuta, ibi, *Sed evanuerunt.* Quod autem prima eorum culpa non fuerit ex ignorantia, ostenditur per hoc quod Dei cognitionem habentes, ea non sunt usi ad bonum. Dupliciter autem Deum cognoverunt. Uno modo sicut omnibus supereminentem ; et sic ei debebant gloriam et honorem, quæ superexcellentibus debentur : et ideo isti dicuntur inexcusabiles : *quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt* : vel quia ei debitum cultum non impenderunt ; vel quia virtuti ejus et scientiæ terminum imposuerunt, aliqua ejus potentiæ et scientiæ subtrahentes, contra id quod dicitur Eccl. XLIII, 32 : *Glorificantes Dominum quantumcumque poteritis.* Secundo cognoverunt eum sicut omnium bonorum causam, unde ei in omnibus gratiarum actio debebatur ; quam tamen ipsi non impendebant, sed potius suo ingenio et virtuti suæ bona sua adscribebant : unde subdit : *Gratias non egerunt,* scilicet Domino I Thessal, ult. 18 : *In omnibus gratias agite* Deinde cum dicit, *Sed evanuerunt,* ostendit quod in eis ex culpa est ignorantia subsecuta : et primo ponit intentum ; secundo manifestum propositum, ibi, *Dicentes se esse sapientes.* Primo ergo proponit culpam,

[1] Al. omittitur : « secundum illud. »

quæ est ignorantiæ causa, cum dicit, *Evanuerunt* : vanum enim dicitur quod non habet stabilitatem seu firmitatem : solus autem Deus de se est immutabilis : Malachiæ II, 6 : *Ego Deus, et non mutor* : et ideo [3] tunc solum mens humana est a vanitate libera, quando Deo innittitur; cum autem prætermisso Deo, innittitur cuicumque creaturæ, incurrit vanitatem. Sapient. XIII, 1 : *Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est.* Psal. XCIII, 2 : *Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt. In cogitationibus suis evanuerunt*, inquantum in seipsis et non in Deo fiduciam habebant, sibi et non Deo bona sua adscribentes, secundum illud Ps. XI, 5 : *Labia nostra a nobis sunt : quis noster Dominus est?* Secundo ponit ignorantiam subsecutam, dicens : *Et obscuratum est*, idest per hoc quod obscuratum est, factum est *cor eorum insipiens*, idest lumine sapientiæ privatum, per quam homo vere Deum cognoscit. Sicut enim qui oculos corporales a sole materiali avertit, obscuritatem corporalem incurrit; ita ille qui a Deo avertitur, de seipso præsumens, et non de Deo, spiritualiter obscuratur. Proverb. XI, 2 : *Ubi humilitas* per quam scilicet homo se Deo subjicit ibi *sapientia : ubi superbia ibi contumelia.* Matth. XI, 25 : *Abscondisti hæc a sapientibus* secundum quod scilicet eis videbatur *et revelasti ea parvulis*, idest humilibus. Et de his habetur Eph. IV, 17 : *Gentes ambulant in vanitate sui sensus, tenebris obscuratum habentes intellectum.* Deinde cum dicit, *Dicentes*, exponit quod dixerat : et primo qualiter in cogitationibus suis evanuerunt, cum dicit : *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Dicentes.* idest sapientiam sibi a seipsis adscribentes. Isai. V, 21 : *Væ qui sapientes estis in oculis vestris.* Job. XIX, 11 : *Quomodo dicetis Pharaoni : Filius sapientium ego, filius regum antiquorum? Ubi nunc sunt sapientes tui?* Secundo exponit quod dixerat, *Et obscuratum est insipiens cor*, cum dicit, *Stulti facti sunt*, quasi contra divinam sapientiam agentes. Hier. X, 14 : *Stultus factus est omnis homo a scientia sua*, de qua scilicet præsumebat. Deinde cum dicit, *Et mutaverunt gloriam*, ponit peccatum impietatis Gentilium : et primo quantum ad hoc quod peccaverunt contra Dei gloriam; secundo quantum [5] ad hoc quod peccaverunt contra veritatem naturæ ipsius, ibi, *Quia commutaverunt veritatem.* Circa primum duo facit. Primo ponit impietatis culpam ; secundo pœnam, ibi, *Propter quid tradidit.* Culpa quidem eorum fuit quod, quantum in ipsis erat, honorem divinum in alium transtulerunt, secundum illud. Hier. 11, II : *Populus meus mutavit gloriam suam in idolum.* Primo ergo ponit id quod mutaverunt ; secundo id in quod mutaverunt, ibi, *In similitudinem.* Circa primum tria sunt attendenda ex parte Dei. Primo quidem ipsius gloria, quam tangit dicens : *Et mutaverunt gloriam* : quod potest intelligi dupliciter. Uno modo de gloria qua homo Deum glorificat, ei cultum latriæ exhibendo. I Tim. I, 17 : *Soli Deo honor.* Hanc igitur mutaverunt, cum cultum Deo debitum exhibuerunt aliis. Alio modo potest intelligi de gloria qua Deus in se gloriosus est, quæ est incomprehensibilis et infinita. Prov. XXV, 27 : *Perscrutator majestatis opprimetur a gloria.* Quæ quidem gloria nihil est aliud quam ipsa claritas divinæ naturæ: *Lucem enim habitat inaccessibilem* : I Tim. ult. 16. Hanc autem mutaverunt, dum eam aliis attribuerunt : *Incommunicabile enim nomen, lignis et lapidibus imposuerunt*, ut dicitur Sap. XIV, 21. Secundo notatur incorruptibilitas, cum dicit, *Incorruptibilis* : ipse enim solus perfecte incorruptibilis est, qui est omnino immutabilis : omnis enim mutatio quædam corruptio est : unde dicitur I Tim. ult. 16 : *Solus habet immortalitatem.* Tertio notatur naturæ sublimitas, cum dicitur, *Dei* : ut enim in Psalm. XLVII, 2. dicitur, *Deus magnus Dominus.* Ex parte vero ejus in quod mutaverunt, tria correspondentia pounntur. Nam contra gloriam dicit, *In similitudinem imaginis ;* idest, in similitudinem alicujus rei per modum imaginis ab aliquo expressæ. Manifestum enim est quod similitudo imaginis est posterior illa re cujus est imago. Gloria autem sive claritas Dei est principium omnis speciei et formæ. Et sic dum Dei gloriam in similitudinem imaginis mutaverunt, converterunt primum in ultimum [5]. Sap. XIV, 15 : *Acerbo luctu dolens pater, cito sibi rapti* [8] *filii fecit imagi-*

[3] Al. deest : « ideo. » — [5] Al. : « secundo quomodo contra veritatem, etc. »
[5] Al. : « et sic qui Dei gloriam in similitudinem imaginis mutant, convertunt primum in ultimum. » — [8] Al. : « primi cito rapti, etc. » —

nem. Contra id quod dixerat, *Incorruptibilis*, dicit, *Corruptibilis*. Psal. xxix, 10 : *Quæ utilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem?* scilicet quid est amplius jam corruptum sive mortuum? Sap. xv, 17 : *Cum sit mortalis, mortuum fingit manibus iniquis*. Contra id quod dixit, *Dei* ponit, *Hominis*, Job xxxii, 21 : *Non accipiam personam viri, et Deum homini non æquabo*. Et quod est abominabilius, homo gloriam Dei transtulit non solum in hominem, qui est ad imaginem Dei, sed etiam ad ea quæ sunt infra hominem : unde subdit : *Et volucrum*, quantum ad volatilia, *et quadrupedum*, quantum ad gressibilia, *et serpentum*, quantum ad reptilia. Prætermittit autem pisces, tamquam magis ab humana conversatione sejunctos. Hæc autem omnia sunt a Deo homini supposita. Psal. viii : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*. Ezech. viii, 9 : *Ingredere et vide abominationes pessimas quas isti faciunt hic. Et ingressus vidi ; et ecce omnis similitudo reptilium, et animalium abominatio.*

Est autem notandum, quod, sicut dicit *Glossa*, ab adventu Æneæ consueverunt in Italia imagines hominum coli, puta Jovis, Herculis, et similium. Sed tempore Cæsaris Augusti, devicta Ægypto, eorum cultum Romani assumpserunt : qui imagines animalium colebant propter figuras animalium quæ notantur in cœlo, quibus Ægyptii [1] tamquam astrologiæ dediti, cultum divinitatis impendebant. Unde et Dominus filios Israel in Ægypto nutritos, ab hujusmodi cultu removet dicens Deuter. iv, 19 : *Ne forte oculis elevatis in cœlum videas solem et lunam et omnia astra cœli et errore deceptus adores ea.*

Deinde cum dicit, *Propter quod tradidit*, ponit pœnam hujusmodi culpæ respondentem. Circa quod considerandum est, quod homo medium locum obtinet inter Deum et animalia bruta, et cum utroque extremorum communicat : cum Deo quidem secundum intellectualitatem, cum animalibus vero brutis secundum sensualitatem. Sicut igitur homo id quod est Dei mutavit usque ad bestias ; ita Deus id quod est divinum in homine secundum rationem, subdidit ei quod est brutale in ipso, scilicet desiderio sensualitatis, secundum illud Psal. xlviii, 13 : *Homo cum in honore esset, non intellexit*, similitudines scilicet propter rationem, *comparatus est jumentis insipientibus* [2]. Hoc est ergo quod dicit : *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis :* ut eorum ratio subderetur desideriis cordis, scilicet sensualis affectus, de quibus dicit infra xiii, 14 : *Carnis curam ne feceritis in desideriis*. Quod quidem est contra naturalem ordinem hominis, secundum quem ratio appetitui sensibili dominatur. Gen. iv, 7 : *Sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius.* Inducit ergo homines in desideria cordis eorum, sicut in manum dominorum crudelium. Isai. xix, 4 : *Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium.* Præcipue tamen circa appetitum sensitivum, bestialis quædam deordinatio pertinet ad peccata carnalia, nam delectationes tactus, circa quas sunt gula et luxuria, manifeste sunt communes nobis et brutis ; et ideo sunt magis exprobrabiles, quasi magis brutales, ut dicit Philosophus in II *Ethicor.* cap. x. Et hoc designatur cum subdit, *In immunditiam*, quæ ad peccata carnalia pertinet, secundum illud Ephes. v: 5 : *Omnis fornicator aut immundus* : quia scilicet homo per hujusmodi peccata maxime convertitur et trahitur ad id quod est infra ipsum : unumquodque enim dicitur esse impurum sive immundum ex commixtione vilioris, sicut argentum ex commixtione plumbi [3]. Unde exponens subdit : *Ut contumeliis*, id est turpibus et immundis actibus *afficiant*, idest inficiant, *corpora sua in semetipsis* ; idest, non quasi ab aliis coacti, puta a Barbaris, sed a semetipsis hoc agunt propria sponte. Infra ix, 21 : *An non habet potestatem figulus luti, ex eodem luto facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam* ? scilicet in turpem usum.

Sed cum hujusmodi immunditia sit peccatum, videtur quod Deus in eam homines non tradat : quia, ut dicitur Jacob i, 13, *Deus intentator malorum est.*

Dicendum est, quod Deus non dicitur tradere homines in immunditiam directe, inclinando affectum hominis ad malum, quia Deus omnia ordinat in seipsum.

[1] Al. omittitur : « Ægyptii. » — [2] Al. : « Homo cum in honore esset scilicet divinæ imaginis propter rationem, comparatus est jumentis insipientibus. Hoc est quod dicit, etc. » — [3] Al. : « ex conjunctione vilioris, sicut argentum ex conjunctione plumbi. »

Proverb. xv, 4 : *Universa propter se operatus est Dominus* : peccatum autem est aliquid per aversionem ab eo. Sed indirecte tradit homines in peccatum, inquantum juste [1] subtrahit gratiam, per quam homines continebantur ne peccarent ; sicut si aliquis alicujus sustentaculum tollere, diceretur facere casum ejus. Et per hunc modum, primum est causa sequentis peccati, sequens vero est pœna prioris.

Ad cujus evidentiam sciendum est, quod unum peccatum potest esse causa alterius indirecte, et directe. Directe quidem, inquantum ex uno peccato inclinatur ad aliud : quod fit tripliciter. Uno modo secundum rationem causæ finalis ; sicut cum quis ex avaritia vel invidia [2] incitatur ad homicidium committendum ; secundo secundum rationem causæ materialis, sicut gula inducit ad luxuriam, ministrando materiam ; tertio secundum rationem causæ moventis, sicut cum ex multis actibus alicujus peccati, generatur habitus ad simile peccatum inducens. Indirecte autem, sicut primum peccatum meretur exclusionem gratiæ, qua subtracta homo ruit in aliud peccatum ; et sic primum peccatum est causa secundi indirecte, sive per accidens, sicut removens prohibens. Sed notandum est, quod peccatum, inquantum hujusmodi, non potest esse pœna : quia pœnam contra voluntatem patimur, peccatum autem est voluntarium, ut Augustinus dicit. Sed quia peccatum habet quædam adjuncta, quæ sunt contra voluntatem peccantis, ratione eorum peccatum dicitur pœna præcedentis peccati. Hoc autem est uno modo aliquid præcedens peccatum, sicut subtractio gratiæ, ex qua sequitur ut homo peccet. Alio modo est aliquid adjunctum ipsi peccato, vel interius, sicut est inordinatio animi : unde Augustinus dicit in I *Confes.* « Jussisti Domine, et sic est, ut pœna sibi sit omnis inordinatus animus : » sive quantum ad exteriores actus, quibus difficultates ac labores adjunguntur, secundum illud quod dicunt impii Sapient. v, 7 : *Ambulavimus vias difficiles.* Tertio quantum ad id quod sequitur peccatum, sicut est remorsus conscientiæ, infamia et similia.

Deinde cum dicit, *Commutaverunt veritatem Dei in mendacium*, ponit culpam impietatis, quam commiserunt contra veritatem divinæ naturæ : et primo ponit culpam ; secundo pœnam ; ibi, *Propterea tradidit.* Divina autem natura potest considerari dupliciter. Uno modo secundum quod est ratio cognoscendi, ut veritas prima ; et quantum ad hoc dicit : *Quia commutaverunt veritatem Dei in mendacium* : quod quidem potest intelligi dupliciter. Uno modo quia veram cognitionem, quam a Deo acceperunt, perversa ratione ad falsa dogmata converterunt ; sicut cum dixerunt, idola esse deos, vel Deum non esse omnipotentem, vel omniscientem. Hierem ix, 5 : *Docuerunt linguas suas loqui mendacium.* Alio modo veritatem Dei in mendacium mutaverunt, quia divinitatis naturam, quæ est ipsa veritas, attribuerunt idolo, quod est mendacium, inquantum non est Deus, ut dicitur Hier. xvi, 19 : *Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem quæ eis non profuit. Numquid faciet homo sibi deos, et ipsi non sunt dii?* Alio modo potest considerari divina natura secundum quod est principium essendi omnibus per creationem ; et sic debetur ei ab homine, interius quidem cultus secundum pium affectum : Joan. ix, 31 : *Si quis cultor est Dei, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit* : exterius vero debetur ei servitus latriæ, secundum illud Deut. vi, 13 : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Unde et subdit contra eos, scilicet *Coluerunt et servierunt creaturæ potius quam creatori* : colebant enim cœlestia corpora, et aerem et aquam, et alia hujusmodi, secundum illud Sapien. xvii, 2 : *Aut ignem aut spiritum aut citatum aerem aut gyrum stellarum aut nimiam aquam, aut solem et lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt.* Et in hoc improbat sapientes Gentilium, qui quamvis nunquam in imaginibus aliquid numinis esse crederent, sicut sectatores Hermetis credebant, neque ea quæ a Poetis fabulose dicebantur de diis, crederent esse vera ; creaturis tamen aliquibus cultum divinitatis [3] impendebant, ex quibus rationem fabularum assignabant ; sicut Varro posuit totum mundum esse Deum propter animam ejus, dicens, quod toti mundo et omnibus partibus ejus, divinitatis cultus impendi potest, scilicet aeri, quem vocabant Junonem, et aquæ quam vocabant Liceum, et sic de aliis. Platonici etiam posuerunt, quod omnibus

[1] Al. omittitur : « juste. » — [2] Al. deest : « vel invidia. » — [3] Al. : « alicujus cultum divinitatis. »

substantiis rationalibus quæ sunt supra nos, cultus divinitatis debetur; puta dæmonibus, animabus [1] cœlestium corporum, intelligentiis, id est substantiis separatis. Quamvis autem his quæ supra nos sunt aliquam reverentiam exhibere debeamus, non tamen cultum latriæ quæ potissime in sacrificiis et oblatione consistit [2], per quam homo profitetur omnium bonorum Deum esse auctorem; sicut in quolibet regno aliquis honor supremo domino exhibetur, quem non licet transferre in alium. Et ideo subdit : *Qui est benedictus* : id est, cujus bonitas est manifesta. Sic enim [3] dicimur benedicere Deum, inquantum ejus bonitatem corde recognoscimus, et ore confitemur. Eccli. XLIII, 33 : *Benedicentes Deum exaltate illum quantum potestis.* Addit autem, *In sæcula*, quia ejus bonitas est sempiterna, ab alio non dependens, sed est omnis boni principium ; et ex hoc sibi debetur omnis latriæ cultus. Addit autem, *Amen*, ad omnimodam certitudinem asserendam. Isai. LXV, 16 : *Qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo. Amen* : quod idem est quod verum, vel fiat. Videtur autem Apostulus triplicem theologiam tangere Gentilium. Primo quidem civilem quæ observabatur a pontificibus in adoratione idolorum in templo ; et quantum ad hoc dicit : *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei.* Secundo theologiam fabularem, quam Poetæ tradebant in theatris; et quantum ad hoc dicit : *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium.* Tertio theologiam naturalem, quam observaverunt Philosophi in mundo, partes mundi colentes ; et quantum ad hoc dicit : *Et coluerunt et servierunt creaturæ potius quam creatori.*

LECTIO VIII.

Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ : nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidiis, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores majorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia : qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Posita culpa impietatis, secundum quam contra naturam divinam peccaverunt, hic ponit pœnam, qua scilicet ad hoc reducti sunt ut contra suam naturam peccarent : et primo ponit pœnam ; secundo exponit, ibi, *Nam feminæ*; tertio ejus convenientiam ostendit, ibi, *Et mercedem.* Dicit ergo primo : *Propterea*, scilicet quia Dei veritatem in mendacium mutaverunt, *tradidit illos Deus*, non quidem impellendo in malum, sed deserendo, *in passiones ignominiæ*, idest peccata contra naturam, quæ dicuntur passiones secundum quod proprie passio dicitur ex eo quod aliquid [4] trahitur extra ordinem suæ naturæ ; puta cum aqua calefit, aut cum homo infirmatur. Unde quia per hujusmodi peccata homo recedit ab ordine naturali, convenienter dicuntur passiones. Infra VII, 5 : *Passiones peccatorum.* Dicuntur autem *passiones ignominiæ*, quia non sunt homine digna, secundum illud Ephes. V, 12 : *Quæ aguntur in occulto ab eis, turpe est dicere.* Si enim peccata carnis communiter exprobrabilia sunt, quia per ea homo deducitur ad id quod est bestiale in homine, multo magis peccatum contra naturam, per quod etiam homo a natura bestiali decidit. Oseæ IV, 7 : *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Deinde cum dicit : *Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum* etc., exponit quod dixerat : et primo quantum ad feminas ; secundo quantum ad masculos, ibi, *Similiter autem masculi.* Dicit ergo primo : Ideo illos dico in passiones ignominiæ traditos : *nam feminæ eorum mutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam.* I Cor. XI, 14 : *Nec ipsa natura docet vos.* Isa. XXIV, 5 : *Mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum*, id est jus, naturale.

Est autem considerandum, quod dupliciter est aliquid contra naturam hominis. Uno modo contra naturam differentiæ constitutivæ hominis, quæ est rationale ;

[1] Al. : « animalibus. » — [2] Al. : « quæ præcipue in sacrificii oblatione consistit. » — [3] Al. : « sicut enim. » — [4] Al. : « aliud. »

et sic omne peccatum dicitur esse contra naturam hominis, inquantum est contra rationem rectam. Unde et Damascenus dicit in II lib. *De fide*, cap. IV, post princ., quod Angelus peccans, versus est ex eo quod est secundum naturam in id quod est præter naturam. Alio modo dicitur esse aliquid contra naturam hominis ratione generis, quod est animal. Manifestum est autem quod secundum naturæ intentionem commixtio sexuum in animalibus ordinatur ad actum generationis. Unde omnis commixtionis modus ex quo generatio sequi non potest, est contra naturam hominis, inquantum est animal; et secundum hoc dicitur in *Glossa*. « Naturalis usus est ut vir et mulier in uno concubitu coeant; contra naturam vero ut masculus masculum polluat, et mulier mulierem : » et eadem ratio est de omni actu coitus, ex quo generatio sequi non potest.

Deinde cum dicit, *Similiter autem et masculi*, exponit quantum ad mares, qui scilicet *relicto naturali usu feminæ, exarserunt*, idest extra terminos naturæ arserunt, secundum illud Psal. CXVII, 12 : *Exarserunt sicut ignis in spinis* : et hoc *in desideriis suis*, scilicet carnalibus, *invicem masculi in masculos turpitudinem operantes*. Ezech. XVI, 37 : *Nudabo ignominiam tuam coram eis, et videbunt omnem turpitudinem tuam*. Deinde cum dicit, *Et mercedem*, ostendit hanc pœnam convenientem esse culpæ, dicens : *Recipientes in semetipsis*, idest in deformatione suæ naturæ, *mercedem erroris sui*, scilicet quo Dei veritatem in mendacium commutaverunt : *mercedem*, idest retributionem, *quam oportuit*, scilicet eos recipere secundum justitiæ ordinem, ex qua debitum erat ut qui in Dei naturam injuriosi fuerant, id quod est proprium sibi creaturis attribuendo, in sui naturam contumeliosi existerent. Et quamvis merces proprie videatur in bonum sonare, tamen hic sumitur communiter pro quacumque retributione, etiam in malis, secundum modum quo dicitur infra VI, 23 : *Stipendia peccati mors*, Mich. I, 7 : *Mercedes eorum igni comburentur*.

Et est notandum, quod satis rationabiliter Apostolus vitia contra naturam, quæ sunt gravissima inter peccata carnalia, ponit idololatriæ pœnam, quia simul cum idololatria incepisse videntur, scilicet tempore Abrahæ, quando creditur idololatria incepisse. Unde et tunc primo leguntur in Sodomitis punita esse, ut Gen. XIX. Simul etiam idololatria crescente, hujusmodi vitia creverunt ; unde dicitur II Machab. IV, quod Jason ausus est sub ipsa arce optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere. Erat autem hoc non initium, sed incrementum quoddam et profectus gentilis et alienigneæ conversationis.

Deinde cum dicit, *Et sicut non probaverunt*, ostendit eos injustitiæ [1] fuisse subjectos : et primo ostendit ex qua priori culpa in hæc peccata devenerunt : secundo enumerat horum peccatorum differentias, ibi, *Repletos omni iniquitate*. Culpam autem præcedentem ponit cum dicit : *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia* : quod potest dupliciter intelligi. Uno modo, quia quamvis lumine rationis et per creaturas visibiles veram cognitionem habere potuerunt, tamen ut liberius possent peccare, *non probaverunt*, idest non approbaverunt ut ipsi haberent Deum in sui notitia. Job XXI, 14 : *Dixerunt Deo : Recede a nobis ; scientiam viarum tuarum nolumus*. Alio modo potest intelligi quod ipsi non probaverunt quod Deus in sua notitia haberet facta humana, secundum illud Psalm. XCIII, 7 : *Dixerunt : Non videbit Dominus nec intelliget Deus*. Et secundum hunc sensum convenienter huic culpæ respondet pœna, cum subditur : *Tradidit illos Deus in reprobum sensum*. Dicitur autem hic sensus hominis, non exterior quo sensibilia cognoscuntur ; sed interior, secundum quem judicat de agendis, secundum illud Sapient. VI, 16 : *Cogitare de illa sensus est consummatus*. Dicitur autem sensus reprobus, quo aliquis reprobandum judicium habet de agendis, secundum illud II Tim. III, 8 : *Homines mente corrupti, reprobi circa fidem* : Hier. VI, 30 : *Argentum reprobum vocate eos*. Et ideo subdit : *Ut faciant ea quæ non conveniunt*, idest ea quæ a recta ratione discordant. Sap. III, 11 : *Inutilia opera eorum sunt*. Est autem conveniens ut qui contra Dei notitiam peccaverunt, vel eum cognoscere nolentes, vel eum cognoscere non arbitrantes, in perversitatem sensus traderentur. Unde et Sap. XIV, 31, dicitur *Peccatorum pœna perambulat semper injustorum prævaricationem*.

[1] Al. : « justitiæ. »

Deinde cum dicit ; *Repletos omni iniquitate*, enumerat hujusmodi inconvenientia opera : et primo ponit id quod est generale, dicens : *Repletos omni iniquitate* : quia, ut dicitur I Joan. III, 4. *omne peccatum est iniquitas*. Sicut enim omnis virtus, inquantum exequitur præceptum legis, habet rationem justitiæ ; ita etiam omne peccatum, inquantum a regula legis divinæ discordat, habet rationem iniquitatis : et sic in sacra Scriptura præcipue peccata arguuntur. Dupliciter autem eorum culpam exaggerat. Primo quidem intensive, per hoc quod dicit *Repletos* : ille enim videtur repleri iniquitate cujus affectus est totaliter ad peccandum dispositus, secundum illud Psal. XIII, 3 : *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est*. Secundo extensive, quia scilicet non tantum in uno peccaverunt, sed in omnibus. Sap. XIV, 27 : *Infandorum idolorum cultura omnis mali causa est*.

Consequenter cum dicit, *Malitia*, enumerat peccata in speciali : et primo quantum ad transgressionem, quæ opponitur præceptis negativis ; secundo quantum ad omissionem, quæ opponitur præceptis affirmativis, ibi, *Superbos*. Cira primum duo facit. Primo ponit peccata quibus aliquis deterioratur in seipso ; secundo peccata quibus aliquis fit nocivus proximo, ibi, *Nequitia*. Circa primum ponit quidem id primo quod est generale, cum dicit, *Malitia*, quæ est habitus vitiosus virtuti oppositus : unde ex malitia peccare dicuntur qui ex habitu peccant. Psalm. LI, 1 : *Quid gloriaris in malitia?* In speciali ponit peccatum quo quis deordinatur circa appetitum corporalium delectationum, cum dixit, *Fornicatione*. Quamvis enim fornicatio proprie sit cum meretricibus, quæ juxta fornices, idest arcus triumphales, se publice prostituebant ; tamen hic sumitur pro omni illicito concubitu. Tob. IV, 3 : *Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione*. Secundo ponit vitium per quod quis deordinatur circa appetitum rerum exteriorum, cum dicit, *Avaritia*, quæ est immoderatus appetitus habendi. Hebr. ult. 5 : *Sint mores sine avaritia contenti præsentibus*. Deinde ponuntur peccata quæ tendunt ad nocumentum proximi : et primo ponit id quod est generale, cum dicit, *Nequitia* ; dum scilicet attentat aliquis quod nequit implere ; quod maxime contingit circa nocumenta proximorum, quibus non potest aliquis aliquando pro voto nocere. Psalm. VII, 11 : *Consummetur nequitia peccatorum*.

Consequenter ponit radicem horum peccatorum, dicens, *Plenos invidia*, quæ est dolor de alieno bono, ex quo aliquis incitatur ad nocendum alteri. Sapient. XI, 24 : *Indivia diaboli mors introivit, in orbem terrarum*. Postea ponuntur nocumenta : et primo [1] manifesta, et quantum ad facta, cum dicit, *Homicidiis*, quæ sunt præcipua nocumenta. Oseæ IV, 2 : *Maledictum, mendacium et homicidium, furtum et adulterium inundaverunt*. Dicit autem pluraliter, *Homicidiis* : quia homicidium non solum consistit in opere, sed etiam in voluntate. I Joan. III, 15 : *Qui odit fratrem, homicida est* : qui scilicet odit ad occidendum. Et quantum ad verba, cum dicit, *Contentione*. Est autem contentio, impugnatio veritatis, cum confidentia clamoris. Proverb. X, 3 : *Honor est homini qui se separat a contentionibus*. Deinde ponit nocumenta occulta, et primo illud quod est generale, cum dicit, *Dolo*, quando scilicet aliud simulatur, et aliud agitur. Hier. IV, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum dolum locuta est* : *in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ei ponit insidias*. Post hæc ponit tradicem interiorem horum nocumentorum, cum dicit, *Malignitate*, quæ importat malum ignem, idest malum affectum in corde, secundum illud Psal. XXVII, 3 : *Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus*. Psal. V, 6 : *Non habitabit juxta te malignus*. Consequenter ponit nocumenta occulta, quæ præcipue fiunt verbis, cum dicit, *Susurrones*, qui scilicet occulte susurrant in auribus hominum ad seminandum inter eos discordias. Eccli. XXVIII : *Susurro et bilinguis maledictus in populo : multos enim turbavit pacem habentes*. *Detractores*, qui scilicet detrahunt famæ alicujus occulte, idest eo ignorante mala dicentes de eo. Eccle. X, 11 : *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit*. Et ne putentur ista peccata esse levia, quia solo ore committuntur, subdit, *Deo odibiles* : impugnant enim id maxime quod Deus in hominibus amat, scilicet mutuum amorem. Joan. XV, 12 : *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem*. Unde

[1] Al. : « proximo. »

dicitur Proverb. VI, 16 : *Sex sunt quæ odit Deus, et septimum detestatur anima ejus,* scilicet , *qui seminat inter fratres discordias* : Addit autem *Contumeliosos*, qui scilicet mala in faciem inferunt. I Tim. I, 13 : *Qui prius fui blasphemus et persecutor et contumeliosus.* Sic ergo hæc tria vitia in materia conveniunt, quia omnes mala dicunt de proximo [1] ; differunt autem in fine, nam susurro intendit discordiam, detractor infamiam, contumeliosus injuriam. Consequenter ponit peccata quæ pertinent ad omissionem : et primo ponit radicem horum peccatorum, cum dicit, *Superbos.* Dicuntur enim superbi, quasi super se euntes per inordinatum appetitum excellentiæ : volunt enim præesse , non subesse alienæ regulæ, et ideo præcepta omittunt [2]. Eccli. XVIII, 17 : *Initium omnis peccati, superbia* : quod verum est quantum ad aversionem a Deo, non quantum ad conversionem ad bonum commutabile : dicitur enim. I Tim. ult. 10, quod *radix omnium malorum est cupiditas.* Secundo ponit processum superbiæ, ex quo primo in corde nascitur elatio, ut scilicet homo se super alios efferat. Luc. XVIII, 11 : *Non sum sicut ceteri hominum.* Unde dicitur contra elatos illud Ps. CXXX, 1 : *Neque elati sunt oculi mei.* Secundo ex superbia in opere nascitur novitatum præsumptio ; et quantum ad hoc subdit, *Inventores malorum* : quia enim bona jam a Deo et ab hominibus sunt instituta, consequens est ut ipsi de novo adinveniant mala. Isa. III, 8 : *Adinventiones eorum contra Dominum.* Consequenter ponuntur ipsæ omissiones : et primo respectu superiorum : unde quantum ad parentes dicit, *Parentibus non obedientes*: contra id quod dicitur Ephes. VI, 1 : *Filii obedite parentibus vestris in Domino.* Quantum autem ad Deum dicit, *Insipientes,* idest contra divinam reverentiam agentes. Job XXVIII, 28 : *Ecce timor Domini, ipse est sapientia, et recedere a malo intelligentia.* Secundo ponit omissionem, quantum ad seipsum, cum dicit, *Incompositos*, in habitu et in incessu. Eccl. XIX, 27 : *Amictus corporis et risus dentium et ingressus hominis enuntiant de illo.* Quidem tamen inculpantur Is. III, de hoc quod composito gradu incedebant : quia illa compositio excedebat modum communem hominum inter quos conversabantur.

Tertio ponit omissionem quantum ad pares, ad quos debemus habere primo affectum in corde, quod dicit, *Sine affectione.* Prov. XII, 10 : *Viscera impiorum crudelia.* Tim. III, 2 : *Erunt homines seipsos amantes*, scilicet et non alios. Secundo eis exhibere socialem conversationem, contra quod subdit, *Absque fœdere*, quo scilicet aliis socialiter non convivunt. Judic. XVIII, 27 : *Percusserunt eos in ore gladii... eo quod cum nullo hominum haberent quidquam societatis ac negotii.* Eccl. IV, 10 : *Væ soli quoniam cum ceciderit, non habet sublevantem se.* Quarto quantum ad inferiores subdit, *Sine misericordia*, quam debemus miseris exhibere, Jac. II, 13 : *Judicium sine misericordia fiet illi qui non facit misericordiam.* Deinde cum dicit, *Qui cum justitiam Dei cognovissent*, ostendit eos esse obnoxios iræ, sive vindictæ divinæ. Circa quod tria sunt consideranda. Primo naturalis eorum affectus; quia cum cognoscerent Deum justum, et omnes alias perfectiones habentem, non crediderunt quod pro peccatis pœnam inferret. Sophon. I, 12 : *Dicunt in cordibus suis : Non faciet Dominus bene, et non faciet Dominus male* [3]. Et hoc est quod dicit : *Qui cum justitiam Dei cognovissent non intellexerunt.* Secundo pœna peccatis eorum debita, cum dicit : *Digni sunt morte.* Infra VI, 23 : *Stipendia peccati, mors est.* Dignum est enim quod anima quæ deserit Deum, a corpore suo deseratur per mortem corporalem ; et finaliter deseratur a Deo per mortem æternam, de qua dicitur in Psal. XXXIII, 22 : *Mors peccatorum pessima* : et Apocal. XX, 6 : *In his mors secunda non habebit potestatem.* Tertio considerandum est quibus talis pœna debetur. Et primo his qui talia agunt, scilicet prædicta peccata, secundum illud Psal. V, 7 : *Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Et non solum illis qui faciunt, sed etiam his qui consentiunt facientibus.* Et hoc dupliciter. Uno modo directe, vel laudando peccatum, secundum illud Psal. IX, 24 : *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ* : vel etiam præbendo consilium et favorem,

[1] Al. : « dicit autem in fine. » — [2] Al. : « committunt. »

[3] Edit. Romana an. 1570, et duæ Venetæ, altera an. 1562, curante F. Remigio Florentino, altera an. 1593, legunt : « Non faciet Dominus male. » omissis aliis.

secundum illud II Par. xix. 2 : *Impio præbes auxilium.* Alio modo indirecte, quando non reprehendit aut impedit quocumque modo, si potest ; et præcipue si ex officio incumbat, sicut peccata filiorum imputantur Heli, sicut patet I Reg. iv. Hæc etiam specialiter Apostolus dicit propter quosdam sapientes Gentilium, qui etsi idola non colebant, tamen colentibus non resistebant.

CAPUT SECUNDUM

LECTIO I.

Propter quod inexcusabilis es o homo omnis qui judicas : in quo enim alterum judicas, te ipsum condemnas ; eadem enim agis quæ judicas. Scimus enim quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. Existimas autem o homo qui judicas eos qui talia agunt, et facis ea, quia tu effugies judicium Dei ? An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis ejus contemnis ? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ? Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei.

Postquam Apostolus ostendit quod Gentiles justificati non sunt ex veritatis cognitione quam habuerunt, hic ostendit quod neque Judæi justificati sunt ex his in quibus gloriabantur ; et sic utrisque est necessaria ad salutem virtus evangelicæ gratiæ. Primo ergo dicit, quod Judæi non sunt justificati ex lege ; secundo quod non sunt justificati ex genere, de quo gloriabantur ; III cap. *Quid ergo est amplius* ? tertio quod non sunt justificati ex circumcisione, IV cap. *Quid ergo dicemus* ? Circa primum considerandum est, quod Judæi et Gentiles ad fidem conversi se invicem judicabant de priori vita : Judæi enim Gentibus objiciebant, quod sine Dei lege viventes, idolis immolabant ; Gentes autem objiciebant Judæis, quod lege Dei accepta, eam non servabant. Primo ergo utrosque arguit de inordinato judicio ; secundo specialiter ostendit quod Judæi non erant digni præmio : quia ea in quibus gloriabantur, non sufficiebant ad salutem : ibi, *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*. Circa primum duo facit. Primo confutat humanum judicium ; secundo astruit et commendat divinum, ibi, *Scimus enim quoniam judicium Dei est secundum veritatem*. Circa primum duo facit. Primo proponit mutuo se judicantes inexcusabiles esse ; secundo assignat rationem, ibi, *in quo enim alterum judicas*. Primo ergo concludit ex præmissis, dicens : *Propter quod* Gentiles veritatem de Deo cognitam, in injustitia detinuerunt, *o homo qui judicas* alium hominem, *inexcusabilis es*. sicut sap. I dixit : *Ita ut sint inexcusabiles*. Addit autem, *Omnis* ; quasi dicat : Quicumque sis, sive Gentilis, sive Judæus : quia etiam Gentilis, de quo magis videbatur, non potest excusari per ignorantiam, sicut supra ostensum est. I Cor. IV, 5 : *Nolite ante tempus judicare*. Deinde cum dicit, *In quo enim*, assignat rationem, excludendo causam excusationis : primo quidem ignorantiam ; secundo innocentiam, ibi, *Eadem enim agis*. Ignorantia quidem excluditur per judicium : quicumque enim judicat aliquem quasi male agentem, demostrat se agnoscere illud esse malum, et ex hoc ostendit esse condemnabilem ; et hoc est quod dicit : Ideo, inquam, es inexcusabilis : *in quo enim judicas alterum*, quasi male agentem, *teipsum condemnas* ; id est, ostendis te esse condemnabilem. Matth. VII, 1 : *Nolite judicare, et non judicabimini*. Non tamen credendum est quod omne judicium sit condemnationis causa. Est enim triplex judicium. Unum quidem justum, quod scilicet fit secundum regulam justitiæ. Sap. I, 1 : *Diligite justitiam qui judicatis terram*. Aliud judicium non justum, quod scilicet fit contra regulam justitiæ. Sap. VI, 5 : *Cum essetis ministri regni ejus, non recte judicastis*. Est autem tertium judicium temerarium, contra quod dicitur Eccle. V, 1 : *Ne temere quid loquaris*. Quod quidem dupliciter committitur. Uno modo quando aliquis procedit circa id quod est sibi commissum judicium absque debita veritatis cognitione, contra id quod dicitur Job XXIX, 16 : *Causam quam ignorabam diligentissime investigabam*. Alio modo quando aliquis usurpat sibi judicium de occultis, de quibus solus Deus judicare habet : contra id quod dicitur I Cor. IV, 5 : *Nolite ante tempus judicare, quo ad usque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum*. Est autem aliquid occultum, non solum quo

ad nos, sed secundum sui naturam, ad solam Dei cognitionem pertinens. Primo quidem cogitatio cordis, secundum Hier. XVII, 9 : *Pravum est cor hominis et inscrutabile : quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda, et probans renes.* Secundo contingens futurum, secundum illud Isa. XLI, 23 : *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et dicemus quia dii estis vos.* Et ideo, sicut dicit Augustinus *De sermone Domini in monte* serm. II, cap. XXVIII, duo sunt in quibus temerarium judicium cavere debemus ; cum incertum est quo animo quidque factum fuerit; vel cum incertum est qualis quisque futurus est, qui nunc vel bonus vel malus apparet. Primum ergo judicium non est condemnationis causa, sed secundum et tertium. Deinde cum dicit, *Eadem enim agis quæ judicas*, excludit aliam excusationis causam, scilicet innocentiam; quasi dicat: Ideo tu qui judicas alios, teipsum condemnas, quia tu eadem agis quæ judicas, idest de quibus alios condemnas : et ita videtur [1] quod contra conscientiam agis. Matth. VII, 3 : *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides?* Est tamen sciendum, quod non semper cum aliquis aliquem judicat de peccato quod ipse committit, per hoc ipsum semper mortaliter peccat sic judicando ; semper tamen suam damnationem manifestat. Si enim publice sit in peccato de quo alium judicat, videtur scandalizare judicando : nisi forte humiliter se simul cum illo reprehendat, pro suo peccato ingemiscens. Si vero sit in eodem peccato occulte, non peccat judicando alium de peccato eodem, maxime cum humilitate et conatu ad resurgendum ; ut Augustinus dicit in libro II, cap. XIX *De sermone Domini in monte.* « Primum cogitemus cum aliquem reprehendere necessitas nos cogit, utrum tale sit vitium quod nunquam habuimus ; et tunc cogitemus nos etiam habere potuisse : vel tale quod habuimus, et jam non habemus ; et tunc tangat memoriam fragilitas communis, ut illam correctionem, non odium, sed misericordia præcedat. Si autem invenimus nos in eodem vitio esse, non objurgemus, sed congemiscamus, et ad pariter condolendum [2] invitemus. »

Deinde cum dicit, *Scimus enim*, astruit et commendat divinum judicium ; et circa hoc tria facit. Primo ponit divini judicii veritatem ; secundo excludit contrariam opinionem, ibi, *Existimas*; tertio manifestat veritatem, ibi, *Qui reddet unicuique.* Dicit ergo primo : Ideo dico quod teipsum condemnas, cum eadem agis quæ judicas : *scimus enim*, id est pro certo tenemus, *quoniam judicium Dei est in eos qui talia agunt*; idest, imminet eis divinum judicium, Job XIX, 29 : *Ultor iniquitatis est gladius, et scitote esse judicium.* Eccle. ult. 14 : *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium.* Item scimus quod hoc judicium est *secundum veritatem.* Psal. XCV, 13: *Judicabit orbem terræ in æquitate.* Hominis autem judicium, etiam si juste judicet, non semper est secundum veritatem negotii, sed secundum dicta testium, quæ quandoque dissonant a veritate. Sed hoc non est in divino judicio : quia, ut ipse dicit Hier. XXIX, 23, *Ego sum judex et testis.* Non etiam fallitur falsis allegationibus, secundum illud Job XLI, 3 : *Non parcam ei, quasi verbis potentibus, et ad deprecandum compositis.* Deinde cum dicit, *Existimas autem*, excludit opinionem contrariam : et primo ponit eam ; secundo assignat causam, ibi, *An divitias*; tertio improbat, ibi, *Ignoras.* Dicit ergo primo : Ita dixi, quod judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. Sed numquid *o homo*, quicumque es, *qui judicas eos qui talia agunt, et tafacis ea*, superioris judicium non times? *Existimas quia tu effugies judicium Dei?* Quasi dicat : Si hoc existimas, falsa est æstimatio tua. Psal. CXXXVIII, 7 : *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam?* Job. XI, 20 : *Effugium peribit ab eis.* Deinde cum dicit, *An divitias*, ostendit causam hujus falsæ æstimationis. Quia enim homo non statim punitur a Deo pro peccato, æstimat se non esse puniendum ; contra id quod dicitur Eccli. V, 4 : *Ne dixeris in corde tuo : Peccavi, et quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor* : et Eccle. VIII, 11 : *Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala.* Attamen peccator ex eo quod centies facit malum, et per patientiam sustentatur, non habet contemnere, sed advertere quod est bonum timentibus eum [3]. Et ideo hic dicit, *An comtemnis?* secundum illud Proverb. XVIII, 3 : *Impius cum in profundum pec-*

[1] Al. : « quia tu agis; et ita videtur, etc. » intermediis omissis. — [2] Al. : « conandum. »

[3] Al. : « ego cognovi quod erit bonum timentibus eum. »

catorum venerit, contemnit. Divitias, idest abundantiam. Ephes. II, 4 : *Deus qui dives est in misericordia. Bonitas ejus*, per quam scilicet in nos diffundit bona, secundum illud Psal. CIII, 28 : *Aperis tu manum tuam, et omnia imples bonitate.* Nam bonum diffusionis rationem importat, secundum Dionysium. Tim. III, 25 : *Bonus est Dominus sperantibus in eum. Et patientiæ*, per quam scilicet sustinet graviter, et ex malitia peccantes. Psal. VII, 12 : *Deus judex justus et patiens : numquid irascitur per singulos dies? Et longanimitatis*, per quam scilicet diu sustinet homines ex infirmitate peccantes, diu tamen in peccato permanentes. II Pet. ult. 15 : *Longanimitatem Domini nostri Jesu Christi, salutem arbitramini.* Deinde cum dicit, *Ignoras*, improbat prædictam causam, scilicet contemptum divinæ patientiæ : et primo fructum divinæ patientiæ demonstrat ; secundo periculum contemptus, ibi, *Secundum duritiam autem.* Dicit ergo primo : Mirum est quod contemnis. Numquid igitur ignoras quoniam *benignitas Dei*, differentis pœnam, *ad pœnitentiam te adducit?* III Pet. III, 9 : *Non tardat Dominus promissionem* [1] *suam, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Isa. XXI, 18 : *Expectat vos Deus ut misereatur vestri.*

Videtur autem Apostolus, ut in *Glossa* dicitur, tres gradus peccatorum tetigisse : primo quidem impunitatem sibi promittentium ; secundo contemnentium Dei bonitatem ; tertio vero ignorantium. Unde dicit *Glossa :* « Peccas, o homo, dum tibi impunitatem promittis: gravius peccas quia contemnis; et gravissime peccas, quia ignoras » Sed videtur hoc esse falsum : nam ignorantia alleviat peccatum magis quam aggravet. Est igitur secundum quosdam intelligendum, Gravissime, idest periculosissime : quia qui ignorat peccatum, non quærit remedium. Vel gravissime propter ignorantiæ speciem, quæ est gravissimum peccatum. Unde dicitur I Corinth. XIV, 38 : *Si quis ignorat, ignorabitur.* Vel gravissime in genere ingratitudinis. Augustinus [2] : Magis enim est ingratus qui beneficium non cognoscit, quam qui diminuit : quod est contemnere.

Deinde cum dicit, *Secundum duritiam*, ostendit periculum contemptus, dicens : *Secundum autem duritiam :* quia scilicet ab beneficia divinæ bonitatis non emollitur. Eccli. III, 27 : *Cor durum male habebit in novissimo : et cor impœnitens*, quod scilicet ad pœnitentiam non flectitur ex Dei patientia et longanimitate. Hier. VIII, 6 : *Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo : thesaurizas tibi iram;* idest, multiplicas tibi reatum pœnæ. Jac. V, 3 : *Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.* Unde et hic sequitur : *In die iræ*, idest in die judicii, de qua dicitur. Sophon. I, 15 : *Dies illa, dies iræ :* quia scilicet nunc Deus vindictam non infert, quam tunc inferet, secundum illud Psalm. LXXIV, 3 : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo : et revelationis justi judicii Dei :* quia tunc revelabitur justitia divini judicii, quod nunc non creditur esse, aut non videtur esse justum. Isa. LVI, 1 : *Juxta est salus mea ut veniat, et justitia mea ut reveletur.*

Et quia *Glossa* Hier. *Sup. Matth.* cap. XII, hic dicit, quod per duritiam et cor impœnitens significatur peccatum in Spiritum sanctum, quod est irremissibile : ideo oportet videre quid est peccatum in Spiritum sanctum, et quomodo sit irremissibile. Est igitur sciendum, quod secundum antiquos Doctores Ecclesiæ qui fuerunt ante Augustinum, scilicet Athanasium Hilarium, Ambrosium, Hieronymum et Chrysostomum, peccatum in Spiritum sanctum dicitur blasphemia, qua opera Spiritus sancti spiritui immundo attribuuntur, ut patet Matth. XII, quod quidem dicitur irremissibile et in hoc sæculo et in futuro : quia pro hoc peccato puniti sunt Judæi et in hoc sæculo per Romanos, et in futuro per dæmones : vel quia non habet aliquam rationem excusationis, sicut habebat blasphemia quam dicebant in Christum inquantum erat filius hominis, secundum illud Matth. XI, 19 : *Ecce homo vorax et potator vini* ad quod poterant induci per infirmitatem carnis : sicut et in veteri testamento : quia filii Israel murmuraverunt pro defectu panis, et aquæ, ut legitur Exod. XVI, quasi humanum fuit, et facile remissibile ; sed quod postea dixerunt coram idolo, ut Exod. XXXII, 4 : *Isti sunt dii tui Israel qui te eduxerunt de terra Ægypti :* peccaverunt in Spiritum sanctum, scilicet

— [1] Al. : « non tardat Dominus promissis : » et infra deest in editis : « omnes. » —

[2] Al. omittitur : « Augustinus. »

opus Dei dæmonibus attribuentes : unde et eorum peccatum dicitur irremissibile, cum Dominus subdit ibid. xxxiv : *Ego autem in die ultionis visitabo peccatum eorum*. Augustinus autem dicit *In exposit. epist. ad Rom.* circ. fin. et *De verb. Domini ser.* xi, peccatum in Spiritum sanctum esse verbum vel blasphemiam quam quis dicit contra Spiritum sanctum, per quem fit remissio peccatorum, secundum illud Joan. xx, 22 : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peecata, remittuntur eis*. Et hoc quidem corde, ore et opere, dum aliquis perseverat in peccato usque in finem ultimum. Et sic finalis[1] impœnitentia est peccatum in Spiritum sanctum[2] de quo manifestum est esse irremissibile. Magistri vero sequentes dicunt peccatum in Spiritum sanctum, scilicet quod committitur ex certa malitia, quæ contrariatur appropriato Spiritui sancto, scilicet bonitati sicut et peccatum in Filium Dei, quod est ex ignorantia, quæ opponitur sapientiæ, quæ appropriatur Filio. Et similiter peccatum in Patrem potest dici quod fit ex infirmitate, quæ contrariatur potentiæ, quæ est appropriatum Patris[3]. Sic ergo peccatum quod est in Patrem vel in Filium, dicitur remissibile : quia ex hoc ipso peccatum videtur aliquam excusationem habere, quia ex ignorantia vel ex infirmitate committitur. Quod autem ex certa malitia committitur, nullam in se habet excusationis causam ; et ideo dicitur irremissibile, quia non habet in se unde remittatur ; licet quandoque Deus illud ex sua bonitate remittat, sicut quandoque ex sua virtute curat morbum qui est de se incurabilis. Et secundum hoc assignantur sex species peccati in Spiritum sanctum, excludentes ea per quæ peccatum remittitur : quorum prima duo accipiuntur per respectum ad ea quæ se tenent ex parte Dei, scilicet spes divinæ misericordiæ, cui opponitur desperatio ; et timor divinæ justitiæ, cui opponitur præsumptio : alia vero duo accipiuntur ex parte hominis, scilicet contemptus boni commutabilis, cui opponitur obstinatio, quæ hic duritia dicitur, per quam scilicet aliquis firmat, animum suum ad peccatum ; et desitio aversionis a Deo, cui opponitur cor impœnitens, quod scilicet nunquam proponit per pœnitentiam reverti ad Deum ; alia vero accipiuntur ex parte donorum Dei : quorum unum est fides, secundum illud Prov. xv, 17 : *Per fidem purgantur peccata* ; et huic opponitur impugnatio veritatis agnitæ : aliud autem est caritas, secundum illud Prov. x, 12 : *Universa delicta operit caritas* ; et huic opponitur invidentia fraternæ gratiæ.

LECTIO II.

Qui reddet unicuique secundum opera ejus : iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quærunt, vitam æternam ; his autem qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio. Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci, gloria autem et honor et pax omni operanti bonum, Judæo primum et Græco : non enim est acceptio personarum apud Deum. Quicumque enim sioe lege peccaverunt, sine lege peribunt ; et quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.

Postquam Apostolus proposuit veritatem divini judicii, exclusa contraria opinione : hic manifestat divini judicii veritatem : et primo proponit quod intendit ; secundo manifestat propositum, ibi, *His quidem qui secundum patientiam*. Proponit autem primo veritatem divini judicii quantum ad duo : scilicet quantum ad opera, et quantum ad personas. Quantum ad opera quidem, quia in præsenti non reddit secundum opera, sed quandoque male agentibus gratiam largitur; sicut ipsi Paulo Apostolo qui prius blasphemus et persecutor misericordiam consecutus est : ut dicitur I Tim. i. Sed hoc non erit in die judicii, quando erit tempus secundum justitiam judicandi. Ps. lxxiv, 3 : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo*. Et ideo alibi dicitur in Psal. xxvii, 4 : *Secundum opera manuum eorum tribue illis*. Quantum ad personas attenditur veritas divini judicii, quia retributionis æqualitas servabitur quantum ad omnes. II Cor. v, 10 : *Omnes nos manifestari oportet*.

Videtur autem quod non sit secundum opera retributio futura, quia peccato temporali pœna æterna retribuetur. Sed dicendum est, quod sicut Augustinus dicit XXI *De civitate Dei* cap. xxi, in retributione justitiæ non consideratur æqua-

[1] Al. : « scilicet ore. » — [2] Al. deest : « sanctum. » — [3] Al. :» appropriata Patri. »

litas temporis inter culpam et pœnam, quia etiam secundum humanum judicium pro culpa adulterii, quæ brevi hora committitur, infligitur pœna mortis; in qua non attendit legislator moram occisionis, sed potius quod per mortem perpetuo excluditur a societate viventium : et sic etiam suo modo, homo pro culpa temporali punitur pœna æterna. Et ideo non est mirum, si peccata commissa contra caritatem, per quam scilicet est societas inter Deum et homines, æternaliter divino judicio puniuntur. Et hoc quidem esse justum ex tribus apparet. Ex infinita dignitate Dei, in quem peccatur : tanto enim quis gravius peccat, quanto major est dignitas personæ in quam peccatur; sicut plus peccat qui percutit principem quam qui percutit privatam personam. Et sic cum culpa peccati mortalis sit quodammodo infinita, oportet quod ei infinita pœna respondeat. Et sic, cum non possit esse infinita secundum intensionem, relinquitur quod sit infinita secundum durationem. Secundo apparet ex voluntate per quam peccatur : quicumque enim mortaliter peccat, aversus ab incommutabili bono, finem constituit in bono commutabili; sicut fornicator in delectatione carnis, avarus in pecunia. Et quia finis per se appetitur, quicumque appetit finem, fertur in illud, volens illud semper obtinere, si aliquid non obsistat. Unde ille qui peccat mortaliter, voluntatem habet perpetuo in peccato manendi, nisi forte per accidens, sicut quando timet pœnam, vel aliquod aliud impedimentum. Unde conveniens est ut ex quo homo secundum suam voluntatem peccatum perpetuo obtinendum appetit, quod æternaliter pro illo puniatur, Deus enim qui est inspector cordis, præcipue voluntatem [1] peccantis attendit. Tertio ex parte affectus peccati, qui est subtractio gratiæ, ex qua sequitur quod homo, quantum est de se, perpetuo maneat in peccato, a quo exire non potest nisi per auxilium gratiæ. Non est autem conveniens ut durante culpa, cesset pœna; et ideo in perpetuum durat pœna. Quod autem dicitur reddere unicuique secundum opera sua, non est intelligendum secundum æqualitatem operum quia præmium excedit meritum sed secundum proportionem : quia bonis retribuet bona, et melioribus meliora. Et eadem ratio est de malis.

Deinde cum dicit, *His quidem qui secundum patientiam*, manifestat propositum : et primo quantum ad opera; secundo quantum ad personas, ibi, *In omnem animam hominis operantis malum.* Quantum autem ad opera, ostendit veritatem divini judicii primo quidem in bonis; secundo in malis, ibi, *His autem qui ex contentione.* Circa primum duo consideranda sunt : scilicet meritum, et præmium.

Ad meritum tria concurrunt. Primo quidem patientia : quod potest intelligi uno modo de patientia Dei, de qua supra dictum est : *An divitias bonitatis et patientiæ et longanimitatis contemnis?* ut intelligantur illi esse *secundum patientiam boni operis*, scilicet dispositi, qui bene patientia Dei utuntur bene operando. Alio modo potest intelligi de patientia hominis : quod etiam intelligi potest dupliciter. Uno modo secundum quod patientia importat tolerantiam adversorum, cum æquanimitate cordis. Hoc autem necessarium est, quod aliquis a bono opere non desistat propter mala quæ patitur; et hoc est quod dicit, *Secundum patientiam boni operis.* Jac. I, 4 : *Patientia opus perfectum habet.* Luc. XXI, 19 : *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Secundo potest intelligi patientia pro longanimitate, sive pro perseverantia, ut scilicet aliquis a bono opere propter tædium non recedat. Jac. ult. VII : *Patientes estote fratres usque ad adventum Domini.* Ad Heb. X, 36 : *Patientia vobis necessaria est.* Secundum est bonitas operis; quod quidem dicitur bonum secundum ordinem ad debitum finem, et secundum quod convenit regulæ debitæ, quæ est lex Dei et ratio humana. Galat. ult. IX : *Bonum facientes non deficiamus.* Tertio [2] tangitur rectitudo intentionis quærentis [3] vitam æternam, ut scilicet in malis quæ homo patitur, vel in bonis quæ agit, non quærat aliquid temporale, sed æternum. Matth. VI, 33 : *Primum quærite regnum Dei.*

Ex parte etiam præmii tangit tria : quorum primum est gloria, quæ significat claritatem sanctorum, etiam intrinsecam, qua replebuntur in mente, secundum illud Isai. LVIII, 11 : *Implebit splendoribus animam tuam*; et exteriorem, qua splendebunt in corpore : Matth. XIII, 43 : *Fulgebunt justi sicut sol in regno*

[1] Al. : « ad voluntatem. »

[2] Al. : « secundo. » — [3] Al. : « quærentibus. »

Patris eorum : Psal. CXLIX, 5 : *Exultabunt sancti in gloria.* Secundo tangitur honor, per quem significatur sanctorum dignitas, et reverentia quæ eis exhibetur ab omni creatura. Erunt enim reges et sacerdotes. Apocalypsis V, 10 : *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes.* Et ulterius computabuntur inter filios Dei, secundum illud Sapient. V, 5 : *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.* Psal. CXXXVIII, 17 : *Nimis honorati sunt amici tui, Deus.* Tertio tangitur incorruptio : quia scilicet illa gloria et honor non erunt transitoria, sicut ea quæ sunt in hoc mundo. I Corinth. IX, 25 : *Illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.*

Deinde cum dicit, *His autem*, ostendit veritatem divini judicii in malis, in quibus etiam tangitur culpa et pœna. Et quantum ad culpam tanguntur tria, quorum primum est contentionis pertinacia, quæ quidem primo potest intelligi hominis ad Deum, beneficiis ad se vocantem, contra quem homo contendere videtur divinis beneficiis resistendo. Deuteron. XXXI, 27 : *Adhuc vivente me et ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum.* Secundo potest intelligi de contentione hominis contra fidem. II Timoth. II, 14 : *Noli verbis contendere.* Tertio potest intelligi de contentione hominum ad invicem, quæ contrariatur caritati, quæ est mater virtutum. Jacob. III, 6 : *Ubi zelus et contentio, ibi inconstantia, et omne opus pravum.* Secundo ponitur duritia eorum, scilicet qui non acquiescunt veritati : quod potest uno modo intelligi de veritate fidei. Joan. VIII, 45 : *Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* Alio modo de veritate divinæ justitiæ, cui non acquiescunt, veritatem divini judicii non credentes. Ezech. XVIII, 25 : *Dixistis : Non est æqua via Domini.* Tertio potest intelligi de veritate vitæ, cui non acquiescunt qui perverse vivunt. Joan. III, 21 : *Qui facit veritatem, venit ad lucem.* Tertio autem tangitur malitia in hoc quod dicit, *Credunt autem iniquitati* : vel quia consentiunt persuadentibus iniquitatem : Prov. XVII, 4 : *Malus obedit linguæ iniquæ* : vel quia credunt impunitatem peccatorum, quæ in divinam iniquitatem redundaret. Eccl. V, 4 : *Ne dixeris, Peccavi, et quid mihi accidit triste?* Vel *credunt iniquitati*, id est infidelitati, scilicet doctrinæ, quæ est contra fidem. II Thess. II, 12 : *Judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.*

Ex parte autem pœnæ quatuor ponuntur, quæ quidem dupliciter distingui possunt. Uno modo ut ira, idest pœna et vindicta corporalis, intelligatur esse post judicium. Sophon. I, 15 : *Dies illa, dies iræ.* Indignatio autem in judicio, quando impii sibi ipsis indignabuntur, fit ex peccatis quæ commiserunt : Sapient. V, 6 : *Erravimus a via veritatis.* Tribulatio autem et angustia pertinent ad animam separatam a corpore ante resurrectionem[1]. Prov. I, 27 : *Quando venerit super vos tribulatio et angustia.* Vel alio modo possunt distingui, ut prima duo accipiantur ex parte Dei, cujus ira dicitur dispositio ad puniendum, quæ est malis horribilis. Apocal. VI, 16 : *Dicent montibus et petris, Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni.* Indignatio ejus refertur ad hoc quod peccatores indignos reputabit vita æterna. Psal. XCIV, 11 : *Quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Alia vero accipiuntur ex parte hominis. Et tribulatio quidem dicitur a tribulo, qui pungit : unde ad tribulationem potest pertinere omne quod dolorem infert. Sophon. I, 14 : *Vox diei Domini amara : tribulatur ibi fortis.* Angusta autem dicitur ex hoc quod animus hominis angustiatur, non valens invenire remedium contra mala quæ timet, vel jam patitur. Dan. XIII, 22 : *Angustiæ mihi sunt undique* : et Phil. I, 22 : *quid eligam ignoro.* Job XXVII, 9 : *Numquid clamorem illius audiet Deus, cum venerit super illum angustia?*

Deinde cum dicit, *In omnem animam*, ostendit veritatem divini judicii quantum ad personas : et primo proponit hujus æquitatem ; secundo rationem assignat, ibi, *Non est enim acceptio personarum* ; tertio rationem manifestat, ibi, *Quicumque enim.* Veritatem quidem divini judicii quantum ad personas ostendit primo in malis, cum dicit : *In omnem animam hominis operantis malum*, idest contra omnem animam : quia sicut gloria sanctorum ab anima ad corpus devenit, ita reproborum pœna primo et principaliter est in anima, et secundo in corpore, quod propter defectum vel culpam animæ

[1] Al. : « ad resurrectionem. »

resurget passibile. Ezech. XVIII, 20 : *Anima quæ peccaverit ipsa morietur.* Dicit autem : *Judæi primum et Græci* : quia Judæis major pœna debebatur, tamquam cognoscentibus Dei voluntatem per legem. Luc. XII, 47 : *Servus qui sciens voluntatem domini sui, non fecit secundum voluntatem ejus, digne plagis vapulabit multis.* Et similiter Christiani, quantum ad idem peccatum, puta adulterium vel furtum, graviori pœna puniuntur quam infideles. Hebr. X, 29 : *Quanto magis putatis majora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit!* Sed quantum ad totam pœnam, gravior est pœna infidelium propter peccatum infidelitatis, quod est gravissimum. Unde dicitur I Pet. III, quod *super incredulos ira Dei manet.* Secundo manifestat in bonis : et ponit primo duo, quæ supra dixit gloriam et honorem; tertium vero, scilicet pacem, ponit loco incorruptionis quam includit pax, et multa alia comprehendit. Non enim potest esse pax hominis perfecta quamdiu aliquis timet se amissurum bona quæ habet ; sed tunc aliquis habet veram pacem cordis quando habet omnia quæ concupiscit, et ea perdere non timet. Isa. XXXII, 17 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* Et in his etiam primatum Judæis attribuit : quia eis sunt primo promissa, et in eorum promissiones Gentes introierunt. Joan. IV, 38 : *Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.*

Deinde cum dicit, *Non enim est*, assignat rationem dictorum : quia scilicet *non est personarum acceptio apud Deum.* Act. X, 34 : *Non est personarum acceptor Deus.* Opponitur autem personarum acceptio justitiæ distributivæ, per quam aliquis distribuit unicuique secundum dignitatem personarum. Ergo acceptio est quando præter dignitatem datur alicui plus vel minus. Tunc autem hoc fit præter dignitatem quando hoc fit non propter conditionem personæ [1] quæ facit ad causam, hoc est enim causam accipere scilicet quasi regulam operandi, sed propter personam, quasi ipsa persona accipiatur ut causa aliquid faciendi : puta, si aliquis det alicui propter consanguinitatem plus de bonis patrimonialibus, non est acceptio personarum, quia consanguinitas est conveniens causa, propter quam de talibus [2] bonis debeat habere. Si autem propter consanguinitatem aliquis prælatus det alicui plus de bonis ecclesiasticis, potest hoc ad acceptionem personarum pertinere, si alia idoneitas non concurrat : non enim consanguinitas est ratio conveniens distributionis bonorum spiritualium. Quia igitur Deus omnia convenientissima ratione facit, non cadit in ipsum personarum acceptio : dicitur enim Sap. VIII, quod disponit *omnia suaviter.*

Sed videtur acceptor [3] personarum : quia peccatorum quosdam in suis peccatis relinquit, quosdam ad se vocat. Sed dicendum, quod personarum acceptio opponitur justitiæ, unde locum habet in his quæ dantur ex debito, quod attendit justitia ; Deus autem non ex debito, sed gratis peccatores ad pœnitentiam vocat : si enim ex operibus, jam non gratia, ut dicitur infra XI, et Tit. III, 5 : *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* In talibus autem beneficiis gratis datis, non solum Deo, sed etiam homini liberum est dare cui voluerit. Matth. XX, 15 : *An non licet mihi quod volo facere ?*

Deinde cum dicit, *Quicumque enim*, exponit prædictam rationem : quod enim non sit personarum acceptio apud Deum, patet per hoc quod omnes qui peccant puniuntur. Unde primo loquitur quantum ad illos qui legem non susceperunt, dicens quod *quicumque peccaverit sine lege*, scilicet Moysi accepta a Deo, *sine lege peribit*, idest condemnabitur non propter legis transgressionem. Job. IV, 20 : *Quia nullus intelligit, in æternum peribunt.* Secundo loquitur quantum ad illos qui legem scriptam acceperunt ; et dicit, quod *quicumque peccaverunt in lege*, idest post legem scriptam, *judicabuntur per legem*, idest propter hoc quod transgressi sunt præceptum legis. Joan. XII, 48 : *Sermo quem locutus sum vobis, ille judicabit eum in novissimo die.*

Quidam autem ex hoc modo loquendi occasionem terroris sumpserunt. Quia enim Apostolus non dicit, Quicumque in lege peccaverit, per legem peribit, sicut dixerat de his qui sunt sine lege,

[1] Al. : « non propter conditionem, sed propter personam quæ facit ad causam. » — [2] Al. : « in talibus. » — [3] Al. : « acceptio. »

quod *sine lege peribunt*, crediderunt, quod illi qui post legem susceptam peccant, judicentur aliqualiter, scilicet in præsenti, non tamen pereunt. Sed, sicut dicit *Glossa*, quis Christianus dicat non perire Judæum si non credat in Christum, cum Dominus dicat, quod tolerabilius erit Sodomæ in die judicii quam eis? ut habetur Matth. x. Unde Ezech. xviii, 32: *Nolo mortem peccatoris.* Utitur autem tali diversitate in loquendo, quia ut Gregorius dicit *In Moralibus* lib. XXVI, c. xxiv, super illud Job xxxvi, 6, *Judicium pauperibus tribuit* quidam in futuro judicio peribunt, sed non judicabuntur, id est impii, qui sunt sine fide, et lege Dei. Ps. i, 6: *Non resurgent impii in judicio*: quia scilicet non est locus disceptandi contra eum qui totaliter alienus est a Deo. Joan. iii, 18: *Qui non credit, jam judicatus est.* Alii vero qui lege Dei et fide suscepta peccant, ita peribunt quod etiam judicabuntur, quasi quadam disceptatione cum eis facta: unde Ezech. xxxiv, 17, dicitur: *Ecce, ego judico inter pecus et pecus, arietum et hyrcorum.* Sicut et rex ut Gregorius dicit hostes condemnat absque audientia, cives autem cum diligenti audientia.

LECTIO III.

Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium in die cum judicabit Deus occulta hominum, secundum Evangelium meum, per Jesum Christum.

Postquam Apostolus confutavit humanum judicium, quo se Gentiles et Judæi mutuo judicabant, et divinum judicium commendavit; hic procedit ad ostendendum, ea quibus Judæi gloriabantur, eis sufficere ad salutem: et primo ostendit propositum; secundo solvit ea quæ in contrarium dici possent: iii c. ibi, *Quid ergo amplius Judæo est?* De duobus Judæi gloriabantur: scilicet de lege, et circumcisione, quæ non erat ex lege Moysi, sed ex patribus, ut dicitur Joan vii. Primo ergo ostendit quod lex audita, sive recepta, non sufficiebat ad salutem; secundo ostendit idem de circumcisione, ibi, *Circumcisio quidem prodest, si legem observes.* Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum ibi, *Cum enim Gentes.* Circa primum proponit duo: unum excludendo, alterum asserendo. Excludit enim quod Judæi opinabantur, scilicet[1] se per solum legis auditum justificari: unde dicit: Ita dictum est, Peccantes, in lege, judicentur per legm: *non enim auditores legis*, ex hoc ipso quod legem audiunt, *justi sunt apud Deum*, etsi apud homines justi reputantur. Matth. vii, 29: *qui audit verba mea, et non facit ea, similis est viro stulto.* Jac. i, 23: *Si quis auditor est verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo.* Secundo astruit quod factores legis sunt justi cum dicit: *Sed factores legis justificabuntur.* Matth. vii, 24: *Omnis qui audit verba mea et facit ea, assimilabitur viro sapienti.* Jac. i, 22: *Estote factores verbi, et non auditores tantum*: et Psal. cx. 10: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.*

Sed contra secundum videtur esse quod infra iii, 20 dicitur: *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram eo.* Non ergo aliqui ex hoc quod opera legis faciunt, justificantur.

Sed dicendum est, quod justificari tripliciter accipi potest. Uno modo potest accipi quantum ad reputationem, ut tunc aliquis justificari dicatur quando justus reputatur. Ezech. xvi, 56, *Justificasti sorores tuas*, scilicet per reputationem: et secundum hoc potest intelligi, *Factores legis justificabuntur*; idest justi apud Deum et homines reputabuntur. Secundo per executionem justitiæ, inquantum scilicet opera justitiæ exequuntur. Luc. xviii, 14: *Descendit hic justificatus in domum suam*: quia scilicet publicanus opus justitiæ fecerat confitendo peccatum. Et hoc modo verificatur quod hic dicitur, *Factores legis, justificabuntur*, scilicet legis justitiam exequendo. Tertio modo potest accipi justificatio quantum ad causam justitiæ, ut scilicet ille dicatur justificari qui justitiam de novo accipit, sicut infra v: *Justificati*

[1] Al. omittitur: « scilicet. »

pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. Sic autem non intelligitur hic quod factores legis justificentur, quasi per opera legis justitiam acquirant. Hoc quidem esse non potest neque quantum ad opera cæremonialia, quæ gratiam justificantem non conferebant, neque etiam quantum ad moralia, ex quibus habitus justitiæ non acquiritur ; sed potius per habitum justitiæ infusum hujusmodii opera facimus.

Deinde cum dicit, *Cum enim Gentes*, manifestat propositum : et primo ostendit quod factores legis, etiam si non sint auditores, justificantur ; secundo quod auditores legis sine legis observantia non justificantur, ibi, *Si autem Judæus.* Circa primum tria facit. Primo proponit dignitatem eorum qui legem absque auditu observant ; secundo manifestat quod dixerat, ibi, *Qui ostendunt opus legis ;* tertio probat ibi, *Testimonium reddente illis.* Circa primum tria tangit quantum ad Gentiles. Primo carentiam legis, dicens *Cum enim Gentes quæ legem non habent*, scilicet divinam, quam non acceperunt : non enim Gentibus data est lex, sed Judæis secundum illud Eccl. XXIV, 33[1] : *Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum, et hereditatem domui Jacob et Israel promissiones* : et in Psal. CXLVII, 20 : « *Non fecit taliter omni nationi.* Deut. XXXIII, 4 : *Legem præcepit nobis Moyses hereditatem multitudinis Jacob.* Ex quo patet quod Gentiles non peccabant non observando cæremonialia legis : Secundo commendat in eis legis observantiam, cum dicit : *Naturaliter faciunt quæ sunt legis*, id est quæ lex mandat, scilicet quantum ad præcepta moralia, quæ sunt de dictamine rationis naturalis ; sicut et de Job dicitur Job I, quod erat justus, et rectus ac timens Deum, et recedens a malo. Unde ipse dicit cap. XXIII, 2 : *Vestigia ejus secutus est pes meus, vias ejus custodivi.*

Sed quod dicit *naturaliter*, dubitationem habet videtur enim patrocinari Pelagianis, qui dicebant, quod homo per sua naturalia poterat omnia præcepta legis servare. Unde exponendum est, *Naturaliter*, idest per naturam gratia reformatam : loquitur enim de Gentilibus ad fidem conversis, qui auxilio gratiæ Christi cœperant moralia legis servare. Vel potest dici *naturaliter*, idest per legem naturalem ostendentem eis quid sit agendum, secundum illud Ps. IV, 6 : *Multi dicunt : Quis ostendit nobis bona ? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* : quod est lumen rationis naturalis, in qua est imago Dei ; et tamen non excluditur quin necessaria sit gratia ad movendum affectum : sicut etiam per legem est cognitio peccati, ut dicitur infra III ; et tamen ulterius requiritur gratia ad movendum affectum.

Tertio ostendit eorum dignitatem, in hoc scilicet quod *hujusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex*, inquantum scilicet funguntur officio legis ad seipsos, instruendo se, et inducendo ad bonum : quia, ut Philosophus dicit X *Ethic.* cap. XV, lex est sermo coactionem habens, ab aliqua prudentia et intellectu procedens. Et ideo dicitur I Timoth. I, quod justo lex non est posita, idest exteriori lege non cogitur, sed posita est injustis, qui indigent exterius cogi. Et iste est supremus gradus dignitatis in hominibus, ut scilicet non ab aliis, sed a seipsis inducantur ad bonum : secundus vero gradus est eorum qui inducuntur ab alio, sed sine coactione ; tertius autem est eorum qui coactione indigent ad hoc quod fiant boni ; quartus est eorum qui nec coactione ad bonum dirigi possunt. Hierem. II, 30 : *Frustra percussi filios vestros : disciplinam non receperunt.* Deinde cum dicit, *Qui ostendunt*, ostendit quomodo ipsi sunt sibi lex : quod quidem accipere possumus ad similitudinem legis quæ ab exteriori homine proponitur, quæ scilicet consuevit, ad firmitatem[2] et memoriam, scripto tradi ; et similiter illi qui legem observant, absque exteriori auditu legis, ostendunt opus legis scriptum, non quidem atramento ; sed primo quidem et principaliter spiritu Dei vivi, ut dicitur I Corinth. III, secundo etiam humano studio. Proverb. III, 3 : *Describe ea in tabulis cordis tui*, scilicet præcepta sapientiæ. Unde et hic sequitur, *In cordibus suis* : non pergameno, aut tabulis lapideis, sive æreis. Hierem. XXXI, 33 : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum superscribam eam.*

Deinde cum dicit, *Testimonium reddente ;* probat quod dixerat, scilicet quod opus legis sit in cordibus eorum inscriptum per quædam opera, quæ hujusmodi scriptum annuntiant : et primo ponit illa

[1] Al. omittitur hæc sententia Ecclesiastici. —

[2] Al. : « ad infirmitatem.

opera ; quorum unum est testimonium conscientiæ, quod tangit dicens : *Testimonium reddente illis conscientia* ; quæ quidem nihil aliud est quam applicatio cognitionis habitæ ad judicandum de aliquo opere [1] utrum sit bene vel male factum. Unde hujusmodi conscientia quandoque testimonium perhibet de bono, secundum illud II Corinth. I, 12 : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* : quandoque autem de malo. Eccle. VII, 23 : *Scit conscientia tua quia et tu crebro maledixisti aliis*. Non autem potest aliquis perhibere testimonium de aliquo opere quod sit bonum vel malum, nisi per hoc quod habet legis notitiam : unde hoc ipsum quod conscientia testimonium reddit de bono vel malo, est evidens signum quod in corde hominis sit opus legis descriptum. Aliud autem opus est accusatio et defensio, quæ sine notitia legis esse non possunt ; et quantum ad hoc dicit, *Et cogitationum,* id est cogitationibus, *accusantium, aut etiam defendentium*, idest accusantibus vel defendentibus, more Græcorum, qui genitivis loco ablativorum utuntur; et hoc *inter se invicem*. Insurgit enim homini circa aliquod factum aliqua cogitatio accusans, dum propter rationem aliquam cogitat se male fecisse. Psal. XLIX, 21 : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam*. Isai. III, 9 : *Agnitio vultus eorum respondebit eis*. Quandoque etiam insurgit aliqua cogitatio defendens, dum per aliquam rationem cogitat se fecisse bene; secundum illud Job XXVII, 6 : *Non reprehendet me cor in omni vita mea*. Et inter hanc accusationem et defensionem locum habet testimonium conscientiæ, cui statur. Potest et aliter legi, ut dicatur : *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum* : quæ scilicet conscientia, non solum est operum, sed etiam cogitationum, de quibus scilicet homo conscientiam habet. Sed primum melius est. Sed quia testimonium, accusatio et defensio in judicio locum habent, agit secundo de hujusmodi judicio, ostendens tempus, cum dicit, *In die* ; quod dicit non ad designandum temporis qualitatem, sed absconditorum manifestationem. I Corinth. IV, 5 : *Illuminabit abscondita tenebrarum*. Quandoque tamen dicitur nox propter incertitudinem horæ illius. Matth. XXV, 6 : *Media nocte clamor factus est*. Dicuntur autem cogitationes accusantes vel defendentes in die judicii, non illæ quæ tunc erunt quia tunc unicuique manifesta erit salus vel damnatio sed defensio vel accusatio cogitationum quæ nunc sunt, et testimonium conscientiæ quod nunc est, repræsentabitur homini in illa die, virtute divina faciente, ut dicit Augustinus *De civitate Dei*. Notitia autem illarum cogitationum quæ remanent in anima, nihil esse aliud videtur, ut dicit *Glossa*, quam reatus pœnæ, vel meritum ex eis consequens. Ostendit etiam auctorem judicii, dicens, *Cum judicabit Deus*. Psalm. XCV, 13 : *Judicabit orbem terrarum in æquitate*. Determinat etiam de quibus erit judicium, cum dicit, *Occulta hominum*, de quibus nunc homines judicare non possunt. I Cor. IV, 5 : *Illuminabit abscondita tenebrarum*. Ostendit etiam doctrinam, ex qua habetur fides de hoc judicio, cum dicit, *Secundum Evangelium meum*, id est a me prædicatum. Matth. XII, 36 : *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*. Dicit autem, *Evangelium meum*, quamvis non possit dicere baptismum suum, et sit utriusque minister : quia in baptismo nihil operatur industria hominis, sed in Evangelio prædicando multum [2] industria prædicatoris operatur. Ephes. III, 4 : *Prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in ministerio*. Postea ponit cui datum est judicium, cum subdit, *Per Jesum Christum*, qui scilicet est constitutus a Deo judex vivorum et mortuorum, ut dicitur Act. XIX ; et Joan. V, 22 : *Pater omne judicium dedit Filio*, qui scilicet in judicio apparebit bonis et malis ; sed bonis secundum gloriam divinitatis : Isa. XXXIII, 17 : *Regem in decore suo videbunt* : malis autem secundum naturam humanitatis : Apoc. I, 7 : *Videbit eum omnis caro*.

LECTIO IV.

Si autem tu Judæus cognominaris, et requiescis in lege, et gloriaris in Deo, et nosti voluntatem ejus, et probas utiliora, instructus per legem, confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ et veritatis in

[1] Al. deest : « opere. » — [2] Al. deest : « multum. »

lege. Qui ergo alium doces, teipsum non doces? Qui prædicas non furandum, furaris? Qui dicis non mœchandum, mœcharis? Qui abominaris idola, sacrilegium facis? Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras? Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes, sicut scriptum est. Circumcisio quidem prodest, si legem observes; si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est. Si igitur præputium illius in circumcisionem reputabitur; et judicabit id quod ex natura est præputium legem consummans, te qui per litteram et circumcisionem prævaricator legis es? Non enim qui in manifesto in carne, est circumcisio; sed qui in abscondito, Judæus est; et circumcisio cordis in spiritu, non in littera; cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

Ostenso quod factores legis justificantur etiam sine hoc quod sint auditores, quod pertinebat ad Gentiles; hic ostendit quod auditores non justificantur nisi sint factores; quod pertinet ad Judæos. Primo ergo ostendit prærogativam Judæorum, quantum ad legis susceptionem; secundo ponit eorum defectum, quantum ad legis transgressionem, ibi, *Qui ergo alium doces.* Ponit autem eorum prærogativam tripliciter. Primo quantum ad gentem cui data est lex; secundo quantum ad legem, ibi, *Et requiescis in lege*; tertio quantum ad legis effectum sive factum, ibi, *Et nosti voluntatem ejus.* Quantum autem ad gentem, dicit: *Si autem tu Judæus cognominaris*, quod est nomen honorabile, secundum illud Psal. CXIII, 2, *Facta est Judæa sanctificatio ejus.* Joan. IV, 22: *Salus ex Judæis est.* Dicuntur autem Judæi, non a Juda Machabæo, ut quidam dicunt, forte propter hoc quod Judas Machabæus gentem illam in dispersione existentem congregavit et protexit, secundum illud I Mach. III, 2: *Præliabatur prælia Israel cum lætitia, et dilatavit gloriam populo suo.* Invenitur enim nomen Judæorum ante Judam Machabæum, secundum illud Esther VIII, 16: *Judæis nova lux oriri visa est.* Et ideo dicendum est, quod Judæi denominantur a Juda Patriarcha. Gen. XLIX, 8: *Juda, te laudabunt fratres tui.* Cum enim tempore Roboam, decem tribus, ab ejus regno se segregantes, vitulum aureum adorarent, in transmigrationem sunt ductæ ab Assyriis, ut habetur IV Reg. XVII. Nec de eorum reversione facit mentionem Scriptura; sed potius terra remansit occupata ab alienigenis, qui postmodum Samaritani sunt dicti. Duæ autem tribus, scilicet Judæ et Beniamin, adhærentes regno Roboam, perseveraverunt in cultu Dei. Et quamvis in captivitatem Babylonis fuerint ductæ, postmodum tamen per Cyrum Regem Persarum sunt reducti in terram suam, ut dicitur I Esd. I. Et quia tribus Judæ major erat, ab ea gens tota illa denominabatur; et non solum illi qui erant ex tribu Beniamin, sed etiam de aliis tribubus revertentibus, qui se illis adjunxerunt. Consequenter cum dicit, *Et requiescis in lege*, ponit eorum prærogativam quantum ad legem. Et primo quidem quantum ad ipsam legem, cum dicit, *Et requiescis in lege*, quasi per eam certificatus in credendis et in agendis. Dubitans enim intellectu non quiescit, sed utrinque solicitatur; qui autem sapientiæ certitudinem accipit, mente quiescit. Sap. VIII, 16: *Intrans in domum meam conquiescam cum illa.* Secundo quantum ad legislatorem, cum subdit: *Et gloriaris in Deo*, idest in cultu et notitia unius Dei. Hier. IX, 24: *In hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me.* I Cor. I, et II Cor. X, 17: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Deinde cum subdit, *Et nosti voluntatem ejus*, ponit prærogativam eorum quantum ad fructum legis; et primo quantum ad hominem respectu sui ipsius; secundo respectu aliorum, ibi, *Confidis.* Ponit autem duplicem fructum. Primum quidem respondentem gloriæ quam de Deo habebant, cum dicit: *Nosti voluntatem ejus*, quid scilicet Deus velit nos facere. Infra XII, 2: *Ut probetis quæ sit voluntas Dei.* Secundum fructum ponit, qui respondet quiescenti in lege Dei, cum dicit, *Et probas utiliora*; idest, scis approbare eligendo non solum mala a bonis, sed etiam meliora a minus bonis: unde quærebat quidam Matth. XXII, 36: *Quod est mandatum magnum?* et hoc *instructus per legem.* Psal. XCIII, 12: *Beatus homo quem tu erudieris Domine, et de lege tua docueris eum.*

Consequenter ponit fructus per respectum ad alios; qui quidem tripliciter se habent ad notitiam legis. Quidam enim sunt omnino in legis ignorantia constituti. Uno quidem modo per defectum naturalis ingenii, sicut et homo corporaliter dicitur cæcus per defectum interioris potentiæ visivæ. Isa. IX, *Palpavimus ut cæci parietem.* Hujusmodi autem hominibus non potest homo lumen scientiæ præbere, ut ipsi per se videre possint quid sit agendum; sed præbet eis homo ducatum ut cæcis, mandando eis quid facere debeant, quamvis mandatorum rationem non cognoscant: Job XXXIX, 15: *Oculus fui cæco*; de quibus tamen dicitur Matth. XV, 14: *Cæci sunt, et duces cæco-*

rum. Alio modo sunt in ignorantia per defectum disciplinæ, qui sunt quasi in tenebris exterioribus non illuminati per doctrinam, quibus sapiens præbere potest lumen disciplinæ, ut intelligant quæ mandantur; et hoc est quod dicit : *Lumen eorum qui in tenebris sunt* : Luc. I, 79 : *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent*. Secundo autem tangit illos qui sunt in via perveniendi ad scientiam quam nondum attigerunt : et hoc uno modo per defectum plenæ instructionis; et hoc est quod dicit, *Eruditorem insipientium*, idest eorum qui nondum sapientiam acceperunt : qui dicuntur erudiri, quasi erui a ruditate, quæ a principio inest omnibus cum primo instruuntur. Eccli. VII, 25 : *Filii tibi sunt? Erudi eos*. Alio modo per defectum ætatis, sicut sunt pueri; et quantum ad hoc dicit, *Magistrum infantium*. Isa. XXXIII, 18 : *Ubi est doctor parvulorum*. Tertii vero sunt qui jam sunt in scientia provecti; et isti indigent a sapientibus informari, ut habeant sapientum dicta in auctoritate, quasi quamdam regulam seu formam : et quantum ad hoc dicit : *Habentem formam scientiæ* : II Tim. I, 13 : *Formam habe bonorum verborum, quæ a me audisti* : et Phil. III, 17 : *Observate eos qui ita ambulant sicut habetis formam nostram*. Oportet autem eos qui sic informantur, auctoritate majorum instrui, ut sciant quid sit in lege traditum : et ideo dicit, *Scientiæ* : Sap. X, 10 : *Dedit illi scientiam sanctorum* : et etiam ut sciant qui sit verus intellectus eorum quæ traduntur in lege; et quantum ad hoc dicit, *Veritatis*. Psal. XLII, 3 : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam*.

Deinde cum dicit, *Qui ergo alium doces*, ostendit defectum eorum secundum transgressionem legis : et primo hominis ad seipsum, cum dicit, *Qui ergo alium doces*, dirigendo ipsum ad bonum, *te ipsum non doces* dirigendo? Et potest legi vel interrogative, quasi cum quadam indignatione; vel remisse, quasi asserendo eorum malitiam : et simile est in sequentibus, Job IV, 3 : *Ecce docuisti plurimos* : et infra V : *Nunc tetigit te plaga, et defecisti*. Secundo tangit defectum quantum ad proximum : primo quidem quantum ad res quæ furto subtrahuntur, cum dicit : *Qui prædicas non furandum, furaris?* Isa. I, 23 : *Principes tui infideles, socii furum* : secundo quantum ad personam conjunctam, quæ per adulterium polluitur; et quantum ad hoc dicit : *Qui doces non mœchandum, mœcharis?* Oseæ VII, 4 : *Omnes adulterantes, quasi clibanus*. Hier. V, 8 : *Unusquisque ad uxorem proximi sui* [1]. Tertio autem ostendit eorum defectum per comparationem eorum ad Deum : et primo quidem quantum ad hoc quod peccabant contra ipsius cultum; et quantum ad hoc dicit : *Qui abominaris idola*, cognoscens scilicet ex præcepto legis ea non esse colenda, *sacrilegium facis?* abutendo, scilicet, his quæ pertinet ad divinum cultum. Quod quidem primo fecerunt in statu legis : Malach. I, 12 : *Dicitis : Mensa Domini contaminata est* : et postmodum blasphemando : Luc. II, 15 : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia*. Secundo quantum ad ipsam gloriam, cum dicit : *Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras?* Sicut enim legis observantia in bonis operibus est occasio videntibus ut honorent Deum, ita etiam transgressio legis per mala opera occasio est videntibus blasphemandi. I Petri XI, 12 : *Ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum*. E contra autem dicitur I Tim. VI, 1 : *Quicumque sunt sub jugo servitutis, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini et doctrina fidei blasphemetur*. Et ideo in Psalm. CXVIII, 158, dicitur : *Vidi prævaricantes, et tabescebam*. Et ad hoc inducit auctoritatem, subdens, *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes* : quia scilicet Gentes videntes Judæorum malam conversationem, reputabant hoc provenire ex mala instructione legis a Deo traditæ. Dicit autem, *Sicut scriptum est*, scilicet Isa. LII, 5 : *Dominatores ejus inique agunt et jugiter tota die nomen meum blasphematur* : et Ezech. XXXVI, 22, secundum aliam litteram ubi nostra sic habet : *Non propter vos faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in Gentibus*. Deinde cum dicit, *Circumcisio quidem prodest* etc., ostendit quod nec circumcisio sufficit ad salutem eadem ratione qua nec lex, quia scilicet observantia legis sine circumcisione valet, sine qua tamen circumcisio non prodest, sicut superius dictum est. Et circa hoc tria facit. Primo comparat circumcisionem ad Judæos circumcisos; secundo ad Gentes incircumcisas, ibi, *Si igitur*

[1] Supple ex eo loco : « hinniebat. »

præputium ; tertio manifestat quod dixerat, ibi, *Non enim qui in manifesto*. Circa primum duo facit. Primo ostendit qualiter circumcisio prosit, secundo qualiter non prosit, ibi, *Si autem prævaricator legis sis* etc. Dicit ergo primo : Circumcisio quidem prodest quantum ad remissionem peccati originalis : unde dicitur Genes. XVII, 14 : *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo*. Sed tibi adulto tunc finaliter prodest, si legem observes; sicut religiosis prodest prodest professio, si regulam observent. Circumcisio enim erat quasi quædam professio, obligans homines ad observantiam legis. Gal. v, 3 : *Testificor omni circumcidenti se quoniam debitor est universæ legis faciendæ*. Quod autem Apostolus dicit Gal. II. *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit*, loquitur quantum ad tempus post gratiam Evangelii divulgatam ; hic autem loquitur quantum ad tempus ante passionem Christi, in quo circumcisio statum habebat. Secundo ibi, *Si autem prævaricator legis sis*, ostendit quomodo circumcisio non prosit, dicens ; *Si tu, Judæe* adulte *prævaricator es legis, circumcisio tua præputium facta est* ; idest non plus valet tibi quam præputium, quia non servas quod per circumcisionem profiteris. Hierem. x, 26 : *Omnes Gentes præputium habent, domus autem Israel incircumcisi sunt corde*. Quinimmo ex hoc sunt magis rei, quia non servant quod promiserunt : *displicet enim stulta et infidelis promissio*, ut dicitur Eccle. v. III. Deinde cum dicit, *Si ergo præputium*, comparat circumcisionem ad Gentiles : et hoc dupliciter. Primo quidem quantum ad hoc quod ejus fructum habent Gentiles observando legem : unde dicit : Si circumcisio prodest cum observatione legis, non autem sine ea ; *igitur si præputium*, idest Gentilis incircumcisus, *custodiat justitias legis*, idest justa præcepta legis, Psalm. CVIII, 86 : *Omnia mandata tua veritas : nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur*? quasi dicat : Fructum veræ circumcisionis habebit. Ad hoc enim homo exterius circumciditur in carne ut scilicet se circumcidat in corde. Hier. IV, 4 : « Circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum. » Secundo ibi, *Et judicabit id quod ex natura est præputium*, comparat circumcisionem Gentili, eum [1] ostendens propter observantiam legis Judæo præferri ; unde dicit : *Et præputium*, idest Gentilis incircumcisus, *consummans*, idest implens mandata legis, *ex natura*, id est per naturalem rationem, ut supra dictum est, quod naturaliter quæ sunt legis faciunt, *judicabit*, par comparationem, *te*, scilicet Judæum circumcisum, *qui es prævaricator legis*, transgrediendo præcepta ejus, *per litteram*, idest habentem legem litteris descriptam, *et circumcisionem*, scilicet carnis. Unde de hoc comparationis judicio dicitur Matth. XII, 41 : *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam*.

Deinde cum dicit : *Non enim qui in manifesto Judæus est*, assignat rationem dictorum : et primo ponit rationem ; secundo probat eam, ibi, *Cujus laus*. Circa primo duo facit. Primo assignat rationem quare circumcisio vel Judaismus sine legis observatione non prosit ; secundo assignat rationem quare observantia legis prosit sine Judaismo et circumcisione, ibi, *Sed qui in abscondito*. Dicit ergo, quod ideo circumcisio prævaricantis legem fit præputium, et judicatur a præputio custodiente legem : non enim est verus ille qui in manifesto est Judæus secundum carnalem generationem. Infra XIX, 6, *Non enim omnes qui ex circumcisione sunt Israel hi sunt Israelitæ sed qui filii sunt promissionis*. Et similiter etiam non est vera circumcisio illa quæ est manifesta in carne ; illa enim est signum, ut dicitur Genes. XVII, 2 : *Circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis*. Non autem est signum verum, nisi ei respondeat signatum : unde si quis Judæus esset transgressor fœderis, non esset ejus vera circumcisio ; et ideo reputatur in præputium. Deinde cum dicit, *Sed qui in abscondito*, assignat rationem quare præputium custodientis legem reputetur in circumcisionem, et judicet circumcisionem carnalem : quia scilicet ille vere est Judæus qui est in abscondito, idest qui habet in affectu cordis mandata legis quam Judæi profitentur : Matth. VI, 6 : *Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi* : et similiter circumcisio vera est quæ est *cordis in spiritu*, idest per spiritum facta, per quam superfluæ cogitationes a corde præcidun-

[1] Al. omittitur : « eum. »

tur. Vel *in spiritu*, idest per spiritualem intellectum legis, non litteralem. Philip. III, 3 : *Nos sumus circumcisio qui spiritu Deo servimus*. Deinde cum dicit, *Cujus laus non ex hominibus* probat præmissam rationem. Manifestum est enim quod in omnibus judicium divinum præferendum est humano. Ea vero quæ exterius apparent, sive sit Judasimus, sive circumcisio, laudantur ab hominibus ; sed ea quæ sunt in abscondito, laudantur secundum judicium divinum : quia, ut dicitur I Reg. XV, *homines vident quæ apparent, Deus autem intuetur cor*. Unde relinquitur quod interior Judaismus et circumcisio prævalet exteriori : et hoc est quod dicit *Cujus*, scilicet interioris circumcisionis, *laus non est ex hominibus, sed ex Deo*. II Cor. X, 18 : *Non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat*.

CAPUT TERTIUM

LECTIO I.

Quid ergo amplius Judæo est, aut quæ utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei. Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum, fidem Dei evacuavit? Absit. Est autem Deus verax; omnis autem homo mendax; sicut scriptum est : Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est Deus, qui infert iram? Absit (secundum hominem dico). Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum? Si enim veritas Dei meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc et ego tamquam peccator judicor? Et non (sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, ut veniant bona: qnorum damnatio justa est.

Postquam Apostolus ostendit quod Judaismus, ad quem pertinet legis susceptio, et circumcisio non sufficiunt ad salutem sine legis custodia, per quam Gentilis, sine exteriori Judaismo et circumcisione, fructum utriusque consequitur : hic objicit contra præmissa : et primo quidem proponit objectionem ; secundo solvit, ibi, *Multum quidem*. Objicit ergo primo sic. Si ita esset sicut dictum est, quod non est verus Judæus nec vera circumcisio in manifesto, sed in occulto cordis ; *quid ergo amplius est Judæo*? idest, quid amplius datum est quam ceteris? Videtur quod nihil : et hoc est inconveniens, cum Dominus dixerit Deut. VII, 6 : *Te elegit Dominus Deus tuus ut sis ei populus peculiaris. Aut quæ utilitas circumcisionis*? scilicet exterioris. Videtur ex præmissis quod nulla : quod est inconveniens, cum sit a Deo tradita, qui dicit, Isa. XLVIII, 17 : *Ego Dominus docens te utilia.* Deinde cum dicit, *Multum quidem,* solvit præmissam objectionem : et primo quantum ad utilitatem circumcisionis, IV cap. ibi, Quid ergo dicemus? Circa primum duo facit. Primo ostendit Judæorum prærogativam ; secundo excludit eorum gloriam, qua se Gentibus superbe præferebant, ibi, *Quid ergo? Præcellimus eos*? Circa primum tria facit. Primo proponit quod intendit ; secundo manifestat, ibi, *Primum quidem*; tertio excludit objectionem, ibi, *Quid enim si quidam.* Dicit primo : Quæsitum est quid amplius sit Judæo. Est autem ei amplius, et quantum ad quantitatem, qui significatur cum dicit, *Multum*, et quantum ad numerum, qui significatur cum dicit, *Per omnem modum.* Habent enim amplius aliquid et in contemplatione divinorum, secundum illud Psalm. LXXV, 1 : *Notus in Judæa Deus* : et secundum dispositionem temporalium : Psalm. CXLVII, 20 : *Non fecit taliter omni nationi.* Habent etiam amplius quantum ad patres, quantum ad promissiones et quantum ad prolem. Infra IX, 4 : *Quorum est adoptio filiorum Dei et gloria, et testamentum.* Et in quolibet eorum non est parva excellentia, sed magna et præcipua; quod dicit, *Multum.* Maximum enim bonum hominis est in Dei cognitione, in hoc quod Deo adhæreat, et a Deo instruatur. Psalm. XCIII, 12 : *Beatus homo quem tu erudieris Domine.* Deinde cum dicit, *Primum quidem* etc. manifestat quod dixerat, dicens : *Primum quidem*, idest præcipue, amplius est Judæis, *quia eloquia Dei sunt credita*[1] *illis*, quasi amicis : Joan. XV, 25 : *Vos dixi amicos.* Et hoc est multum, quia eloquia Dei sunt honesta : Psalm. XVII, 10 : *Eloquia Domini vera, justificata in semetipsa.* Sunt delectabilia : Psal. CXVIII, 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua*! Sunt etiam utilia ad non peccandum : Psalm. eodem 2 : *In corde meo abscondi eloquia tua: ut non peccem tibi.* Deinde cum dicit, *Quid enim si quidam*, excludit objectionem : et primo ponit eam ; secundo excludit ipsam, ducendo ad inconveniens, ibi, *Numquid incredulitas*; tertio ostendit esse inconveniens id ad quod inducitur, ibi, *Est autem Deus verax.* Posset aliquis prærogativæ Judæorum derogare, opponendo ingratitu

[1] Al. *tradita.*

dinem eorum, per quam viderentur dignitatem eloquiorum Dei amisisse : unde dicit : *Quid autem, si quidam illorum non crediderunt?* Numquid per hoc concluditur [1], quod nihil amplius sit Judæo? secundum illud II Pet. II, 21 : *Melius erat eis non cognoscere viam justitiæ quam post cognitam retrorsum converti.* Non crediderunt autem primo quidem legislatori : Psal. CV, 25 : *Non crediderunt in verbo ejus* [2] : secundo non crediderunt Prophetis : Ezech. II, 6 : *Increduli et subversores sunt tecum* : tertio non crediderunt ipsi Filio : Joan. VIII, 45 : *Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi*? Deinde cum dicit, *Numquid incredulitas*, excludit dictam objectionem, ducendo ad inconveniens : quia si propter incredulitatem aliquorum, prærogativa Judæorum tolleretur, sequeretur quod incredulitas hominis, fidem Dei evacuaret, quod est inconveniens; et hoc est quod dicit : *Numquid incredulitas eorum*, scilicet qui non crediderunt, *evacuavit fidem Dei*? Quod potest dupliciter intelligi. Uno modo de fide qua creditur in Deum. Non enim per hoc quod quidam non crediderunt, evacuatur fides illorum qui crediderunt : malum enim quorumdam in societate existentium, non evacuat bonum aliorum. Eccli. XXXIII, 12 : *Ex ipsis benedixit et exaltavit, sanctificavit, et ad se applicavit* ; *et ex ipsis maledixit et humiliavit, etconvertit illos a separatione ipsorum* : quod est contra illos contra quos Augustinus dicit *In epistola ad plebem Hipponensem* : « Ad quid aliud tractant, nisi ut cum Episcopus vel clericus vel monachus vel sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, sed non omnes posse manifestari? » Alio modo potest intelligi de fide qua Deus fidelis est implens promissa. Heb. x, 23 : *Fidelis enim est qui repromisit.* Hæc autem fidelitas evacuaretur, si propter quorumdam incredulitatem accideret quod nihil amplius esset Judæo. Promisit enim Deus populum illum multiplicare et magnificare, ut patet Genes. XX, 17 : *Multiplicabo semen tuum.* Deinde cum dicit, *Absit*, ostendit hoc esse inconveniens, quod fides Dei evacuaretur propter hominum incredulitatem : et primo quidem ad hoc inducit rationem ; secundo auctoritatem, ibi, *Sicut scriptum est* ; tertio excludit falsum sensum auctoris, ibi, *Si autem iniquitas.* Ratio autem sumitur ex hoc quod *Deus* secundum se *verax est*, Hierem. x, 10 : *Dominus autem Deus verax est*, I Joan. ult. 20 : *Hic est verus Deus, et vita æterna.* Et tamen *omnis homo est mendax.* Psal. CXV, 11 : *Ego dixi in excessu meo : Omnis homo mendax.* Unde patet quod mendacium hominis, sive infidelitas veritati non adhærens, Dei veritatem sive fidem non evacuat.

Ad horum evidentiam sciendum est, quod veritas importat adæquationem rei ad intellectum. Aliter autem adæquatur res ad intellectum nostrum, aliter ad intellectum divinum. Noster intellectus cognitionem accipit a rebus ; et ideo causa et mensura veritatis ipsius est esse rei : ex eo enim quod res est vel non est, oratio dicitur vel vera vel falsa, secundum Philosophum II *Perhier.*, cap. de oratione. Unde intellectus noster potest esse verus vel falsus, inquantum potest adæquari vel non adæquari. Quod autem potest esse et non esse, indiget alio agente ad hoc quod sit, sine quo remanet non ens : sicut enim aer sine illuminante remanet tenebrosus, ita et intellectus noster, nisi a prima veritate illuminetur, de se in mendacio remanet. Unde quantum est de se, omnis homo est mendax secundum intellectum, sed solum est verus inquantum veritatem divinam participat. Psal. XLII, 3 : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam.* Intellectus autem divinus est causa et mensura rerum ; et propter hoc secundum seipsum est indeficienter verax, et unaquæque res est verax inquantum ei conformatur. Similiter secundum quod accipitur veritas ex parte rei, homo de se non habet veritatem, quia natura sua vertibilis est in nihilum ; sed solum natura divina, quæ nec est ex nihilo nec vertibilis in nihilum, de se veritatem habet.

Deinde cum dicit, *Sicut scriptum est*, probat idem per auctoritatem Psalm. L, 6, in quo sic legitur : *Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris :* quod qualiter ad propositum faciat, videri potest, si præcedentia Psalmi considerentur : præmittitur enim : *Tibi soli peccavi* ; et tunc sequitur : *Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris*, Promiserat enim Deus per Nathan Prophetam David, quod ejus regnum in æternum stabiliret in semine suo, ut habetur II

[1] Al. : « excluditur. » — [2] Al. : « Non crediderunt verbis ejus. »

Reg. VII. Postea vero cum in grave peccatum incideret, adulterii scilicet et homicidii, ut legitur II Reg. XI, propter hujusmodi peccatum dicebatur a quibusdam, quod Deus non esset ei promissionem observaturus. Intentio ergo Psalmistæ est duo dicere. Primo quidem quod propter peccatum ejus non mutatur justitia Dei, ad quam pertinet ut suos sermones impleret; et quantum ad hoc dicit: *Ut justificeris in sermonibus tuis*; id est, ut ex hoc appareas in sermonibus tuis justus, quia propter mea peccata eos non præteris. Prov. VIII, 16 : *Recti sunt omnes sermones mei.* Psalm. CXIV, 16 : *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.* Secundo quod divina promissio imitetur humanum judicium; et hoc est quod dicit, *Vincas,* scilicet promissionem tuam servando, *cum judicaris*, scilicet ab hominibus, quod eam propter mea peccata non sis impleturus. Infra XII, 21 : *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Hoc dicitur homini, quod multo magis competit Deo. Est autem considerandum, quod promissio facta David a Deo, erat implenda de Christi incarnatione : unde pertinebat ad prophetiam prædestinationis, secundum quam aliquid promittitur quasi omnibus modis implendum : quod vero promittitur vel prænuntiatur secundum prophetiam comminationis, non prædicitur quasi omnibus modis implendum, sed sscundum quod, exigunt humana merita, quæ possunt mutari. Et ideo si non factum fuisset quod promissum est David, præjudicaret divinæ justitiæ. Si vero non fiat quod promittitur per prophetiam comminationis, non præjudicat divinæ justitiæ, sed designat mutationem meritorum : unde Hier. XVIII, 7 : *Repente loquar adversus gentem et adversus regnum, ut eradicem et destruam et disperdam et dissipem. Si egerit pœnitentiam gens illa a malo suo quod locutus sum adversus eam; pœnitentiam agam et ego super malo quod cogitari ut facerem ei.* Sic ergo patet secundum hunc sensum, quod peccatum hominis divinam fidelitatem non excludit. Ponuntur autem et alii sensus auctoritatis hujus in *Glossa*, qui non ita pertinent ad intentionem Apostoli; quorum primus est ut hæc verba quæ hic ponuntur, continuentur, cum his quæ ante Psalmista præmiserat, *Amplius lava me ab iniquitate mea*, ad hoc scilicet *ut justificeris*, idest justus appareas, *in sermonibus tuis*, in quibus veniam peccatoribus promisisti, non solum Ezech. XVIII, quia hæc verba Psalmi prius fuerunt dicta ; sed etiam Levit. XXVI, 41 : *Orabunt pro impietatibus suis, et recordabor fœderis mei;* et Deut. XXX, 1 : *Si ductus pœnitudine cordis reversus fueris ad Deum, reducet te Dominus Deus tuus, et miserebitur tibi.* Et *sic vincas cum judicaris* ab hominibus, quod mihi veniam dare non debeas. Secundo continuantur hæc verba cum eo quod dictum est. *Tibi soli peccavi*, idest per comparationem ad te, qui solus *es* justus ; et hoc est quod dicit, *Ut justificeris,* idest ex comparatione mei et aliorum peccatorum justus appareas : Psal. X, 8 : *Justus Dominus, et justitias dilexit* : et hoc non solum in factis, sed etiam in sermonibus, quod est maximum, secundum illud Jacob. III, 2 : *Si quis in verbo non offendit, perfectus est. Et vincas cum judicaris*, idest cum cuicumque alii in judicio compararis. Isa. V, 3 : *Judicate inter me et vineam meam* etc. Tertio referuntur hæc verba ad Christum, qui solus est sine peccato, secundum illud I Pet. XII, 12 : « Qui peccatum non fecit, nec inventus est in ore ejus dolus : et sic justificatur in sermonibus in comparatione ad omnes homines. *Et vincas*, scilicet peccatum, mortem et diabolum. Apoc. V, 5 : *Ecce vicit leo.* Et hoc *dum judicaris*, scilicet injuste a Pilato. Job XXXVI, 8 : *Causa tua quasi impii judicata est.*

Deinde cum dicit, *Si autem iniquitas nostra*, excludit falsum intellectum auctoritatis inductæ. Posset enim aliquis intelligere præmissa verba secundum hunc sensum, nt hæc dictio *ut* poneretur causaliter, et non solum consecutive; et sic sequeretur quod peccatum hominis directe ordinaretur ad commendandum Dei justitiam. Sed Apostolus ostendit hoc esse falsum, ut sic det intelligere quod ly *ut* ponitur consecutive, quia scilicet David peccante, consecutum est quod divina justitia manifestetur ; non autem causaliter, quasi peccatum hominis commendet Dei justitiam : quod quidem probat ducendo ad inconveniens ; et hoc dupliciter : primo quidem ex parte judicii divini ; secundo ex parte judicii humani. Circa primum tria facit. Primo ponit sensum falsum ; secundo ostendit inconveniens quod ex hoc sequitur, ibi, *Quid dicemus? Numquid iniquus est Deus?* tertio ostendit hoc esse inconveniens, ibi, *Absit.* Est considerandum, quod supra Apos-

tolus duas comparationes fecerat : unam quidem veritatis divinæ ad humanum mendacium, cum dixerat : *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax :* aliam justitiæ Dei ad peccatum humanum, secundum verba Psal. L, 6, *quibus dicit : Tibi soli peccavi... ut justificeris.* Et quantum ad comparationem secundam [1] dicit : Si hæc verba sunt intelligenda, quod iniquitas nostra [2] directe commendat Dei justitiam, *quid dicemus*, id est, non poterimus sustinere inconvenientia quæ sequuntur. Non enim peccatum est Deo necessarium ad ejus justitiam commendandam. Eccli. xx, 22 : *Non concupiscit multitudinem infidelium filiorum et inutilium.* Exprimit autem inconveniens quod sequitur, dicens : *Numquid Deus qui infert iram*, idest vindictam pro peccato, *est iniquus*? Hoc enim sequitur ex eo quod dictum est. Si enim peccatum directe ordinaretur ad commendandam justitiam, non esset dignum pœna, sed præmio ; et sic Deus puniens homines pro peccato, esset iniquus, contra illud Deut. xxxii, 4 : *Deus autem fidelis est absque ulla iniquitate.* Excludit autem consequenter hoc inconveniens, cum subdit, *Absit*, scilicet quod Deus sit iniquus : *Secundum hominem dico*; idest, quod hæc verba protuli, non ex meo sensu, sed ex hominis errantis sensu protuli ; sicut dicitur I Corinth. iii, 3 : *Cum sint inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis?* Hoc autem non esse dicendum ostendit, subdens : *Alioquin*, scilicet si Deus est iniquus, *quomodo judicabit hunc mundum*? idest, quomodo conveniet quod ipse sit universalis et supremus mundi judex ? Oportet enim quod est primum et supremum in quolibet genere, esse infallibile, sicut primum movens est immutabile. Unde in Psal. xcv, 15, dicitur : *Judicabit orbem terræ in æquitate.* Et simile argumentum ponitur Job xxxv, 12, ubi dicitur : *Vere Deus non condemnat frustra, nec Omnipotens subvertit judicium. Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem quem fabricatus est*? scilicet, quia si ipse non juste judicaret, oporteret dicere alium esse judicem mundi.

Deinde cum dicit, *Si enim veritas*, ostendit idem per humanum judicium : et circa hoc etiam tria facit. Primo proponit falsum intellectum prædictorum verborum ; secundo ponit inconveniens quod sequitur, ibi, *Quid adhuc*; tertio ostendit illud esse inconveniens, ibi, *Quorum damnatio.* Exprimit autem falsum sensum secundum illam comparationem quæ est divinæ veritatis ad humanum mendacium, cum dicit : *Si enim in meo mendacio,* idest propter meum mendacium, *veritas Dei*, manifesta scilicet, *abundavit in gloriam ipsius*, ita quod mendacium hominis directe pertineat ad augmentum gloriæ, contra id quod dicitur Job xiii, 7 : *Numquid Deus indiget vestro mendacio?* Subdit autem consequenter duo inconvenientia quæ sequuntur; quorum unum est quod homo non deberet reputari peccator propter mendacium, ex quo in Dei gloriam directe ordinatur, et hoc est quod dicit : *Quid adhuc*, idest cur etiam nunc, *et ego judicor*, scilicet ab hominibus tamquam peccator pro mendacio? Sapient. xvii, 10 : *Cum sit timida nequitia, data est in omnium condemnationem*, quia scilicet peccatores ab omnibus judicio condemnantur. Aliud autem inconveniens est quod locum habeat verbum falsum, quod Apostolis imponebatur : quia enim prædicabant quod per abundantiam gratiæ Christi solvebatur abundantia peccatorum, secundum illud infra v, 20 : *Ubi abundavit delictum superabundavit et gratia* : blasphemabant Apostolos, quasi dicerent, quod homines deberent facere mala, ut consequerentur bona; quod sequeretur, si mendacium hominis directe commendaret Dei gratiam et veritatem ; et hoc est quod dicit : Non *faciamus mala*, peccando scilicet et mendacium docendo, *ut veniant bona*, scilicet ut Dei veritas et justitia commendetur, *sicut blasphemamur*, idest sicut quidam blasphemando nobis imponunt : infra I Corinth. vi, 13 : *Blasphemamur et obsecramus* : *et sicut quidam aiunt nos dicere*, verba nostra depravando. II Petr. ult. 16 : *Quæ indocti et instabiles depravant.* Hæc autem excludit subdens : *Quorum condemnatio justa est*, idest eorum qui faciunt mala ut veniant bona : sicut enim non est verum syllogizandum ex falsis, ita non est perveniendum ad bonum finem per mala. Hierem. xii, 1 : *Bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt*: quod dicitur ex persona impiorum. Vel *quorum*, scilicet hæc nobis false imponentium, *damnatio justa est :*

[1] In editis vitiose : « primam. » — [2] Al. : « mea. »

juste enim condemnantur perversores sacræ doctrinæ. Apocal. ult. 18 : *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus plagas scriptas in libro isto.*

LECTIO II.

Quid igitur? Præcellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus Judæos et Græcos, omnes sub peccato esse, sicut scriptum est : Quia non est justus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum : omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum; quorum os maledictione et amaritudine plenum est : veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt : non est timor Dei ante oculos eorum. Scimus autum quoniam quæcumque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur : ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo : quia ex operibus legis non justificatur omnis caro coram illo : per legem enim cognitio peccati.

Postquam Apostolus ostendit prærogativam Judæorum supra Gentiles quantum ad divina beneficia, hic excludit eorum inanem gloriam qua se Gentibus ad fidem conversis præferebant : et primo proponit quod intendit; secundo probat propositum ibi, *Causati enim sumus.* Dicit ergo primo : Ita dictum est, *Quid amplius est Judæo? Primum quidem, quia tradita sunt illis eloquia Dei.* Quid igitur dicemus nos Judæi ad fidem conversi? *Numquid præcellimus eos*, scilicet Gentiles ad fidem conversos? de quo erat inter eos contentio. Luc. XXII, 24 : *Facta est contentio inter discipulos Jesu, quis esset major.* Et respondens subdit, *Nequaquam.*

Sed hoc videtur contra præmissa, in quibus dictum est : *Multum per omnem modum* amplius est Judæo. Sed ad hoc respondetur in *Glossa*, quod illud fuit dictum quantum ad esse quod habebant Judæi tempore legis ; hoc autem nunc dicit Apostolus secundum statum gratiæ : quia, ut dicitur Col. III, 11 : *In Christo non est Gentilis et Judæus, circumcisio et præputium* : quia scilicet non faciunt differentiam quantum ad statum gratiæ. Sed hæc responsio non videtur esse omnino secundum intentionem Apostoli : quia infra ostendit quod etiam dum sub lege erant, peccatis subjacebant, sicut et gentiles, vel amplius. Ezech. V, 5 : *Ista est Hierusalem : in medio Gentium posui eam, et in circuitu ejus terras : et contempsit judicia mea, ut magis esset impia quam Gentes.* Sic igitur dicendum est, quod supra ostendit prærogativam divinorum beneficiorum : unde non dixit quod Judæus esset excellentior, sed quod aliquid esset Judæo amplius donatum; hic autem excludit excellentiam personarum, quia illi qui divina beneficia acceperunt, non sunt illis debite usi.

Deinde cum dicit : *Causati enim sumus*, ostendit propositum : et primo quod Judæi non excedunt Gentiles quantum ad statum peccati ; secundo quod non excedunt quantum ad statum justitiæ, ibi, *Nunc autem sine lege.* Primum ostendit dupliciter : primo quidem ex his quæ supra dicta sunt; secundo per auctoritatem, ibi, *Sicut scriptum est.* Dicit ergo : *Causati enim sumus*, idest causando rationibus ostendimus, *Judæos atque Græcos*, id est Gentiles, *omnes sub peccato esse.* Isa. I, 6 : *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Ostendit enim primo quod Gentiles veritatem Dei cognitam in impietate et in injustitia detinebant; secundo quod Judæi lege suscepta, per prævaricationem legis Deum inhonorabant. Deinde cum dicit, *Sicut scriptum est*, ostendit propositum per auctoritatem Psalmistæ : et primo inducit auctoritatem ; secundo manifestat eam, ibi, *Scimus autem.* Circa primum duo facit. Primo ponit peccata omissionis; secundo peccata commissionis, ibi, *Sepulcrum patens.* Peccata autem omissionis tangit dupliciter : primo quidem removendo principia bonorum operum ; secundo ipsa bona opera, ibi, *Omnes declinaverunt.* Sunt autem tria bonorum operum principia : quorum unum pertinet ad ipsam operis rectitudinem ; et hoc est justitia, quam excludit dicens, *Sicut scriptum est*, scilicet in Psal. XIV, 2 : *Et periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est.* Quod quidem dupliciter potest intelligi. Uno modo quod intelligatur : Nullus est justus in se ex seipso; sed ex se quilibet est peccator, ex solo autem Deo habet justitiam. Exod. XXXIV, 6 : *Dominator Domine Deus misericors, et clemens... qui aufers iniquitatem atque peccata, nullusque apud te per se innocens est.* Alio modo quod nullus est quantum ad omnia justus, quin aliquod peccatum habeat ; secundum illud Prov.

xx, 9 : *Quis potest dicere : Mundum est cor meum?* Eccl. vii, 21 : *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum et non peccet.* Tertio etiam potest intelligi ut referatur ad populum malorum, inter quos nullus est justus : est enim consuetudo Scripturæ ut quandoque loquatur de toto populo ratione malorum, quandoque ratione bonorum, ut patet Hierem. viii, ubi dicitur, quod *cum complesset Hieremias loqui omnia quæ præceperat ei Dominus ut loqueretur ad universum populum, apprehenderunt eum sacerdotes et prophetæ et omnis populus dicentes, Morte moriatur* : et postea subditur, xvi : *Dixerunt principes et omnis populus : Non est viro huic judicium mortis.* Sed primi duo sensus magis sunt secundum intentionem Apostoli ; et hoc idem dicendum est in sequentibus. Secundum autem principium boni operis est discretio rationis ; et hoc excludit subdens, *Non est intelligens.* Psal. lxxxi, 5 : *Nescierunt neque intellexerunt* : et alibi Ps. xxxiii, 4 : *Noluit intelligere.* Tertium principium est rectitudo intentionis, quam excludit subdens : *Non est requirens Deum*, intentionem suam scilicet dirigendo ad ipsum. Oseæ x, 12 : *Tempus inquirendi Dominum, qui cum venerit, docebit justitiam.* Consequenter excludit ipsa bona opera : et primo quidem quantum ad offensionem divinæ legis, cum dicit, *Omnes declinaverunt*, scilicet a regula divinæ legis : Isa. lvi, 11 : *Omnes in viam suam declinaverunt.* Secundo quantum ad ostensionem finis : unde subdit : *Simul inutiles facti sunt :* hoc enim inutile dicimus quod non consequitur finem suum ; et ideo cum homines a Deo declinant propter quem facti sunt, redduntur inutiles. Sapient. iv, 3 : *Impiorum multitudo non est utilis.* Tertio excludit ipsa bona opera, cum subdit : *Non est qui faciat bonum.* Hier. iv, 22 : *Sapientes sunt ut faciant mala ; bene autem facere nescierunt.* Subdit autem, *Usque ad unum ;* quod potest uno modo intelligi exclusive ; quasi diceret, Præter unum, qui scilicet solus fecit bonum, redimendo humanum genus. Eccle. vii, 29 : *Virum de mille unum reperi, mulierem non inveni.* Vel potest intelligi inclusive ; quasi dicat : Nec etiam unus est purus homo qui faciat bonum, scilicet perfectum. Hier. v, 1 : *Quærite in plateis ejus an inveniatis virum facientem judicium, et quærentem fidem.*

Deinde cum dicit, *Sepulcrum patens*, ponit peccata commissionis : et primo peccata oris ; secundo peccata operis, ibi, *Veloces pedes eorum.* Peccata vero cordis ex his peccatis deprehenduntur. Circa peccatum oris quatuor ponit. Primo promptitudinem seu turpitudinem, cum dicit : *Sepulcrum patens est guttur eorum* : sepulcrum enim patens duo habet : est enim paratum ad recipiendum mortuum, et secundum hoc, guttur hominis dicitur esse sepulcrum patens, quando est paratum ad dicendum mortifera, per quem modum dicitur Hier. v, 16 : *Pharetra ejus quasi sepulcrum patens* : secundo exhalat fœtorem ; Matth. xxiii, 27 : *Similes sunt sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, et intus sunt plena ossibus mortuorum et omni spurcitia.* Eorum ergo guttur est sepulcrum patens ex quorum ore procedit turpiloquii fœtor. Apocalyp. ix, 17 : *Et de ore ipsorum procedit ignis et fumus et sulphur.* Secundo tangit circa peccatum oris fraudem, cum dicit : *Linguis suis dolose agebant*, aliud scilicet habendo in corde, aliud in ore. Hier. ix, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.* Tertio ponit verborum noxietatem cum dicit : *Venenum aspidum sub labiis eorum :* quia scilicet talia verba evomunt [1] quæ insanabiliter proximos occidunt vel spiritualiter vel corporaliter. Deut. xxxii, 33 : *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* Quarto designat abundantiam horum peccatorum, cum dicit : *Quorum os maledictione plenum est, et amaritudine* : quia scilicet in talibus semper abundat maledictio, quia scilicet maledicunt de aliis detrahendo, contra id quod dicitur infra xii, 14 : *Benedicite et nolite maledicere. Et amaritudine*, inquantum scilicet non verentur in faciem proximi dicere injuriosa verba, quibus ad amaritudinem provocantur : contra id quod dicitur Ephes. iv, 31 : *Omnis amaritudo tollatur a vobis.* Deinde cum dicit, *Veloces pedes eorum*, tangit peccata operis ; circa quæ tria tangit. Primo quidem promptitudinem ad male agendum : unde dicit : *Veloces pedes eorum* : prompti sunt pedes, idest affectus, eorum, *ad effundendum sanguinem*, idest ad faciendum quæcumque gravia peccata :

[1] Al. : « eveniunt. »

quia inter cetera quæ committimus in proximum, homicidium est gravius. Prover. I, 16 : *Pedes eorum in malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem.* Secundo tangit multitudinem nocumentorum quæ aliis inferuntur, cum subdit : *In viis eorum*, idest in operibus eorum, est *contritio* : quia scilicet alios conterunt opprimendo eos : Isa. X, 7 : *Ad conterendum erit cor ejus* : *et infelicitas*, inquantum scilicet privant homines bonis suis, ad miseriam eos deducendo. Job. XXIV, 9 : *Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes.* Possunt tamen hæc duo intelligi esse posita ad designandum pœnam potius quam culpam, ut sit sensus : *In viis eorum est contritio et infelicitas*; idest, opera eorum, quæ per vias designantur, ducunt eos ad contritionem et infelicitatem ; ita quod contritio referatur ad oppressionem pœnæ, quæ pro peccatis punientur. Isa. XXV, 14 : *Comminuentur sicut conteritur lagena figuli.* Infelicitas autem referenda est ad pœnam damni, qua [1] felicitate æterna privabuntur. Sap. XIII, 10 : *Infelices autem sunt, et inter mortuos spes eorum.* Tertio ostendit eorum culpæ obstinationem ad malum ; a qua quidem aliqui revocantur dupliciter. Uno modo per hoc quod volunt ab hominibus pacem habere ; sed contra hoc dicitur : *Et viam pacis non cognoverunt*; idest, non acceptaverunt. Ps. CXIX, 6 : *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Alio modo intuitu divini timoris ; sed isti nec Deum timent, nec hominem reverentur, ut dicitur Luc. XVIII : unde subditur : *Non est timor Dei ante oculos eorum*, idest ante ipsorum considerationem. Eccl. I, 27 : *Timor Domini expellit peccatum : nam qui sine timore est, non poterit justificari.* Potest autem et hoc specialiter dici contra Judæos Christo non credentes, quod non cognoverunt viam pacis, idest Christum, de quo dicitur Ephes. II, 14 : *Ipse est pax nostra.*

Deinde cum dicit, *Scimus autem quia quæcumque*, manifestat auctoritatem inductam tripliciter : primo quidem exponendo sensum ejus ; secundo exponendo intentionem ipsius, ibi, *Ut omne os*; tertio assignando rationem dictorum in ipsa, ibi, *Quoniam ex operibus.* Circa primum considerandum est, quod Judæi, contra quos Apostolus hic loquebatur, poterant ad sui excusationem pervertere sensum auctoritatis inductæ, dicendo, quod præmissa verba sunt intelligenda de Gentibus, non de Judæis. Sed hoc excludit Apostolus dicens : *Scimus quod quæcumque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur*, idest ad quos lex datur, et qui legem profitentur. Deuter. XXXIII, 4 : *Legem præcepit nobis Moyses.* Gentiles autem non erant sub lege, et secundum hoc prædicta verba pertinent ad Judæos.

Est hic autem duplex objectio. Prima quidem, quia verba supra inducta non sunt assumpta de lege, sed de Psalmis. Sed ad hoc dicendum est, quod quandoque nomen legis sumitur pro toto veteri testamento, non pro quinque libris Moysi tantum, secundum illud Joan. XV, 25 : *Ut impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis* : quod scriptum est in veteri testamento, non in quinque libris Moysi, qui proprie lex dicuntur. Et sic etiam lex accipitur hic. Quandoque autem totum vetus testamentum dividitur in tria, scilicet in legem, Psalmos et Prophetas, secundum illud Luc. ult. 44 : *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Moysi, Psalmis et Prophetis de me.* Aliquando vero totum vetus testamentum dividitur in duo, scilicet in Legem et Prophetas, secundum illud Matth. XXII, 40 : *In his duobus mandatis pendet omnis Lex et Prophetæ.* Et secundum hunc modum Psalterium sub Prophetis continetur.

Secunda objectio est, quia in lege, idest in veteri testamento, multa dicuntur pertinentia ad alias gentes, sicut patet in pluribus locis Isaiæ et Hieremiæ, ubi dicuntur multa contra Babylones, et similiter contra alias nationes. Non ergo quæcumque loquitur lex, loquitur his et de his qui in lege sunt. Sed dicendum, quod quæcumque indeterminate loquitur, ad eos pertinere videntur quibus lex datur ; quando vero Scriptura de aliis loquitur, speciali titulo designat alios, sicut cum dicitur : Onus Babylonis, et onus Tyri etc. Quæ contra alias gentes in veteri testamento dicuntur, aliquo modo ad Judæos pertinebant, inquantum eorum infortunia, ad eorum consolationem vel terrorem prænuntiabantur : sicut etiam prædicator ea debet dicere quæ pertinent ad eos quibus prædicat,

[1] Al. : « quia. »

non autem quæ pertinent ad alios. Isai. LVIII, 1 : *Annuntia populo meo peccata eorum*, quasi diceret : Non quæ sunt aliorum.

Deinde cum dicit, *Ut omne os obstruatur*, assignat intentionem prædictæ auctoritatis. Propter duo enim sacra Scriptura omnes de injustitia arguit. Primo quidem ad reprimendum eorum jactantiam, qua se justos arbitrabantur, secundum illud Luc. XVIII, 12 : *Jejuno bis in sabbato* : et quantum ad hoc dicit : *Ut omne os obstruatur*, quod scilicet sibi justitiam præsumptose ascribebat. Psal. LXII, 12 : *Obstructum est os loquentium iniqua*. I, Reg. II, 3 : *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes*. Secundo ut suam culpam recognoscentes se Deo subjiciant, sicut infirmus medico : unde subdit : *Et subditus fiat omnis mundus Deo*, idest non solum Gentilis, sed etiam Judæus, culpam suam recognoscentes. Psal. LXI, 2 : *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* Deinde cum dicit, *Quoniam ex operibus legis*, assignat rationem præmissorum verborum : et primo ponit rationem; secundo manifestat eam, ibi, *Per legem*, etc. Dicit ergo primo : Ideo non est justus quisquam, *quoniam omnis caro*, id est omnis homo, *non justificatur coram illo*, idest secundum ejus judicium, *ex operibus legis* : quia ut dicitur Gal. II, 21, *si ex lege est justitia Christus gratis mortuus est* : et ad Tit. III, 5 : *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit*. Est autem duplex opus legis : quoddam quidem est proprium legis Mosaicæ, sicut observatio cæremonialium præceptorum; quoddam est opus legis naturæ, quia pertinet ad legem naturalem, sicut, Non occidas, non furtum facias. Quidam ergo hoc intelligunt dictum esse de primis legis operibus, scilicet quod cæremonialia gratiam non conferebant per quam homines justificantur. Non tamen ista videtur esse intentio Apostoli : quod patet ex hoc quod statim subdit : *Per legem enim cognitio peccati*. Manifestum est autem quod peccata cognoscuntur per prohibitionem moralium præceptorum : et ita Apostolus intendit quod ex omnibus operibus legis, etiam quæ per præcepta moralia mandantur, non justificatur homo, ita quod ex operibus in eo causetur justitia : quia, ut dicitur infra II, 6, *Si enim gratia, jam non ex operibus*. Deinde cum dicit, *Per legem*, probat quod dixerat, scilicet quod opera legis non justificent : lex enim datur ut homo cognoscat quid debeat agere, quid vitare. Psal. CXLVII, 20 : *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis* : Proverb. VI, 23 : *Mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ*. Ex hoc autem quod homo cognoscit peccatum, quod vitare debet tamquam prohibitum, non statim sequitur quod illud vitet, quod pertinet ad rationem justitiæ : quia concupiscentia subvertit judicium rationis in particulari operabili. Et ideo lex non sufficit ad justificandum, sed est necessarium aliud remedium, per quod concupiscentia reprimatur.

LECTIO III.

Nunc autem sine lege justitia Dei manifesta est, testificata a lege et Prophetis. Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes, et super omnes, qui credunt in eum. Non enim est distinctio : omnes enim peccaverunt et egent gratia Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum : in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore; ut sit ipse justus, et justificans eum qui est ex fide Jesu Christi.

Postquam ostendit Apostolus, Judæos et Gentiles æquales esse quantum ad statum culpæ præcedentis, hic ostendit eos æquales quantum ad statum gratiæ subsequentis : et circa hoc tria facit. Primo ostendit propositum; secundo ostendit quoddam quod supposuerat, ibi, *An Judæorum Deus tantum?* Tertio respondet objectioni, ibi, *Legem ergo destruimus?* Circa primum tria facit. Primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Non est distinctio*; tertio infert conclusionem intentam, ibi, *Ubi est gloriatio tua*? Circa primum tria facit. Primo proponit habitudinem justitiæ ad legem; secundo assignat causam justitiæ, ibi, *Justitia autem Dei*; tertio assignat hujusmodi justitiæ communitatem, ibi, *In omnes et super omnes*. Ponit autem primo duplicem comparationem seu habitudinem justitiæ ad legem. Primo quidem quia non est ex lege causata; et hoc est quod dicit : Dictum est, quod olim per opera legis non poterat esse justitia Dei, vel qua ipse justus est adimplens pro-

missa de justificatione hominum : infra xv, 8 : *Dico enim Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei*; vel potius justitia Dei, qua aliquis justificatur a Deo, de qua dicitur infra x, 3 : *Ignorantes Dei justitiam.* Hæc, inquam, *Dei justitia nunc*, idest tempore gratiæ, *manifestata est*, tum per Christi doctrinam, tum per ejus miracula, tum etiam per facti evidentiam, inquantum evidens est multos esse divinitus justificatos : et hoc *sine lege*, scilicet causante justitiam. Gal. v, 4 : *Evacuati estis a Christo*, *qui in lege justificamini* ; *a gratia excidistis* : Isai. LVI, 1 : *Prope est salus mea ut veniat, et justitia mea ut reveletur.* Et ne aliquis credat hanc justitiam legi esse contrariam, secundo ponit aliam habitudinem justitiæ ad legem *Testificata a lege et Prophetis.* Lex quidem Christi justitiam testificata est pronuntiando et præfigurando : Joan. v, 46 : *Si crederetis Moysi*, *forsitan et mihi crederetis* : *de me enim ille scripsit :* et etiam per effectum, quia cum ipsa justificare non posset, testimonium perhibebat, aliunde quærendam esse justitiam. Prophetæ autem testificati sunt eam prænuntiando : Act. x, 53 : *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent.* Consequenter autem assignat causam hujus justitiæ, et dicit : *Justitia autem Dei est per fidem Jesus Christi*, idest quam ipse tradidit : Heb, XII, 2 : *Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum.* Vel etiam quæ de ipso habetur : infra x, 9 : *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis*, *salvus eris.* Dicitur autem justitia Dei esse per fidem Jesu Christi, non quasi per fidem mereamur justificari, quasi ipsa fides êx nobis existat, et per eam mereamur Dei justitiam, sicut Pelagiani dixerunt : sed quia in ipsa justificatione qua justificamur a Deo, primus motus mentis in Deum est per fidem : *Accedentem enim ad Deum oportet credere* ut dicitur Hebr. I, 6 : Unde et ipsa fides, quasi prima pars justitiæ, est nobis a Deo. Ephes. II, 8 : *Gratia estis salvati per fidem*, *et hoc non ex vobis* ; *Dei enim donum est.* Hæc autem fides ex qua est justitia, non est fides informis, de qua dicitur Jac. II, 26 : *Fides sine operibus mortua est* ; sed est fides per caritatem formata, de qua dicitur Gal. v, 6 : *Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet*, sine fide, per quam in nobis habitat Christus. Ephes. III, 17 : *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris* : quod sine caritate non fit. I Joan. IV, 16 : *Qui manet in caritate*, *in Deo manet*, *et Deus in eo.* Hæc est etiam fides de qua dicitur Act. xv, 9 : *Fide purificans corda eorum* : quæ quidem purificatio non fit sine caritate. Proverb. x, 12 : *Universa delicta operit caritas.* Et ne aliquis diceret per hanc fidem solos Judæos justificari, tertio ostendit communitatem hujus justitiæ, cum subdit, *In omnes*, scilicet, ista justitia est in corde, non in carnalibus observantiis, de quibus dicitur Heb. IX, quod carnales observantiæ erant ad justificationem carnis usque ad tempus correctionis impositæ : *et super omnes* : quia videlicet facultatem humanam ac merita excedit. II Corinth. III, 5 : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis.* Addit autem, *Qui credunt in eum ;* quod pertinet ad fidem formatam, per quam homo justificatur, ut dictum est.

Deinde cum dicit, *Non est enim distinctio*, manifestat quod dixerat : et primo quantum ad communitatem justitiæ; secundo quantum ad causam ejus, ibi, *Justificati gratis*; tertio quantum ad manifestationem ipsius, ibi *Ad ostensionem.* Dicit ergo primo : Dictum est : Justificatio Dei est in omnes et super omnes qui credunt in Christum : *non enim est* quantum ad hoc *distinctio* inter Judæum et Gentilem. Coloss. III, 11 : *In Christo Jesu non est Gentilis et Judæus*, scilicet distinctionem aliquam habens, quasi Judæus non indigeat justificari a Deo sicut Gentilis : *omnes enim peccaverunt*, sicut supra ostensum est : Isai. LII, 6 : *Omnes nos quasi oves erravimus* : et per hoc *egent gloria Dei*, id est justificatione, quæ in gloriam Dei cedit. Non autem sibi debet homo hanc gloriam ascribere. Psal. CIII, 9 : *Non nobis Domine*, *non nobis*, *sed nomini tuo da gloriam.* Psal. LXVII, 35 : *Date gloriam Deo.* Sic igitur quia omnes peccaverunt, et ex se justificari non possunt, restat ut per aliam causam justificentur : quam consequenter ostendit subdens, *Justificati* : ubi primo ostendit quod hujusmodi justificatio est sine lege, idest quod non est ex operibus legis, cum dicit : *Justificati gratis*, idest absque merito præcedentium operum. Isai. LII, 3 : *Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini.* Et hoc *per gratiam ipsius*, scilicet Dei, cui ex hoc debetur gloria. I Corinth. xv, 10 : *Gratia Dei sum id quod*

sum. Secundo ostendit quæ sit causa justificationis : et primo ponit ipsam causam, cum dicit, *Per redemptionem*. Ut enim dicitur Joan. VIII, 34 : *qui facit peccatum servus est peccati* : ex qua quidem servitute homo redimitur, si pro peccato satisfaciat. Sicut si aliquis ob culpam commissam obnoxius esset regi ad solvendam pecuniam, ille eum redimere diceretur a noxa qui pro eo pecuniam solveret. Hæc autem noxa ad totum humanum genus pertinebat, quod erat infectum per peccatum primi parentis. Unde nullus alius pro peccato totius humani generis satisfacere poterat, nisi solus Christus, qui ab omni peccato erat immunis. Unde subdit : *Quæ est in Christo Jesu*; quasi dicat : In alio non poterat nobis esse redemptio. I Pet. I, 18 : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis*. Secundo ostendit unde ista redemptio efficaciam habuit, cum dicit : *Quem proposuit Deus propitiatorem* : ex hoc enim Christi satisfactio efficaciam ad justificandum habuit et ad redimendum, quia eum Deus ad hoc ordinaverat secundum suum propositum; quod designat, cum dicit, *Quem proposuit Deus propitiatorem*. Ephes. I, 12 : *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*. Vel *proposuit*; idest, pro omnibus posuit : quia [1] humanum genus non habebat unde satisfacere posset, nisi ipse Deus eis redemptorem et satisfactorem daret. Psal. CX, 9 : *Redemptionem misit Dominus populo suo*. Et sic dum satisfaciendo, nos redimit a noxa peccati, Deum peccatis nostris propitium facit; quod petebat Psalmista dicens Psal. LXXVIII, 9 : *Propitius esto peccatis nostris* : et ideo dicit eum propitiatorem. I Joan. II, 2 : *Propitiatio*. In cujus figura Exodi XXVI, mandatur quod fiat propitiatorium, idest Christus; quod ponebatur super arcam [2], idest Ecclesiam. Tertio ostendit per quod redemptionis effectus ad nos perveniat, cum dicit : *Per fidem in sanguine ejus* idest quæ est de sanguine ejus pro nobis effuso. Ut enim pro nobis satisfaceret, congruebat ut pœnam mortis pro nobis subiret, quam homo per peccatum incurrerat, secundum illud Genes. II, 17 : *Quacumque die comederis ex eo, morte morieris*. Unde dicitur I Pet. III, 18 : *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est*. Hæc autem mors Christi nobis applicatur per fidem, qua eum [3] credimus per suam mortem mundum redemisse. Galat. II, 20 : *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me*. Nam et apud homines satisfactio unius alteri non valeret, nisi eam ratam haberet. Et sic patet quomodo sit justitia per fidem Jesu Christi, ut supra dictum est. Sed quia etiam supra dixit, justitiam Dei esse nunc manifestatam, agit consequenter de hac manifestatione : et primo tangit modum manifestationis, dicens, *Ad ostensionem*; quasi dicat : Hoc, inquam, factum est, ut justificaremur per redemptionem Christi et per fidem sanguinis ejus, *ad ostensionem justitiæ suæ*, id est ad hoc quod suam justitiam Deus ostenderet; et hoc *propter remissionem præcedentium delictorum* : in hoc enim quod præcedentia delicta Deus remisit, quæ lex remittere non poterat, nec homines propria virtute ab eis se præcavere poterat ; ostendit quod necessaria est hominibus justitia qua justificentur a Deo. Solum autem per sanguinem Christi potuerunt remitti peccata non solum præsentia, sed præterita : quia virtus sanguinis Christi operatur per fidem hominis ; quam quidem habuerunt illi qui præcesserunt Christi passionem, sicut et nos habemus. II Corinth. IV, 13 : *Habentes eumdem spiritum fidei... credimus*. Unde et legitur aliter, ut dicatur : *Propter remissionem delictorum*, quæ sunt hominum præcedentium Christi passionem. Unde dicitur Mich. ult. 19 : *Deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra*. Secundo ostendit tempus manifestationis ejus, cum subdit : *In sustentatione Dei ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore*; quasi diceret : Præcedentia delicta erant ante Christi passionem *in Dei sustentatione*, quasi in quadam divina Dei sustinentia quia nec pro eis credentes et pœnitentes damnat, nec ab eis totaliter reddit absolutos, ut scilicet eis non obstantibus, possint introire in gloriam. Vel secundum aliam litteram potest intelligi, quod ipsi sancti patres erant *in sustentatione Dei*, quia detinebantur in limbo, non quidem patientes pœnam sensibilem, sed expectantes introire in gloriam per Christi passionem. Eccli. II. 3 : *Sustine sustentationes Dei*. Ad hoc, inquam, præcedentia

[1] Al. : « ut quia. » — [2] Al. : « idest quod Christus ponatur super arcam. » — [3] Al. deest : « eum. »

delicta vel peæcedenter patres erant *in sustentatione Dei*, *ad ostensionem* scilicet *justitiæ ejus in hoc tempore*; id est, ut in hoc tempore gratiæ suam justitiam perfecte ostenderet, plenam remissionem peccatorum tribuendo. Psal. CI, 14 : *Venit tempus miserendi ejus* : et II Corinth. VI, 2 : *Ecce nunc tempus acceptabile*, *ecce nunc dies salutis*. Et hoc est quod supra dixerat nunc esse justitiam Dei manifestatam. Oportuit autem ut præcedentia peccata usque ad hoc tempus essent in Dei sustentatione, ut primo convinceretur homo de defectu scientiæ, quia tempore legis naturæ in errores et turpia peccata incidit: etetiam de defectu potentiæ,quia post legem scriptam, quæ fecit cognitionem peccati, adhuc homo per infirmitatem peccavit. Tertio ostendit quod per remissionem peccatorum Dei, justitia ostendatur ; sive accipiatur Dei justitia qua ipse est justus, sive qua alios justificat : unde subdit : *Ut sit ipse justus* ; idest ut per remissionem peccatorum Deus appareat sicut promiserat, tum quia ad justiam Dei pertinet quod peccata destruat, homines ad justitiam Dei reducendo : Psal. X, 8 : *Justus Dominus, et justitias dilexit* : et etiam ut *sit justificans eum qui est ex fide Jesu Christi*, id est qui per fidem Jesu Christi accedit ad Deum. *Accedentem enim ad Deum oportet credere* : Heb. XI, 6.

LECTIO IV.

Ubi est gloria tua ? Exclusa est. Per quam legem? Factorum ? Non, sed per legem fidei. Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis. An Judæorum Deus tantum ? Nonne et Gentium ? Immo et Gentium ? Quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem. Legem ergo destruimus per fidem? Absit; sed legem statuimus.

Postquam Apostolus ostendit quod Judæi non præcedunt Gentiles neque quantum ad statum culpæ, neque quantum ad statum justitiæ ; hic concludit conclusionem intentam, excludendo scilicet eorum gloriam [1], qua Gentibus se præferebant; et circa hoc tria facit. Primo proponit hujus gloriæ exclusionem : secundo exclusionis causam, ibi, *quam per legem* ; tertio ostendit modum quo excludit, ibi, *Arbitramur enim* etc. Circa primum duo facit. Primo proponit quæstionem, dicens : Ex quo communiter es sub peccato tu Judæus, sicut et Gentilis , et ex quo Gentilis justificatur per fidem, sicut et tu, *ubi est gloriatio tua*? qua scilicet in lege gloriaris, ut supra II, dictum est, et per hoc te Gentili vis præferre. I Corinth. V, 6 : *Non est bona gloriatio vestra*. Gal. V, 26 : *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi*, *invicem provocantes*, *invicem invidentes*. Secundo huic quæstioni respondet dicens, *Exclusa est* ; id est, sublata est. I Reg. IV, 21 : *Et ablata est gloria de Israel*. Oseæ IV, 7 : *Gloriam eorum in ignominiam commutabo*. Vel *exclusa*, id est expresse manifestata est : gloriabantur enim Judæi in gloria et cultu unius Dei : et hanc eorum gloriam dicit exclusam, id est expressam per Christum ; sicut artifices qui aliquam imaginem in argento exprimunt, exclusores vocantur, secundum illud Psal. LXII, 31 : *Ut excludant eos qui probati sunt argento*. Sed primus sensus est magis litteralis. Cum autem dicit, *Per quam legem*, ostendit causam hujus exclusionis. Quia autem Judæorum gloriatio erat in lege, ut supra dictum est ; ideo oportere videbatur quod per aliquid ejusdem generis, id est per aliquam legem, eorum gloriatio excluderetur. Et ideo interrogando [2] quærens subdit, *Per quam?* scilicet est eorum gloriatio exclusa. Posset autem aliquis credere quod eorum gloriationem exclusam Apostolus diceret per aliqua præcepta legalia, quibus quædam majora opera mandarentur ; et ideo interrogando subdit, *Factorum* ? quasi dicat : Numquid per aliquam legem factorum, eorum gloriationem exclusam dico? Et respondet quod *non*, *sed per legem fidei*. Et sic patet quod duplicem legem hic inducit Apostolus, scilicet factorum et fidei. Et in promptu esse videtur quod per legem factorum intelligitur lex vetus ; et per legem fidei, lex nova, per quam Gentilis æquiparatur Judæo.

Sed dubitatur de hac distinctione. Nam et in veteri lege necessaria erat fides, sicut et in nova. Eccli. II, 8 : *Qui timetis Dominum*, *credite illi* : et Psal. CXXV, 1 :

[1] Al. : « gloriationem. » — [2] Al. omittitur : « interrogando. »

Credidi propter quod locutus sum. Immo etiam in nova lege facta quædam requiruntur : et quorumdam sacramentorum, secundum illud Luc. XXII, 19 : *Hoc facite in meam commemorationem* : et etiam moralium observationum : Jac. I, 22 : *Estote factores verbi, et non auditores tantum.*

Dicendum est igitur, quod legem factorum dicit legem exterius propositam et descriptam, per quam exteriora facta hominum ordinantur, dum præcipitur quid fieri debeat, et per prohibitionem ostenditur a quo debeat abstineri. Legem autem fidei vocat legem interius descriptam, per quam non solum exteriora facta, sed etiam ipsi motus cordium disponuntur, inter quos primus est motus fidei : *corde enim creditur ad justitiam*, ut dicitur hic cap. X. Et de hac loquitur infra VIII, 2 : *Lex spiritus vitæ quæ est in Christo Jesu.*

Deinde cum dicit, *Arbitramur enim*, ostendit modum quo per legem fidei gloria Judæorum excluditur, dicens : *Arbitramur enim*, nos Apostoli veritatem a Christo edocti, *hominem* quemcumque, sive Judæum sive Gentilem, *justificari per fidem* : Act. XV : 9 : *Fide purificans corda eorum* : et hoc *sine operibus legis* : non autem solum sine operibus cæremonialibus, quæ gratiam non conferebant sed solum significabant, sed etiam sine operibus moralium, præceptorum, secundum illud ad Tit. III, 5 : *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos* etc. : ita tamen quod hoc intelligat [1] sine operibus præcedentibus justitiam, non autem sine operibus consequentibus : quia, ut dicitur Jac. II, 26 : *fides sine operibus* scilicet subsequentibus *est mortua*, et ideo justificare non potest.

Deinde cum dicit, *An Judæorum*? ostendit quoddam quod præsupposuerat scilicet quod justitia fidei communiter se haberet ad omnes. Et prius quidem hoc manifestaverat ratione accepta ex parte causæ materialis, cum supra dixerat : *Omnes peccaverunt, et egent gratia Dei*; id est, peccatores sunt, quos oportet per gratiam fidei justificari. Sed probatio quæ est ex sola causa materiali, non sufficit, quia materia non movetur per se ad formam sine causa agente ; et ideo hic subjungit rationem acceptam ex parte causæ agentis, id est justificantis, qui est Deus. Infra VIII, 33 : *Deus qui justificat.* Manifestum est autem quod Deus noster illos justificando salvat quorum est Deus, secundum illud Psalm. LVII, 21 : *Deus noster, Deus salvos faciendi.* Non est autem Judæorum tantum Deus, sed et Gentium : ergo utrosque justificat. Circa hoc ergo tria facit. Primo proponit quæstionem de Judæis, cum dicit : *An Judæorum tantum* est *Deus*? quod quidem videri posset alicui per hoc quod [2] dicitur Exod. V, 3 : *Deus Hebræorum vocavit nos.* Dicendum est ergo, quod Judæorum Deus tantum erat per specialem cultum ab eis Deo exhibitum : unde in Psal. LXXV, 1, dicitur : *Notus in Judæa Deus* : erat tamen Deus omnium per commune regimen universorum, secundum illud Psal. XLVI, 8 : *Rex omnis terræ Deus.* Secundo proponit quæstionem ex parte Gentilium, dicens : *Nonne et Gentium*, scilicet est Deus? et respondet, *Immo et Gentium*, quas scilicet gubernat et regit, secundum illud Hier. X, 7 : *Quis non timebit te, o Rex Gentium*?

Tertio ibi, *Quoniam quidem*, manifestat per signum quod dixerat; quasi dicat : Et hoc manifestum est quod Deus est non solum Judæorum, sed et Gentilium, *quoniam quidem unus est Deus qui justificat circumcisionem*, idest Judæos, *ex fide* : ut enim dicitur Galat. V, 6, « in Christo Jesu neque *circumcisi, neque præputium.*

Quod autem dicit *Ex fide* et *per fidem*, secundum *Glossam* est omnino idem : potest tamen aliqua differentia attendi. Nam hæc præpositio *ex* designat aliquando causam remotam, hæc præpositio *per* propinquam. Judæi ergo justificari dicuntur *ex fide*, quia fides fuit prima causa ex qua processit circumcisio et cetera sacramenta legalia : et ita Judæos justificat fides, sicut quædam causa primaria per quasdam medias causas ; sed Gentiles per ipsam fidem immediate justificantur.

Deinde cum dicit, *Legem ergo*, excludit quamdam objectionem : posset enim aliquis dicere, quod prædictam legem destrueret : et ideo quærit dicens : *Legem ergo destruimus per fidem*? ex hoc scilicet quod dicimus homines justificari sine operibus legis. Et respondet, *Absit*, secundum illud Matth. V, *Non præteribit jota unum, aut unus apex a lege.* Subdit

[1] Al. : « quod intelligas. » — [2] Al. : « per quod. »

autem, *Sed legem statuimus*; idest, per fidem legem perficimus et adimplemus, secundum illud Matth. v, 17 : *Non veni solvere legem, sed adimplere;* et hoc quantum ad præcepta cæremonialia, quæ cum essent figuralia, per hoc statuuntur et adimplentur quod veritas significata per ea, in fide Christi exhibetur ; et etiam quantum ad moralia, quia fides Christi auxilium gratiæ confert ad implenda moralia præcepta legis : addit etiam quædam consilia, per quæ præcepta moralia tutius et firmius conservantur.

CAPUT QUARTUM

LECTIO I.

Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Si enim Abraham ex operibus legis justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei; sicut et David dicit beatitudinem hominis cui Deus accepto fert justitiam sine operibus: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantum manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata est fides Abrahæ ad justitiam. Quomodo ergo reputata est? In circumcisione, an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio.

Postquam Apostolus exclusit Judæorum gloriam quam habebant in lege, per eam se Gentibus præferentes; hic excludit eorum gloriam quantum ad circumcisionem; et circa hoc duo facit. Primo resumit quæstionem quam supra posuerat, dicens: *Quæ est utilitas circumcisionis?* Et quia Abraham primus mandatum de circumcisione accepit, ut dicitur Genes. XVII, ideo quæstionem iterat in persona ipsius Abrahæ, dicens: Si ita est quod Deus justificat præputium sicut et circumcisionem: *quid ergo dicemus invenisse* utilitatis *Abraham patrem nostrum secundum carnem?* id est secundum circumcisionem carnalem, et secundum alias observantias carnales. Videtur esse inconveniens si dicatur quod nihil utilitatis invenerit, cum dicatur Isai. XLVIII, 17: *Ego Dominus docens te utilia.* Secundo ibi, *Si enim Abraham* etc., respondet propositæ quæstioni; et duo facit. Primo ostendit quod Abraham non hoc invenerit per circumcisionem et cetera legis opera, quod per eam justificaretur, sed magis per fidem; secundo commendat fidem ipsius, ibi, *Qui contra spem* etc. Circa primum duo facit. Primo ostendit propositum ratione accepta ex parte divinæ acceptationis; secundo ratione divinæ promissionis, ibi, *Non enim per legem promissio Abrahæ.* Circa primum tria facit. Primo proponit quamdam conditionalem; secundo probat destructionem consequentis, ibi, *Quid enim dicit Scriptura?* tertio probat ipsam conditionalem, ibi, *Sicut et David dicit.* Circa primum intendit Apostolus sic argumentari. Si Abraham justificatus esset ex operibus legis, non haberet gloriam apud Deum: ergo non ex operibus justificatus est. Proponit ergo conditionalem dicens: Quæsitum est quid Abraham invenit secundum carnalem circumcisionem: et manifestum est quod hoc non invenit ut justificatus sit ex operibus legis, ita scilicet quod ejus justitia in operibus legis consistat. *Habet* quidem *gloriam*, scilicet apud homines, qui exteriora facta vident, *sed non apud Deum* quid videt in occulto, secundum illud I Reg. XVI, 7: *Deus autem intuetur cor.* I Corinth. III, 21: *Nemo vestrum glorietur in hominibus.* Unde contra quosdam dicitur Joan. XII, 43: *Dilexerunt magis gloriam hominum quam Dei.*

Sed contra hoc potest objici quia ex consuetudine operum exteriorum generatur interior habitus, secundum quem etiam cor hominis bene disponitur ut sit promptum ad bene operandum, et in bonis operibus delectetur, sicut Philosophus docet in II *Ethic.*

Sed dicendum est, quod hoc habet locum in justitia humana, per quam scilicet homo ordinatur ad bonum humanum. Hujus enim justitiæ habitus per opera humana potest acquiri; sed justitia quæ habet gloriam apud Deum, ordinatur ad bonum divinum [1], scilicet futuræ gloriæ, quæ facultatem humanam excedit, secundum illud I Corinth. II, 9: *In cor hominis non ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Et ideo opera hominis non sunt propotionata ad hujus justitiæ habitum causandum; sed oportet prius justi-

[1] Al.: « ad bonum. »

ficari interius cor hominis a Deo, ut opera faciat proportionata divinæ gloriæ.

Deinde cum dicit, *Quid enim dicit Scriptura?* destruit consequens, quod fuit negativum, probando affirmationem oppositam, scilicet quod Abraham habet gloriam apud Deum. Et hoc probat per auctoritatem Scripturæ : quam primo Apostolus ponit ; secundo exponit, ibi, *Ei autem qui operatur.* Dicit ergo primo : Dico Abraham sic justificatum esse quod habet gloriam apud Deum : *quid enim Scriptura dicit?* Genes. xv, 6 : *Credidit Abraham Deo* promittenti sibi seminis multiplicationem. Eccli. ii, 6 : *Crede Deo, et recuperabit te* : *et reputatum est illi*, scilicet a Deo, *ad justitiam.* I Machab. ii, 52 : *Abraham in tentatione inventus est fidelis.* Et sic patet quod apud Deum, a quo est ei reputatum ad justitiam quod credidit, gloriam habet.

Est autem considerandum, quod justitia, quam Deus reputat, scriptam expressit non in aliquo exteriori opere, sed in interiori fide cordis, quam solus Deus intuetur. Cum autem dicatur triplex esse actus fidei, scilicet Deum, Deo, et in Deum, posuit hunc actum qui est credere Deo, qui est proprius actus fidei, ejus speciem demonstrans. Nam credere in Deum, demonstrat ordinem fidei ad finem, qui est per caritatem : nam credere in Deum [1] est credendo in Deum ire, quod caritas facit; et sic sequitur speciem fidei. Credere autem Deum, demonstrat fidei materiam, secundum quod est virtus theologica, habens Deum pro objecto ; et ideo hic actus nondum attingit ad speciem fidei ; quia si aliquis credat Deum esse per aliquas rationes humanas et naturalia signa, nondum dicitur fidem habere de qua loquimur, sed solum quando ex hac ratione credit, quod est a Deo dictum ; quod designatur per hoc quod dicitur credere Deo : et ex hoc fides specificatur, sicut et quilibet cognoscitivus habitus speciem habet ex ratione per quam assentitur in aliquid. Alia enim ratione inclinatur ad assentiendum habens habitum scientiæ, scilicet per demonstrationem, et alia ratione habens habitum opinionis, scilicet per syllogismum dialecticum.

Deinde cum dicit, *Ei autem qui operatur* etc., exponit prædictam auctoritatem quantum ad hoc quod dicit *Reputatum est illi ad justitiam.* Et tangitur in *Glossa* duplex horum verborum expositio. Prima est secundum quod referuntur ad finalem mercedem ; de qua primo ostenditur qualiter se habeat ad opera ; secundo qualiter ad finem, ibi, *Ei vero qui non operatur* etc. Dicit ergo primo, quod *ei qui operatur*, scilicet opera justitiæ, *merces*, æternæ retributionis, de qua dicitur Isai. xl, 10 : *Ecce merces ejus cum eo*, *non reputatur secundum gratiam* tantum, *sed secundum debitum* : secundum illud Matth. xx, 13 : *Nonne ex denario convenisti mecum?*

Sed contra est quod dicitur infra vi, 23 : *Gratia Dei vita æterna* : et infra viii, 18 : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Sic igitur illa retributio non fit secundum debitum, sed secundum gratiam.

Sed dicendum est, quod opera humana possunt considerari dupliciter. Uno modo secundum substantiam operum ; et sic non habent aliquid condignum ut eis merces æternæ gloriæ reddatur. Alio modo possunt considerari secundum suum principium, prout scilicet ex impulsu Dei aguntur, secundum propositum Dei prædestinantis ; et secundum hoc eis debetur merces prædicta secundum debitum : quia, ut infra viii, 14, dicitur, *qui spiritu Dei aguntur, hi sunt* filii Dei ; si autem *filii et heredes.*

Deinde cum dicit, *Ei vero qui non operatur*, ostendit qualiter se habeat merces æterna ad fidem, dicens : *Ei vero qui non operatur*, scilicet exteriora opera, puta quia non habet tempus operandi, sicut patet in baptizato statim mortuo, *credenti in eum qui justificat impium*, scilicet in Deum, de quo dicitur infra viii, 33 : « Deus qui justificat, » *reputabitur fides ejus*, scilicet sola sine operibus exterioribus, *ad justitiam* ; id est, ut per eam justus dicatur, et justitiæ præmium accipiat, sicut si opera justitiæ fecisset, secundum illud infra x, 10 : *Corde creditur ad justitiam* : et hoc *secundum propositum gratiæ Dei*, id est secundum quod Deus proponit ex gratia sua homines salvare. Infra viii, 28 : *His qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Ephes. i, 11 : *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.*

Alia expositio est ut hoc referatur ad hominis justificationem. Dicit ergo : *Ei autem qui operatur*, id est, si aliquis per

[1] Al. : « qui est per caritatem credendo in Deum ire, etc. » intermediis omissis.

opera justificetur, ipsa justitia imputaretur, quasi *merces, non secundum gratiam, sed secundum debitum*. Infra xi, 6 : *Si autem gratia, jam non ex operibus ; alioquin gratia jam non est gratia. Ei vero qui non operatur*, ut scilicet per sua opera justificetur, *credenti autem in eum qui justificat impium*, computabitur hæc ejus fides ad justitiam, *secundum propositum gratiæ Dei :* non quidem ita quod per fidem justitiam mereatur, sed quia ipsum credere est primus actus justitiæ, quam Deus in eo operatur. Ex eo enim quod credit in Deum justificantem, justificationi ejus subjicit se, et sic recipit ejus effectum. Et hæc expositio est litteralis, et secundum intentionem Apostoli, qui facit vim in hoc quod in Genes. xv, 6, dictum est : *Reputatum est illi ad justitiam* ; quod consuevit dici quando id quod minus est ex parte alicujus reputatur ei gratis, ac si totum fecisset. Et ideo Apostolus dicit, quod hæc reputatio locum non haberet, si justitia esset ex operibus ; sed solum habet locum, secundum quod est ex fide.

Deinde cum dicit, *Sicut et David dicit* etc.,probat conditionalem præmissam ex auctoritate Psalmi : cujus primo præmittit sensum ; secundo ponit verba ejus, ibi, *Beati quorum* etc.; tertio excludit falsum intellectum, ibi, *Beatitudo* etc. Dicit ergo : *Sicut et David dicit*, idest asserit, *beatitudinem hominis* esse, illis scilicet *cui Deus fert*, idest dat, *justitiam accepto*. id est gratis, *sine operibus* præcedentibus. Ad Titum iii, 5 : *Non enim ex operibus justitiæ quæ fecimus nos*. Beatitudo autem hominis est a Deo, secundum illud Psal. xxxix, 5 : *Beatus vir cujus est Dominus Deus spes* [1] *ejus*. Sic igitur manifestum est illum habere gloriam apud Deum qui non ex operibus legis justificatur, ut dictum est. Deinde cum dicit, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, ponit verba David prædictam sententiam continentia, et dicit eos esse beatos quorum remittuntur peccata. Et sic patet quod non habuerunt prius bona opera ex quibus justitiam seu beatitudinem consequerentur. Est autem triplex peccatum: scilicet originale, actuale mortale, et actuale veniale. Primo ergo quantum ad originale dicit : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*. Ubi considerandum est, quod peccatum originale iniquitas dicitur, quia est carentia originalis justitiæ, per quam secundum æquitatem ratio hominis subjiciebatur Deo, inferiores vires rationi, et corpus animæ. Sed per peccatum originale hæc æquitas tollitur, quia postquam ratio desiit esse subjecta Deo, inferiores vires rationi rebellant, et corpus ab obedientia animæ subducitur per corruptionem et mortem, Unde in Psal. l, 7 : *Ecce enim in iniqnitatibus conceptus sum*. Utrobique autem peccatum originale pluraliter significatur : vel propter plures homines, in quibus multiplicatur originale peccatum ; vel potius quia virtute continet in se quodammodo omnia peccata. Hujusmodi autem originale remitti dicitur, quia transit reatu superveniente gratia, sed remanet actu remanente fomite, sive concupiscentia, quæ non tollitur totaliter in hac vita, sed remittitur, sive mitigatur. Secundo quantum ad actuale mortale dicit : *Et quorum tecta sunt peccata*. Dicuntur autem peccata tegi divino conspectui, inquantum non inspicit ea ad puniendum [2]. Psal. lxxxiv, 3 : *Operuisti omnia peccata eorum*. Tertio quantum ad veniale dicit : *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum* : ut scilicet per peccatum intelligantur peccata venialia ; quæ licet levia sint, tamen per multa homo separatur et elongatur [3] a Deo. II Paral. xxx, 17 : *Dominus bonus propitiabitur cunctis qui in toto corde requirunt illum, et non imputabitur illis quod minus sancti sunt*.

Possunt autem et hæc tria aliter distingui. Sunt enim in peccato tria : quorum unum est offensa Dei ; et quantum ad hoc dicit : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates* : secundum quod homo dicitur remittere offensam sibi factam. Isai. xl, 2: *Dimissa est iniquitas illius*. Aliud autem est ipse actus inordinatus culpæ, qui non potest non fuisse factus ex quo semel perpetratus est ; sed tegitur manu misericordiæ divinæ, ut quasi pro non facto habeatur. Tertium vero est reatus pœnæ : et quantum ad hoc dicit : *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, scilicet ad pœnam.

Deinde cum dicit, *Beatitudo hæc* etc., excludit falsum intellectum auctoritatis prædictæ. Posset enim Judæus sic intelligere quod prædicta gratia remissionis

[1] Al. desideratur : « spes. » — [2] Al. : « non inspicit ad ea puniendo. » — [3] Al. omittitur : « et elongatur. »

peccatorum non fieret nisi circumcisis. Ad hoc ergo excludendum, primo Apostolus quæstionem movet dicens : *Beatitudo hæc*, qua scilicet Deus dat justitiam sine operibus, *manet tantum in circumcisione*, id est habet locum solum in circumcisis, *an etiam in præputio*, id est in Gentibus ? Manifestum est quod in utriusque, secundum illud quod dicit infra x, 12 : *Idem Dominus, dives in omnes qai invocant illum.* Secundo ibi, *Dicimus enim*, ad hoc ostendendum assumit auctoritatem Scripturæ; quasi dicat : Hoc ideo quæro : *dicimus enim quod reputatur fides Abrahæ ad justitiam* : Gen. xv. Tertio ex hac auctoritate concludit solutionem præmissæ quæstionis, sub interrogatione tamen, dicens : *Quomodo ergo reputata est?* scilicet fides Abrahæ ad justitiam : *in circumcisione*, id est quando erat circumcisus, *an in præputio*, id est quando erat incircumcisus? Et respondet: *Non in circumcisione, sed in præputio.* Et hoc manifestum est ex serie narrationis Scripturæ; nam Gen. xv, legitur quod fides reputata est Abrahæ ad justitiam ; circumcisionem autem accepisse legitur Gen. xvii. Si igitur Abraham adhuc incircumcisus existens, justificatus est per fidem, manifestum est quod justitia fidei per quam gratis remittuntur peccata, non est solum in circumcisione, sed etiam in præputio, idest in gentilitate.

LECTIO II.

Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio, ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur et illis ad justitiam ; et sit pater circumcisionis, non his tantum qui sunt ex circumcisione, sed et his qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ. Non enim per legem promissio Abrahæ aut semini ejus, ut heres esset mundi, sed per justitiam fidei. Si enim qui ex lege, heredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio. Lex enim iram operatur: ubi enim non est lex, nec prævaricatio.

Ostenso quod beatitudo remissionis peccatorum non solum est in circumcisione, sed etiam in præputio, exemplo Abrahæ, qui tempore præputii est justificatus ; hic respondet cuidam objectioni : posset enim aliquis dicere : Si Abraham justificatus est ante circumcisionem, ergo sine causa, et frustra circumcisus est. Ad hanc ergo objectionem excludendam, primo proponit quod circumcisio non erat causa justitiæ, sed signum ; secundo ostendit quid ex hoc signo consequatur, ibi, *Ut sit pater omnium credentium* ; tertio ostendit modum quo consequatur, *Non his tantum* etc. Circa primum duo facit. Primo proponit circumcisionem esse signum. Genes. xvii, 11 : *Circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me et vos.* Secundo ostendit cujus rei sit signum : dicens, quod sit *signaculum justitiæ fidei*, idest quæ est per fidem ; quæ quidem fides est in præputio, id est quam Abraham habuit adhuc incircumcisus existens.

Dicitur autem signaculum dupliciter. Uno modo quasi expressum signum, habens similitudinem rei signatæ, secundum illud Ezech. xxviii, 12 : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore.* Habet autem circumcisio expressam similitudinem cum fide Abrahæ : primo quidem quantum ad rem creditam : credidit enim multiplicationem sui seminis. et ideo congruenter accepit signum in membro generationis : secundo quantum ad effectum hujus fidei, qui est remotio culpæ, quæ signatur per remotionem superfluæ pelliculæ. Alio modo signaculum dicitur signum aliquid occultans, quod revelandum est amicis, sicut patet de sigillo ; et secundum hoc dicitur Apoc. v, 9 : *Dignus est agnus qui occisus est, accipere librum, et aperire signacula ejus.* Claudebatur ergo sub signaculo circumcisionis, secretum incarnationis Christi ex semine Abrahæ.

Consequenter ostendit quid consequatur ex dictis. Consequitur enim ex hoc quod Abraham in præputio justificatus per fidem, postea circumcisionem accepit, ut sit pater non solum circumcisorum, sed etiam credentium in præputio ; et hoc est quod dicit, *Ut sit pater* ; idest, ex prædictis consequitur quod Abraham sit pater *omnium credentium per præputium*, idest qui sunt in statu præputii. Vel Abraham *sit pater per præputium* ; idest per id quod habuit in præputio, *ut reputetur et illis ad justitiam*, hoc scilicet quod credunt sicut reputatum est Abrahæ: et de hac paternitate dicitur Matth. iii, 9 : *Potens est Deus de lapidibus istis sus-*

citare filios Abrahæ : *et sit pater circumcisionis*, idest circumcisorum, qui ex eo originem ducunt : unde Joan. VIII, 9 : *Pater noster Abraham est.*

Deinde ostendit per quem modum sit pater etiam incircumcisorum, quia per imitationem ; et hoc est quod dicit : *Ut sit*, inquam, *pater non his tantum qui sunt in circumcisione*, idest qui sunt circumcisi, *sed etiam his qui sectantur vestigia fidei patris nostri Abrahæ, quæ est in præputio*, id est quam Abraham habuit adhuc incircumcisus. Joan. VIII, 49 : *Si filii Abrahæ estis, opera ejus facite.*

Et quia hic de circumcisione fit mentio, oportet circa ipsam tria considerare : scilicet quare sit instituta, quam vim habuit, et quare sit mutata.

Circa primum considerandum, quod circumcisio sicut et aliæ legis cæremoniæ, est propter duo instituta. Primo quidem propter cultum divinum, ad quem homines secundum hujusmodi cæremonialia disponebantur ; et secundum hoc circumcisio habet triplicem institutionis causam ; quarum prima est ad significandum fidem et obedientiam qua Abraham se Deo subjecit, ut scilicet illi qui circumcisionem acciperent Abrahæ, traditam fidem et obedientiam ipsius observarent. Dicitur enim Hebr. XI [1] : *Fide Abraham circumcisus est.* Et ideo facta est circumcisio in membro generationis, ad significandum fidem ipsius circa prolem futuram, ut dictum est. Secunda est ad exprimendum in signo corporali id quod spiritualiter erat faciendum ; ut scilicet sicut a membro generationis, quod principaliter concupiscentiæ deservit, abscindebatur superflua pellicula ; ita etiam a corde hominis omnis superflua concupiscentia tolleretur, secundum illud Hierem. IV, 4 : *Circumcidimini Domino, et auferte præputia* [2] *cordium vestrorum.* Tertia est, ut per hoc signum populus ille Deum colens ab omnibus aliis populis distingueretur. Et inde est quod Josue V, mandavit Dominus circumcidi filios Israel qui inter alias nationes erant habitaturi, qui prius in deserto solitarii manentes, circumcisi non erant. Alia autem ratio circumcisionis et omnium cæremonialium accipitur per comparationem ad Christum, ad quem comparatur sicut figura ad veritatem et umbra [3] ad corpus, secundum illud Col. II, 17 : *Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Sic igitur per circumcisionem corporalem significatur circumcisio spiritualis fienda per Christum : primo quidem in anima, inquantum per ipsum peccatorum reatus et concupiscentiæ præscinduntur : Coloss. II, 2 : *In quo* scilicet Christo *circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Domini nostri Jesu Christi* : secundo vero quantum ad corpus ; quando scilicet etiam in resurrectione ab electorum corporibus omnibus passibilitas et mortalitas auferetur : et ideo circumcisio fiebat octavo die, qui [4] significat octavam ætatem resurgentium : nam septima est quiescentium in Christo. Sex autem ætates sunt quibus sæculum currit. Unde et circumcisio facta legitur cultellis petrinis, Josue V et Exod. IV, ad significandum quod spiritualis circumcisio fienda erat per petram, qui est Christus, ut dicitur I Corinth. X. Non tamen hoc generaliter observabatur, quod necesse esset circumcisionem fieri cum petra.

Circa secundum vero est sciendum quod, sicut hic *Glossa* dicit, et est Bedæ, idem salutare curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus præbebat quod baptismus agere tempore revelatæ gratiæ consuevit. Ex quo patet quod virtus circumcisionis se extendebat ad deletionem originalis peccati. Quidam tamen dicunt, quod gratia in circumcisione non conferebatur : non enim potest esse Dei gratia sine justitia. Argumentatur autem Apostolus Galat. II, 21 : *Si justitia est per legem, ergo Christus gratis mortuus est*, idest sine causa. Et eodem modo argumentari possumus. Si ex circumcisione est gratia justificans, Christus gratis mortuus est. Sed hoc non potest esse : nam remissio peccati nunquam fit sine gratia. Infra, V, 1 : *Justificati igitur gratia ipsius, pacem habeamus ad Deum.* Et ideo alii dicunt, quod in circumcisione dabatur gratia quantum ad effectus privativos, scilicet remotionis culpæ, non autem quantum ad effectus positivos, puta operationem justitiæ. Sed hoc etiam

[1] Nihil tale ibi, sed tantum vers. VIII : « Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire quem accepturus erat in hereditatem. » item vers. IX : « Fide demoratus est in terra promissionis : » item vers. XVII : « Fide obtulit Abraham Isaac. » — [2] Al. : « præputium. » — [3] Al. : « membra. » — [4] Al. : « quia. »

conveniens non videtur : effectus enim positivi alicujus formæ, ordine naturæ præcedunt effectus privativos : non enim lumen pellit tenebras nisi per hoc quod illuminat. Et ita gratia per hoc culpam pellit quod justificat. Remoto autem priori, removetur posterius. Et ideo melius dicendum est : quod circumcisio ex ipso opere operato non habebat virtutem effectivam neque quantum ad remotionem culpæ, neque quantum ad operationem justitiæ ; sed erat solum justitiæ signum, ut hic Apostolus dicit : sed per fidem Christi, cujus circumcisio signum erat, auferebatur peccatum originale, et conferebatur auxilium gratiæ ad recte agendum.

Circa tertium vero manifestum est jam ex dictis quare oportuit circumcisionem mutari. Nam circumcisio erat signum futuri. Non autem idem signum convenit præsenti, sive præterito, et futuro ; et ideo baptismus est signum præsentis gratiæ, qui copiosiorem et utiliorem effectum habet gratiæ : quia quanto agens est propinquius et præsentius, tanto efficacius operatur.

Deinde cum dicit, *Non enim per legem promissio Abrahæ*, ostendit propositum, scilicet quod circumcisio, sive quodcumque opus legis, non justificet ex divina promissione ; et circa hoc duo facit. Primo proponit quod intendit ; secundo probat propositum, ibi, *Si enim qui ex lege, heredes sunt* etc. Supponit ergo Apostolus primo ex auctoritate Genesis promissionem factam Abrahæ et semini ejus, *ut heres esset mundi* ; idest, ut omnes gentes mundi in ipso benedicerentur, secundum illud Genes. XII, 3 : *In te benedicentur universæ cognationes terræ.* Dicit autem, *Ac semini ejus*, quia hujusmodi promissio etsi in ipso non est completa, complenda tamen erat in semine ejus: dicitur enim Genes. XXII, 18 : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Hoc autem semen principaliter intelligitur Christus, secundum illud Galat. III, 16 : *Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus.* Non dicit : In seminibus, quasi in multis [1] ; sed, In semine, quasi in uno : quia scilicet in uno, in quo completur, ostenditur ut sit heres mundi, secundum illud Psalm. II, 8 : *Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam.* Secundario autem completur in illis qui per gratiam Christi sunt spiritualiter semen Abrahæ. Infra, IX, 8: *Qui filii sunt promissionis æstimantur in semine* : qui etiam per Christum sunt heredes mundi, inquantum omnia in gloriam electorum cedunt I Cor. III, 22 : *Omnia vestra sunt.* Circa hanc promissionem unum negat, et unum asserit. Negat hujusmodi promissionem esse factam per legem : quod quidem non dicitur propter ipsum promissionem, quia tempore promissionis lex data non erat; sed propter promissionis impletionem, ut sit sensus, quod talis promissio facta erat Abrahæ, non quasi implenda per legem : quia, ut dicitur Hebr. VII, 19, *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Aliud autem astruit, quod scilicet hujusmodi promissio sit implenda per justitiam fidei : *Quia sancti per fidem vicerunt regna* : Hebr. XII, 33. Deinde cum dicit : *Si enim qui ex lege, heredes sunt* etc., ostendit propositum : et primo quantum ad hoc quod promissio non sit implenda per legem ; secundo quantum ad hoc quod sit implenda per justitiam fidei, ibi, *Ideo ex fide* etc. Circa primum ponit talem rationem. Si promissio facta Abrahæ esset implenda per legem, fides Abrahæ credentis promissioni esset inanis, quia promisssio ei facta aboleretur, sed hoc est inconveniens : ergo et primum. Circa hoc duo facit. Primo proponit conditionalem ; secundo probat eam, ibi, *Lex enim iram operatur.* Destructio autem consequentis est manifesta. Dicit ergo primo, quod promissio non est facta per legem : *si enim qui ex lege, sunt heredes*, idest si ad hoc quod aliqui hæreditatem promissam percipiant [2], requiritur quod ex legis observantia hoc consequantur, *exinanita est fides*, idest, vacua facta est fides qua Abraham credidit Deo promittendi, ut dicitur Gen. XV. Et hoc est inconveniens, secundum quod dicitur I Corinth. XV, 14 : *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est et fides vestra.* Et quare sit inanis, ostendit subdens : *Abolita*, idest cassata *est promissio* : quia non consequitur suum effectum, contra id quod dicitur Heb. XI, 11 : *Fidelem credidit eum esse qui repromiserat* : et hic infra in præsenti cap. dicitur : *Quæcumque promisit*

[1] Ibi sic : « Non dicit, Et seminibus, quasi in multis : sed quasi in uno, Et semini tuo, qui est Christus. » — [2] Al. : « participent. »

Deus potens est et facere. Deinde cum dicit, *Lex enim*, probat conditionalem præmissam per effectum, sive eventum legis : et primo proponit legis effectum, sive eventum ; secundo probat ibi, *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio.* Probat autem conditionalem sic. Si aliqua promissio sit implenda per id quod impletionem promissionis impedit, talis promissio aboletur, et fides credentis exinanitur ; sed lex impedit consecutionem hereditatis, *lex enim iram operatur* : ergo si per legem sit adimplenda promissio, *exinanita est fides, abolita est promissio.* Dicitur autem lex operari iram, idest vindictam, quia per legem facti sunt homines digni Dei vindicta. IV Reg. xxii, 13 : *Magna ira Domini succensa est contra nos, quia non audierunt patres nostri verba libri hujus* scilicet legis *ut facerent omne quod scriptum est nobis.* Posset autem aliquis intelligere quod lex iram operatur quantum ad cæremonialia tempore gratiæ observata, secundum illud Gal. v : *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.* Sed quod hic dicitur, intelligendum est etiam quantum ad moralia : non quidem quod legis præcepta moralia præcipiant aliquid quod qui observant dignos ira Dei efficiat : sed occasionaliter, quia præcipit, et gratiam adimplendi non præbet, secundum illud I Corinth. iii, 6 : *Littera occidit, spiritus autem vivificat* : quia scilicet interius adjuvat infirmitatem nostram, ut dicit infra viii. Deinde cum dicit, *Ubi enim non est lex*, ostendit qualiter iram operatur, dicens : *Ubi non est lex, non est prævaricatio :* quia etsi aliquis lege non data peccare possit, contra id quod naturaliter justum est faciendo ; non tamen prævaricator dicitur nisi legem transgrediens. Psal. cxviii, 158 : *Vidi prævaricantes, et tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* Et tamen omnis peccator potest dici prævaricator, inquantum legem naturalem transgreditur. Psal. cxviii, 119 : *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ.* Gravius est tamen transgredi simul legem naturæ et legem scriptam, quam solam legem naturæ ; et ideo lege data sine gratia adjuvante, prævaricatio crevit, et majorem iram prômeruit.

LECTIO III.

Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum : sicut scriptum est : Quia patrem multarum gentium posui te ante Deum, cui credidisti, qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt. Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium secundum quod dictum est ei : Sic erit semen tuum sicut stellæ cæli, et arena maris. Et non infirmatus est in fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcumque promisit Deus potens est et facere. Ideo et reputatum est illi ad justitiam. Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam, sed et propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum a mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.

Ostenso quod promissio facta Abrahæ et semini ejus non sit implenda per legem, hic ostendit quod sit implenda per fidem : et circa hoc tria facit. Primo ostendit per quid sit hujusmodi promissio adimplenda ; secundo ostendit in quibus sit adimplenda, ibi, *Omni semini* etc. ; tertio a quo sit implenda, ibi, *Qui vivificat mortuos*, etc. Primo ergo concludit propositum, quasi ex divisione. Videtur enim necessarium esse quod promissio adimpleatur vel per fidem, vel per legem ; non autem per legem, quia promissio aboleretur : unde concludit, *Ideo ex fide*, scilicet consequimur promissionem, ut heredes simus mundi. I Joan. v, 4 : *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.* Et hoc confirmat per contrarium medium ei quod supra assumpserat. Dictum est enim quod si justitia ex lege esset, promissio aboleretur : sed si sit ex fide, remanet firma pomissio propter virtutem divinæ gratiæ justificantis hominem per fidem ; et hoc est quod dicit : *Ut promissio Dei sit firma* : non quidem per operationes hominum, quæ posunt deficere ; sed *secundum gratiam* [1], quæ infallibilis est. II Cor. xii, 20 : *Sufficit tibi gratia mea* : et ibid. i, 9 : *Quotquot sunt promissiones, in illo* scilicet Christo sunt *id est, veritatem habent.*

Deinde cum dicit, *Omni semini* etc., ostendit in quibus impleatur prædicta promissio : et primo proponit quod in-

[1] Al. additur : « Dei. »

tendit ; et dicit, quod prædicta promissio sic implenda per fidem, est firma [per gratiam *omni semini*, id est omni homini qui fuerit qualitercumque semen Abrahæ. Eccli. XLIV, 2, *Cum semine eorum permanent bona*, *hereditas sancta nepotes eorum.* Secunda ibi, *Non ei qui ex lege est solum*, exponit quod dixerat, *Omni semini.* Est enim quoddam semen carnale, secundum illud Joan. VIII, 53 : *Semen Abrahæ sumus* : est aliud semen spirituale, secundum illud Matth. III, 9 : *Potens est Deus de lapidibus his* idest de Gentibus *suscitare filios Abrahæ.* Solum autem semen Abrahæ [1] carnale legem servavit ; sed fidem ejus etiam imitatur semen spirituale. Et sic si per solam legem esset promissio, non impleretur in omni semine, sed solum in carnali. Quia vero impletur per fidem, quæ est omnibus communis, planum est quod impletur in omni semine. Tertio ibi, *Qui est pater omnium nostrum*, probat quod supposuerat, scilicet quod semen Abrahæ sit non solum quod est ex lege, sed etiam quod est ex fide, per autoritatem Scripturæ : cujus primo ponit sensum, dicens, *Qui*, scilicet Abraham, *est pater omnium nostrum*, id est omnium credentium, sive Judæorum sive Gentilium. Supra eodem : *Ut sit pater omnium credentium.* Isai. LI, 2 : *Attendite ad Abraham patrem vestrum.* Secundo inducit auctoritatem, dicens : *Sicut scriptum est* Gen. XVII, 5, *Quia patrem multarum gentium posui te.* Littera alia habet, *Constitui te* : quod sensum non variat. Eccli. LXIV, 20 : *Abraham magnus pater multitudinis gentium.* Tertio ibi, *Ante Deum*, exponit quod dixerat : Sic enim dictum est, *Posui te*, quasi jam esset impletum, quod longe postea erat implendum. Sed quæ sunt futura in seipsis, in Dei providentia sunt præsentia, secundum illud Eccli. XXIII, 29 : *Domino Deo nostro, antequam crearentur, omnia sunt agnita, sicut et post perfectum respicit omnia.* Et ideo Apostolus dicit, quod hoc quod dictum est, *Posui te*, intelligendum est, *ante Deum*, idest in ejus præsentia, *cui credidisti.* Crediderat enim Abraham Deo futura prænuntianti ac si videret præsentia : quia, ut dicitur Hebr. XI, 1, *fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

Deinde cum dicit, *Qui vivificat mortuos* etc., ostendit a quo sit implenda hujusmodi promissio, dicens : *Qui* scilicet Deus, *vivificat mortuos* ; id est Judæos, qui erant mortui in peccatis, contra legem agentes, vivificat per fidem et gratiam, ut promissionem Abrahæ consequantur. Joan. V, 21 : *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat. Et ea quæ non sunt*, id est Gentiles, *vocat*, scilicet ad gratiam, *tamquam ea quæ sunt*, idest tamquam Judæos. Infra IX, 25 : *Vocabo non plebem meam, plebem meam* ; *et non dilectam, dilectam.* Significat autem Gentiles per ea quæ non sunt, quia erant omnino alienati a Deo : sicut I Corinth. XIII, 2, dicitur : *Si caritatem non habuero, nihil sum.* Et sic per hujusmodi vocationem implebitur promissio Abrahæ etiam in Gentibus. Vel quod dicit, *Et vocat ea quæ non sunt*, non intelligitur de vocatione temporali, sed de vocatione prædestinationis æternæ, qua vocantur et eliguntur etiam qui non sunt, ac si essent. Ephes. I, 4, *Elegit nos, in ipso ante mundi constitutionem.* Et de hac vocatione dicitur, infra IX, 12 : *Non ex operibus, est ex vocante* [2] *dictum est, quia major serviet mtnori.* Vel vocationem hic dicit simplicem Dei notitiam, vel cognitionem qua cognoscit futura, quæ non sunt in actu sicut præsentia. Et hoc modo vocatio in Psal. CXLVI, 4, accipitur, cum dicitur : *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat.* Et secundum hunc sensum, quod hic dicitur, inducitur propter id quod supra dictum est : *Ante Deum cui credidisti.* Duo enim videbantur obstare ei quod dictum est : *Patrem multarum gentium posui te* : quorum unum erat quia ipse idem Abraham erat quasi emortuus præ senectute, ut infra dicetur : et contra hoc dicit : *Qui vivificat mortuos.* Aliud autem est, quia illæ multæ gentes, nondum erant ; et contra hoc subdit : *Et vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt.*

Deinde cum dicit : *Qui contra spem*, commendat fidem Abrahæ : et primo ostendit magnitudinem fidei ejus ; secundo efficaciam vel fructum ejus, ibi, *Ideo et reputatum est illi ad justitiam.* Circa primum duo facit. Primo ostendit magnitudinem fidei Abrahæ quantum ad promissionem seminis multiplicandi ; secundo quantum ad promissionem seminis exaltandi, ibi, *In repromissione* etc. Circa primum duo facit. Primo ostendit fidem

[1] Al. : « semen autem Abrahæ, etc. » — [2] Al. *ex voluntate.*

ejus fuisse magnam ; secundo ostendit eam fuisse firmam, ibi, *Et non infirmatus est in fide*. Circa primum duo facit. Primo proponit magnitudinem fidei Abrahæ, dicens : *Qui* scilicet Abraham, *in* hanc *spem credidit, ut fieret pater multarum gentium*, sed *contra* aliam *spem*. Circa quod considerandum est , quod spes importat certam expectationem boni futuri : quæ quidem certitudo est quandoque ex causa humana sive naturali, secundum illud I Cor. IX, 10 : *Debet in spe qui arat arare* : quandoque vero certitudo expectantis est ex causa divina, secundum illud Psalm. XXX, 2 : *In te Domine speravi, non confundar in æternum*. Hoc ergo bonum, quod Abraham fieret pater multarum gentium, certitudinem habebat ex parte Dei promittentis ; sed contrarium apparebat ex causa naturali sive humana : ideo dicit : *Qui contra spem*, causæ naturalis vel humanæ, *credidit in spem*, scilicet divinæ promissionis : quam quidem secundo ponit dicens : *Secundum quod dictum est ei*, scilicet Gen. XXII, 17 : *Sic erit semen tuum sicut stellæ cœli, et sicut arena maris.* Utrumque autem horum inducitur propter similitudinem innumerabilis multitudinis. Nam quantum ad stellas dicitur Deuter. I, 10 : *Dominus Deus vester multiplicavit vos, et estis hodie sicut stellæ cœli.* Quantum ad arenam dicitur III Reg. IV, 20, *Juda et Israel innumerabiles sicut arena maris sunt.* Potest tamen aliqua differentia inter utrumque attendi, ut stellis comparentur justi, qui fuerunt ex semine Abrahæ : Dan. XII, 3 : *Qui ad justitiam erudiunt plurimos quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Arenæ autem comparantur peccatores, quia fluctibus mundi, quasi cujusdam maris, opprimuntur. Hier. V, 22 : *Posui arenam terminum maris.*

Deinde cum dicit, *Et non infirmatus est*, ostendit firmitatem Abrahæ : quam primo proponit dicens : *Et non infirmatus est.* Sicut enim temperantia ostenditur non esse infirma, quæ magnis concupiscibilibus non vincitur, ita fides ostenditur non esse infirma, sed fortis, quæ a magnis difficultatibus non superatur. I Pet. V, 9 : *Cui resistite fortes in fide.* Secundo ibi, *Non consideravit* etc. ponit difficultates, ex quibus ostenditur fides ejus non fuisse infirma. Et primo quidem ex parte ipsius Abrahæ, cum dicit : *Non consideravit*, scilicet ad discredendum [5] promissionem, *corpus suum emortuum*, scilicet quia jam mortificata erat in eo vis generativa propter senectutem : unde dicit : *Cum jam fere centum annorum esset.* Abrahæ enim centenario existenti natus est Isaac, ut habetur Genes. XXI. Per annum autem ante fuerat sibi filius promissus, secundum illud Gen. XVIII, 10 : *Revertens veniam ad te tempore isto, et erit Saræ filius.*

Sed videtur quod non fuit corpus ejus emortuum quantum ad vim generativam, quia etiam post mortem Saræ, duxit Ceturam uxorem, quæ genuit ei filios, ut dicitur Gen. XXV.

Dicunt ergo quidam quod mortua erat in eo vis generativa quantum ad hoc quod ex muliere antiqua generaret, non quantum ad hoc quod generaret filium ex juvencula. Solent enim senes ex juvenculis mulieribus prolem gignere, non autem ex antiquis, quæ sunt minus aptæ ad concipiendum. Sed melius dicendum videtur, quod Abrahæ miraculose restituta erat vis generandi et quantum ad Saram et quantum ad omnes mulieres.

Secundo ponit difficultatem ex parte uxoris, cum dixit : *Et emortuam vulvam Saræ*, scilicet non consideravit ut discrederet. Dicit autem emortuam quantum ad actum generandi, tum propter senectutem : jam enim desierant ei fieri muliebria, ut dicitur Genes. XXVIII. Et ideo Isa. LI, 2, ubi dicitur, *Attendite ad Abraham patrem vestrum et ad Saram quæ vos peperit* ; ut ostenderet utriusque mortificationem et frigiditatem, præmisit dicens I : *Attendite ad petram unde excisi estis, et ad cavernam laci de qua præcisi estis.*

Deinde cum dicit, *In repromissionem etiam Dei*, etc., commendat fidem Abrahæ quantum ad iteratam promissionem de seminis exaltatione : et primo ponit fidei firmitatem ; secundo firmitatis causam, ibi, *Dans gloriam Deo.* Dicit ergo primo : *In repromissione etiam Dei*, id est in iterata ejus promissione vel de seminis multitudine, quam promisit primo quidem Genes. XV, 5, dicens : *Suspice cœlum, et numera stellas si potes* : et infra XVII, 5 : *Eris pater multarum gentium* : et iterum infra XXXII, 10 : *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* Vel intelligendum est,

[5] Al. : « ad discernendum. »

In repromissione Dei, id est in iterata promissione de exaltatione seminis ejus : quia cum dixisset, *Multiplicabo semen tuum*, statim subdit : *Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* In hac quidem Dei repromissione *non hæsitavit*, id est non dubitavit, *diffidentia*, scilicet quod diffideret de veritate divinæ promissionis : Jacob. I, 6 : *Qui hæsitat, similis est fluctui maris* : *sed confortatus est fide* ; id est, fortiter fidei adhæsit. I Pet. ult. 5 : *Cui resistite fortes in fide.*

Consequenter cum dicit, *Dans gloriam Deo*, assignat rationem firmitatis fidei ejus, dicens : *Confortatus est*, inquam, *fide*, *dans gloriam Deo*, inquantum scilicet consideravit omnipotentiam ejus. Psalm. CXLVI, 5 : *Magna virtus ejus.* Unde et hic subditur : *Plenissime sciens quia quæcumque promisit Deus, potens est et facere.* Sap. XII, 18 : *Subest tibi enim, cum volueris, posse.* Ex quo patet quod quicumque non est firmus in fide Dei, quantum est in se, divinæ gloriæ derogat, vel quantum ad ejus veritatem, vel quantum ad ejus potentiam.

Deinde cum dicit, *Et reputatum est ei ad justitiam*, commendat fidem Abrahæ quantum ad ejus affectum : et primo ponit effectum quem in ipso habuit, dicens : *Ideo*, scilicet quia Abraham tam perfecte hoc ipsum credidit, *reputatum est illi ad justitiam.* I Mach. XI, 52 : *Et reputatum est ei ad justitiam.* Secundo ostendit effectum quem fides ejus habet etiam in aliis : et circa hoc tria facit. Primo ponit similitudinem effectus, dicens : *Non autem scriptum est tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam* ; ut scilicet reputemus quod soli Abrahæ fides ad justitiam reputata sit ; *sed* scriptum est *propter nos, quibus reputabitur*, scilicet fides ad justitiam. Infra XV, 4 : *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Sic ergo scriptum est propter eum, ut sit nobis in exemplum est propter nos, ut sit nobis in justificationis spem. Secundo ibi, *Credentibus in eum*, ostendit similitudinem fidei. Reputata est enim ad justitiam fides Abrahæ credenti, quod corpus suum emortuum et emortua vulva Saræ posset vivificari ad filiorum procreationem ; reputabitur et nobis credentibus in eum qui suscitavit Dominum nostrum Jesum Christum a mortuis, et in Deum Patrem, cui ipse dicit in Psal. XL, 11, *Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me.* Et quia eadem est virtus Patris et Filii, ipse etiam in propria virtute surrexit. Quod autem hæc fides justificet, habetur infra X, 9 : *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.* Tertio ibi, *Qui traditus est*, etc. assignat causam quare fides resurrectionis Christi justificet, dicens : *Qui*, scilicet Christus, *traditus est*, scilicet in mortem a Deo Patre : infra VIII, 32 : *Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum* : et a seipso : Ephes. V, 3 : *Tradidit semetipsum pro nobis* ; et a Juda : Joan. XIX, 11 : *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet* : et a Judæis : Matth. XX, 19 : *Tradent eum Gentibus ad illudendum. Et resurrexit propter justificationem nostram;* id est, ut nos resurgendo justificaret. Infra VI, 4 : *Quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Et quod propter delicta nostra sit traditus in mortem, manifestum videtur ex hoc quod sua morte meruit nobis deletionem peccatorum ; sed resurgendo non meruit, quia in statu resurrectionis non fuit viator, sed comprehensor : et ideo dicendum est, quod mors Christi fuit nobis salutaris, non solum per modum meriti, sed etiam per modum cujusdam efficientiæ. Cum enim humanitas Christi esset quodammodo instrumentum divinitatis ejus, ut Damascenus dicit : omnes passiones et actiones humanitatis Christi fuerunt nobis salutiferæ, utpote ex virtute divinitatis provenientes. Sed quia effectus habet aliqualiter similitudinem causæ, mortem Christi, qua extincta est in eo mortalis vita, dicit esse causam extinctionis peccatorum nostrorum ; resurrectionem autem ejus, qua rediit ad novam vitam gloriæ, dicit esse causam justificationis nostræ, per quam redimus ad novitatem justitiæ.

CAPUT QUINTUM

LECTIO I.

Justificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem ; spes autem non confundit : quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Postquam Apostolus ostendit necessitatem gratiæ Christi, quia sine ea nec cognitio veritatis Gentibus, nec circumcisio et lex Judæis profuerunt ad salutem; hic incipit commendare virtutem gratiæ : et circa hoc duo facit. Primo ostendit quæ bona per gratiam consequamur; secundo a quibus malis per eam liberemur, ibi, *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*, etc. Circa primum duo facit. Primo proponit modum perveniendi, seu viam qua venimus ad gratiam; secundo ostendit bona quæ per gratiam consequimur, ibi, *Et gloriamur in spe gloriæ*, etc. Circa primum duo facit. Primo exhortatur ad debitum gratiæ usum; secundo ostendit nobis gratiæ aditum, ibi, *Per quem accessum habemus*, etc. Dicit ergo primo : Dictum est, quod fides reputabitur omnibus ad justitiam credentibus resurrectionem Christi, quæ est causa nostra justificationis. *Justificati igitur ex fide*, inquantum scilicet per fidem resurrectionis effectum ejus participamus, *habeamus pacem ad Deum*, scilicet subjiciendo nos, et obediendo ei. Job XXII, 21 : *Acquiesce igitur ei, et habeto pacem*. Ibid. XIX, 4 : *Quis restitit ei, et pacem habuit?* Et hoc *per Jesum Dominum nostrum*, qui nos ad istam pacem perduxit. Ephes. XI, 14 : *Ipse est pax nostra*. Unde subdit : *Per quem*, Christum, *accessum habemus*, scilicet tamquam per mediatorem. I Tim. II, 5 : *Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus*. Ephes. II, 18 : *Per ipsum accessum habemus ambo in uno spiritu ad Patrem*. *Accessum*, inquam, *in gratiam istam*, idest in statum gratiæ. Joan. I, 17 : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est*. *In qua*, idest per quam gratiam, non solum resurreximus a peccatis, sed etiam *stamus* fixi et erecti per affectum in cœlestibus [1]. Ps. CXXI, 2 : *Stantes erant pedes nostri;* et iterum Psal. XIX, 9 : *Nos autem surreximus, et erecti sumus*. Et hoc *per fidem*, per quam scilicet gratiam consequamur : non quia fides præcedat gratiam, cum potius per gratiam sit fides. Ephes. II, 8 : *Gratia estis salvati per fidem* : scilicet quia primus effectus in nobis est fides.

Deinde cum dicit, *Gloriamur in spe gloriæ*, etc., ostendit quæ bona nobis per gratiam provenerunt. Primo dicit, quod per gratiam habemus gloriæ spem; secundo quod per gratiam habemus gloriam Dei, ibi, *Non solum autem, sed et gloriamur in Deo*. Circa primum tria facit. Primo ostendit magnitudinem spei in qua gloriamur; secundo ejus vehementiam, ibi, *Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus;* tertio ejus firmitatem, ibi, *Spes autem non confundit*. Magnitudo autem spei consideratur ex magnitudine rei speratæ, quam ponit, dicens : *Et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*, idest ex hoc quod speramus nos adepturos gloriam filiorum Dei. Per gratiam enim Christi adepti sumus spiritum adoptionis filiorum Dei, ut dicitur infra VIII; et Sapient. V, 5 : *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei*. Filiis autem debetur hereditas patris. Infra VIII, 17 : *Si autem filii, et heredes*. Hæc autem hereditas est gloria, quam Deus habet in seipso. Job XL, 4 : *Si habes brachium ut Deus, et si voce simili tonas*? Et hujusmodi spes indita est nobis per Christum. I Petr. I, 3 : *Regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem*. Et hæc gloria, quæ in

[1] Al. : « in cœlestia. »

futuro in nobis complebitur, interim nunc in nobis inchoatur per spem. Infra VIII, 24 : *Spe salvi facti sumus*, Psal. V, 13 : *Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum*. Deinde cum dicit, *Non solum autem*, etc., ostendit vehementiam hujus spei. Qui enim vehementer aliquid sperat, libenter sustinet propter illud etiam difficilia et amara; sicut infirmus, si vehementer sperat sanitatem, libenter bibit potionem amaram, ut sanetur per ipsam. Signum ergo vehementis spei, quam habemus propter Christum, est quod *non solum gloriamur* ex spe futuræ gloriæ, sed etiam de malis : quæ pro ipsa patimur : unde dicit : *Non solum autem gloriamur*, scilicet in spe gloriæ, sed *etiam gloriamur in tribulationibus*, per quas ad gloriam pervenimus. Act. XIV, 21 : *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum cœlorum*. Jac. I, 2 : *Omne gaudium existimate fratres mei cum in tentationes varias incideritis*. Et causam ostendit consequenter, dicens; *Scientes*, etc., ubi quatuor per ordinem ponit : quorum primum est tribulatio, de qua dicitur, quod *tribulatio patientiam operatur* : non quidem sic quod tribulatio sit ejus causa effectiva, sed quia tribulatio est materia et occasio exercendi patientiæ actum. Infra XII, 12, *In tribulatione patientes*. Secundo ponit patientiæ effectum, cum dicit : *Patientia probationem*. Eccl. II, 5 : *In igne probatur aurum et argentum; homines vero receptibiles, in camino humiliationis*. Manifestum est enim quod detrimentum alicujus rei de facili sustinemus propter rem quam magis amamus : unde si aliquis in rebus corporalibus et temporalibus patienter sustinet propter bona consequenda æterna, sufficienter ex hoc probatur quod talis plus amet bona æterna quam temporalia.

Sed contra id quod hic dicitur est illud Jac. I, 3 : *Probatio fidei vestræ patientiam operatur*. Dicendum est autem, quod probatio dupliciter potest intelligi [1]. Uno modo secundum quod est in probato ; et sic probatio est ipsa tribulatio, per quam homo probatur : unde idem est dictu, quod tribulatio patientiam operatur, et quod tribulatio probat patientiam. Alio modo accipitur probatio pro probatum esse, et ita accipitur hic quod patientia probationem operatur : quia ex hoc quod patienter tribulationem sustinet, redditur jam probatus.

Tertio subdit tertium, dicens : *Probatio vero spem*, scilicet operatur : quia scilicet per hoc quod aliquis jam probatus est, potest de eo spes haberi, et ab ipso et ab aliis, quod ad hereditatem Dei admittatur. Sap. III, 5 : *Deus probavit illos, et invenit illos dignos se*. Sic igitur de primo ad ultimum patet quod tribulatio viam parat ad spem : unde si aliquis vehementer gloriatur de spe, consequens est ut de ipsis tribulationibus glorietur. Deinde cum dicit, *Spes autem non confundit*, ostendit hujusmodi spei firmitatem : et primo ponit eam dicens : *spes autem*, scilicet hæc qua speramus gloriam filiorum Dei, *non confundit*, id est non deficit, nisi homo ei deficiat. Ille enim dicitur a spe sua confundi qui deficit ab eo quod sperat. Ps. XXX, *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum*. Eccl. II, 11 : *Nullus speravit in Domino et confusus est*. Secundo ibi, *Quia caritas Dei diffusa est*, ponit certitudinis spei duplex argumentum ; quorum primum est ex dono Spiritus sancti ; secundum ex morte Christi. ibi, *Ut quid enim... mortuus est*? Dicit ergo primo. Ex hoc possumus scire quod spes non confundit, *quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Caritas Dei dupliciter accipi potest. Uno modo pro caritate qua diligit nos Deus. Hier. XXXI, 8 : *Caritate perpetua dilexi te*. Alio modo potest dici caritas Dei, qua nos Deum diligimus. Infra VII, 38 : *Certus sum quod neque mors neque vita... separabit nos a caritate Dei*. Utraque autem caritas Dei in cordibus nostris diffunditur per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Spiritum enim sanctum, qui est amor Patris et Filii, dari nobis, est nos adduci ad participationem amoris, qui est Spiritus sanctus : a qua quidem participatione efficimur Dei amatores. Et hoc quod ipsum amamus, signum est quod ipse nos amet. Prov. VIII, 17 : *Ego diligentes me diligo... non quasi nos primo dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos* ; ut dicitur I Joan. IV, 10. Dicitur autem caritas qua nos Deus [2] diligit, in cordibus nostris diffusa esse, quia est in cordibus nostris patenter ostensa per donum sancti Spiritus nobis impressum. I Joan.

[1] Al. : « accipi. » — [2] Al. omittitur : « Deus. »

III, 24 : *In hoc scimus quoniam manet in nobis Deus, de spiritu quem dedit nobis.* Caritas autem qua nos Deum diligimus, dicitur in cordibus nostris diffusa, id est quia ad omnes mores et actus animæ perficiendos se extendit : nam, ut dicitur I Corinth. XIII, 4, *caritas patiens est, benigna est* etc. Ex utroque autem intellectu horum verborum concluditur quod *spes non confundit.* Si enim accipiatur caritas Dei qua nos diligit Deus, manifestum est quod his quos diligit, seipsum non negabit. Deut. XXXIII, 3 : *Dilexit populos : omnes sancti in manu illius sunt.* Similiter etiam si caritas Dei accipiatur qua nos Deum diligimus, manifestum est quod se diligentibus bona æterna præparavit. Joan. XIV, 21 : *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum.*

LECTIO II.

Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est ? Vix enim pro justo quis moritur : nam pro bono forsitan quis audeat mori ? Commendat autem caritatem suam Deus in nobis, quoniam si cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est, multo ergo magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Sic enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius. Non solum autem, sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem recipimus.

Postquam Apostolus ostendit firmitatem spei per donum Spiritus sancti, hic ostendit idem per mortem Christi : et primo proponit quæstionem; secundo ostendit difficultatem, ibi, *Vix enim pro justo quis moritur;* tertio determinat quæstionis veritatem, ibi, *Commendat autem suam caritatem Deus.* Dicit ergo primo : Dictum est quod spes non confundit : quod quidem apparet hoc consideranti : *Ut quid enim Christus cum adhuc infirmi essemus,* scilicet infirmitate peccati; Psal. VI, 3 : *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum : mortuus est?* Nam sicut per corporalem infirmitatem dissolvitur humorum debita harmonia, ita etiam per peccatum debitus ordo affectionum excluditur. *Cum* ergo *adhuc infirmi essemus, Christus mortuus est pro impiis* : I Pet. III, 18 : *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis* : et hoc *secundum tempus* ; id est, ut certo tempore in morte moraretur, die scilicet tertio surrecturus. Matth. XII, 40 : *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ.* Hoc ergo magnum est, si consideremus quis mortuus sit; magnum etiam est, si consideremus pro quibus est mortuus. Non potest autem esse tam magnum quid nisi fiat [1] propter aliquem certum fructum, secundum illud Psalm. XXIX, 10 : *Quæ utilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem?* quasi dicat : Nulla, si non sequatur humani generis salus.

Deinde cum dicit, *Vix enim pro justo quis moritur*, ostendit prædictæ quæstionis difficultatem ex parte eorum pro quibus Christus mortuus est scilicet pro impiis, dicens : *Vix enim quis*, id est aliquis, *moritur pro* homine *justo* liberando; quinimmo, ut dicitur Isai. LVII, 1, *Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo.* Ideo dico : *Vix moritur : nam forsitan quis*, id est aliquis rarus ex zelo [2] virtutis *audeat mori pro bono* homine. Rarum enim est propter hoc quod est maximum : ut enim dicitur Joan. XV, 13, *majorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Illud autem quod Christus fecit, ut quis moriatur pro impiis et injustis, nunquam invenitur; et ideo merito admirandum est quare Christus hoc fecerit. Potest autem et aliter legi, ut pro justo intelligamus aliquem in virtute exercitatum, per bonum autem hominem innocentem. Et quamvis secundum hoc justus sit præstantior bono, tamen pro juxto vix aliquis moritur. Cujus ratio est, quia innocens, qui per bonum intelligitur, magis miserandus videtur propter defectum ætatis, vel alicujus hujusmodi. Justus autem, quia perfectus est et absque defectu, non habet in se misericordiæ materiam [3]. Quod ergo aliquis moriatur pro innocente, potest ex compassione misericordiæ provenire; sed quod aliquis moriatur pro injusto, provenit ex zelo virtutis, qui in paucioribus invenitur quam misericordiæ passio.

[1] Al. : « non potest autem esse ut tam magnum quid fiat nisi propter aliquem certum fructum. » — [2] Al. omittitur : « ex zelo. » — [3] Al. : « malitiam. »

Deinde cum dicit, *Commendat autem* etc., respondet præmissæ quæstioni : et primo ponit responsionem ; secundo ex hoc arguit ad propositum, ibi, *Multo ergo magis* etc. ; tertio ostendit necessitatem consequentiæ, ibi, *Si enim cum inimici essemus* etc. Dicit ergo primo : Quæsitum est quare Christus pro impiis mortuus est : et ad hoc est responsio, quia per hoc Deus suam caritatem commendat in nobis ; id est, per hoc ostendit se nos maxime diligere : quoniam, *cum adhuc peccatores essemus, Christus mortuus est pro nobis*, et hoc *secundum tempus*, sicut supra expositum est. Ipsa autem mors Christi pro nobis, caritatem ostendit Dei, quia dedit Filium suum, ut pro nobis satisfaciens moreretur. Joan. III, 16 : *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.* Et ita, sicut caritas Dei Patris ad nos ostenditur per hoc quod Spiritum suum dedit nobis, ut supra dictum est ; ita et per hoc quod dedit Filium suum, ut hic dicitur. Sed in hoc quod dicit, *Commendat*, immensitatem quamdam divinæ caritatis assignat : quæ quidem ostenditur tum ex ipso facto, quia scilicet dedit Filium suum, ut moreretur pro nobis, tum ex parte nostræ conditionis, quia hoc non fecit provocatus nostrs meritis, cum adhuc peccatores essemus. Ephes. XII, 4 : *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo.*

Consequenter cum dicit, *Multo ergo magis* etc., concludit propositum ex præmissis, dicens : *Si Christus pro nobis mortuus est, cum adhuc peccatores essemus, multo magis justificati*[1] *nunc in sanguine ipsius* sicut supra III, 25, habitum est ; *quem proposuit Deus propitiationem per fidem : per sanguinem ipsius salvi erimus ab ira*, id est a vindicta damnationis æternæ, quam propter peccata homines incurrunt. Matth. III, 7 : *Genimina viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira ?*

Deinde cum dicit, *Si enim cum inimici essemus* etc., ostendit necessitatem prædictæ consequentiæ, quæ procedit a minori ad majus, affirmando. Et est ibi observanda duplex comparatio minoris ad majus : una quidem ex parte nostra ; alia ex parte Christi. Ex parte quidem nostra comparat inimicos reconciliatis : minus enim videtur quod aliquis benefaciat inimicis quam jam reconciliatis. Ex parte Christi comparat mortem vitæ : potentior enim vita ejus videtur quam mors : quia, ut dicitur II Corinth. ult. 4, *mortuus est ex infirmitate* scilicet carnis nostræ *sed vivit ex virtute Dei.* Et ideo dicit : Ratione conclusum est quod *multo magis vivificati, salvi erimus per ipsum. Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo* et hoc *per mortem Filii ejus ; multo magis* jam nos *reconciliati salvi erimus* : et hoc *in vita ipsius.*

Est autem considerandum, quod homo dicitur inimicus Deo dupliciter. Uno modo, quia contra Deum inimicitiam exercet dum ejus mandatis renititur. Job. XV, 26 : *Cucurrit adversus Deum erecto collo.* Alio modo per hoc quod Deus homines odio habet, non quidem secundum ipsum quod fecit, quia quantum ad hoc dicitur Sap. II, 25 : *Dilexisti omnia, et nihil odisti eorum quæ fecisti* : sed quantum ad hoc quod in homine inimicus homo, id est diabolus fecit, id est quantum ad peccatum. Sapient. XIV, 9 : *Similiter odio sunt Deo impius et impietas ejus ;* et Eccli. XII, 3 : *Altissimus odio habet peccatores.* Subtracta inimicitiæ causa, scilicet peccato, per Christum, sequitur reconciliatio per ipsum. II Corinth. V, 19 : *Deus erat in ipso, mundum reconcilians sibi.* Peccatum autem nostrum sublatum est per mortem Filii ejus.

Circa quod considerandum est, quod mors Christi tripliciter considerari potest. Uno modo secundum ipsam rationem mortis ; et sic dicitur Sap. I, 13 : *Deus mortem non fecit*, in humana natura, sed est per peccatum inducta. Et ideo mors Christi ex communi mortis ratione non fuit sic Deo accepta ut per ipsam reconciliaretur : quia Deus non lætatur in perditione vivorum, ut dicitur Sap. I. Alio modo potest mors Christi considerari secundum quod est in actione occidentium, quæ maxime Deo displicuit : unde contra eos Petrus dicit, Act. III, 14 : *Vos sanctum et justum negastis, et petistis homicidam donari vobis ; auctorem vero vitæ interfecistis.* Unde mors Christi sic considerata, non potuit esse reconciliationis causa, sed magis indignationis[2]. Tertio modo potest considerari secundum quod processit ex volun-

[1] Al. *vivificati.* — [2] Al. : « indignatio. »

tate Christi patientis; quæ quidem voluntas informata fuit ad mortem sustinendam cum ex obedientia ad Patrem, Philip. II, 8 : *Factus est obediens Patri usque ad mortem* : tum etiam ex caritate ad homines : Ephes. V, 1 : *Dilexit nos, et tradidit se pro nobis*, et ex hoc mors Christi fuit meritoria et satisfactoria pro peccatis nostris, et intantum Deo accepta, quod suffecit ad reconciliationem omnium hominum, etiam occidentium Christum, ex quibus aliqui sunt salvati ipso orante, quando dixit Lucæ XXIII, 34 : *Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*.

Deinde cum dicit, *Non solum autem* etc., ostendit quæ bona jam re consequimur per gratiam, dicens : *Non solum autem gloriamur* in spe gloriæ quam in futuro expectamus, *sed in Deo*, id est in hoc quod sumus etiam nunc Deo conjuncti per fidem et caritatem. I Corinth. I et II Corinth. X, 17 : *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. Et hoc quidem *per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem* etiam nunc in præsenti tempore *reconciliationem accepimus*, et de inimicis facti simus amici. Coloss. I, 20 : *Per eum placuit reconciliare omnia*. Posset autem et continuari cum eo quod dictum est, *Salvi erimus in vita ipsius* a peccato et a pœna, et non solum salvi erimus a malis, *sed etiam gloriamur in Deo*; id est per hoc quod erimus idem in futuro cum ipso. Joan. XVII, 22 : *Ut sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus*.

LECTIO III.

Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

Postquam Apostolus ostendit quæ bona per gratiam Christi consecuti sumus, hic consequenter ostendit a quibus malis per eam liberemur : et circa hoc tria facit : primo enim ostendit quod per gratiam Christi liberati sumus a servitute peccati : secundo ostendit quod per gratiam ejus sumus liberati a servitute legis, VII cap., ibi, *An ignoratis, fratres.... quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit?* tertio ostendit quod per gratiam Christi liberamur a damnatione, VIII cap., ibi, *Nihil nunc damnationis est his qui sunt in Christo Jesu*. Circa primum duo facit. Primo ostendit quod per gratiam Christi liberamur ab originali peccato præterito; secundo ostendit quod ea tuti, regimur contra peccata futura, ibi, *Quid ergo dicemus?* Circa primum duo facit. Primo agit de processu peccati; secundo de processu gratiæ destruentis peccatum, ibi, *Sed non sicut delictum*, etc. Circa primum duo facit. Primo proponit processum peccati : secundo manifestat, ibi, *Usque ad legem*, etc. Circa primum duo facit. Primo proponit processum peccati; secundo ostendit ejus universalitatem, ibi, *Et ita in omnes homines mors pertransiit*. Circa primum duo facit. Primo ostendit peccati originem; secundo originem mortis, ibi, *Et per peccatum mors*. Dicit ergo primo, quod per Christum reconciliationem accepimus : ita enim a Christo reconciliatio procedit in mundum; *sicut per unum hominem*, scilicet per Adam, *peccatum intravit in hunc mundum*, I Cor. XV, 22 : *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*.

Est autem hic considerandum, quod hæretici Pelagiani, peccatum originale in parvulis esse negantes, hæc verba Apostoli dicebant esse intelligenda de peccato actuali : quod quidem secundum eos, in hunc mundum intravit per Adam, inquantum omnes peccantes peccatum Adæ imitantur, secundum illud Oseæ VI, 7 : *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt in me*. Sed, sicut dicit Augustinus *De pec. mer. et rem.*, lib. 1, cap. XIX contra eos, si de introitu peccati actualis, qui est per imitationem, hic Apostolus loqueretur, non diceret peccatum per hominem in hunc mundum intrasse, sed magis per diabolum, quem peccantes imitantur, secundum illud Sap. II, 24 : *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum*. Est ergo intelligendum quod per Adam peccatum in hunc mundum intravit, non solum imitatione, sed etiam propagatione, idest per carnis originem vitiatam, secundum illud Ephes. II, 3 : *Eramus natura filii iræ* : et in Psalm. L, 7 : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*.

Sed videtur hoc esse impossibile, quod per originem carnis peccatum ab uno in alium traducatur. Peccatum enim est in

anima rationali, quæ non traducitur per originem carnis : tum quia intellectus non est alicujus corporis actus; et ita non potest per virtutem corporalis seminis causari, ut Philosophus dicit in libro *De generatione animalium* : tum etiam quia cum anima rationalis sit quædam res subsistens, ut puta per se operationem habens, et corpore corrupto non corrumpatur; consequens est quod non generetur corpore generato, sicut aliæ formæ quæ non possunt per se subsistere, sed potius causatur a Deo. Consequens igitur videtur quod nec peccatum, quod est accidens animæ, possit per carnis originem traduci.

Ad hoc autem rationabiliter respondetur, quod licet in semine non sit anima, est tamen in semine virtus dispositiva corporis ad animæ receptionem, quæ cum corpori infunditur, etiam ei suo modo conformatur, eo quod omne receptum est in recipiente per modnm recipientis. Et exinde videmus quod filii similantur parentibus, non solum in defectibus corporalibus, sicut leprosus generat leprosum, et podagricus podagricum, sed etiam in defectibus animæ; sicut iracundus iracundum; et amentes ex amentibus nascuntur. Quamvis enim pes, qui est subjectum podagræ, non sit in semine, nec anima, quæ est subjectum iræ vel amentiæ; est tamen in semine virtus formativa corporalium membrorum, et dispositiva ad animam.

Sed adhuc remanet dubitatio : quia defectus qui ex vitiata origine trahuntur, non habent rationem culpæ : non enim merentur pœnam, sed magis misericordiam, sicut Philosophus dicit de eo qui nascitur cæcus, vel quocumque alio modo aliter orbatus : et hoc ideo quia de ratione culpæ est quod sit voluntaria, et in potestate hominis, cui culpa imputatur. Sic igitur si aliquis defectus in nos pervenit per originem primi parentis, non videtur in nobis habere rationem culpæ, sed pœnæ.

Et ideo dicendum est, quod sicut peccatum actuale est peccatum personæ, quia per voluntatem personæ peccantis committitur; ita peccatum originale est peccatum naturæ, quod per voluntatem principii humanæ naturæ commissum est. Est enim considerandum quod sicut diversa corporis membra partes sunt personæ unius hominis : ita omnes homines sunt partes, et quasi quædam membra humanæ naturæ. Unde et Porphyrius dicit, cap. de specie, quod participatione speciei plures homines sunt unus homo. Videmus autem quod actus peccati exercitus per aliquod membrum, puta per manum vel pedem, non habet rationem culpæ ex voluntate manus vel pedis, sed ex voluntate totius hominis, a quo sicut a quodam principio derivatur motus peccati ad singula membra. Et similiter a voluntate Adæ, qui fuit principium humanæ naturæ, tota inordinatio naturæ habet culpæ rationem in omnibus ad quos pervenit, quantum ad hoc quod susceptivi sunt culpæ. Et sicut peccatum actuale, quod est peccatum personæ, trahitur ad singula membra per aliquem actum personalem, ita peccatum originale trahitur ad singulos homines per actum naturæ, qui est generatio. Et ita, sicut per generationem humana natura trahitur, ita etiam per generationem traducitur defectus humanæ naturæ, qui est consecutus ex peccato primi parentis. Est autem hic defectus, carentia originalis justitiæ, quæ erat primo homini divinitus collata, non solum ut erat persona quædam singularis, sed etiam ut erat principium humanæ naturæ; ut scilicet eam simul cum natura in posteros traduceret. Et ideo simili modo amissionem hujus originalis justitiæ per peccatum ad posteros transmittit, habentem in eis rationem culpæ, ratione jam dicta. Et ideo dicitur quod in processu originalis peccati, persona infecit naturam, scilicet Adam peccans vitiavit humanam naturam; sed postmodum in aliis natura vitiata inficit personam, dum scilicet genito imputatur ad culpam naturæ vitium propter voluntatem primi parentis, ut dictum est. Ex hoc autem patet quod licet primum peccatum primi parentis per originem traducatur in posteros, alia tamen ejus peccata, vel etiam aliorum hominum, in filios non traducuntur : quia per solum primum peccatum sublatum est bonum naturæ, quod erat per originem naturæ traducendum; per alia vero peccata subtrahitur bonum gratiæ personalis, quod non transit ad alios posteros : et inde etiam est quod quamvis peccatum Adæ deletum fuerit per suam pœnitentiam, juxta illud Sapient. x, 2 : *Eduxit illum a delicto suo*; non tamen ejus pœnitentia delere potuit peccatum posterorum; quia ejus pœnitentia fuit per actum personalem, quia ultra ejus

personam non se extendebat. Et propter hoc est unum tantum originale peccatum : quia solus defectus consequens primum peccatum, originaliter derivatur ad posteros. Et ideo Apostolus singulariter dicit : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit* : non autem dixit pluraliter, Peccata : quod fuisset dicendum, si de actualibus loqueretur. Dicitur autem quandoque pluraliter, Peccata originalia, sicut in Psal. L, 7 : *In peccatis concepit me mater mea* : quia continet virtualiter multa peccata, inquantum ex corruptione fomitis inclinamur ad multa peccata.

Sed videtur quod peccatum originale non intraverit in hunc mundum per unum hominem, scilicet Adam, sed magis per unam mulierem, scilicet Evam, quæ primo peccavit, secundum illud Eccli. XXV, 33 : *A muliere factum est initium peccati, et per illam omnes morimur.*

Ad hoc respondetur in *Glossa* dupliciter. Uno modo, quia consuetudo Scripturæ est ut genealogiæ non per mulieres, sed per viros texantur, sicut patet Matth. I, et Luc. III. Et ideo Apostolus hic volens quasi genealogiam quamdam peccati ostendere, non fecit mentionem de muliere, sed solum de viro. Alio modo, quia etiam mulier de viro sumpta est; et ideo quod est mulieris, attribuitur viro. Potest etiam alio modo dici, et melius, quod cum peccatum originale traducatur simul cum natura, sicut dictum est; sicut per virtutem activam viri, muliere materiam ministrante, natura traducitur, ita et peccatum originale. Unde si Adam non peccasset, Eva peccante, non per hoc fuisset peccatum traductum ad posteros. Illa enim est causa quare Christus peccatum originale non traxit, quia ex sola femina sine virili semine carnem accepit.

Per hoc verbum Apostoli Augustinus *Contra Julian.* lib. III, cap. XXIV, respondet Juliano hæretico in hunc modum quærenti : « Non peccat iste qui nascitur, non peccat iste qui genuit, non peccat ille qui condidit : per quas igitur rimas inter tot præsidia innocentiæ peccatum fingis ingressum? » Sed Augustinus *De nupt. et concup.* lib. II, cap. XXVIII, respondet : « Quid quæris latentem rimam, cum habeas apertissimam januam? Nam, secundum Apostolum, *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit.* »

Consequenter, tangit ingressum mortis in mundum, cum dicit, *Et per peccatum mors*, scilicet in hunc mundum intravit, secundum illud Sap. I, 15 : *Injustitia mortis est acquisitio.*

Videtur autem quod mors non sit ex peccato, sed magis ex natura, utpote proveniens ex necessitate materiæ : est enim corpus humanum ex contrariis compositum : unde est naturaliter corruptibile.

Dicendum est autem, quod natura humana dupliciter potest considerari. Uno modo secundum principia intrinseca; et sic mors est ei naturalis : unde Seneca dicit in libro *De remediis fortuitorum*, quod mors natura est hominis, non pœna. Alio modo potest considerari natura hominis secundum quod per divinam providentiam fuit ei per justitiam originalem provisum : quæ quidem justitia erat quædam rectitudo, ut mens hominis esset sub Deo, et inferiores vires essent sub mente, et corpus sub anima, et omnia exteriora sub homine; ita scilicet quod quamdiu mens hominis Deo subderetur, vires inferiores subderentur rationi, et corpus animæ, indeficienter ab eo vitam recipiens, et exteriora homini [1]; ut scilicet omnia servirent, et nullum ex eis nocumentum sentiret. Hoc autem providentia divina disposuit propter dignitatem [2] animæ rationalis, quæ cum naturaliter sit incorruptibilis, debebatur sibi incorruptibile corpus. Sed quia corpus, quod est ex contrariis compositum, oportebat esse organum sensus, et tale corpus secundum naturam suam incorruptibile esse non potest; supplevit potentia divina quod deerat naturæ humanæ, dans animæ virtutem continendi corpus incorruptibiliter; sicut faber si posset, daret ferro ex quo cultellum fabricat, virtutem ut rubiginem nullam contraheret. Sic ergo postquam mens hominis per peccatum est a Deo aversa [3], amisit virtutem continendi inferiores vires, et etiam corpus, et exteriora; et sic incurrit mortem naturalem a causis intrinsecis, et violentiam ab exterioribus nocumentis.

Deinde cum dicit, *Et ita in omnes homines mors pertransiit,* ostendit universalitatem hujus processus et quantum ad mortem, et quantum ad peccatum, ordine

[1] Al. : « hominis. » — [2] Al. : « divinitatem. » — [3] Al. : « a Dei subjectione aversa. »

tamen retrogrado : nam supra prius egit de ingressu peccati, qui est causa ingressus mortis; nunc autem prius agit de universalitate mortis, tamquam de manifestiori; et hoc est quod dicit : *Et ita mors*, vel peccatum primi parentis, *pertransiit in omnes* : quia scilicet per originem vitiatam contrahunt homines necessitatem moriendi ; II Reg. XIV, 14 : *Omnes morimur*. Psalm. LXXXVIII, IV : *Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem*? Deinde tangit universalitatem processus peccati, cum dicit : *In quo omnes peccaverunt*, quod, sicut Augustinus dicit in *Glossa*, potest dupliciter intelligi. Uno modo : *in quo* scilicet primo homine, vel *in quo* scilicet peccato : quia scilicet eo peccante, quodammodo omnes peccaverunt, inquantum in eo erant sicut in prima sua origine.

Sed cum Christus etiam originem ex Adam traxerit, ut patet Luc. III, videtur quod etiam ipse eo peccante, peccaverit.

Ad hoc respondet Augustinus *Super Genes. ad litteram*, quod Christus non omni modo fuit in Adam quo nos fuimus : nos enim fuimus et secundum corpulentam substantiam, et secundum seminalem rationem ; Christus autem fuit in eo solum secundum corpulentam substantiam. Quod quidam male intelligentes putaverunt quod tota substantia corporum humanorum, quæ pertinet ad veritatem humanæ naturæ, fuerit actu in Adam; et per quamdam multiplicationem divina virtute factam, quod sumptum est ab Adam [1], sit in tanta corporum quantitate ampliatum. Sed hoc est inconveniens, opera naturæ miraculo attribuere ; præsertim quia videmus quod corpus humanum, quantumcumque sit de veritate humanæ naturæ, corrumpitur, et accipit aliam formam. Unde, quia omne generabile est corruptibile, et e converso ; oportet dicere quod materia quæ ante generationem hominis sub alia forma quam humana fuit, formam humanæ carnis assumpserit ; et sic non totum quod est in corporibus nostris ad veritatem naturæ pertinens, fuit actu in eodem, sed solum secundum originem, prout scilicet effectus est in principio activo. Secundum hoc ergo intelligendum est, quod cum in nostra generatione sit et materia corporalis, quam femina ministrat, et vis activa, quæ est in semine maris ; utrumque per originem ducitur ab Adam sicut a primo principio. Et ideo dicimur [2] in eo fuisse et secundum rationem seminalem et secundum corpulentam substantiam, quia scilicet utrumque ab eo processit. In generatione autem Christi fuit corpulenta substantia, quam traxit de virgine ; loco autem rationis seminalis fuit virtus activa Spiritus sancti, quæ non derivatur ab Adam ; et ideo non fuit in Adam secundum seminalem rationem, sed tantum secundum substantiam corpulentam. Sic igitur nos accipimus peccatum ab Adam, et trahimus ; atque naturam humanam ab eo accipimus sicut a principio activo, quod est esse in eo secundum seminalem rationem ; quod quidem non competit Christo, ut dictum est.

Videtur ulterius quod peccatum originale non transeat in omnes : quia baptizati a peccato originali purgantur per baptismum ; et ita videtur quod non possint in posteros peccatum transmittere. quod non habent.

Dicendum est autem, quod per baptismum homo liberatur a peccato originali quantum ad mentem : sed remanet peccati infectio quantum ad carnem ; unde infra VII, 25, dicit Apostolus : *Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati*. Homo autem non generat mente carnales filios, sed carne ; et ideo non transmittit novitatem Christi, sed vetustatem Adæ.

LECTIO IV.

Usque ad legem enim peccatum erat in mundo : peccatum autem non imputabatur cum lex non esset ; sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri.

Postquam Apostolus ostendit originem peccati et mortis, sive ingressum utriusque in mundum, hic manifestat quod dixerat : et primo manifestat ipsum dic-

[1] Al. : « ut per quamdam multiplicationem divina virtute factam, si quod sumptum est ab Adam, etc. : » item : « et per quamdam multiplicationem divina virtute factam idest quod sumptum est, etc. » — [2] Al. : « dicitur. »

tum : secundo manifestat similitudinem quam innuebat dicens, ibi, *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit;* tertio exponit similitudinem, ibi, *Qui est forma futuri.* Dixerat autem quod peccatum et mors in omnes transierunt; et hoc quidem secundum expositionem Augustini manifestare intendit per hoc quod etiam sub lege peccatum remansit, quasi lege illud excludere non valente. Circa quod duo facit. Primo manifestat propositum quantum ad peccatum; secundo quantum ad mortem, ibi, *Sed regnavit mors.* Circa primum duo facit. Primo ostendit peccatum fuisse etiam sub lege; secundo quid circa peccatum lex facit ibi, *Peccatum autem non imputabatur* etc. Dicit ergo primo : Dictum est, quod omnes peccaverunt in Adam, quia nec etiam lex peccatum abstulit : *usque ad legem enim*, idest etiam sub lege, ut ly *usque* teneatur inclusive, *peccatum erat in mundo* : quod quidem potest intelligi et de lege naturæ, et de lege Moysi; similiter et de peccato actuali, et de peccato originali. Peccatum enim originale erat in parvulo usque ad legem naturæ, idest usque ad usum rationis, per quem homo hujusmodi leges advertit. Psal. L, 7 : *In peccatis concepit me mater mea.* Nec tamen cessat hoc peccatum, lege naturali adveniente, in homine, sed magis excrescit per additionem peccati actualis : quia, ut dicitur Eccle. VII, 21, *non est homo justus in terra qui faciat bonum, et non peccet.* Sed si intelligamus de lege Moysi, tunc quod dicitur, peccatum fuisse in mundo usque ad legem, potest intelligi non solum de originali, sed etiam de actuali : quia et ante legem et sub lege peccatum utrumque permansit. Proverb. XX, 9 : *Quis potest dicere : Mundum est cor meum?* Quamvis autem lex peccatum non auferat [1], peccati tamen cognitionem facit, quod antea non cognoscebatur : unde subdit : *Peccatum autem non imputabatur* : quod quidem planum est, si intelligatur de lege naturali. Quamvis enim peccatum originale sit in parvulo ante legem naturalem, et reputetur ei a Deo, non tamen imputatur ei apud homines. Si autem intelligatur de lege Moysi, planum est, quantum ad aliqua peccata actualia, quod non imputabantur ante legem, sicut illa quæ specialiter sunt per legem prohibita, quæ homines peccata non reputabant, sicut quod dicitur Exod. XX, 17 : *Non concupisces* etc. Imputabantur tamen quædam peccata, prout erant contra legem naturæ. Unde et Genes. XXXIX, Joseph legitur in carcerem missus propter adulterium sibi impositum.

Consequenter agit de morte, dicens : Quamvis peccata ante legem non imputarentur, tamen *mors*, scilicet spiritualis [2], idest peccatum, vel æterna damnatio, de qua dicitur in Psal. XXXIII, 22 : *Mors peccatorum pessima*, *regnavit*, idest potestatem suam exercuit in homines ducendo eos in damnationem, *ab Adam*, per quem peccatum intravit in mundum, *usque ad Moysen* sub quo data est lex : Joan. I, 17 : *Lex per Moysen data est* : non solum in eos qui peccaverunt actualiter, sed *etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ,* qui actualiter peccavit. Oseæ VI, 7 : *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum*, *ibi prævaricati sunt in me* : quia etiam pueri damnationem incurrebant. Potest etiam et sub hoc sensu intelligi de morte corporali, per quam manifestatur peccatum fuisse etiam cum non imputabatur; quasi dicat : *Peccatum autem non imputabatur* ante legem : sed ex hoc deprehenditur fuisse, quia *regnavit mors*, scilicet corporalis, primo quidem aliquas passiones inducendo, puta famem et sitim et ægritudinem ; et tandem totaliter dissolvendo ; *etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*, idest in pueros, qui non peccaverunt actualiter : quoniam etiam isti mortem [3] corporalem antea et postea patiuntur, secundum illud Psalm. LXXXVIII, 49 : *Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem?*

Ambrosius autem aliter ista verba exposuit, scilicet de peccato actuali tantum, et de lege Moysi; et secundum eum, inducuntur hæc verba ad manifestandum quod per primum parentem peccatum in hunc mundum intravit, et in omnes transivit : *usque enim ad legem*, idest ante legem Moysi, *peccatum erat in mundo*, scilicet peccatum actuale : homines enim multipliciter peccabant contra legem naturæ : unde dicitur Genes. XIII, 13 : *Homines Sodomitæ pessimi erant. Peccatum autem non imputabatur*, *cum lex non esset* : quod est intelligendum non quin imputaretur quasi puniendum

[1] Al. : « auferl. » — [2] Al. : « spiritualiter. » — [3] Al. : « Christi mortem. »

apud homines, cum quidem legantur ante legem puniti ab hominibus pro peccatis, ut patet Gen. XXXIX et XL, sed non imputabatur quasi a Deo puniendum : tunc enim non credebant homines quod Deus humana facta vel puniret vel præmiaret, secundum illud Job XXII, 14 : *Circa cardines cœli perambulat, nec nostra considerat.* Sed postea lege divinitus data innotuit quod peccata imputantur a Deo ad pœnam, et non solum ab hominibus. Et ideo quia homines non credebant se puniendos a Deo pro peccatis, libere et absque freno peccabant, ubi humanum judicium non timebant. Et ideo subdit : *Sed mors,* idest peccatum, *regnavit*, idest omnimodam suam potestatem exercuit, *ab Adam usque ad Moysen*, exclusive; nam per Moysen data est lex, quæ incepit regnum peccati diminuere, incutiens timorem divini judicii, secundum illud Deuter. v, 29 : *Quis det eos talem habere mentem ut timeant mei et custodiant universa mandata mea?* Regnavit, inquam, peccatum usque ad Moysen, non tamen in omnes, sed *in eos qui peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* Dicit enim Ambrosius, in libris antiquis non inveniri hanc negationem *non*, unde credit a corruptoribus appositam. Adam quippe magis credidit promissioni diaboli quam commonitioni divinæ, ut patet Gen. III, et ita quodammodo diabolum prætulit Deo. Sic igitur in similitudinem prævaricationis Adæ prævaricantur idololatræ, qui relicto Dei cultu, diabolum colunt. In tales ergo mors, idest peccatum, totaliter regnavit, quia eos omnino possedit. Fuerunt autem ante legem Moysi, veri [1] Dei cultores, qui et si peccarent, non tamen peccatum in eis regnabat; quia non totaliter eos a Deo separabat; sed peccabant sub Deo, idest sub fide unius Dei, etiam si peccarent mortaliter; vel sub caritate Dei, cum peccabant venialiter.

Ex utraque harum expositionum potest conflari tertia, quæ magis videtur ad intentionem Apostoli pertinere. Dixerat enim, quod *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit* : et quia peccatum est trangressio legis divinæ, posset alicui videri quod hoc non esset verum quantum ad tempus ante legem; præsertim cum supra IV, 15, dixerit : *Ubi non est lex, nec prævaricatio.* Et ideo posset aliquis credere, quod non per unum hominem peccatum in mundum intravit, sed magis per legem. Et ideo ad hoc excludendum dicit, quod *usque ad legem*, idest tempus ante legem, *peccatum erat in mundo,* et originale et actuale; non tamen erat peccatum cognitum, præsertim quasi a Deo puniendum; et hoc est quod subdit : *Peccatum autem non imputabatur*, scilicet quasi contra Deum existens, *cum lex*, scilicet divinitus, *data non esset.* Fuerunt enim aliqui, ut dicit Philosophus in V *Ethic.* cap. VIII, qui crediderunt quod nihil est justum naturaliter, et per consequens nec injustum, sed per solam positionem legis humanæ; et secundum hoc, non imputabatur aliquod peccatum quasi contra Deum existens, et præcipue peccatum originale, idest non cognoscebatur. Sed quod ista reputatio hominum esset falsa, ostenditur per effectum : quia mors corporalis regnavit ab Adam, per quem intravit originale peccatum in mundum, usque ad Moysem, sub quo data fuit lex; et ita, cum mors sit effectus peccati, præcipue originalis, manifestum est quod ante legem fuit peccatum originale in mundo. Et ne aliquis dicat quod moriebantur propter peccata actualia, ad hoc excludendum dicit, quod *regnavit etiam in eos qui non peccaverunt* proprio actu, scilicet pueros, et etiam in justos qui non peccaverunt mortaliter; qui tamen peccaverunt in primo homine, ut supra dictum est. Et ideo subdit, *In similitudinem prævaricationis Adæ*, inquantum similitudinem illius peccati traxerunt per originem simul cum similitudine naturæ; quasi dicat : quod moriebantur absque proprio peccato, demonstrat quod in eis erat diffusa similitudo peccati Adæ per originem. Et hoc est quod Apostolus manifestare intendit, scilicet quod per Adam peccatum originale in mundum intravit.

Deinde cum dicit, *Qui est forma futuri*, exponit similitudinem, quæ intelligebatur in adverbio *sicut;* unde dicit : *Qui*, scilicet Adam, *est forma*, idest figura quædam, *futuri*, idest Christi, tamen per contrarium : nam sicut per Adam peccatum et mors in mundum intravit, ita per Christum intravit justitia et vita. I Corinth. XV, 47 : *Primus homo de terra terrenus secundus homo de cœlo cœlestis.* Sunt autem et aliæ similitudines inter

[1] Al. : « viri. »

Christum et Adam : quod scilicet sicut corpus Adæ formatum fuit sine coitu, ita et corpus Christi de virgine : et sicut de latere Adæ dormientis sumpta est mulier, ita ex latere Christi dormientis in cruce, fluxit sanguis et aqua, ut dicitur Joan. XIX, quæ significant sacramenta quibus est formata Ecclesia.

LECTIO V.

Sed non sicut delictum, ita et donum : si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum, in gratia unius hominis Jesu Christi, in plures abundavit. Et non sicut per unum peccatum, ita et donum : nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem. Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ et donationis et justitiæ accipientes in vita, regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi.

Postquam Apostolus posuit ingressum peccati in hunc mundum, hic agit de progressu gratiæ abolentis peccatum: et circa hoc duo facit. Primo ostendit quomodo per Christi gratiam remotum est peccatum, quod per unum hominem in mundum intravit; secundo ostendit quomodo per gratiam Christi peccatum est remotum, quod lege adveniente superabundaverat, ibi, *Lex autem subintravit* etc. Ostendit autem quod per gratiam Christi removetur peccatum per Adam introductum in mundum, comparando gratiam Christi peccato Adæ : quia scilicet plus potest gratia Christi in bono, quam peccatum Adæ in malo. Et circa hoc duo facit. Primo comparat ipsas causas, scilicet gratiam Christi peccato Adæ; secundo ponit comparationem earum quantum ad effectus, ibi, *Et non sicut per unum pecatum, ita et donum.* Circa primum duo facit. Primo proponit comparationem ; secundo manifestat eam, ibi, *Si enim unius hominis delicto multi mortui sunt; multo magis gratia Dei et donum... in plures abundavit.* Dicit ergo primo : dictum est, quod Adam est forma futuri ; *sed non sicut delictum, ita et donum;* quasi dicat : Non est æstimandum quod tantæ efficaciæ sit delictum Adæ, quantæ est efficaciæ [1] donum Christi. Cujus ratio est ista, quia peccatum procedit ex infirmitate voluntatis humanæ, gratia autem procedit ex immensitate bonitatis divinæ ; quam manifestum est voluntati humanæ, præsertim infirmæ, præferri : et ideo virtus gratiæ Dei [2] excedit omne peccatum. Et idcirco dicebat David Psal. L, 1 : *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Et propter hoc juste reprobatur verbum Cain, Genes. IV, 13, dicentis : *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear.* Deinde cum dicit, *Si enim unius, hominis delicto multi mortui sunt* etc., manifestat quod dixerat, scilicet quod donum gratiæ excedit delictum Adæ, dicens : *Si enim delicto unius*, scilicet Adæ, *multi mortui sunt*, idest si ex delicto Adæ, peccatum et mors transivit in multos alios, quia in omnes qui in eo peccaverunt, *multo magis gratia Dei et donum*, idest gratuitum Dei donum, ut ly *et* expositive teneatur : vel gratia Dei refertur ad remissionem peccati : supra eodem : *Justificati gratis per gratiam ipsius* : donum autem refertur ad bona superaddita ultra remissionem peccatorum, ut dicit Psal. LXVII, 19, secundum aliam litteram : *Dedit Dominus dona hominibus* : *multo*, inquam, *magis* hujusmodi gratia et donum, *abundavit in plures*, idest in multos. Quanto enim aliquid est potentius, tanto magis se potest ad multa extendere. Peccatum autem Adæ ad multos se extendit, quod probatur per mortem : unde signanter dicit, quod *unius delicto multi mortui sunt* : mors enim argumentum est peccati originalis, ut supra dictum est. Adæ [3] dixit Deus Gen. II, 17 : *Quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* Gratia igitur [4] Dei, quæ est fortior, multo amplius ad multos extenditur. Hebr. II, 10 : *Qui multos filios in gloriam adduxit.* Notandum est autem, quod dicit, *Abundavit*, quia non solum gratia Dei processit in multos ad deletionem peccati per Adam inducti, sed etiam ad peccata actualia delenda, et multa alia bona consequenda. II Corinth. IX, 8 : *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* Sicut enim peccatum ex

[1] Al. : « gratiæ. » — [2] Al. desideratur : « Dei. » — [3] Al. : « ut supra dictum est Adæ : Quacumque. » — [4] Al. deest : « igitur. »

uno homine abundavit in multos ex prima suggestione diaboli, ita et gratia Dei per unum hominem processit ad multos : unde signanter addit : *In gratia*, idest per gratiam, *unius hominis Jesu Christi*. Sic enim a Deo gratia in multos effunditur ut eam per Christum accipiant, in quo omnis plenitudo gratiarum invenitur, secundum illud Joan. I, 16 : *De plenitudine ejus omnes accepimus, gratiam pro gratia*. Sic autem legenda est littera secundum expositionem Augustini, ut hocq uod dicitur, *Plures*, non accipiatur comparative, sed absolute : et ita vult quod attendatur comparatio quantum ad hoc quod si delictum unius Adæ processit in multos, multo magis gratia unius Christi in multos. Sed secundum Ambrosium ly *plures* accipitur comparative, ut sit sensus, quod *delicto*, idest peccato actuali, *unius*, scilicet Adæ, *multi* non omnes, *mortui sunt*, scilicet morte peccati, imitando scilicet peccatum ipsius Adæ per idololatriam, ut supra expositum est. Sap. XIII, 10 : dicitur de idololatris : *Infelices autem sunt, et inter mortuos spes eorum*. Et *multo magis gratia Dei abundavit in plures*, scilicet quam in idololatris, qui peccaverunt in similitudinem Adæ : quia non solum eorum peccata tolluntur per gratiam Christi, sed etiam peccata eorum qui in fide unius Dei permanserunt. Mich. ult. 19 : *Deponet iniquitates nostras, et projiciet omnia peccata nostra*.

Deinde cum dicit, *Et non sicut per unum peccatum, ita et donum*; comparat Christi gratiam peccato Adæ, quantum ad effectum : quia non solum utrumque in multos redundat, sed etiam majorem effectum habet gratia Christi quam peccatum Adæ : et circa hoc tria facit. Primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Nam judicium quidem ex uno in condemnationem*; tertio probat, ibi, *Si enim unius delicto mors regnavit per unum* etc. Dicit ergo primo : Non solum hoc [1] dictum est, scilicet quod Christi gratia magis abundat in multos quam peccatum Adæ; sed etiam in eis majorem effectum facit; et hoc est quod dicit : *Et non sicut per unum peccatum, ita et donum*; quasi dicat : Non tantus effectus sequitur per unum peccatum Adæ in multis, quantus consequitur in multis per donum gratiæ Christi. Potentioris enim causæ potentior est effectus. Unde cum dictum sit, gratiam esse potentiorem quam peccatum Adæ, consequens est quod majorem effectum efficiat. Deinde cum dicit, *Nam judicium quidem ex uno*, manifestat quod dixerat dicens : *Nam judicium*, idest divina punitio, procedit *quidem ex uno*, scilicet peccato primi parentis, *in condemnationem*, scilicet omnium hominum, quia in illo peccante peccaverunt, secundum illud quod supra dictum est, quod *mors in omnes pertransiit, in quo omnes peccaverunt*; *gratia autem Dei*, quæ datur per Christum, procedit *ex multis delictis*, idest non solum ex illo uno originali, sed etiam ex multis actualibus, *in justificationem*, idest perfectam emundationem. I Corinth. VI, 11 : *Et hæc quidem fuistis aliquando; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis*. Deinde cum dicit, *Si enim unius delicto* etc., probat quod dixerat, scilicet quod gratia Christi procedit ex multis delictis in justificationem : et primo quidem hoc probat ex posteriori; secundo ex priori, ibi, *Sicut enim per inobedientiam unius hominis* etc. Circa primum considerandum est, quod Apostolus in præmissa comparatione non ponit sibi respondentia, scilicet res ejusdem generis : nam ex parte peccati ponit condemnationem, quæ pertinet ad pœnam; ex parte autem gratiæ ponit justificationem, quæ non pertinet ad præmium, sed magis ad statum meriti. Sic igitur Apostolus intendit, per hoc quod dicit quod peccatum inducit condemnationem, ostendere quod gratia inducat justificationem : et utitur tali ratione. Sicut condemnatio mortis procedit ex peccato primi parentis, ita regnum vitæ procedit ex gratia Christi : hæc enim duo uniformiter sibi correspondent : sed ad regnum vitæ nullus potest pervenire nisi per justitiam : ergo per gratiam Christi homines justificantur. Primo ergo ponit præmissas; secundo infert conclusionem intentam, ibi, *Igitur sicut per unius delictum* etc. Primam autem propositionem proponit, dicens : *Si enim ex delicto unius* hominis *mors regnavit* per unum hominem : quia, sicut supra eodem dictum est, *per unum hominem peccatum intravit, et per peccatum mors* : *multo magis* homines regnabunt *in vita* scilicet æterna, *per unum Jesum Christum*; qui dicit Joan. X, 10 :

[1] Al. omittitur : « hoc. »

Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant, participando scilicet æternitatem vitæ : quæ quidem abundantia hic per regnum designatur : unde dicitur Apoc. xx, 6, quod *regnabunt cum Christo annis mille*, id est æterno tempore. Minorem autem designat interponendo : *Abundantiam gratiæ* Christi *et donationis et justitiæ accipientes* : quasi diceret : Ad regnum vitæ homines pervenire non possunt, nisi hoc accipiendo ; ita quod gratia Christi referatur ad dimissionem peccati, quam nulla merita præcedere possunt ; ideo omnino gratiæ deputatur : si enim ex operibus, jam non ex gratia, ut dicitur infra xi. Quod autem dicitur, *Donatonis*, referendum est ad dona gratiarum, quibus homines promoventur in bona. Esther ii, 18 : *Largitus est dona juxta magnificentiam principalem* . Quod autem dicitur, *Justitiæ*, referendum est ad rectitudinem operum. I Cor. i, 30 : *Qui factus est nobis a Deo justitia*. Deinde cum dicit, *Igitur sicut* etc., infert conclusionem intentam, quæ idem continet cum eo quod supra præmissum est, videlicet quod *sicut per unius delictum* Adæ, divinum judicium processit *in omnes homines*, qui carnaliter ex eo [1] nascuntur, *in condemnationem mortis*; *sic et per unius justitiam*, scilicet Christi, divina gratia *in omnes homines in justificationem vitæ*, idest quæ ducit ad vitam.

Sed videtur hoc esse falsum : non enim omnes homines justificantur per Christum, sicut omnes homines moriuntur per Adam.

Sed dicendum, quod intelligendum est quod sicut omnes homines qui nascuntur carnaliter ex Adam, incurrunt condemnationem per ejus peccatum ; ita omnes qui renascuntur spiritualiter per Christum, adipiscuntur justificationem vitæ : quia, ut dicitur Joan. iii, 5, *nisi quis natus fuerit denuo ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Quamvis possit dici, quod justificatio Christi transit in justificationem omnium hominum quantum ad sufficientiam, licet quantum ad efficientiam procedat in solos fideles: unde dicitur I Tim. iv, 10 : *Qui est Salvator omnium hominum, maxime autem fidelium*. Ex hoc autem quod hic dicitur, accipere debemus, quod sicut nullus moritur nisi per peccatum Adæ, ita nullus justificatur nisi per justitiam Christi: quæ quidem est per fidem ipsius, secundum illud quod supra iii, dictum est : *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes qui credunt in eum*. In eum autem crediderunt homines, non solum qui sunt post ejus incarnationem, sed etiam qui ejus incarnationem præcesserunt. Sicut enim nos credimus eum natum et passum ; ita ipsi crediderunt nasciturum et passurum. Unde eadem est fides nostra et eorum. II Corinth. iv, 13 : *Habentes eumdem fidei spiritum, sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum : et nos credimus, propter quod et loquimur*.

Sic igitur probatum est quod gratia Christi procedit ad multorum justificationem ex posteriori scilicet ex regno vitæ. Consequenter cum dicit, *Sicut enim* etc., probat idem ex priori : causæ enim similes sunt suis effectibus : inobedientia autem primi parentis, quæ habet rationem injustitiæ, constituit peccatores et injustos : igitur obedientia Christi, quæ habet rationem justitiæ, constituit justos. Et hoc est quod supra dictum est, quod gratia procedit in omnes homines *in justificationem*.

Sed videtur esse dubium quod dicitur, quod *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*, idest omnes qui ab eo nascuntur secundum rationem seminalem. Primum enim ejus peccatum videtur fuisse superbia, magis quam inobedientia, secundum illud Eccli. x, 25 : *Initium omnis peccati superbia*.

Sed dicendum est, quod, sicut ibidem dicitur, *initium superbiæ facit homines apostatare a Deo:* quia scilicet prima pars superbiæ consistit in hoc quod homo non vult subjici præceptis divinis, quod ad inobedientiam pertinet. Unde primum hominis peccatum fuisse videtur inobedientia, non secundum actum exteriorem, sed secundum interiorem motum superbiæ, quo voluit divino præcepto contraire. Unde ejus inobedientiam Dominus arguit Gen. iii, 17 : *Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno de quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ*. Obedientia autem hic dicitur secundum quam præcepto Patris obediens, mortem sustinuit pro salute nostra, secundum illud Phil. ii, 8 : *Factus est obediens usque ad mortem*. Nec est contrarium quod alibi dicitur, Christus

[1] Al. omittitur : « ex eo. »

ex caritate mortuus est, ut patet Ephes. v : quia hoc ipsum quod obedivit, processit ex dilectione quam habuit ad Patrem et ad nos. Et est attendendum, quod per obedientiam et inobedientiam probat nos per unum peccatores effici, et per unum justificari : quia justitia legalis, quæ est omnis virtus, attenditur in observatione præceptorum legis, quod pertinet ad rationem obedientiæ; injustitia autem illegalis, quæ est omnis malitia, ut dicitur V *Ethic.*, attenditur in transgressione mandatorum legis, quæ pertinet ad rationem inobedientiæ. Sic ergo convenienter dicitur, quod per obedientiam constituuntur homines justi, et per inobedientiam peccatores.

LECTIO VI.

Lex autem subintravit, ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit et gratia : ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum.

Postquam Apostolus ostendit quod per donum gratiæ subtrahitur peccatum, quod per Adam in hunc mundum intraverat; hic ostendit quod per gratiam Christi tollitur peccatum, quod lege superveniente abundaverat : et circa hoc duo facit. Primo ponit abundantiam peccati, quæ fuit per legem : secundo absolutionem peccati, quæ est per gratiam Christi, ibi, *ubi abundavit delictum* etc. Dicit ergo primo. Dictum est, quod per obedientiam unius hominis, justi constituuntur multi; non autem lex hoc facere potuit, sed potius *lex subintravit, ut superabundaret delictum.*

Circa quod Apostoli dictum, duplex occurrit dubitatio. Primo quidem de hoc quod dicit legem subintrasse, idest latenter intrasse, post culpam originalem et actualem, vel post naturalem legem, ut *Glossa* dicit : non enim lex occulte intravit, sed manifeste data fuit, secundum illud Isai. XLV, 19 : *Non in abscondito locutus sum.*

Dicendum est ergo, quod licet ipsa legislatio fuerit data in manifesto, tamen mysteria legis erant in occulto, et præcipue quo ad intentionem Dei circa legem ferendam, quæ peccatum ostenderet, non sanaret, secundum illud infra XI, 34, *Quis cognovit sensum Domini?* Potest etiam dici quod *lex subintravit*, idest quasi media intravit inter peccatum hominis et donum gratiæ Christi, quorum utrumque supra dixerat per unum ad plures transisse.

Secunda autem dubitatio est de hoc quod dicit legem subintrasse, *ut abundaret delictum :* sic enim videtur quod abundantia delicti sit finis legis : et ita sequitur quod lex sit mala : quia cujus finis malus est, ipsum quoque malum est ; et hoc est contra illud I Tim. I, 8 : *Scimus quidem quod lex bona est.*

Ad hoc autem respondetur in *Glossa* tripliciter. Primo quidem ut dicamus quod ly *ut* non ponitur causaliter, sed consecutive : non enim ad hoc fuit data lex ut peccatum abundaret : quin potius lex, quantum in se fuit, peccatum prohibuit, secundum illud Psal. CXVIII, 11 : *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.*

Sed lege data consecuta est abundantia delictorum dupliciter. Uno quidem modo quantum ad peccatorum multitudinem : lex enim, licet peccatum demonstraret, peccati tamen concupiscentiam non auferebat. Cum autem alicui prohibetur id quod concupiscit, vehementius in concupiscentiam illius exardescit; sicut et fluvius apposito obice fortius fluit, et obicem frangit. Cujus ratio potest esse triplex. Una quidem, quia illud quod subjacet hominis potestati, non reputat aliquis pro magno : sed illud quod est extra hominis potestatem, apprehenditur ab homine quasi magnum. Prohibitio autem ejus quod concupiscitur, ponit illud quod prohibetur quasi extra hominis potestatem ; et ideo concupiscentia magis exardescit in rem concupitam dum prohibetur. Secunda ratio est, quia interiores affectiones quando interius retinentur, ita quod exterius non deriventur, ex hoc ipso magis interius incenduntur, sicut patet in dolore et ira, quæ dum interius clausa tenentur, magis augentur; si autem exterius quoquo modo procedant, eorum virtus diminuitur. Prohibitio autem propter timorem pœnæ, cogit hominem ut concupiscentiam suam ad exteriora non perducat, et ideo ipsa concupiscentia interius retenta magis inflammatur. Tertia ratio est, quia illud quod non est nobis prohibitum,

apprehendimus quasi possibile fieri quandocumque nobis placuerit, et ideo multoties opportunitate existente illud vitamus; sed quando aliquid est prohibitum, apprehenditur a nobis, ut non semper a nobis haberi possit; et ideo quando opportunitas datur sine timore pœnæ illud consequendi, promptiores ad hoc sumus. Et inde est quod data lege, quæ concupiscentiaæ usum prohibebat, et tamen ipsam concupiscentiam non mitigabat, concupiscentia ipsa magis ferventer homines ad peccata ducebat. Unde dicitur Ezech. v, 5 : *Ista est Hierusalem : in medio Gentium posui eam, et in circuitu ejus terras : et contempsit judicia mea, ut plus esset impia quam Gentes.*

Sed secundum hoc, videtur quod omnis lex humana, quæ gratiam non confert diminuentem concupiscentiam, faciat abundare peccata; quod est contra intentiones legislatorum, quia ad hoc tendunt ut cives faciant bonos; ut patet per Philosophum II *Ethic.* cap. I.

Sed dicendum est, quod alia est intentio legis humanæ et legis divinæ : lex enim humana refertur ad humanum judicium, quod est de exterioribus actibus; sed lex divina refertur ad divinum judicium, quod est de interioribus motibus cordis, secundum illud I Reg. XVI, 7 : *Homo videt ea quæ parent, sed Deus intuetur cor.* Sic igitur lex humana suam intentionem consequitur, dum per prohibitionem et pœnæ comminationem impedit ne multiplicentur exteriores actus peccati, licet concupiscentia interior magis augeatur; sed quantum ad legem divinam etiam interiores concupiscentiæ malæ imputantur ad peccatum, quæ abundant lege prohibente et non auferente concupiscentiam. Sciendum tamen, quod sicut Philosophus dicit in X *Ethic.* cap. XI, prohibitio legis, licet illos qui sunt male dispositi, cohibeat ab exterioribus peccatis solo pœnæ timore, quosdam tamen bene dispositos inducit per amorem virtutis. Sed ista bona dispositio quantum ad aliquid potest esse a natura : sed ejus perfectio non est nisi per gratiam, ex qua contingit quod etiam lege veteri data, non in omnibus peccatum abundat, sed in pluribus; quidam vero lege prohibente, et gratia ulterius adjuvante, ad perfectionem virtutum tandem [1] pervenerunt, secundum illud Eccli. XXXIV, 1 : *Laudemus viros gloriosos*; et infra III : *Homines magnos virtute.* Secundo superabundavit delictum lege superveniente, quantum ad gravitatem reatus : gravius enim fuit peccatum, ubi accessit prævaricatio, non tantum legis naturæ, sed etiam legis scriptæ : unde supra IV, 15, dictum est, quod *ubi non est lex, nec prævaricatio.* Secundo autem potest responderi, ut dicatur quod ly *ut* teneatur causaliter, ita tamen quod loquatur Apostolus de abundantia delicti, secundum quod est in nostra cognitione; ut sit sensus : *Lex subintravit ut abundaret delictum*; idest, ut abundantius delictum cognosceretur, secundum modum loquendi quo dicitur aliquid fieri, cum innotescit. Unde supra dictum est, quod *per legem est cognitio peccati.* Tertio modo potest exponi ita quo ly *ut* teneatur causaliter; ita tamen quod abundantia delicti non intelligatur finis legis subintrantis, sed id quod ex abundantia delicti sequitur, scilicet humiliatio hominis : lege enim subintrante abundavit delictum, ut dictum est in prima expositione : ex qua quidem delicti abundantia consecutum est quod homo infirmitatem suam recognoscens humilietur. Dicebat enim homo superbus, de viribus suis præsumens : Non deest qui impleat, sed deest qui jubeat, secundum illud Exod. XXIV, 7 : *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, et ei obediemus.* Sed quando lege data consecuta est multitudo delictorum, homo suam infirmitatem cognovit ad observantiam legis; secundum illud Sap. IX, 5 : *Infirmus homo et exigui temporis, et minor ad intellectum judicii et legum.* Intentio ergo Dei legem dantis non terminatur ad abundantiam peccatorum, sed ad humilitatem hominis, propter quam permisit abundare delicta. Sic ergo quia hoc erat occultum, signanter quantum ad hoc dicit, quod *lex subintravit.*

Quia vero hic agitur de lege et fine legis, duo consideranda occurrunt. Primo quidem quot modis lex dicatur; secundo quis sit finis legis.

Circa primum sciendum est, quod lex uno modo dicitur tota Scriptura veteris testamenti, secundum illud Joan. XV, 25 : *Ut impleatur sermo eorum, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis;* cum tamen hoc scriptum sit in Psalmis. Quandoque vero dicitur lex

[1] Al. : « tempore. »

Scriptura quinque librorum Moysis, secundum illud Deut. xxxiii, 4 : *Legem præcepit nobis Moyses.* Tertio dicitur Decalogus præceptorum, secundum illud Exod. xxiv, 12, *Dabo tibi duas tabulas lapideas, et legem, ac mandata quæ scripsi, ut doceas.* Quarto dicitur lex tota continentia cæremonialium, secundum illud Hebr. x, 1 : *Umbram habens lex futurorum bonorum.* Quinto dicitur lex aliquod speciale præceptum cæremoniale, secundum illud Lev. vii, 2 : *Hæc est lex hostiæ pacificorum.* Sumitur autem hic lex communiter ab Apostolo quantum ad totam doctrinam legis Moysi, idest quantum ad moralia et cæremonialia præcepta : quia scilicet per cæremonias legis non dabatur gratia, per quam homo adjuvaretur ad implenda præcepta moralia, concupiscentia diminuta.

Circa finem autem legis sciendum est, quod in populo Judæorum tria fuerunt hominum genera, sicut et in quolibet alio populo : scilicet duri, idest peccatores et rebelles; proficientes, et perfecti. Quantum igitur ad duros, lex fuit data in flagellum : et quantum ad præcepta moralia, ad quorum observantiam cogebantur per pœnæ comminationem, ut patet Levit. ii; et quantum ad cæremonialia, quæ ideo sunt multiplicata, ne liceret eis diis alienis alium cultum superaddere. Ezech. xx, 34 : *In manu valida et brachio extento et in furore effuso regnabo super vos.* Sed proficientibus, qui dicuntur mediocres, lex fuit in pædagogum, secundum illud Gal. iii, 24 : *Lex pædagogus noster fuit in Christo.* Et hoc quantum ad cæremonialia, quibus continebantur in divino cultu, et quantum ad moralia, quibus ad justitiam promovebantur. Perfectis autem fuit quantum ad cæremonialia quidem in signum, secundum illud Ezech. xx, 12 : *Sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me et eos* : quantum ad moralia vero, in solatium ; secundum illud infra vii, 12 : *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem.*

Deinde cum dicit, *Ubi abundavit delictum* etc., ostendit quomodo per gratiam tollitur abundantia delictorum : et primo ponit gratiæ abundantiam ; secundo ostendit abundantis gratiæ effectum, ibi, *ut sicut regnavit peccatum* etc. Dicit ergo primo : Dictum est, quod lege subintrante, *abundavit delictum*; nec tamen propter hoc impeditur divinum propositum de salute Judæorum, et totius humani generis; quia *ubi abundavit delictum*, scilicet in humano genere, et specialiter in Judæis, *superabundavit et gratia*, scilicet Christi condonantis peccata. II, Corinth. ix, 8 : *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* Ejus autem quod hic dicitur, duplex ratio assignari potest. Una quidem ex effectu gratiæ. Sicut enim magnitudinem morbi non sanat nisi fortis et efficax medicina ; ira requirebatur abundans gratia ad hoc ut sanaret abundantiam delictorum. Luc. vii, 47 : *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Alia ratio sumi potest ex dispositione peccantis, qui dum magnitudinem peccatorum suorum recognoscit, quandoque quidem desperat et contemnit, secundum illud Prov. xviii, 3 : *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit :* quandoque vero per auxilium divinum, ex consideratione suorum peccatorum magis humiliatur, et majorem consequitur gratiam, secundum illud Psal. xv, 4 : *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.*

Deinde cum dicit, *Ut sicut regnavit peccatum in mortem,* etc., ostendit effectum gratiæ abundantis : qui quidem est per oppositum respondens effectui peccati : *ut* scilicet *sicut peccatum* introductum per primum hominem et abundans per legem, *regnavit*, idest plenum dominium in homines obtinuit, et hoc quousque duceret eos *in mortem* temporalem et æternam : infra vi, 23 : *Stipendia peccati mors; ita et gratia Dei regnet*, idest plene dominetur in nobis, *per justitiam*, quam scilicet in nobis facit : supra eodem : *Justificati gratis per gratiam ipsius* : et hoc quousque nos ducat *in vitam æternam*, secundum illud infra vi, 23 : *Gratia Dei vita æterna* : et totum est *per Jesum Christum Dominum nostrum*, qui est dator gratiæ, secundum illud Joan. i, 17 : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est* : et etiam justitiæ : I Corinth. i, 30 : *Qui factus est nobis justitia a Deo* : et dator vitæ æternæ : Joan. x, 28 : *Ego vitam æternam do eis.*

CAPUT SEXTUM

LECTIO I.

Quid ergo dicemus? Manebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit. Si enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivimus in illo? An ignoratis, fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, et resurrectionis erimus.

Postquam Apostolus ostendit quod per gratiam Christi liberamur a peccato præterito, tam introducto per primum hominem, quam etiam abundante per legem; hic ostendit quod per gratiam Christi datur nobis facultas ad resistendum peccatis futuris : et circa hoc duo facit. Primo ponit quæstionem ex præmissis ortam; secundo solvit eam, ibi, *Absit*, etc. Dixerat autem supra v, 20, quod *ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia* : quod quidem aliquis posset male intelligere, quasi abundantia delicti esset causa superabundantiæ gratiarum; et ideo inducit quæstionem, dicens : *Quid ergo dicemus? Numquid permanebimus in peccato, ut gratia abundet?* Quod quidem oporteret dicere, si abundantia delicti esset causa gratiæ abundantis, et non sola occasio, ut supra dictum est. Unde et supra III, 8, Apostolus dicit : *Sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere : Faciamus mala, ut eveniant bona.* Hier. XII, 1 : *Bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt.*

Deinde cum dicit, *Absit*, etc., solvit inductam quæstionem : et primo assignat rationem quare non est nobis permanendum sub peccato; secundo concludit exhortationem intentam, ibi, *Non ergo regnet peccatum.* Circa primo duo facit. Primo assignat rationem quare non sit in peccato permanendum : secundo ostendit nobis inesse facultatem ad hoc quod non sub peccato maneamus, ibi, *Hoc scientes*, etc. Circa primum ponit talem rationem. Si sumus mortui peccato, non debemus vivere in illo; sed mortui sumus peccato : ergo non debemus vivere in peccato. Circa hoc ergo quatuor facit. Primo ponit conditionalem; secundo probat antecedens, ibi, *An ignoratis*, etc.; tertio concludit consequens, ibi, *Ut quomodo Christus surrexit*, etc. quarto probat necessitatem consequentiæ, ibi, *Si enim complantati facti sumus similitudini morti ejus, et resurrectionis erimus.* Dicit ergo primo : *Absit*, scilicet quod hac intentione permanendum sit in peccato, *ut gratia abundet* : quia, ut dicitur Eccli. XV, 21, *nemini mandavit Deus impie agere.* Et hujus ratio est. *Si enim mortui sumus peccato*, per hoc scilicet quod peccatum est mortificatum in nobis, *quomodo adhuc in illo vivemus?* Non enim naturalis ordo rerum habet ut a morte redeatur ad vitam. Isai. XXVI, 14 : *Morientes non vivant, gigantes non resurgant.* Cant. V, 3 : *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Deinde cum dicit, *An ignoratis?* probat antecedens, scilicet quod fideles sunt mortui peccato : et primo proponit medium ad propositum ostendendum; secundo manifestat medium inductum, ibi, *Consepulti enim sumus*, etc. Dicit ergo primo : *An ignoratis?* quasi dicat : Quod vobis proponendum est, est adeo manifestum, quod illud vobis ignorare non licet : I Corinth. XIV, 38 : *Si quis ignorat, ignorabitur :* quia *quicumque baptizati sumus in Christo Jesu* : quod intelligitur tripliciter. Uno modo secundum institutionem Jesu Christi, Matth. ult. XIX, *Docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Secundo per invocationem Jesu Christi, baptizabantur viri ac mulieres. Tertio *in Christo Jesu*, id est in quadam conformitate ad Christum Jesum. Galat. III, 27 : *Quicumque in Christo Jesu baptizati estis, Christum induistis. In mortem ipsius baptizati sumus*, idest in similitudinem mor-

tis ejus, quasi ipsam mortem Christi in nobis repræsentantes. II Corinth. IV, 10 : *Semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes.* Galat. ult. 17 : *Stigmata Jesu in corpore meo porto.* Vel *in morte ipsius*, idest per virtutem mortis ejus. Apoc. I, 5 : *Lavit nos a peccatis nostris.* Unde de latere Christi pendentis in cruce, post mortem fluxit sanguis et aqua, ut dicitur Joan. XIX. Sicut igitur ejus morti configuramur, inquantum peccato morimur; sic ipse mortuus est vitæ mortali, in qua erat similitudo peccati, licet non esset ibi peccatum. Ergo omnes qui baptizati sumus, mortui sumus peccato. Deinde cum dicit, *Consepulti enim sumus*, etc.,probat propositum medium, scilicet quod omnes baptizemur in conformitate ad mortem Christi, dicens : *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem*, quasi dicat : Sepultura non nisi mortuis debetur. Matth. VIII, 22 : *Sinite mortuos sepelire mortuos suos.* Per baptismum autem homines sepeliuntur Christo; idest conformantur sepulturæ ipsius. Sicut enim ille qui sepelitur, ponitur sub terra; ita ille qui baptizatur, immergitur sub aqua : unde et in baptismo fit trina immersio, non solum propter fidem Trinitatis, sed etiam ad repræsentandum triduum sepulturæ Christi. Et sicut triduum sepulturæ non facit nisi unam sepulturam, ita trina immersio non facit nisi unum baptisma. Et inde etiam est quod in sabbato sancto solemnis baptismus in Ecclesia celebratur, quando commemoratur sepultura Christi; sicut et in vigilia Pentecostes, quando solemnizatur de Spiritu sancto, ex cujus virtute aqua baptismi accipit vim purgandi, ut dicitur Joan. III, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Est tamen considerandum, quod corporaliter aliquis prius moritur, et postea sepelitur; sed spiritualiter sepultura baptismi causat mortem peccati; quia sacramentum novæ legis efficit quod signat. Unde cum sepultura, quæ fit per baptismum, sit signum mortis peccati, mortem efficit in baptizato : et hoc est quod dicit, quod *sumus sepulti in mortem*, ut per hoc ipsum quod signum sepulturæ Christi in nobis accipimus, consequamur mortem peccati.

Deinde cum dicit, *Ut quomodo Christus surrexit*, etc., infert consequens, scilicet quod non debeamus vivere in peccato. Ad hoc quidem inducit similitudinem ex resurrectione Christi, dicens : *Ut quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris*, idest per virtutem Patris, ex qua ipse Pater glorificatur, secundum illud Psal. LVI, 9 : *Exurge gloria mea; ita et nos in novitate vitæ ambulemus;* idest, per bona opera vitæ procedamus; vita enim peccati vetustatem habet, quia in corruptionem nos ducit. Hebr. VIII, 13 : *Quod antiquatur et senescit, prope interitum est.* Unde et dicitur Baruch III, 10 : *Quid est quod in terra inimicorum es? Inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis.* Unde et novitas vitæ dicitur per quam aliquis redit ad integritatem, ut scilicet sit sine peccato. Psal. CII, 5 : *Renovabitur ut aquilæ juventus tua.* Ephes. IV, 23 : *Renovamini spiritu mentis vestræ.* Deinde cum dicit, *Si enim*, probat necessitatem consequentiæ,Christus enim postquam fuit mortuus, resurrexit : unde conveniens est ut illi qui conformantur Christo quantum ad mortem in baptismo, conformentur etiam resurrectioni ejus per innocentiam vitæ; et hoc est quod dicit : *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus*; idest, si in nobis assumamus similitudinem mortis ejus, ut ei incorporemur, sicut ramus qui inseritur plantæ, ut quasi nos in ipsa passione Christi inseramur, *simul et resurrectionis erimus*, scilicet similitudini ejus complantati, ut scilicet in præsenti innocenter vivamus, et in futuro ad similem gloriam perveniamus. Phil. III, 21 : *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* II Tim. II, 11 : *Si commortui sumus, et convivemus.* Sic igitur sicut Apostolus per similitudinem mortis Christi probavit quod sumus mortui peccato, quod præmiserat quasi antecedens; sic per similitudinem resurrectionis ejus probavit quod non debemus vivere in peccato, quod quasi consequens superius introduxit.

LECTIO II.

Hoc scientes, quod vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum illo, scientes quod Christus resurgens ex mortuis jam non mori-

ritur, mors illi ultra non dominabitur : quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel ; quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu.

Postquam Apostolus ostendit quod non est nobis in peccato permanendum, ex eo quod per baptismum mortui sumus peccato ; hic ulterius ostendit adesse nobis facultatem ad hoc observandum : et circa hoc duo facit. Primo proponit quod intendit ; secundo manifestat propositum, ibi, *Qui enim mortuus est*, etc. Circa primum duo facit. Primo proponit beneficium quod consecuti sumus ; secundo hujus beneficii effectum, ibi, *Ut destruatur corpus peccati*. Dicit ergo primo : Dictum est, quod debemus in novitate ambulare, scilicet desistendo a peccato. Et ne hoc aliquis forte impossibile diceret, dicit quod sumus *hoc scientes*, *quia vetus homo noster*, idest vetustas hominis per peccatum inducta, *simul*, scilicet cum Christo, *crucifixus est* ; id est, per crucem Christi est mortificatus : sicut enim supra dictum est, vetustas hominis per peccatum inducta est, inquantum per peccatum, bonum naturæ corrumpitur : quæ quidem vetustas in homine principatur, quamdiu homo peccato subjacet. Et quia id quod est principale in homine, dicitur esse ipse homo, inde est quod in eo qui peccato subjicitur, ipsa vetustas peccati dicitur esse vetus homo. Vetustas autem peccati potest intelligi vel ipse reatus seu macula actualium peccatorum, vel etiam consuetudo peccandi, quæ quamdam necessitatem ingerit ad peccandum ; vel etiam ipse fomes peccati proveniens ex peccato primi parentis. Sic igitur vetus homo noster dicitur esse simul crucifixus cum Christo ; inquantum prædicta vetustas virtute Christi sublata est ; vel quia totaliter est amota, sicut totaliter amovetur in baptismo reatus et macula peccati : vel quia diminuitur virtus ejus, sicut virtus fomitis vel etiam consuetudinis peccandi. Coloss. II, 14 : *Delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis : et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci*. Deinde cum dicit, *Ut destruatur corpus peccati*, ponit effectum prædicti beneficii duplicem : quorum primus est remotio præcedentium delictorum : et hoc est quod dicit : *Ut destruatur corpus peccati* : dicitur enim corpus peccati, ipsa congeries malorum operum ; sicut ipsa congeries membrorum facit unum corpus naturale. Job XLI, 6 : *Corpus ejus quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus*. Secundus autem effectus est ut caveamus a peccatis in futurum ; et hoc est quod subdit dicens : *Ut ultra non serviamus peccato* : tunc enim homo peccato servit quando concupiscentiæ peccati obedit per consensum, et corporis executionem. Joan. VIII, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati*.

Deinde cum dicit, *Qui enim mortuus est* etc., manifestat quod dixerat : et primo quantum ad primum effectum ; secundo quantum ad secundum, ibi, *Si autem mortui sumus cum Christo*. Circa primum considerandum est, quod congeries peccatorum destruitur quando peccata homini remittuntur. Sic igitur destructionem corporis peccati manifestat dicens : *Qui enim mortuus est*, peccato [1] scilicet per baptismum, quo Christo commorimur, *justificatus est a peccato* ; id est, remissis peccatis translatus est in statum justitiæ. I Cor. VI, 11 : *Et hæc quidem fuistis aliquando* ; *sed abluti estis*, *sed sanctificati estis*, *sed justificati estis*. Quia igitur per crucem Christi homo peccato moritur, consequens est quod a peccato justificetur ; et ita, quod corpus peccati destruatur. Deinde cum dicit, *Si autem mortui sumus* etc., manifestat secundum effectum per conformitatem ad vitam Christi, tali ratione. Ille qui Christo morienti commoritur, simul convivit et resurgenti ; Christus autem sic resurrexit a mortuis tamquam nunquam de cetero moriturus ; ergo ille qui mortificatus est peccato, sic Christo resurgenti convivit quod habet facultatem nunquam de cetero ad peccatum redeundi. Circa hoc ergo tria facit. Primo ostendit conformitatem hominis fidelis ad vitam Christi resurgentis ; secundo ponit conditionem vitæ resurgentis, ibi, *Scientes | quod Christus* etc ; tertio infert conclusionem intentam, ibi, *Ita et vos* etc. Dicit ergo primo : *Si enim mortui sumus cum Christo*, id est si virtute mortis Christi sumus mortui peccato, *credimus*, *quia etiam simul vivemus cum illo*, id est ad similitudinem vitæ ejus. Vivemus, inquam, hic vita gratiæ, et in futuro vita gloriæ. Ephes. II, 5 : *Cum essemus mortui peccatis, convivifica-*

[1] Al. omittitur : « peccato. »

vit nos in Christo. Deinde cum dicit, *Scientes*, ponit conditionem vitæ Christi resurgentis : et primo ponit eam ; secundo probat, ibi, *Quod enim mortuus est* etc. Dicit ergo primo. Hoc, inquam, quod dictum est credimus, *scientes quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur*, sed vivit vita perpetua. Apoc. I, 18 : *Fui mortuus, et sum vivens in sæcula sæculorum ;* et quod plus est, *mors illi ultra non dominabitur*, quæ scilicet in homine dominatur, non solum dum moritur per separationem animæ a corpore, sed etiam ante mortem, dum patitur ægritudinem,famem,et sitim et alia hujusmodi, per quæ pervenitur ad mortem ; sed ab his libera est vita Christi resurgentis ; et ideo non subjicitur dominio mortis, sed potius ipse habet dominium super mortem. Apoc. I, 18 : *Habet clavem mortis et inferni.* Deinde cum dicit, *Quod enim mortuus est* etc., probat propositum, scilicet quod Christus resurgens ulterius non moriatur : et hoc dupliciter. Primo quidem ratione accepta ex parte mortis quam sustinuit, dicens : *Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel.* Non autem intelligitur quod ipse mortuus est peccato quod ipse commisit vel contraxit : quia in eo nullo modo peccatum locum habuit : I Petr. II, 22 : *Qui peccatum non fecit.* Sed dicitur mortuus esse peccato dupliciter : uno modo quia mortuus est pro peccato tollendo : II Corinth. V, 21 : *Eum qui non novit peccatum pro nobis Deus fecit peccatum*, id est hostiam pro peccato : alio modo, quia mortuus est similitudini carnis peccati, id est vitæ passibili et mortali : infra VIII, 3 : *Deus misit Filium suum in similitudinem carnis peccati.* Utroque autem modo concludi potest quod Christus mortuus sit semel, ex hoc quod mortuus est peccato. Quantum enim ad primum, manifestum est quod per unam mortem omnia peccata delevit, secundum illud Hebr. X, 14 : *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Ideo non restat ut adhuc pro peccato moriatur [1]. I Pet. III, 18 : *Christus semel pro peccatis mortuus est.* Quantum ad secundum autem, idem potest concludi. Si enim Christus mortem sustinuit ut deficeret in eo similitudo carnis peccati, debuit ejus mors conformari aliis gerentibus carnem peccati, qui semel moriuntur : unde dicitur Hebr. IX, 27 : *Quemadmodum statutum est hominibus semel mori... sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Secundo ostendit idem ex conditione vitæ quam resurgendo adeptus est, dicens, *Quod autem vivit, vivit Deo*, id est ad conformitatem Dei. Dicitur enim II Cor. ult. 4 : *Quod si crucifixus est ex infirmitate, vivit virtute Dei.* Effectus autem conformatur causæ : unde et vita quam Christus resurgens acquisivit, est deiformis : sicut ergo vita Dei est sempiterna et absque corruptione, secundum illud I Tim. ult. 16 : *Qui solus habet immortalitatem* ; ita et vita Christi est immortalis. Deinde cum dicit, *Ita et vos* etc., infert conclusionem intentam, ut conformemur vitæ Christi resurgentis : et quantum ad hoc quod mortuus est peccato, id est mortali vitæ, quæ habet similitudinem peccati, nunquam ad eam rediturus : et quantum ad hoc quod vivit ad conformitatem Dei : et quantum ad primum dicit : *Ita et vos existimate vos quidem mortuos esse peccato*, scilicet tamquam ad peccatum numquam sitis redituri : Isa. XXVI, 14 : *Morientes non vivant* : quantum ad secundum dicit, *Viventes Deo*, id est ad honorem vel similitudinem Dei, ut scilicet nunquam per peccatum moriamur. Gal. II, 20 : *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Deo.* Et ideo subdit : *In Christo Jesu Domino nostro*, idest per Jesum Christum, per quem et peccatis morimur, et Deo vivimus. Vel *in Christo Jesu*, id est tamquam incorporati Christo Jesu, ut per ejus mortem moriamur peccato, et per ejus resurrectionem vivamus Deo. Ephes, II, 5 : *Convivificavit nos in Christo cujus gratia salvati estis.*

LECTIO III.

Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato ; sed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes, et membra vestra, arma justitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur : non enim sub lege estis, sed sub gratia. Quid ergo : Peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia ? Absit. An nescitis quoniam cum exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obedistis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam ? Gratias autem Deo quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in

[1] Al. : « moreretur. »

eam formam doctrinæ in quam traditi estis [1]. Liberati autem a peccato, servi facti estis justitiæ.

Postquam Apostolus ostendit quod non est nobis permanendum in peccato, et quod hujus rei facultatem habemus, hic concludit moralem exhortationem : et circa hoc tria facit. Primo proponit admonitionem ; secundo rationem assignat, ibi, *Peccatum enim* etc. ; tertio movet quæstionem et solvit, ibi, *Quid ergo? Peccabimus* etc. Circa primum duo facit. Primo proponit admonitionem, secundo exponit eam, ibi, *Ut obediatis* etc. Dicit ergo primo : Dictum est, quod *vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati* : per quod datur intelligi quod virtus peccati intantum diminuta est ut nobis dominari non possit : ergo peccatum de cetero *non regnet in vestro mortali corpore*. Non autem dicit, non sit peccatum in vestro mortali corpore : quia quamdiu corpus nostrum est mortale, idest necessitati mortis addictum, non potest esse quin in corpore nostro sit peccatum, idest fomes peccati. Sed ex quo a Deo liberati sumus a regno peccati, debemus conari quod peccatum in corpore nostro dominium jam amissum in nobis non recuperet : et hoc est quod dicit : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*. Et hoc quidem necessarium est cavere, dum corpus mortale gerimus: quia dicitur Sap. IX, 15 : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam*. Deinde cum dicit, *Ut obediatis* etc., exponit admonitionem præmissam. Circa quod considerandum est, quod dupliciter peccatum regnat in homine. Uno modo, per interiorem consensum mentis : et hoc removendo, dicit : *Ut obediatis concupiscentiis ejus ;* obedire enim per consensum mentis concupiscentiis peccati, est peccatum regnare in nobis. Eccli. XVIII, 30 : *Post concupiscentias tuas non eas*. Secundo modo regnat in nobis peccatum per operis executionem ; et ad hoc excludendum, subdit : *Sed neque exhibeatis membra vestra peccato,* id est fomiti peccati, *arma iniquitatis*, idest instrumenta ad iniquitatem exequendam : homo enim cum per membra sua peccatum exequitur, ad iniquitatem exequitur ; et hoc ipso pugnare [2] videtur ad restituendum dominium peccati, quod per consuetudinem peccati in nobis convalescit. Ezech. XXXIII, 27 : *Cum armis suis ad inferos descenderunt*. « Deinde cum dicit, » *Sed exhibete vos Deo* etc., exhortatur ad contrarium, ut scilicet exhibeamus nos Deo. Et primo quantum ad interiorem affectum, cum dicit, *Sed exhibeatis vos Deo*, ut scilicet mens vestra ei subdatur. Deut. X, 12 : *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus requirit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus ?* Et hoc facere debetis *tamquam ex mortuis viventes*, idest tamquam reducti ad vitam gratiæ de morte culpæ. Nam et ideo justum est *ut qui vivit jam non sibi vivat, sed ei qui pro omnibus mortuus est :* II Cor. VI, 15. Secundo quantum ad exteriorem actum : unde dicit : *Exhibete membra vestra Deo*, idest ad ejus obsequium, *arma justitiæ*, idest instrumenta quædam ad justitiam exequendam, quibus scilicet pugnetis contra inimicos Dei. Ephes. ult. 2 : *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli*.

Deinde cum dicit, *Peccatum enim* etc., assignat rationem admonitionis prædictæ. Posset enim aliquis seipsum excusare, allegans peccati dominium, per quod assereret se ab observatione admonitionis prædictæ impediri. Hoc ergo Apostolus primo excludit, dicens : *Peccatum enim non dominabitur*, scilicet si cœperitis peccato resistere, et vos Deo exhibere, secundum illud Jac. IV, 8 : *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis : resistite diabolo, et fugiet a vobis*. Quasi dicat : Ideo potestis prædicta observare, quia non invenitis peccatum in vos dominari, per quod retrahi possitis : sumus enim liberati a Christo, secundum illud Joan. VIII, 36 : *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis*. Secundo manifestat quod dixerat, dicens : *Non enim estis sub lege, sed sub gratia*. Ubi considerandum est, quod non loquitur hic de lege solum quantum ad cæremonialia, sed etiam quantum ad moralia : sub qua quidem aliquis dicitur esse dupliciter. Uno modo quasi legis observantiæ voluntarie subjectus ; et hoc modo etiam Christus fuit sub lege, secundum illud Gal. IV, 4 : *Factum sub lege* : quia scilicet legem observavit non solum quantum ad moralia, sed etiam quantum ad cæremonialia. Fideles autem Christi sunt quidem hoc modo sub lege quantum ad moralia, non autem quan-

[1] Deest in exemplis quæ vidimus, sententia quæ sequitur : « Liberati autem a peccato, servi facti estis justitiæ, » exponitur vero a Divo Thoma in fine Lectionis. — [2] Al. : « impugnare. »

tum ad cæremonialia. Alio modo dicitur aliquis esse sub lege, quasi a lege coactus : et sic dicitur esse sub lege qui non voluntarie ex amore, sed timore cogitur legem observare. Talis autem caret gratia, quæ si adesset, inclinaret voluntatem ad observantiam legis, ut ex amore moralia ejus præcepta impleret. Sic igitur quamdiu aliquis sic est sub lege ut non impleat voluntarie legem ; peccatum in eo dominatur, ex quo voluntas hominis inclinatur ut velit id quod est contrarium legi. Sed per gratiam tale dominium tollitur, ut scilicet homo servet legem, non quasi sub lege existens, sed sicut liber. Galat. IV, 31 : *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ : qua libertate Christus nos liberavit.* Hanc autem gratiam facientem homines libere legem implere, non conferabant legalia sacramenta, sed conferunt eam sacramenta Christi. Et ideo illi qui se cæremoniis legis subjiciebant, quantum pertinet ad virtutem ipsorum sacramentorum legalium, non erant sub gratia, sed sub lege; nisi forte per fidem Christi gratiam adipiscerentur. Illi vero qui se sacramentis Christi subjiciunt, ex eorum virtute gratiam consequuntur, ut non sint sub lege, sed sub gratia; nisi forte per suam culpam se subjiciunt servituti peccati.

Deinde cum dicit, *Quid ergo?* movet quæstionem contra id quod dictum est : et circa hoc tria facit. Primo proponit quæstionem; secundo solvit eam, ducendo ad inconveniens, ibi, *Absit. An nescitis* etc.; tertio ostendit esse inconveniens id ad quod duxerat, ibi, *Gratias ago Deo* etc. Circa primum considerandum est quod verbum præmissum poterat male intelligi ab aliquibus, ut scilicet fideles Christi non sint sub lege quantum ad debitum observandi præcepta moralia, ex quo sequeretur quod fidelibus Christi licitum esset peccare, scilicet contra præcepta moralia faciendo : et ideo sub hoc sensu quæstionem movet, dicens : *Quid ergo* dicemus? Numquid *peccabimus*, scilicet contra præcepta moralia legis faciendo, quoniam dictum est quod *non sumus sub lege, sed sub gratia*? Et hunc sensum Apostolus improbat ad Gal. V, 13, dicens : *Vos in libertatem vocati estis, fratres mei : tantum ne libertatem in occasionem detis carnis.* Et ideo hic etiam respondens, subdit, *absit*, scilicet ut peccemus, quia sumus a lege liberati : quia si peccaremus, sequeretur hoc inconveniens, quod iterum redigeremur in servitutem peccati; et hoc est quod dicit : *An nescitis quoniam cui vos exhibetis* propria voluntate *servos ad obediendum*, spontanee *servi estis ejus cui obedistis*? Obedire enim debitum est, quod servi dominis debent. Ephes. VI, 5 : *Servi, obedite dominis carnalibus.* Unde cum aliquis obedit alicui, se servum profitetur ejus, obediendo. Diverso tamen stipendio diversis dominis obeditur. Qui enim obedit peccato, per servitutem peccati ducitur in mortem; et hoc est quod dicit, *Sive peccati*, scilicet servi estis, ei obediendo; et hoc *in mortem* [1], idest æternam damnationem, præcipitandi : de quo dicitur Apoc. XX, 6 : *In his mors secunda non habet locum.* Qui vero obedit Deo, efficitur hujus obedientiæ servus : quia per assuetudinem obediendi, mens ejus magis ac magis ad obediendum inclinatur, et ex hoc justitiam perficit : et hoc est quod dicit : *Sive obeditionis*, scilicet divinorum præceptorum, servi estis *ad justitiam* implendam, secundum illud supra II, 13 : *Factores legis justificabuntur.* Et satis convenienter obeditionem peccato opponit, eo quod, sicut Ambrosius dicit, peccatum est transgressio legis divinæ, et cœlestium inobedientia mandatorum. Deinde cum dicit, *Gratias autem Deo*, ostendit hoc esse inconveniens, scilicet quod obediendo peccato, iterum reducamur in servitutem peccati. Primo quidem ratione accepta ex beneficio quod consecuti sumus. Si enim aliquis per gratiam alicujus, a servitute liberatur, inconveniens est quod se spontaneum subjiciat servituti : unde cum nos per gratiam Dei simus liberati a peccato, inconveniens est quod iterum nos sponte retrudamus in servitutem peccati. Secundo ex conditione in quam ducti sumus post libertatem peccati, ut scilicet simus servi justitiæ. Non licet autem servo alicujus, se contrarii domini servituti subjicere : unde nobis non licet, ex quo sumus facti servi justitiæ, iterum redire ad servitutem peccati. Utramque rationem Apostolus simul tangit, dicens : *Gratias ago Deo* : sic et vos gratias agere debetis, quod *cum essetis servi peccati* quia *qui facit peccatum, servus est peccati* : Joan. VIII, 34 *obedistis*,

[1] Al. : « et hoc est in mortem. »

scilicet credendo : supra I, 5 : *Ad obediendum fidei in omnibus Gentibus* : et hoc non coacti, sed *ex corde* : infra x, 10 : *Corde creditur ad justitiam* : *in eam formam doctrinæ*, idest in doctrinam catholicæ fidei : II Tim. I, 13 : *Formam habe sanorum verborum quæ a me audisti* : *in quam traditi estis*; idest cui vos totaliter subdidistis. II Cor. VIII, 5 : *Semetipsos dederunt primum Deo, deinde nobis per voluntatem Dei.* Et per hoc *liberati* estis *a peccato*, et ita non convenit quod in servitutem peccati redeatis : et *servi facti estis justitiæ*; et ita non convenit quod justitiam deseratis. I Corinth. VII, 23 : *Pretio empti estis, et non estis vestri.*

LECTIO IV.

Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Quem ergo fructum habuisti tunc in illis in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Stipendia enim peccati mors ; gratia autem Dei, vita æterna in Christo Jesu Domino nostro.

Postquam Apostolus ostendit ratione accepta ex beneficio divino, quod non est nobis in peccato permanendum, sed Deo serviendum ; hic ostendit idem ratione accepta ex prioris vitæ consuetudine : et circa hoc tria facit. Primo proponit suppositi documenti conditionem quod subdit ; secundo ponit documenti expressionem, ibi, *Sicut enim exhibuistis* etc. ; tertio decumenti rationem assignat, ibi, *Cum enim servi essetis peccati* etc. Dicit ergo [1] primo : Monui quod exhibeatis vos Deo : adhuc dico vobis quoddam humanum, idest congruens imbecillitati humanæ. Sic enim quandoque homo accipitur in Scriptura, prout scilicet significat conditionem infirmitatis humanæ. Sap. IX, 5 : *Homo infirmus et exigui temporis, et minor ad intellectum judicii et legum.* I Corinth. III, 3 : *Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?* Causam autem assignat, subdens, *Propter infirmitatem.* Perfectis enim sunt perfectiora præcepta tradenda : I Corinth. II, 6 : *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Hebr. V, 14 : *Perfectorum est solidus cibus* : infirmioribus sunt danda leviora præcepta. I Corinth. III, 1 : *Tamquam parvuli in Christo, lac potum dedi vobis, non escam.* Hebr. V, 12 : *Facti estis quibus lac opus est.* Hæc autem infirmitas non ex spiritu, sed ex carne venit : quia *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*, ut dicitur Sapient. IX, 15 : et ideo subditur, *Carnis vestræ.* Matth, XXVI, 41 : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

Deinde cum dicit, *Sicut enim exhibuistis* etc., ponit documentum, quod dicit esse humanum, in quo docet corpus esse æqualiter exhibendum ad serviendum justitiæ, secundum quod nos exhibuimus ipsum ad serviendum peccato : et hoc est quod dicit : *Sicut enim exhibuistis membra vestra servire*, scilicet per executionem mali operis, *immunditiæ et iniquitati* corde conceptæ : ut immunditia referatur ad peccata carnalia : Ephes. V, 3 : *Omnis fornicatio aut immunditia, nec nominetur in vobis* : iniquitas autem referatur ad peccata spiritualia, et præcipue quibus læditur proximus. Psal. XXXV, 5 : *Iniquitatem meditatus est in cubili.* Quibus in corde conceptis, membra serviunt *ad iniquitatem*, scilicet opere exequendam. Et ponit iniquitatem hic pro immunditia et iniquitate, secundum quod omne peccatum est iniquitas, infra XIII, et hoc inquantum discordat ab æquitate legis divinæ. *Ita nunc*, scilicet liberati a peccato, *exhibete membra vestra*, scilicet per executionem bonorum operum, *servire justitiæ*, in lege divina nobis propositæ; et hoc *in sanctificationem*, idest in executionem, et augmentum sanctitatis. Apoc. ult. XI : *Sanctus sanctificetur adhuc.* Dicit autem hoc esse humanum : quia secundum rectum judicium exigeretur ut homo multo plus serviret justitiæ quam ante servierit peccato. Baruch. IV, 28 : *Sicut fuit sensus vester ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum.*

Hujus documenti rationem consequenter assignat, dicens : *Cum enim servi essetis peccati* etc. : et circa hoc duo facit. Primo proponit rationem prædictorum ; secundo probat quod supposuerat, ibi,

[1] Al. deest : « ergo. »

Stipendia peccati mors. Ostendit autem rationem præmissorum, præferendo statum gratiæ statui culpæ. Si enim plura nobis bona ex justitia proveniunt quam ex culpa, magis debemus insistere ad serviendum justitiæ quam studuerimus ad serviendum peccato. Primo ergo ponit conditionem status peccati ; secundo conditionem status justitiæ, ibi, *Nunc vero liberati* etc. Circa primum tria facit. Primo ponit conditionem peccati ; secundo effectum peccati, ibi, *Quem ergo fructum habuistis*? tertio finem, ibi, *Nam finis illorum mors est.*

Circa primum considerandum est, quod homo naturaliter est liberi arbitrii propter rationem et voluntatem, quæ cogi non potest, inclinari tamen ab aliquibus potest. Semper ergo homo, quantum ad arbitrium rationis, remanet liber a coactione, non tamen semper [1] est liber ab inclinatione. Quandoque enim liberum arbitrium inclinatur ad bonum per habitum gsatiæ vel justitiæ ; et tunc habet servitutem justitiæ, et est liber a peccato. Quandoque autem arbitrium inclinatur ad malum per habitum peccati ; et tunc habet servitutem peccati et libertatem justitiæ. Servitutem quidem peccati dico [2], qua trahitur ad consentiendum peccato contra judicium rationis. Joan. VIII, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati* : et quantum ad hoc dicit : *Cum enim servi essetis peccati.* Libertatem vero a justitia, quantum ad hoc quod homo absque freno justitiæ præcipitat se in peccatum : et quantum ad hoc dicit : *Liberi fuistis justitiæ* : quod præcipue contingit his qui ex certo proposito peccant : nam illi qui ex infirmitate vel ex passione peccant, aliquo freno justitiæ retinentur, ut non videantur a justitia omnino liberi. Hierem. II, 20 : *A sæculo fregisti jugum, rupisti vincula, dixisti, Non serviam.* Job XI, 12 : *Vir vanus in superbiam erigitur, et tamquam pullum onagri, liberum se putat.* Sciendum est tamen, quod iste status habet veram servitutem, libertatem autem non veram, sed apparentem. Cum enim homo sit id quod est secundum rationem, tunc homo vere est servus quando ab aliquo extraneo [3] abducitur ab eo quod est rationis. Sed quod aliquis freno rationis non cohibeatur a sequenda concupiscentia, est libertas quantum ad opinionem illius qui summum bonum putat concupita sequi.

Deinde cum dicit, *Quem ergo fructum habuistis?* ostendit effectum peccati. Et unum quidem effectuum excludit, scilicet effectum fructuosum, cum dicit : *Quem ergo fructum habuistis*, scilicet cum peccabatis, *in illis*, scilicet peccatis? Sunt enim infructuosa peccati opera, qui non adjuvant hominem ad beatitudinem consequendam. Isa. LIX, 6 : *Opera eorum, opera inutilia.* Mich. II, 1 : *Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris.* Astruit autem effectum confusibilem, dicens : *In quibus*, scilicet peccatis, id est de quibus, *nunc*, scilicet in statu pœnitentiæ, *erubescitis*, propter eorum turpitudinem. Hier. XXXI, 19 : *Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum confusione et erubui.* Isa. I, 29 : *Erusbescetis super hortis*, scilicet voluptatis, *quos elegeratis.* Deinde cum dicit, *Nam finis* etc., ponit finem peccati, dicens : *Nam finis illorum*, scilicet peccatorum, *mors est* : quæ quidem etsi non sit finis operantis peccatum, quia peccando non intendit mortem incurrere, est tamen finis ipsorum peccatorum, quia de se nata sunt [4] mortem inducere : et temporalem, quia cum anima a se Deum separat dignum est ut ab ea corpus suum separetur ; et æternam, quia cum aliquis ad tempus [5] vult separari a Deo propter concupiscentiam peccati, dignum est ut ab eo æternaliter separetur, quod est mors æterna. Supra I, ult. : *Qui talia agunt, digni sunt morte.* Deinde cum dicit, *Nunc vero liberati* etc., ostendit qualitatem status justitiæ : et primo ponit conditionem status justitiæ ; secundo effectum, ibi, *Habetis fructum vestrum* etc. ; tertio ponit finem, ibi, *Finem vero vitam æternam.* Circa primum considerandum est, quod sicut quamdiu [6] aliquis a peccato inclinatur ad malum, est liber a justitia ; ita cum aliquis ex habitu justitiæ et gratiæ inclinatur ad bonum, est liber a peccato, ut scilicet ab eo non superetur usque ad consensum : unde dicit : *Nunc vero*, scilicet in statu justitiæ, *liberati a peccato.* Joan. VIII, 36 : *Si Filius vos liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Similiter e contra sicut in statu peccati est aliquis servus peccati, cui obedit : ita in

[1] Al. omittitur : « semper. » — [2] Al. deest : « dico. » — [3] Al. : « extremo. » — [4] Al. : « quia nata sunt. » — [5] Al. desideratur : « ad tempus. » — [6] Al. : « quando. »

statu justitiæ est aliquis servus Dei, voluntarie obediens, secundum illud Psal. xcix, 1 : *Servite Domino in lætitia.* Et hoc est quod subdit : *Servi autem facti Deo.* Psalm. cxv, 16 : *O Domine, quia ego servus tuus.* Hæc autem vera est libertas et optima servitus : quia per justitiam homo inclinatur ad id quod convenit ipsi, quod est proprium hominis, et avertitur ab eo quod convenit concupiscentiæ, quod est maxime bestiale. Deinde cum dicit, *Habetis fructum*, ponit effectum justitiæ, dicens : *Habetis fructum vestrum in sanctificationem*; idest, ipsa sanctificatio, hoc est executio sanctitatis per bona opera, est fructus vester, inquantum scilicet hoc spiritualiter et sancte vos delectat. Eccl. xxiv, 23 : *Flores mei fructus honoris et honestatis.* Galat. v, 22 : *Fructus spiritus est gaudium, pax*, etc. Consequenter ponit finem, dicens : *Finem vero*, habetis, *vitam æternam* : quæ quidem est finis et ipsorum justorum, qui propter viam æternam habendam omnia operantur : Matth. vi, 33 : *Primum quærite regnum Dei; et hæc omnia adjicientur vobis* : et etiam ipsorum operum; quæ cum ex obedientia Dei fiant, et ad Dei imitationem, vitam æternam merentur : Joan. x, 27 : *Oves meæ vocem meam audiunt, et sequuntur me, et vitam æternam do eis.*

Deinde cum dicit, *Stipendia enim peccati mors*, manifestat quod dixerat de finibus malorum et bonorum : et primo quantum ad mala dicit. Dictum est, quod finis peccatorum est mors : *stipendia enim peccati mors.* Dicuntur autem stipendia, mercedes militum, a stipe pendenda, idest ponderanda ; quia pecunia distribuenda militibus ponderabatur. Quia ergo peccatores peccato militant membra sua exhibentes arma peccato, ut supra dictum est ; mors dicitur esse stipendium peccati, idest retributio quam retribuit sibi servientibus. Et ex hoc manifestum est quod mors sit finis peccatorum, non quem peccantes quærunt, sed qui eis retribuitur. Psal. x : *Ignis sulphur, spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Quantum vero ad bona dicit : *Gratia Dei vita æterna.* Quia enim dixerat justos homines habere vitam æternam, quam certum est non posse haberi nisi per gratiam ; ideo hoc ipsum quod bona operamur, et quod opus nostrum est dignum vita æterna, est a gratia Dei : unde et in Psal. lxxxiii, 12, dicitur : *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Sic igitur opera nostra, si considerentur in sui natura, et secundum quod procedunt ex libero arbitrio hominis, non merentur ex condigno vitam æternam, sed solum secundum quod procedunt ex gratia Spiritus sancti. Unde dicitur Joan. iv, 14 : quod *fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et hoc fit *in Christo Jesu Domino nostro*, idest per Christum; vel inquantum in ipso sumus per fidem et caritatem. Joan. vi, 40 : *Omnis qui videt Filium, et credit in eum, habet vitam æternam.*

CAPUT SEPTIMUM

LECTIO I.

An ignoratis, fratres (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit? Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro : si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, ut fructificetis Deo. Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ.

Postquam Apostolus ostendit quod per gratiam Christi liberamur a peccato, hic ostendit quod per eamdem gratiam Christi liberamus a servitute legis : et circa hoc duo facit : primo ponit propositum ; secundo excludit objectionem, ibi, *Quid ergo dicemus*? Circa primum duo facit. Primo ostendit quod per gratiam Christi liberamur a servitute legis ; secundo ostendit utilitatem hujus liberationis, ibi, *Ut fructificemus Deo*. Circa primum tria facit. Primo proponit documentum, ex quo arguitur ad propositum ostendendum ; secundo manifestat ipsum, ibi, *Nam quæ sub viro est* etc. ; tertio concluditur, ibi, *Itaque fratres mei* etc. Documentum autem proponit eis quasi notum ; unde dicit : *An ignoratis fratres*? quasi diceret : Hoc ignorare non debetis. I Cor. XIV, 38 : *Si quis ignorat, ignorabitur*. Et causam quare non debent ignorare, ostendit subdens : *Scientibus enim legem loquor*.

Sed cum Romani Gentiles essent, et legem Moysi ignorarent, videtur eis non competere quod hic dicitur ; et ideo quidam exposuerunt hoc de lege naturali, quæ Gentibus non erat incognita, secundum illud supra II, 14 : *Cum Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex*. Unde et subditur : *Quia lex in homine dominatur*, scilicet naturalis, *quanto tempore* scilicet *vivit* lex in homine : quæ quidem vivit quamdiu ratio naturalis [1] efficaciter in homine viget. Moritur autem lex naturalis in homine quando [2] ratio naturalis passionibus succumbit. Isa. XXIV, 5 : *Dissipaverunt fœdus sempiternum*, scilicet legis naturalis.

Sed hoc non videtur esse secundum intentionem Apostoli, qui absolute et indeterminate de lege loquens, semper loquitur de lege Moysi. Et ideo dicendum est, quod Romani fideles non erant solum Gentes, sed inter eos erant multi Judæi : unde habetur Act. XVIII, 2 : *Paulus Corinthi invenit quemdam Judæum, nomine Aquilam qui nuper venerat ab Italia, et Priscillam uxorem ejus ; eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos a Roma. Lex* ergo hoc modo *dominatur in homine quanto tempore vivit*, scilicet homo : data est enim lex ad dirigendum homines in via hujus vitæ, secundum illud Psalm. XXIV, 12 : *Legem statuit ei in via quam elegit*. Ideo legis obligatio morte solvitur.

Deinde cum dicit, *Nam quæ sub viro est mulier* etc., manifestat quod dixerat per exemplum in lege matrimonii : et primo ponit exemplum ; secundo manifestat per signum, ibi, *Ego vivente viro* etc. Circa primum duo facit. Primo in exemplo ponit quomodo obligatio legis durat, vita durante, dicens : *Nam mulier quæ sub viro*, idest sub viri potestate, *est*, ex lege divina, qua dictum est Gen. III, 16 : *Sub viri potestate eris*, *alligata est legi*, scilicet qua tenetur convivere viro, secundum illud Matth. XIX, 6 : *Quos Deus*

[1] Al. : « naturaliter. » — [2] Al. : « quamdiu. »

conjunxit, homo non separet. Et hæc quidem inseparabilitas matrimonii præcipue causatur inquantum est sacramentum conjunctionis indissolubilis Christi et Ecclesiæ, vel Verbi et humanæ naturæ in persona Christi. Ephes. v, 32 : *Sacramentum hoc magnum est in Christo et Ecclesia.* Secundo ibi, *Si autem mortuus fuerit vir ejus*, manifestat in exemplo quomodo obligatio legis solvitur post mortem dicens : *Si autem vir*, scilicet mulieris, *fuerit mortuus*, mulier post mortem viri, *soluta est a lege mariti*, idest a lege matrimonii, qua obligatur [1] viro. Cum enim, ut Augustinus ait, lib. *De nuptiis et concupiscentia*, lib. I, cap. XVIII, nuptiæ sint bona mortalium, non se extendit obligatio nuptiarum post vitam mortalem. Et propter hoc, in resurrectione, quando erit immortalis, neque nubent neque nubentur, ut dicitur Matth. XXII. Ex quo patet quod si aliquis moriatur et resurgat, sicut in Lazaro accidit, non erit uxor, quæ fuerat, nisi de novo cum ipso contrahat.

Sed contra hoc inducitur quod habetur Heb. XI, 35 : *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.*

Sed sciendum est, quod mulieres non receperunt maritos suos, sed filios suos ; sicut mulier quædam per Eliam, ut habetur III Reg. XVII, et alia per Eliseum, ut habetur IV Reg. IV. Aliter autem se habet in sacramentis quæ imprimunt characterem, qui est quædam consecratio animæ immortalis. Omnis autem consecratio manet quamdiu manet res consecrata ; sicut patet in consecratione Ecclesiæ vel altaris. Et ideo si baptizatus vel confirmatus vel ordinatus moriatur et resurgat, non debet iterum eadem sacramenta accipere.

Deinde cum dicit, *Ergo vivente viro* etc., manifestat quod dixerat, per signum : et primo quantum ab obligationem matrimonii, quæ durat in muliere, vivente viro : cujus signum est quod vocatur adultera si fuerit cum alio viro, scilicet ei carnaliter commixta, vivente viro suo [2]. Hier. III, 1 : *Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo, duxerit virum alterum, numquid non polluta, et contaminata est mulier illa* ? Secundo ibi, *Si autem mortuus fuerit vir ejus*, inducit signum quantum ad hoc quod obligatio legis matrimonii solvitur per mortem, dicens, quod *si vir ejus*, scilicet mulieris, *mortuus fuerit, liberata est* mulier *a lege viri*, qua obligabatur viro, *ut non sit adultera, si fuerit cum alio*, carnaliter ei commixta, præsertim si ei matrimonialiter conjungatur. I Cor. VII, 39 : *Si dormierit vir ejus* scilicet mulieris *liberata est; cui vult, nubat.* Ex quo patet quod secundæ nuptiæ vel quartæ, sunt secundum se licitæ, et non solum per dispensationem, ut videtur dicere Chrysostomus, qui *Super Matthæum* dicit, quod sicut Moyses permisit libellum repudii, ita Apostolus permisit secundas nuptias. Nulla est enim ratio, si lex matrimonialis solvitur per mortem, quare non liceat conjugi remanenti ad secunda vota transire. Quod autem Apostolus dicit I Timoth. III, 2, Quod *oportet Episcopum esse unius uxoris virum*, non hoc dicitur quia secundæ nuptiæ sint illicitæ, sed propter defectum sacramenti : quia non esset unus unius, sicut Christus est sponsus unius Ecclesiæ.

Deinde cum dicit, *Itaque fratres mei* etc., concludit principale propositum, dicens : *Itaque fratres mei*, idest per hoc quod estis facti membra corporis Christi, simul cum eo mortui et sepulti, ut supra est habitum, *mortificati estis legi*, idest quantum ad hoc quod cessat in vobis obligatio legis, ita scilicet *ut jam sitis alterius*, scilicet Christi, ejus legi subjecti, *qui ex mortuis resurrexit*, in quo et vos resurgentes novam vitam assumpsistis. Et ita non lege prioris vitæ, sed lege novæ vitæ tenemini obligati.

Videtur autem esse dissimilitudo quantum ad hoc quod in præcedenti exemplo vir moriebatur, et remanebat mulier absque obligatione legis ; hic autem ille qui solvitur ab obligatione, dicitur mori.

Sed si recte consideremus, utrumque est ejusdem rationis; quia cum matrimonium sit inter duos, sicut quædam relatio ; non refert quicumque eorum moriatur, ad hoc quod tollatur lex matrimonii : utrumlibet enim contingat, manifestum est quod per mortem qua commorimur Christo, cessat obligatio ceteris legis.

Deinde cum dicit, *Ut fructificemus*, ostendit utilitatem prædictæ liberationis : et circa hoc tria facit. Primo ponit utilitatem, dicens : *Ut fructificemus Deo* : per hoc enim quod sumus facti membra

[1] Al. : « obligatur. » — [2] Al. deest : « suo. »

Christi, in Christo manentes, possumus fructum boni operis facere ad honorem Dei. Joan. xv, 4 : *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite ; sic nec vos nisi in me manseritis.* Secundo ibi, *Cum enim essemus*, ostendit quod iste fructus impediebatur quando eramus sub servitute legis, dicens : *Cum essemus in carne*, subditi concupiscentiis carnis : infra viii, 9 : *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu* : *passiones*, et affectiones, *peccatorum, quæ* quidem *erant per legem* vel notificatæ, vel augmentatæ occasionaliter, ut supra patuit, *operabantur in membris nostris*, idest movebant membra nostra ; Jacob. iv, 1 : *Unde bella et lites? Nonne ex concupiscentiis* ? Et hoc *ut fructificarent morti*, idest, ut fructum facerent mortis. Jacob. i, 15 : *Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem.* Tertio ibi, *Nunc autem soluti*, ostendit quod prædicta utilitas acquiritur ab his qui sunt liberati a servitute legis, dicens : *Nunc autem soluti sumus* per gratiam Christi *a lege mortis*, idest a servitute legis Moysi : quæ dicitur lex mortis, vel quia corporaliter occidebat absque misericordia : Heb. x, 28 : *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione moritur* : vel potius dicitur lex mortis, quia spiritualiter occidebat per occasionem, secundum illud II Corinth. iii, 6 : *Littera occidit.* In qua lege nos tenebamur, quasi servi sub lege. Gal. iii, 23 : *Prius autem quam veniet fides, sub lege custodiebamur.* Ita scilicet sumus soluti, *ut serviamus in novitate spiritus*, idest spiritu renovati per gratiam Christi. Ezech. xxxvi, 26 : *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri : non in vetustate litteræ*, idest non secundum veterem legem. Vel non in vetustate peccati, quam littera legis auferre non potuit. Psal. vi, 8 : *Inveteravi inter omnes inimicos meos.*

LECTIO II.

Quid ergo dicemus ? Lex peccatum est ? Absit. Sed peccatum non cognovi nisi per legem ; nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem vivebam sine lege aliquando. Sed cum venisset mandatum, peccatum revixit. Ego autem mortuus sum, et inventum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum, occasione accepta mandatum, seduxit me, et per illud occidit. Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors ? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.

Postquam Apostolus ostendit quod per gratiam Christi liberamur a servitute legis, et quod ista liberatio est utilis, hic respondet cuidam objectioni, quæ ex præmissis occasionem habet, per quam videtur quod lex vetus non sit bona : et circa hoc duo facit. Primo solvit objectionem, per quam videtur legem non esse bonam ; secundo ostendit legem esse bonam, *Scimus enim* etc. Circa primum duo facit. Primo ponit objectionem quantum ad ipsam legem ; secundo solvit, ibi, *Itaque lex quidem sancta.* Dicit ergo primo : Dictum est, quod passiones peccatorum erant per legem, et quod est lex mortis : *quid ergo dicemus* ex his sequi ? Numquid dicemus, quod *lex est peccatum ?* Quod quidem potest intelligi dupliciter. Uno modo quod lex peccatum doceat, sicut dicitur Hier. x, 3 : *Leges populorum vanæ sunt* : quia scilicet vanitatem docent : alio modo ut lex dicatur peccatum, quia ille qui legem dedit. peccaverit, talem legem ferendo : et hæc duo invicem se consequuntur : quia si lex peccatum docet, legislator legem ferendo peccat. Isai. x, 1 : *Væ qui condunt leges iniquas.* Videtur autem quod lex peccatum doceat, si passiones peccatorum sunt per legem, et si lex ducit ad mortem. Deinde cum dicit, *Absit*, solvit prædictam objectionem. Circa quod sciendum est, quod si lex per se et directe causaret passiones peccatorum, vel mortem, sequeretur quod lex esset peccatum altero modorum dictorum ; non autem si lex est occasio passionum peccati et mortis. Circa hoc ergo duo facit. Primo ostendit quid lex per per se facit ; secundo ostendit quid ex ea occasionaliter sequatur, ibi, *Occasione autem accepta* etc. Circa primum tria facit. Primo respondet ad quæstionem, dicens, *Absit*, scilicet quod lex sit peccatum : neque enim ipsa docet peccatum, secundum illud Psal. xviii, 8 : *Lex Domini immaculata* : neque legislator peccavit, quasi injustam legem ferens, secundum illud Proverb. viii, 15 : *Per me reges regnant, et legum conditores*

justa decernunt. Secundo ibi, *Sed peccatum non cognovi* etc., ponit id quod per se pertinet ad legem, scilicet notificare peccatum, et non auferre ; et hoc est quod dicit : *Sed peccatum non cognovi nisi per legem.* Sup. III, 10 : *Per legem enim Dei cognitio peccati.* Et si quidem hoc intelligitur de lege naturali, manifestum est quod dicitur, quia per legem naturalem homo dijudicat inter [1] bonum et malum. Eccli. XVII, 6 ; *Sensu implevit corda illorum, et bona et mala ostendit illis.* Sed Apostolus hic videtur loqui de lege veteri, quam significavit supra, dicens, *Non in vetustate litteræ.* Dicendum est ergo, quod sine lege poterat quidem peccatum cognosci, secundum quod habet rationem inhonesti, idest contra rationem existens : non autem secundum quod importat offensam divinam, quia per legem divinitus datam manifestatur homini quod Deo displicent peccata humana in hoc quod ea prohibet et mandat puniri. Tertio, ibi, *Nam concupiscentiam nesciebam*, probat quod dixerat, dicens, *Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.*

Circa quod considerandum est, quod hoc quod dixerat, *Peccatum non cognovi* [2] *nisi per legem*, posset aliquis referre ad ipsum actum peccati, quem lex in notitiam hominis ducit dum prohibet ; et hoc quidem verum est quantum ad aliqua peccata. Dicitur enim Levit. XVIII, 22 : *Mulier non succumbet jumento.* Sed quod hic non sit intellectus Apostoli, patet ex his quæ hic dicuntur : nullus enim est qui ipsum actum concupiscentiæ ignoret, cum omnes ipsum experiantur. Est ergo intelligendum, sicut supra diximus, quod peccatum non cognoscitur nisi per legem, quantum ad reatum pœnæ, et offensam Dei. Ideo autem hoc probat per concupiscentiam, quia concupiscentia prava communiter se habet ad omnia peccata. Unde *Glossa* dicit et Augustinus *De ver. Apost.*, serm. IV : « Hic elegit Apostolus quod est generale peccatum, scilicet concupiscentiam. Bona est ergo lex, quæ dum concupiscentias prohibet, omnia mala prohibet. » Potest autem intelligi quod concupiscentia sit generale peccatum, secundum quod sumitur pro concupiscentia rei illicitæ, quæ est de essentia cujuslibet peccati [3]. Non autem sic appellavit Augustinus concupiscentiam generale peccatum ; sed quia est radix et causa omnis peccati aliqua concupiscentia specialis. Unde et *Glossa* dicit, quod concupiscentia est generale peccatum, unde omnia mala veniunt. Inducit enim Apostolus præceptum legis, quod habetur Exod. XX, 17 : ubi specialiter prohibetur, *Non concupisces rem proximi tui*, quæ est concupiscentia avaritiæ, de qua loquitur I Tim. VI, 10 : *Radix omnium malorum est cupiditas* : et hoc ideo, quia pecuniæ obediunt omnia, ut dicitur Eccle. X. Et ideo concupiscentia, de qua hic loquitur, est generale malum, non communitate generis vel speciei, sed communitate causalitatis. Nec est contrarium quod habetur Eccli. X, 15 : *Initium omnis peccati, superbia* : nam superbia est initium peccati ex parte aversionis ; cupiditas autem est principium peccatorum ex parte conversionis ad bonum commutabile. Potest autem dici, quod Apostolus specialiter assumit concupiscentiam ad propositi manifestationem, quia vult ostendere quod sine lege peccatum non cognoscebatur, inquantum scilicet pertinet ad offensam Dei : et hoc maxime patet in hoc quod lex Dei prohibet concupiscentiam, quæ ab homine non prohibetur : nam solus Deus hominem reum reputat propter concupiscentiam cordis, secundum illud Reg. XVI, 7: *Homines vident quæ patent, Deus autem intuetur cor.* Ideo autem lex Dei potius prohibuit concupiscentiam rei alienæ, quæ aufertur, et uxoris alienæ, quæ per adulterium violatur, quam concupiscentiam aliorum peccatorum, quia ista peccata etiam in ipsa concupiscentia habent quamdam delectationem, quod non contingit de aliis peccatis.

Deinde, cum dicit, *Occasione autem accepta* etc. ostendit, quid ex lege occasionabiliter consequatur : et primo proponit quod intendit, secundo manifestat propositum, ibi. *Sine lege enim peccatum mortuum erat.* Dicit ergo primo, quod *peccatum, occasione accepta per mandatum*, scilicet legis prohibentis peccatum, *operatum est in me omnem concupiscentiam.* Per [4] peccatum autem potest hic intelligi diabolus secundum emphaticam locutionem, quia ipse est peccati initium, et secundum hoc in homine operatur

[1] Al. deest : « inter. » — [2] Al. *non cognoscebam.*
[3] Al. : « pro concupiscentia cujuslibet peccati, » intermediis omissis. — [4] Al. omittitur : « Per. »

omnem concupiscentiam peccati. I Joan. III 8 : *Qui facit peccatum, ex diabolo est, quia ab initio diabolus peccat* [1]. Sed quia Apostolus hic de diabolo mentionem non fecerat, potest dici, quod peccatum actuale quodcumque, prout est cogitatione apprehensum [2], operatur in homine sui concupiscentiam, secundum illud Jacob I, 14 : *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua* : deinde concupiscentia parit peccatum. Sed melius est quod hoc referamus ad peccatum, quod supra dixerat, cap. V, per unum hominem in hunc mundum ingressum ; scilicet ad peccatum originale : quod scilicet ante gratiam Christi est in homine secundum culpam et pœnam ; sed veniente gratia, transit reatu, et remanet actu quantum ad fomitem peccati, vel concupiscentiam habitualem, quæ operatur in homine omnem concupiscentiam actualem : sive hoc referatur ad concupiscentias diversorum peccatorum, alia enim est concupiscentia furti, alia adulterii, et sic de aliis, sive referatur ad diversos concupiscentiæ gradus, prout consistit in cogitatione, consensu, et ope. Sed ad hunc effectum in homine operandum, peccatum accipit occasionem ex lege ; et hoc est quod dicit, *Occasione accepta* : vel quia adveniente mandato additur ratio prævaricationis, quia *ubi non est lex, nec prævaricatio*, ut supra IV, 1, dictum est : vel quia crescit desiderium peccati prohibiti, rationibus supra positis.

Et est notandum, quod non dicit quod lex dederit occasionem peccandi ; sed quia ipsum peccatum occasionem acceperit ex lege. Ille enim qui dat occasionem, scandalizat, et per consequens peccat : quod quidem fit quando aliquis facit aliquod opus minus rectum, unde proximus offenditur aut scandalizatur : puta si quis loca inhonesta frequentaret, licet non mala intentione. Unde dicitur infra XIV, 13 : *Hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratribus*, vel scandalum. Sed si quis rectum opus faciat, puta si det eleemosinam et alius inde scandalizatur ; ipse non dat occasionem scandalizandi, unde nec scandalizat nec peccat ; sed alius accipit occasionem qui scandalizantur, et ille peccat. Sic igitur lex rectum aliquid fecit, quia peccatum prohibuit : unde occasionem non dedit peccandi ; sed homo occasionem ex lege accipit ; et propter hoc sequitur quod lex non sit peccatum, sed magis peccatum sit ex parte hominis.

Sic igitur intelligendum est, quod passiones peccatorum, quæ pertinent ad concupiscentiam peccati, non sunt per legem, quasi lex illas operetur ; sed peccatum illas operatur, accepta occasione ex lege. Et eadem ratione ex lege. Et eadem ratione [3] dicitur lex mortis, non quia lex mortem operetur, sed quia peccatum mortem operatur occasione accepta ex lege. Potest autem eodem sensu littera aliter ordinari, ut dicatur quod *peccatum operatum est per mandatum legis omnem concupiscentiam*, et hoc *occasione accepta* ab ipso mandato. Sed prima expositio simplicior et melior est.

Deinde cum dicit, *Sine lege enim*, manifestat quod dixerat, et hoc per experientiam effectus : et primo proponit effectum ; secundo resumit causam, ibi, *Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me*. Circa primum tria facit. Primo describit statum ante legem ; secundo statum sub lege, ibi, *Sed cum venisset mandatum* ; tertio ex comparatione utriusque status concludit eventum legis, ibi, *Et inventum est mihi mandatum* etc. Dicit ergo primo, quod *peccatum, occasione accepta per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam* : quod ex hoc apparet : *sine lege enim peccatum erat mortuum* : non quidem sic quod peccatum non esset, quia per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit ante legem, ut supra II, dictum est. Sed intelligitur quod erat mortuum vel quantum ad cognitionem hominis, qui quædam in lege prohibita nesciebat esse peccata, puta concupiscentiam : vel quia erat mortuum quantum ad efficaciam moriendi, per comparationem ad id quod postea fuit : non enim habebat tantam virtutem inducendi hominem ad mortem, quantam postea habuit occasione accepta sub lege. Habetur enim quasi mortuum quod est debilitatum virtute. Colos. III, 5 : *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram*. Talis ergo erat status ante legem quantum ad peccatum ; sed qualis esset quantum ad hominem ostendit, subdens: *Ego autem vivebam sine lege aliquando* :

[1] Al. : « peccavit. » — [2] Al. : « quodcumque est cogitatione apprehensa. » — [3] Al. : « occasione. »

quod etiam dupliciter potest intelligi. Uno modo quantum ad id quod homini videbatur ex seipso quod videret, dum ignorabat peccatum esse id per quod mortuus erat. Apoc. III, 1 : *Nomen habes quod vivas, sed mortuus es.* Vel hoc dicitur per comparationem ad mortem quæ consecuta est occasione legis : dicuntur enim minus peccantes vivere, in comparatione ad eos qui magis peccant.

Deinde cum dicit, *Sed cum venisset mandatum* etc., describit statum sub lege : et primo quantum ad peccatum, cum dicit : *Sed cum venisset mandatum*, data scilicet lege, *revixit peccatum :* quod potest dupliciter intelligi. Uno modo quantum ad cognitionem hominis, qui incepit cognoscere peccatum in se esse, quod prius non cognoverat. Hier. XXXI, 19 : *Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, confusus sum et erubui.* Et signanter dixit, *Revixit* : quia in paradiso plenam notitiam homo habuerat de peccato, licet non habuerit per experientiam. Vel *revixit*, quantum ad virtutem, quia data lege occasionaliter augmentata est virtus peccati. I Cor. XV, 56 : *Virtus peccati, lex.* Secundo quantum ad ipsum hominem, cum dicit : *Ego autem mortuus sum* : quod etiam dupliciter potest intelligi. Uno modo secundum cognitionem, ut sit sensus : *Mortuus sum*; idest, cognovi me mortuum : alio modo per comparationem ad statum priorem, ut sit sensus : *Mortuus sum*; idest, magis morti obligatus sum quam ante. Unde aliqualiter verum est quod dictum est Moysi et Aaron Num. XVI, 41 : *Vos interfecistis populum Domini.*

Deinde cum dicit, *Et inventum est mihi mandatum* etc., concludit ex comparatione utriusque status eventum legis, dicens : *Et inventum est*, secundum prædicta, *mandatum quod erat ad vitam* primo quidem, secundum intentionem dantis legem ; secundo quantum ad ipsam mandati honestatem, et devotionem obedientis : Ezech. XX, 11 : *Dedi eis præcepta bona et judicia*; *quæ faciens homo*, *vivet in eis* : *hoc esse* mihi *ad mortem*, occasionaliter, scilicet per peccatum quod in homine erat. Job. XX, 14 : *Panis ejus in utero ejus vertetur in fel aspidum intrinsecus.* Deinde cum dicit, *Nam peccatum* etc., resumit causam, quasi manifestans per eventum præmissum, dicens : Hoc ideo contingit, scilicet quod mandatum quod erat ad vitam, inveniretur ad mortem esse, nam *peccatum occasione accepta per mandatum*, *seduxit me*, scilicet per concupiscentiam, quam in me operatum est, ut dictum est Dan. XIII, 56 : *Species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum* : *et per illud*, scilicet mandatum, occasionaliter peccatum *me occidit.* II Cor. III, 6 : *Littera occidit.*

Deinde cum dicit, *Itaque lex quidem sancta*, concludit conclusionem intentam, scilicet quod lex non solum sit peccatum [1], sed ulterius quod sit bona, tamquam faciens cognoscere peccatum, et prohibens ipsum : et primo concludit quantum ad totam legem, dicens, sicut ex præmissis patet : *Lex quidem est sancta* : Psal. XVIII, 8 : *Lex Domini immaculata* : I Tim. I, 8 : *Scimus quia bona est lex* : secundo, quantum ad particulare legis mandatum, dicens : *Et mandatum legis* est *sanctum*, quantum ad præcepta cæremonialia, quibus homines ordinantur ad Dei cultum : Lev. IX, 2 : *Sancti estote*, *quia ego sanctus sum* : *et justum*, quantum ad præcepta judicialia, quibus homo debito modo ordinatur ad proximum. Ps. XVIII, 10 : *Judicia Domini vera*, *justificata in semetipsa* : *et bonum*, idest honestum, quantum ad præcepta moralia : Ps. CXVIII, 72 : *Bonum est mihi lex oris tui super millia auri et argenti.* Quia tamen omnia ista præcepta ordinant nos in Deum, ideo totam legem sanctam nominavit.

Deinde cum dicit, *Quod ergo bonum est* etc., movet quæstionem quantum ad legis effectum : et primo ponit [2] quæstionem, dicens : *Quod ergo bonum est*, scilicet in se, *factum est mihi mors*, idest per se causa mortis? Quod quidem aliquis poterat falso intelligere ex eo quod supra dictum est : *Inventum est mihi mandatum quod erat ad vitam*, *hoc esse ad mortem.* Secundo solvit per interemptionem, dicens, *Absit.* Non potest id quod est secundum se bonum et vivificum, esse causa mali et mortis, secundum illud Matth. VII, 18 : *Non potest arbor bona fructus malos facere.*

Tertio ibi, *Sed peccatum* etc., concordat id quod nunc dicitur, cum eo quod supra dictum est : non enim mandatum sic invenitur esse ad mortem quod ipsum mortem operetur ; sed quia occasione

[1] Al. : « non solummodo sit peccatum. » — [2] Al. deest : « ponit. »

accepta ab ipso peccato, mortem operatur : et hoc est quod dicit : *Sed peccatum, ut appareat peccatum;* idest, ex hoc apparet esse peccatum, *per* legis *bonum*, idest per mandatum legis, quia ex hoc ipso bonum est quod facit cognitionem peccati, *operatum est mihi mortem;* et hoc occasionaliter, inquantum manifestat peccatum. Non autem sic intelligitur peccatum per legem operatum esse mortem, quasi sine lege mors non fuisset, dictum est enim supra quod *regnavit mors ab Adam usque ad Moysem*, scilicet cum lex non esset, sed intelligitur quod peccatum per legem operatur mortem, quia damnatio mortis est augmentata lege adveniente : et hoc est quod subditur : Ita dico, quod peccatum operatum est mortem per bonum, *ut peccatum fiat peccans*, idest peccare faciens per mandatum legis occasionaliter; et hoc *supra modum* quo antea peccabat, vel quia accessit reatus prævaricationis, vel quia crevit concupiscentia peccati, ut supra dictum est, veniente prohibitione legis. Peccatum autem hic intelligitur, sicut supra diximus, vel diabolus, vel potius fomes peccati.

LECTIO III.

Scimus enim quod lex spiritualis est. Ego autem carnalis sum venumdatus sub peccato. Quod enim operor, non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago : sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi quoniam bona est. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum ; nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.

Postquam Apostolus exclusit illa ex quibus lex videbatur esse mala et mali effectus, hic probat legem esse bonam : et circa hoc duo facit. Primo probat bonitatem legis ex ipsa repugnantia quæ in homine invenitur ad bonum, quam lex tollere non potest; secundo ostendit per quod hujusmodi legis repugnantia tolli potest, ibi, *Infelix ego homo* etc. Circa primum tria facit. Primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi, *Quod enim operor* etc. ; tertio infert conclusionem intentam, ibi, *Invenio igitur aliam legem.* Circa primum duo facit. Primo proponit legis bonitatem; secundo hominis conditionem, ibi : *Ego autem carnalis sum.* Dicit ergo primo : Dictum est, quod lex est sancta; et hoc dixit : *Scimus enim* nos quod sumus in divinis sapientes, *quod lex*, scilicet vetus, *spiritualis est*, scilicet spiritu homines concordans. Psal. XVIII, 1 : *Lex Domini immaculata.* Vel *spiritualis est*, idest a Spiritu sancto data, qui digitus Dei dicitur in Scripturis. Lucæ XI, 20 : *Si in digito Dei ejicio dæmonia.* Unde dicitur Exod. XXXI, 18 : *Dedit Dominus Moysi duas tabulas lapideas scriptas digito Dei.* Lex tamen nova non solum dicitur lex spiritualis, sed lex spiritus, ut patet infra VIII, qui non solum a Spiritu Sancto est, sed Spiritus sanctus eam imprimit cordi quod inhabitat. Deinde cum dicit, *Ego autem carnalis sum*, ostendit conditionem hominis : et potest hoc verbum dupliciter exponi. Uno quidem modo, ut Apostolus loquatur in persona hominis in peccato existentis; et ita hoc Augustinus exponit in lib. LXXXIII *Quæst.* quæst. LXVI. Postea vero in lib. *Contra Julianum* lib. III, cap. XXVI, exponit hoc, ut Apostolus intelligatur loqui in persona sua, idest hominis sub gratia constituti. Prosequamur ergo declarando qualiter hæc verba et sequentia diversimode possunt utroque modo exponi, quamvis secunda expositio melior sit. Quod ergo dicitur primo, *Ego autem carnalis sum*, sic intelligendum est ut ly *ego* pro ratione hominis intelligatur, quæ est principale in homine : unde videtur unusquisque homo esse sua ratio, vel suus intellectus : sicut civitas videtur esse rector civitatis, ita ut quod ille facit, civitas facere videatur. Dicitur autem homo carnalis, quia ejus ratio carnalis est; quæ dicitur carnalis dupliciter. Uno modo ex eo quod subditur carni, consentiens his quæ caro instigat, secundum illud I Corinth. III, 3 : *Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis?* Et hoc modo intelligitur de homine nondum per gratiam reparato. Alio modo dicitur ratio esse carnalis ex eo quod a carne impugnatur, secundum illud Gal. V, 17 : *Caro concupiscit adversus spiritum* : et hoc modo intelligitur esse carnalis ratio etiam hominis sub gratia constituti ; utraque enim carnalitas provenit ex peccato : unde subdit : *Venumdatus sub peccato.*

Sed tamen notandum, quod carnalitas quæ importat rebellionem carnalis ad spiritum, provenit ex peccato primi parentis, quia hoc pertinet ad fomitem, cujus corruptio ex illo peccato derivatur. Carnalitas autem quæ importat subjectionem ad carnem, provenit non solum ex peccato originali, sed etiam actuali, per quod homo obediendo concupiscentiis carnis, servum se carnis constituit : unde subdit : *Venumdatus sub peccato*, scilicet vel primi parentis, vel proprio. Et dicit, *Venumdatus*, quia peccator seipsum vendit in servum peccati, pretio propriæ voluntatis implendæ. Isai, I, 1 : *Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis.*

Deinde cum dicit, *Quod enim operor, non intelligo*, ostendit quod proposuerat : et primo quod lex sit spiritualis : secundo quod homo sit carnalis, venumdatus sub peccato, ibi, *Nunc autem jam non ego operor illud.* Circa primum duo facit. Primo proponit probationem; secundo inducit conclusionem, ibi, *Si autem quod nolo illud facio* etc. Sumitur autem probatio ex hominis infirmitate, quam primo proponit; secundo adducit probationem, ibi, *Non enim quod volo bonum, hoc ago.* Infirmitas autem hominis est manifesta ex hoc quod operatur id quod intelligit non esse operandum : unde dicitur : *Quod enim operor, non intelligo*, scilicet esse operandum : quod quidem potest intelligi dupliciter. Uno modo de eo qui est subjectus peccato : qui quidem in universali intelligit non esse operandum, peccatum : tamen victus suggestione dæmonis, vel passione vel inclinatione perversi habitus, operatur illud : et ideo dicitur operari quod intelligit non esse operandum, contra conscientiam faciens : sicut Luc. XII, 41 : *Servus sciens voluntatem domini sui et non faciens, digne plagis vapulabit multis.* Alio modo potest intelligi de eo qui est in gratia constitutus : qui quidem operatur malum, non quidem exequendo in opere, vel consentiente mente, sed solum concupiscendo secundum passionem sensibilis appetitus : et illa concupiscentia est præter rationem et intellectum, quia prævenit ejus judicium, quo adveniente, talis operatio impeditur. Et ideo signanter non dicit, Intelligo non esse faciendum, sed *non intelligo* : quia scilicet intellectu nondum deliberato aut præcipiente, talis operatio concupiscentiæ insurgit. Gal. V, 17 : *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem.* Deinde cum dicit, *Non enim quod volo bonum, hoc ago*, probat quod dixerat, et per divisionem, et per effectum. Per divisionem quidem ejus quod dixit, *Quod enim operor.* Sub quo duo continentur, scilicet non agere bonum, et agere malum : quia etiam ille qui non agit bonum, dicitur operari peccato omissionis. Ex parte autem ejus quod dixit, *Non intelligo*, probat per effectum; quia enim intellectus movet voluntatem, velle est effectus ejus quod est intelligere. Dicit ergo primo quantum ad omissionem boni : *Non enim ago hoc bonum* quod volo agere : quod quidem uno modo potest intelligi de homine sub peccato constituto ; et sic hoc quod dicit, *Ago*, est accipiendum secundum actionem completam, quæ exterius opere exercetur per rationis consensum; quod autem dicit, *Volo*, est intelligendum, non quidem de voluntate completa, quæ est operis præceptiva; sed de voluntate quadam incompleta, qua homines in universali bonum volunt, sicut in universali habent rectum judicium de bono ; tamen per habitum vel passionem perversam pervertitur hoc judicium, et depravatur talis voluntas in particulari, ut non agat quod in universali intelligit agendum et agere vellet. Secundum autem quod intelligitur de homine per gratiam reparato, e converso oportet intelligere per hoc quod dicit, *Volo*, voluntatem completam perdurantem in electione particularis operationis : ut per hoc quod dicit, *Ago*, intelligatur actio incompleta, quæ consistit tantum in appetitu sensitivo, non perveniens usque ad rationis consensum. Homo enim sub gratia constitutus vult quidem mentem suam a pravis concupiscentiis conservare; sed hoc bonum non agit propter motus inordinatos concupiscentiæ insurgentes in appetitu sensitivo. Et simile est quod dicit Gal. V, 17 : *Ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Secundo quantum ad perpetrationem mali subdit : *Sed quod odi malum, illud facio* : quod quidem si intelligatur de homine peccatore ; per hoc quod dicit, *Odi*, intelligatur quoddam odium imperfectum, secundum quod omnis homo naturaliter odit malum; per hoc autem quod dicit, *Facio*, intelligatur actio perfecta per operis executionem secundum rationis consensum : nam illud odium mali in universali, tollitur in particulari eligibili per inclinationem habitus vel passionis. Si vero intel-

ligitur de homine sub gratia constituto; per hoc quod dicit, *Facio*, intelligitur e converso actio imperfecta, quæ consistit in sola concupiscentia appetitus sensitivi: per hoc autem, quod dicit, *Odi*, intelligitur odium perfectum quo quis perseverat in detestationem mali usque ad finalem reprobationem ipsius, de quo dicitur in Psal. CXXXVIII, 22 : *Perfecto odio oderam illos*, scilicet malos inquantum sunt peccatores. II Machab. III, 1 : *Cum leges adhuc optime custodirentur propter Oniæ pontificis pietatem et alios odio habentes malum*. Deinde cum dicit, *Si autem quod nolo, illud facio*, concludit ex præmissa dispositione hominis, quod lex sit bona; dicens : *Si autem quod nolo, illud facio*, quocumque dictorum modorum intelligatur, hoc ipso quod nolo malum, *consentio legi quoniam bona est* in hoc quod prohibet malum, quod ego naturaliter nolo. Manifestum est enim quod inclinatio hominis secundum rationem ad volendum bonum et fugiendum malum, est secundum naturam vel gratiam; et utraque est bona. Unde et lex, quæ huic inclinationi consentit præcipiendo bonum et prohibendo malum, eadem ratione est bona. Prov. IV, 2 : *Donum bonum tribuam vobis; legem meam ne derelinquatis*,

Deinde cum dicit, *Nunc autem jam non ego operor illud*, probat quod dixerat de conditione hominis, scilicet quod sit carnalis venumdatus sub peccato : et circa hoc tria facit. Primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi, *Scio enim* etc.; tertio concludit intentum, ibi, *Si autem quod nolo illud facio* etc. Quod autem homo carnalis venumdatus sub peccato, quasi aliqualiter sit servus peccati, ex hoc apparet quod ipse non agit, sed agitur a peccato : ille enim qui est liber, ipse per seipsum agit, et non ab alio agitur. Et ideo dicit : Dictum est, quod per intellectum et voluntatem *consentio legi;* nunc autem dum contra legem facio, *ego jam non operor illud* quod facio contra legem, *sed peccatum quod in me habitat* : et sic patet me esse servum peccati, inquantum peccatum in me quasi dominium habens operatur. Et hoc quidem recte ac faciliter potest intelligi de homine sub gratia constituto : quod enim concupiscit malum secundum appetitum sensitivum ad carnem pertinentem, non procedit ex opere rationis, sed ex inclinatione fomitis. Illud autem homo dicitur operari quod ratio operatur, quia homo est id quod est secundum rationem : unde motus concupiscentiæ qui non sunt a ratione, sed a fomite, non operatur homo, sed fomes peccati, qui hic peccatum nominatur. Jacob. IV, 1 : *Unde bella et lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Sed de homine sub peccato constituto hoc proprie intelligi non potest, quia ejus ratio peccato consentit; et ideo ipsemet operatur : unde dicit Augustinus, et habetur in *Glossa* : « Multum fallitur homo qui consentiens est concupiscentiæ carnis suæ, et quod illa desiderat decernens facere et statuens, putat sibi adhuc esse dicendum : *Non ego operor illud.* » Potest tamen, licet, extorte, exponi etiam de homine peccatore. Actio enim maxime attribuitur principali agenti, quod secundum proprietatem suam movet : non autem agenti quod movet vel agit secundum proprietatem alterius a quo movetur. Manifestum est autem quod ratio hominis secundum illud quod est proprium sibi, non inclinatur ad malum, sed secundum quod movetur a concupiscentia. Et ideo operatio mali, quam ratio facit, prout est a concupiscentia victa, non attribuitur principaliter rationi, quæ hic per hominem intelligitur, sed potius ipsi concupiscentiæ, vel habitui ex quo ratio inclinatur ad malum. Dicitur autem peccatum habitare in homine, non quasi peccatum sit res aliqua, cum sit privatio boni; sed designatur permanentia hujusmodi defectus in homine. Deinde cum dicit, *Scio enim*, probat quod peccatum habitans in homine, operatur malum quod homo facit : et primo ponit medium ad probandum propositum; secundo illud medium manifestat, ibi, *Nam velle adjacet mihi.* Probat ergo primo quod peccatum habitans in homine operatur malum quod homo facit; quæ quidem probatio manifesta est secundum quod verba referuntur ad hominem sub gratia constitutum, qui est liberatus a peccato per gratiam Christi, ut supra VI, habitum est. Quantum ergo ad eum in quo Christi gratia non habitat, nondum est liberatus a peccato. In carne autem gratia Christi non habitat, sed habitat in mente : unde infra VIII, 10, dicitur, quod *si Christus in nobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vivit propter justificationem.* Igitur adhuc in carne dominatur peccatum, quod operatur concupiscentia carnis. Carnem enim hic accipit

simul cum viribus [1] sensitivis. Sic enim caro distinguitur contra spiritum, et ei repugnat, inquantum appetitus sensitivus tendit in contrarium ejus quod ratio appetit, secundum illud Gal. v, 17 : *Caro concupiscit adversus spiritum.* Dicit ergo : Dictum est quod *in me* etiam per gratiam reparato, *peccatum operatur*; sed intelligendum est *in me* secundum carnem simul cum appetitu sensitivo : *scio enim* per rationem et experimentum, quod *bonum*, scilicet gratiæ, quo reformatus sum, *non habitat in me.* Sed ne intelligatur secundum rationem, secundum modum superius positum exponit : *Hoc est in carne mea* : nam in me, idest in corde meo, hoc bonum habitat, secundum illud Ephes. III, 17 : *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Et per hoc patet quod hoc verbum non patrocinatur Manichæis, qui volunt carnem non esse bonam secundum naturam; et ita non esse creaturam Dei boni [2], cum scriptum sit I Tim. IV, 4 : *Omnis creatura Dei bona est.* Non enim hic Apostolus agit de bono naturæ, sed de bono gratiæ, quo a peccato liberamur. Si vero hoc referatur ad hominem sub peccato existentem, superflue additur quod dicit, *Hoc est in carne mea*; quia in homine peccatore bonum gratiæ non habitat nec quantum ad carnem, nec quantum ad mentem; nisi forte quis extorte velit exponere hoc esse dictum, quia peccatum, quod est privatio gratiæ, quodam modo a carne derivatur ad mentem.

Deinde cum dicit, *Nam velle adjacet mihi*, manifestat quod dixerat : et primo ex hominis facultate; secundo ex hominis actione, quæ facultatem demonstrat, ibi, *Non enim quod volo bonum, hoc facio.* Facultas autem hominis primo describitur quantum ad voluntatem, quæ videtur in hominis esse potestate : unde dicit : *Nam velle adjacet mihi*; idest, propinquum est mihi, quasi sub mea potestate existens : nihil enim est tam in hominis voluntate constitutum quam hominis voluntas, ut Augustinus dicit *De lib. arb.*, lib. III, cap. III. Secundo ponit facultatem hominis, vel potius difficultatem, quantum ad consummationem effectus, cum subdit : *Perficere autem bonum non invenio*, scilicet in mea potestate existens, secundum illud Prov. XVI, 1 : *Hominis est præparare animum* : et iterum ibidem IX : Cor *hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus.* Hoc autem verbum patrocinari videtur Pelagianis, qui dicebant, quod initium boni operis est ex nobis, inquantum bonum volumus; et hoc est quod videtur Apostolus dicere : *Perficere autem bonum non invenio.* Sed hunc sensum excludit Apostolus Phil. II, 13, dicens : *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere.* Quod ergo dicit, *Velle adjacet mihi*; scilicet, per gratiam jam reparato, est ex operatione divinæ gratiæ; per quam quidem gratiam non solum volo bonum, sed etiam aliquid boni facio, quia repugno concupiscentiæ, et contra eam ago ductus spiritu; sed non invenio in mea potestate quomodo istud bonum perficiam, ut scilicet totaliter concupiscentiam excludam. Et per hoc manifestatur quod bonum gratiæ non habitat in carne; quia si in carne habitaret, sicut habeo facultatem volendi bonum per gratiam habitantem in mente, ita haberem facultatem perficiendi bonum per gratiam habitantem in carne. Si vero referatur ad hominem sub peccato constitutum, sic exponi poterit ut *velle* accipiatur pro voluntate incompleta, quæ ex instinctu naturæ in quibuscumque peccantibus est ad bonum; sed illud *velle* adjacet homini, idest juxta hominem jacet, quasi infirmum, nisi gratia voluntati tribuat efficaciam ad perficiendum. Deinde cum dicit, *Non enim quod volo bonum, hoc facio*, manifestat quod dixerat ex actione hominis, quæ est signum et effectus facultatis humanæ. Ex hoc enim apparet quod homo non invenit perficere bonum, quia non agit bonum quod vult, sed facit [3] malum quod non vult; et hoc quidem supra expositum est.

Deinde cum dicit, *Si autem quod nolo, illud facio*, concludit illud quod supra proposuerat, dicens : *Si autem quod nolo, illud facio, non ego operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum* : et hoc etiam supra expositum est. Sed notandum est quod ex uno et eodem medio, scilicet *quod nolo illud facio*, Apostolus duo concludit quæ supra posuerat, scilicet legis bonitatem, cum dicit : *Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi Dei quoniam bona est* : et iterum dominium peccati in homine, cum dicit hic : *Si autem quod nolo, illud facio, non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum* : quarum duarum conclusionem prima pertinet ad hoc quod

[1] Al. : « cum membris. »

[2] Al. : « Dei bonum. » — [3] Al. : « quia facit. »

dixerat, *Lex spiritualis est;* secunda ad hoc quod dixerat. *Ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato.* Sed primam conclusionem, quæ est de bonitate legis, elicit ex illo medio ratione ejus quod dicit, *Nolo* : quia ejus ratio non vult illud quod lex prohibet; et ex hoc patet legem esse bonam; sed ex parte ejus quod dicit, *Illud facio*, concludit in homine dominari peccatum, quod contra voluntatem rationis operatur [1]

LECTIO IV.

Invenio igitur [2] aliam legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet : condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Igitur ergo ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.

Postquam Apostolus ostendit legem esse bonam ex eo quod rationi concordat, hic infert duas conclusiones, secundum duo quæ posuerat. Secunda ponitur ibi, *Video autem aliam legem in membris meis.* Circa primum duo facit. Primo infert conclusionem ex dictis; secundo ponit signum ad majorem manifestationem, ibi, *Condelector enim legi Dei.* Duo autem supra posuerat. Primum quidem, quod lex spiritualis est; quo jam probato, concludit sic : *Invenio igitur*, scilicet per experimentum, *legem* Moysi consonam esse *mihi volenti facere bonum*, idest rationi meæ, per quam bonum approbo et malum detestor, dum et ipsa lex bonum mandat et malum prohibet. Deut. xxx, 14 : *Juxta te est verbum valde in ore tuo et in corde tuo, ut facias illud.* Et hoc modo necessarium fuit quod, idest *quia malum*, idest peccatum vel fomes peccati, *mihi adjacet;* idest, juxta rationem meam jacet, quasi carnem meam inhabitans. Mich. vii, 5 : *Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui*, idest a carne. Deinde cum dicit, *Condelector enim legi Dei*, ponit signum per quod ostenditur quod lex rationi consentiat : nullus enim delectatur nisi in eo quod est sibi conveniens; homo autem secundum rationem delectatur in lege Dei : ergo lex Dei est conveniens rationi; et hoc est quod dicit : *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem*, idest secundum rationem et mentem, quæ interior homo dicitur : non quod anima sit effigiata secundum formam hominis, ut Tertullianus posuit; vel quod ipsa sola sit homo, ut Plato posuit, quod homo est anima utens corpore; sed quia id quod est principalius in homine, dicitur homo, ut supra dictum est. Est autem in homine principalius secundum apparentiam quidem id quod est exterius, scilicet corpus sic effigiatum, quod dicitur homo exterior; secundum veritatem autem id quod est intrinsecum, scilicet mens vel ratio, quæ hic dicitur homo interior. Psal. cxviii, 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua!* I Macb. xii, 9 : *Habentes solatia libros sanctos, qui in manibus nostris sunt.*

Deinde cum dicit *Video autem* etc., ponit aliam conclusionem, quæ respondet ei quod supra secundo posuerat, dicens : *Ego autem carnalis sum venumdatus sub peccato :* dicens : *Video aliam legem in membris meis*, quæ est fomes peccati : quæ quidem potest dici lex duplici ratione. Uno modo propter similes effectus : quia sicut lex inducit ad bonum faciendum, ita fomes inducit ad peccandum; alio modo per comparationem ad causam. Cum autem fomes sit quædam pœna peccati, duplicem causam habet. Una quidem ipsum peccatum, quod in peccante dominium accepit, et ei legem imposuit, quæ est fomes, sicut dominus servo victo legem imponit [3]. Alia causa fomitis est Deus, qui hanc pœnam homini peccanti indidit, ut rationi ejus inferiores vires non obedirent. Et secundum hoc ipsa inobedientia inferiorum virium, quæ dicitur fomes, lex dicitur, inquantum est per legem divinæ justitiæ introducta; sicut justi judicis sententia quasi lex habetur [4], secundum illud I Reg. xxx, 25 : *Et factum est hoc ex die illa, et deinceps constitutum et præfinitum, et quasi lex in Israel usque ad diem hanc.* Hæc autem lex originaliter quidem consistit in appetitu sensitivo, sed diffusive invenitur in omnibus membris, quæ deserviunt con-

[1] Al. : « cogatur. » — [2] Vox : « aliam » nec est in Vulgata, nec a S. Thoma tangitur in hac Lectione.

[3] Al. : « imposuit. » — [4] Al. : « quæ legem habet. »

cupiscentiæ ad peccandum. Supra vi, 19 : *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Et ideo dicit, *In membris meis.* Hæc autem lex duos effectus in homine habet. Primo namque resistit rationi : et quantum ad hoc dicit : *Repugnantem legi mentis meæ*, idest legi Moysi, quæ dicitur lex mentis, inquantum consonat menti, vel legi naturali, quæ dicitur lex mentis, quia naturaliter menti indita est, Supra ii, 15 : *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Et de hac repugnantia Gal. v, 17 : *Caro concupiscit adversus spiritum.* Secundus effectus est quod hominem in servitutem redigit; et quantum ad hoc subdit : *Et captivantem me* vel *captivam me ducentem*, secundum aliam litteram; *in lege peccati, quæ est in membris meis*, idest in meipso, more Hebraicæ locutionis, secundum quam ponuntur nomina loco pronominum. Lex autem peccati captivat hominem dupliciter : uno modo hominem peccatorem per consensum, et operationem : alio modo hominem sub gratia constitutum, quantum ad concupiscentiæ motum. De hac captivitate dicitur in Psal. cxxv, 1 : *In convertendo Dominus captivitatem Sion.*

Deinde cum dicit, *Infelix ego homo* etc., agit de liberatione a lege peccati ; et tria circa hoc facit. Primo quidem ponit quæstionem ; secundo ponit responsionem, ibi, *Gratia Dei* etc. ; tertio infert conclusionem, ibi, *Igitur ego ipse mente servio legi Dei.* Circa primum duo facit. Unum quidem confitetur, scilicet suam miseriam, cum dicit, *Infelix ego homo* : quod quidem est per peccatum quod in homine habitat, sive quantum ad carnem tantum, sicut in justo, sive etiam quantum ad mentem, sicut in peccatore. Prov. xv, 34: *Miseros facit populos peccatum.* Psal. xxxvii, 7 : *Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem.* Aliud autem quærit dicens : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* quæ quidem videtur quæstio esse desiderantis, secundum illud Psal. cxli, 8 : *Educ de carcere animam meam.* Sciendum est tamen, quod in corpore hominis considerari potest natura ipsa corporis, quæ est conveniens animæ, unde ab ea non vult separari. II Cor. v, 4 : *Nolumus expoliari, sed supervestiri* : et iterum corruptio corporis, quæ aggravat animam, secundum illud Sap. ix, 15 : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* Et ideo signanter dicit, *De corpore mortis hujus.* Deinde cum dicit, *Gratia Dei* etc., respondet quæstioni : non enim homo propriis viribus potest liberari a corporis corruptione, nec etiam animæ, quamvis consentiat rationi contra peccatum ; sed solum per gratiam Christi, secundum illud Joan. viii, 26 : *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Et ideo sequitur *Gratia Dei*, scilicet me liberabit, quæ datur *per Jesum Christum.* Joan. i, 17 : *Gratia et veritas, per Jesum Christum facta est.* Hæc autem liberat a corpore mortis hujus dupliciter ; uno modo ut corruptio corporis menti non dominetur, trahens eam ad peccandum ; alio modo ut corruptio corporis totaliter tollatur. Quantum ergo ad primum convenit dicere peccatori : Gratia liberavit me *de corpore mortis hujus* ; idest, liberavit me a peccato, in quod est anima inducta ex corporis corruptione : sed ab hoc jam justus liberatus est : unde ei competit dicere quantum ad secundum : Gratia Dei liberavit me *de corpore mortis hujus*, ut scilicet in corpore meo non sit corruptio peccati aut mortis, quod erit in resurrectione. Deinde cum dicit, *Igitur ego ipse* etc., infert conclusionem, quæ secundum duas præmissas expositiones, diversimode ex præmissis infertur. Secundum enim quod præmissa verba exponuntur in persona peccatoris, sic inferenda est conclusio. Dictum est, quod gratia Dei liberavit me a corpore mortis hujus, ut scilicet ab ea non deducar in peccatum : ergo quando ero jam liberatus, *mente servio legi Dei*, secundum carnem autem *legi peccati* : quæ quidem in carne remanet quantum ad fomitem per quem caro concupiscit adversus spiritum. Si autem præmissa verba intelligantur ex persona justi, sic est inferendum. *Gratia Dei per Jesum Christum*, liberavit me *de corpore mortis hujus* ; ita scilicet ut in me non sit corruptio peccati et mortis. *Igitur ego ipse*, unus et idem antequam liberer, *mente servio legi Dei*, ei consentiens ; *carne autem servio legi peccati*, inquantum caro mea secundum legem carnis movetur ad concupiscendum.

CAPUT OCTAVUM

LECTIO I.

Nihil ergo nunc damnationis est his qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati et de peccato damnavit peccatum in carne : ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Qui enim secundum carnem sunt quæ carnis sunt sapiunt ; qui vero secundum spiritum sunt, quæ sunt spritus sentiunt : nam prudentia carnis, mors est ; prudentia autem spiritus, vita et pax.

Postquam Apostolus ostendit quod per gratiam Christi liberamur a peccato et lege, hic ostendit quod per eamdem gratiam libéramur a damnatione : et primo ostendit quod per gratiam Christi liberamur a damnatione culpæ ; secundo, quod per eamdem gratiam liberamur a damnatione pœnæ, ibi, *Si autem Christus in vobis est* etc. Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi, *Lex enim spiritus vita* etc. Circa primum duo facit. Primo proponit beneficium quod gaatia confert, concludens ex præmissis ita : Gratia Dei per Jesum Christum liberavit me de corpore mortis hujus, in qua existit nostra redemptio. *Ergo nunc*, ex quo sumus per gratiam liberati, *nihil damnationis est* residuum : quia tollitur damnatio et quantum ad culpam et quantum ad pœnam. Job XXXIV, 29 : *Ipso concedente pacem, quis est qui condemnet?* Secundo ostendit quibus hoc beneficium concedatur : et ponit duas conditiones quæ ad hoc requiruntur ; quarum primam ponit, dicens : *His qui sunt in Christo Jesu*, idest qui sunt ei incorporati per fidem et dilectionem et fidei sacramentum. Gal. III, 27 : *Omnes quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Joan. XIV, 4 : *Sicut palmes non potest ferre fructum nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis*. Illis vero qui non sunt in Christo Jesu, damnatio debetur : unde ibidem VI subditur : *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet* ; *et colligent eum et in ignem mittent, et ardet*. Secundam conditionem ponit, dicens : *Qui non secundum carnem ambulant* ; idest, concupiscentiam carnis non sequuntur. II Cor. X, 3 : *In carne ambulantes, non secundum carnem militamus*.

Ex his autem verbis aliqui volunt accipere quod in infidelibus, qui non sunt in Christo Jesu, etiam primi motus sint peccata mortalia, quamvis eis non consentiant : quod est secundum carnem ambulare. Si enim illi qui non secundum carnem ambulant, ex hoc non eis damnabile est quod carne serviunt legi peccati secundum primos concupiscentiæ motus, quia sunt in Christo Jesu ; sequitur a contrario sensu, quod illis qui non sunt in Christo Jesu, hoc sit damnabile. Ad hoc etiam rationem inducunt : dicunt enim quod necesse est actum damnabilem esse qui procedit ex habitu damnabilis peccati. Peccatum autem originale est damnabile, quia privat hominem æterna vita, cujus habitus manet in infideli, cui non est originalis culpa dimissa. Quilibet ergo motus concupiscentiæ ex originali peccato proveniens, est in eis peccatum damnabile.

Primo autem ostendendum est hanc positionem esse falsam. Primus enim motus habet quod non sit peccatum mortale ex eo quod rationem non attingit, in qua completur ratio peccati ; ista autem causa etiam in infidelibus manet : unde in infidelibus primi motus non possunt esse peccata mortalia. Præterea in eadem specie peccati gravius peccat fidelis quam infidelis, secundum illud Heb. X, 29 : *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit*. Si ergo primi motus in infidelibus essent

peccata mortalia, multo magis in fidelibus.

Secundo respondendum est ad eorum rationes. Nam primo quidem ex littera Apostoli hoc habere non possunt. Non enim dicit Apostolus quod hoc solum non sit damnabile his qui sunt in Christo Jesu, quod carne serviunt legi peccati secundum concupiscentiæ motus, sed quod omnino nihil est eis damnationis : illis autem qui non sunt in Christo Jesu, est hoc ipsum damnabile. Præterea, si hoc ad primos motus referatur, his qui non sunt in Christo Jesu, sunt damnabiles hujusmodi motus secundum damnationem originalis peccati, quæ adhuc in eis manet, a qua sunt liberati hi qui sunt in Christo Jesu ; non autem sic quod per hujusmodi motus nova addatur eis damnatio. Quod etiam secundo objiciunt, non ex necessitate concludit quod intendunt. Non enim verum est quod actus quilibet procedens ex habitu peccati damnabilis, sit etiam et ipse damnabilis ; sed solum quando est actus perfectus per consensum rationis. Si enim in aliquo sit habitus adulterii, motus concupiscentiæ adulterii, qui est actus imperfectus, non est in eo peccatum mortale ; sed solum motus perfectus, qui est per consensum rationis ; et præterea actus ex tali habitu procedens, non habet aliam rationem damnationis ab ea quæ est secundum rationem habitus. Et secundum hoc, primi motus in infidelibus ex eo quod procedunt a peccato originali, non afferunt damnationem peccati mortalis, sed solum originalis.

Deinde cum dicit : *Lex enim spiritus vitæ* etc., probat quod dixerat : et primo quantum ad primam conditionem qua dixerat, nihil esse damnationis his qui sunt in Christo Jesu ; secundo quantum ad secundam conditionem qua dixerat. *Qui non secundum carnem ambulant*, ibi, *Qui non secundum carnem ambulamus* etc. Circa primum duo facit. Primo ponit probationem ; secundo manifestat quod supposuerat per causam, ibi, *Nam quod impossibile erat legi* etc. Circa primum ponit talem rationem. Lex spiritus liberat hominem a peccato et morte ; sed lex spiritus est in Jesu Christo : ergo per hoc quod aliquis est in Christo Jesu, liberatur a peccato et morte. Quod autem lex spiritus liberet a peccato et morte, sic probat. Lex spiritus est causa vitæ : sed per vitam excluditur peccatum et mors quæ est effectus peccati : nam et ipsum peccatum est spiritualis mors animæ : ergo lex spiritus liberat hominem a peccato et morte. Damnatio autem non est nisi per peccatum et mortem : ergo his qui sunt Christo Jesu, nihil damnationis existit. Hoc est ergo quod dicit : *Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis*. Quæ quidem lex potest dici uno modo Spiritus sanctus, ut sit sensus. *Lex spiritus*, idest lex quæ est Spiritus : lex enim ad hoc datur ut per eam homines inducantur ad bonum : unde et Philosophus in II *Ethic.* cap. I, dicit, quod intentio legislatoris est cives facere bonos : quod quidem lex humana facit, solum notificando quid fieri debeat ; sed Spiritus sanctus mentem inhabitans non solum docet quid oporteat fieri intellectum illuminando de agendis, sed etiam affectum inclinat ad recte agendum. Joan. XIV, 26 : *Paraclytus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia* (quantum ad primum) *et suggeret vobis omnia* (quantum ad secundum) *quæcumque dixero vobis.* Alio modo lex spiritus potest dici proprius effectus Spiritus sancti, scilicet fides per dilectionem operans : quæ quidem et docet interius de agendis secundum illud I Joan. II, 27 : *Unctio docebit vos de omnibus* : et inclinat affectum ad agendum, secundum illud II Corinth. V, 14 : *Caritas Christi urget nos.* Et hæc quidem lex spiritus, dicitur lex nova, quæ vel est ipse Spiritus sanctus, vel eam in cordibus nostris Spiritus sanctus facit. Hier. XXXI, 33 : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum superscribam eam.* De lege autem veteri supra dixit solum quod erat spiritualis, idest a Spiritu sancto data : et sic prædicta considerantes inveniemus quatuor leges ab Apostolo esse inductas. Primo legem Moysi, de qua dicit supra VII, 12 : *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem.* Secundo legem fomitis, de qua dicit ibidem 23 : *Video aliam legem in membris meis.* Tertio legem naturalem secundum unum sensum, de qua subdit ibid. 23 : *Repugnantem legi mentis meæ.* Quarto tradit legem novam, cum dicit, *Lex spiritus* : et addit *Vitæ*, quia sicut spiritus naturalis facit vitam naturæ, sic Spiritus divinus facit vitam gratiæ. Joan. VI, 64 : *Spiritus est qui vivificat.* Ezech. I, 20 : *Spiritus vitæ erat in rotis.* Addit autem, *In Christo Jesu*, quia scilicet iste Spiritus

non datur nisi his qui sunt in Christo Jesu : sicut enim spiritus naturalis non pervenit ad membrum quod non habet connexionem ad caput, ita Spiritus sanctus. I Joan. III, 24 : *In hoc scimus quod ipse manet in nobis, quia de Spiritu suo dedit nobis.* Act. V, 31 : *Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.* Hæc, inquam, lex, ex eo quod est in Christo Jesu *liberavit me.* Joan. VIII, 36 : *Si Filius vos liberaverit, vere liberi estis.* Et hoc *a lege peccati*, idest a lege fomitis, quæ inclinat ad peccatum : vel *a lege peccati,* idest a consensu et operatione peccati, quod hominem tenet ligatum per modum legis. Per Spiritum enim sanctum remittitur peccatum. Joan. XX, 12 : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Et mortis,* non solum spiritualis, sed etiam corporalis, ut infra probabitur. Et hoc ideo quia est spiritus vitæ. Ezech. XXXVII, 9 : *A quatuor ventis veni spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant.* Deinde cum dicit, *Nam quod impossibile erat legi* etc, manifestat quod dixerat, scilicet quod lex vitæ quæ est in Christo Jesu, liberat a peccato. Nam quod liberet a morte, infra probabit. Et hoc probat per causam, quæ sumitur ex incarnatione Christi : circa quam tria ponit. Primo necessitatem incarnationis ; secundo modum incarnationis, ibi, *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati;* tertio incarnationis fructum, ibi, *Et de peccato damnavit peccatum.* Et ut planior fiat expositio, accipiemus primo secundum, secundo tertium, tertio primum, hoc modo. Recte dico, quod lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberat a peccato : *nam Deus* Pater *Filium suum*, idest proprium consubstantialem sibi et coæternum Psal. II, 7 : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te mittens*, non de novo creans vel faciens; sed quasi præexistentem misit. Matth. XXI, 37 : *Novissime misit ad eos filium suum* : non quidem ut esset ubi non erat, quia ut dicitur Joan. I, 10, *in mundo erat*, sed ut esset modo quo non erat in mundo, idest visibiliter per carnem assumptam : unde ibidem sequitur 14 : *Verbum caro factum est... et vidimus gloriam ejus.* Bar. III, 38 : *Post hoc in terris visus est.* Et ideo hic subditur : *In similitudinem carnis peccati* : quod non est sic intelligendum quasi veram carnem non habuerit, sed solum carnis similitudinem quasi phantasticam, sicut Manichæi dicunt ; cum ipse Dominus dicat Luc. ult. 39 : *Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Unde non subdit solum, *In similitudinem carnis*, sed *in similitudinem carnis peccati ;* non enim habuit carnem peccati, idest cum peccato conceptam, quia caro ejus fuit concepta per Spiritum sanctum, qui tollit peccatum. Matth. I, 20 : *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Unde Psal. XXV, 11, dicit : *Ego in innocentia mea ingressus sum*, scilicet in mundum. Sed habuit similitudinem carnis peccati, idest similem carni peccatrici in hoc quod erat passibilis : nam caro hominis ante peccatum passioni subjecta non erat. Heb. II, 17 : *Debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret.* Subdit autem duplicem effectum incarnationis : quorum primus est remotio peccati, quam ponit dicens : *De peccato damnavit peccatum in carne* : quod quidem potest legi : *De peccato*, idest pro peccato commisso in carne Christi, diabolo instigante, ab occisoribus ejus, *damnavit*, idest destruxit, *peccatum* : quia cum diabolus innocentem, in quo nihil juris habebat, attentavit morti tradere, justum fuit ut potestatem amitteret. Et ideo per suam passionem et mortem dicitur peccatum destruxisse. Col. II, 15 : *Expolians*, scilicet in cruce, *principatus et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Sed melius est ut dicatur : *Damnavit peccatum in carne*, idest debilitavit fomitem peccati in carne nostra, *de peccato*, idest ex virtute passionis suæ et mortis ; quæ dicitur peccatum propter similitudinem peccati, ut dictum est ; vel quia per hoc factus est hostia pro peccato, quæ in sacra Scriptura dicitur peccatum. Oseæ IV, 8 : *Peccata populi mei comedent.* Unde dicit II Corinth. VI, 21 : *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis Deus fecit peccatum*, idest hostiam pro peccato. Et ita satisfaciendo pro nostro peccato, abstulit peccatum mundi. Joan. I, 29 : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Secundum effectum ponit consequenter, dicens : *Ut justificatio legis*, idest justitia quam lex promittebat, et quam ex lege aliqui sperabant, *impleretur*, idest perficeretur, *in nobis*, existentibus scilicet in Christo Jesu. Infra IX, 30 : *Gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam quæ est ex fide ;* et II Corinth. V, 21, cum dixisset,

Eum qui non noverat peccatum, Deus pro nobis fecit peccatum, subdit : *Ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Hoc aliter fieri non poterat quam per Christum ; et ideo præmisit, quod scilicet damnare potest peccatum in carne, et implere justificationem, *quod erat impossibile legi* Moysi. Hebr. vii, 19 : *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Et hoc quidem erat legi impossibile, non propter defectum legis, *sed in quo*, idest inquantum, *infirmabatur per carnem*, idest propter infirmitatem carnis, quæ erat in homine ex corruptione fomitis, ex qua proveniebat quod, etiam lege data, homo a concupiscentia vincebatur. Matth. xxvi, 41 : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* : et supra vi, 19 : *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ.* Et ex hoc patet quod necesse fuit Christum incarnari : unde et Galat. ii, 21, dicitur : *Si per legem est, justitia, Christus gratis mortuus est*, idest sine causa. Ideo ergo necessarium fuit Christum incarnari, quia lex justificare non poterat.

Deinde cum dicit, *Qui non secundum carnem ambulamus*, probat propositum quantum ad secundam conditionem, ostendens quod ad hoc quod aliqui damnationem evadant, requiritur quod non secundum carnem ambulent : et circa hoc tria facit. Primo proponit quod intendit ; secundo probat propositum, ibi, *Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt;* tertio manifestat quoddam quod in probatione supposuerat, ibi, *Quoniam sapientia carnis inimica est Deo.* Dicit ergo primo : Dictum est, quod justificatio legis impletur in nobis, qui scilicet non solum sumus in Christo Jesu, sed etiam non ambulamus secundum carnem, sed secundum spiritum, idest qui non sequimur concupiscentias carnis, sed instinctum Spiritus sancti. Galat. v, 16 : *Spiritu ambulate.* Deinde cum dicit, *Qui enim secundum carnem sunt* etc., probat quod dixerat : et inducit duos syllogismos : unum quidem ex parte carnis, qui est talis : Quicumque sequuntur prudentiam carnis, ducuntur ad mortem : sed quicumque sunt secundum carnem, sequuntur prudentiam carnis : ergo quicumque sunt secundum carnem, ducuntur ad mortem. Alium syllogismum ponit ex parte spiritus, qui est talis : Quicumque sequuntur prudentiam spiritus, consequuntur vitam et pacem ; sed quicumque sunt secundum spiritum, sequuntur prudentiam spiritus : ergo quicumque sunt secundum spiritum, sequuntur vitam et pacem. Et sic patet quod illi qui non ambulant secundum carnem, sed secundum spiritum, liberantur a lege peccati et mortis. Primo ergo ponit minorem primi syllogismi dicens : *Qui enim secundum carnem*, idest qui carni subduntur quasi ei subjecti : infra xvi, 18 : *Hujusmodi Domino non serviunt, sed suo ventri : sapiunt ea quæ sunt carnis* : ac si dicat, Habent sapientiam carnis : sapere enim quæ sunt carnis, est approbare et judicare bona esse quæ sunt secundum carnem. Matth. xvi, 23 : *Non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominis.* Hier. iv, 22 : *Sapientes sunt ut faciant mala.* Secundo ponit minorem secundi syllogismi, dicens : *Qui vero sunt secundum spiritum*, id est qui Spiritum sanctum sequuntur, et secundum eum ducuntur, secundum illud Galat. v, 18 : *Si spiritu ducimini, non estis sub lege : sentiunt ea quæ sunt spiritus;* idest, habent rectum sensum in rebus spiritalibus, secundum illud Sap. i, 1 : *Sentite de Domino in bonitate.* Et horum ratio est, quia, sicut Philosophus dicit in III *Ethic.* cap. xiii, qualis est unusquisque, talis finis uidetur ei. Unde ille cujus est animus informatus per habitum bonum vel malum, existimat de fine secundum exigentiam illius habitus. Tertio ponit majorem primi syllogismi, dicens : *Nam prudentia carnis mors est.* Ad cujus intellectum oportet scire quod prudentia est recta ratio agibilium, ut dicit Philosophus VI *Ethic.* cap. iv. Recta autem ratio agendorum unum præsupponit, et tria facit : præsupponit enim finem, qui est sicut principium in agendis ; sicut et ratio speculativa præsupponit principia, ex quibus demonstrat ; facit autem recta ratio agibilium tria : nam primo recte consiliatur ; secundo recte judicat de consiliatis ; tertio recte et constanter præcipit quod consiliatum est [1]. Sic ergo ad prudentiam carnis requiritur quod aliquis præsupponat pro fine delectabile carnis, et quod consilietur et judicet, et præcipiat ea quæ conveniunt ad hunc finem : unde talis prudentia *est mors*, id est causa mortis æternæ. Gal. ult. 8 : *Qui seminat in carne, de carne et metet corruptionem.* Quarto ponit majorem secundi

[1] Al : « judicatum est. »

syllogismi, dicens : *Prudentia autem spiritus, vita et pax.* Dicitur autem secundum prædicta, prudentia spiritus, quando aliquis præsupposito fine spiritualis boni, consiliatur et judicat et præcipit quæ ordinantur convenienter ad hunc finem : unde talis prudentia est *vita*, id est causa vitæ, gratiæ et gloriæ : Gal. ult. VIII. *Qui seminat in spiritu, de spiritu et metet vitam æternam* : et est *pax*, idest causa pacis : nam pax causatur a Spiritu sancto. Psal. CXVIII, 165 : *Pax multa diligentibus legem tuam, Domine*, Gal. V, 22 : *Fructus Spiritus, caritas, gaudium et pax.*

LECTIO II.

Quoniam sapientia carnis inimica est Deo; legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu; si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem. Quod si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis ; qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. Ergo, fratres, debitores sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus : si enim secundum carnem vixeritis, moriemini ; si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

Supposuerat Apostolus in præcedentibus quod prudentia carnis mors est ; et hoc quidem nunc probare intendit : et primo probat propositum ; secundo ostendit fideles quibus scribit, a tali prudentia esse alienos, ibi, *Vos autem in carne non estis.* Circa primum duo facit. Primo propositum probat de prudentia carnis in abstracto ; secundo id quod de prudentia carnis dixerat, adaptat eis qui prudentiam carnis sequuntur, ibi, *Qui autem in carne sunt* etc. Circa primum ponit tria media, quorum posterius probat prius. Per primum autem probat id quod supra positum est, scilicet quod prudentia carnis sit mors, hoc modo. Qui inimicatur Deo, incurrit mortem. Luc. XIX, 27 : *Verumtamen inimicos meos, illos qui noluerunt me regnare supra se, adducite huc, et interficite ante me.* Et hoc quia Deus vita nostra est : Deut. XXX, 20 : *Ipse est enim vita tua.* Et ideo ille qui inimicatur Deo, incurrit mortem ; sed *prudentia carnis inimica est Deo* : ergo prudentia carnis est causa mortis.

Ubi notandum est, quod id quod supra dixerat prudentiam carnis, nunc nominat carnis sapientiam : non quod idem sit sapientia simpliciter et prudentia, sed quia in rebus humanis est prudentia. Prover. X, 23 : *Sapientia est viro prudentia.* Ad cujus intellectum sciendum, quod sapiens simpliciter dicitur qui cognoscit causam altissimam, ex qua omnia dependent ; causa autem suprema omnium[1] Deus est : unde sapientia simpliciter est cognitio divinarum rerum, ut Augustinus dicit in lib. XIV *De Trinit.* cap. I. I Cor. II, 6 : *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Dicitur autem sapiens in unoquoque genere qui cognoscit altissimam causam illius generis ; sicut in arte ædificatoria dicitur sapiens, non ille qui scit dolore ligna et lapides, sed ille qui concipit et disponit convenientem formam domus : ex hoc enim totum artificium dependet : unde et Apostolus dicit I Cor. III, 10 : *Ut sapiens architectus fundamentum posui.* Sic igitur sapiens in rebus humanis dicitur qui bonam æstimationem habens de fine humanæ vitæ, secundum hoc ordinat totam humanam vitam, quod pertinet ad prudentiam. Et ita sapientia carnis est idem quod carnis prudentia : De hac sapientia dicitur Jac. III, 15 : *Non est de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.*

Dicitur autem hæc sapientia a Deo inimica, quia contra legem Dei, hominem inclinat. Job, XV, 26 : *Cucurrit adversus Deum collo erecto, et pingui cervice.* Et ideo ad hoc probandum inducit aliud medium, subdens : *Legi enim Dei non est subjecta.* Non enim potest aliquis Deum odire secundum quod in se est, cum Deus sit ipsa essentia bonitatis ; sed secundum hoc aliquis peccator Deum odit quod præceptum divinæ legis est contrarium suæ voluntati ; sicut adulter odit Deum inquantum odit hoc præceptum, Non mœchaberis. Et sic omnes peccatores, inquantum nolunt subjici legi Dei, sunt inimici Dei. II Paralip. XIX, 2 : *His qui oderunt Deum, amicitia jungeris.* Unde convenientes probat quod prudentia vel sapientia carnis sit inimica Deo, quia non est subjecta legi Dei. Probat autem hoc per tertium medium, dicens : *Non enim*

[1] Al. : « suprema simpliciter omnium. »

potest. Prudentia enim carnis vitium est quoddam, ut ex prædictis patet. Quamquam autem ille qui subjectus est vitio, possit liberari a vitio, et subjici Deo, secundum illud supra VI, 22 : *Liberati a peccato, servi facti Deo*; tamen ipsum vitium Deo subjici non potest, cum ipsum vitium sit aversio a Deo, vel a lege Dei : sicut ille qui est niger, potest fieri albus, sed ipsa nigredo nunquam potest fieri alba. Et secundum hoc dicitur Matth. VII, 18 : *Non potest arbor mala fructus bonos facere.* Ex quo patet quod non recte Manichæi ad confirmationem sui erroris hæc verba assumunt, volentes per hæc verba ostendere naturam carnis non esse a Deo, cum sit inimica Deo, nec possit Deo subjici ; non enim agit Apostolus hic de carne ista quæ est creatura Dei, sed de prudentia carnis, quæ est vitium hominis, ut dictum est. Deinde cum dicit, *Qui autem in carne sunt* etc. : adaptat quod dixerat de prudentia carnis, ad homines quibus prudentia carnis dominatur, dicens : *Qui autem in carne sunt*, id est qui concupiscentias carnis sequuntur per prudentiam carnis : quamdiu tales sunt, *Deo placere non possunt* : quia, ut in Ps. CXLIV, 11, dicitur, *beneplacitum est Deo super timentes eum.* Unde illi qui ei non subjiciuntur non possunt ei placere, quamdiu tales sunt; possunt autem desinere esse in carne secundum modum prædictum, et tunc Deo placebunt.

Deinde cum dicit, *Vos autem in carne non estis*, ostendit eos, quibus loquitur, esse immunes a prudentia carnis ; et circa hoc tria facit. Primo ponit fidelium statum, dicens : *Vos autem non estis in carne ;* et sic patet non esse intelligendum de carnis natura : Romani enim, quibus loquebatur, mortales erant carne induti. Sed carnem accipit pro vitiis carnis, secundum illud I Corinth. VI, 50 : *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt*[1]. Unde dicit : *Vos non estis in carne*; id est, non estis in vitiis carnis, quasi secundum carnem viventes : II Cor. X, 3 : *In carne viventes, non secundum carnem militamus* : *sed in spiritu ;* id est, spiritum sequimini. Apoc. I, 10 : *Fui in spiritu dominica die.* Secundo apponit conditionem, dicens : *Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis*, scilicet per caritatem. I Cor. III, 16 : *Templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis.* Apponit autem hanc conditionem, quia quamvis in baptismo Spiritum sanctum receperint, potuisset tamen contingere quod per peccatum superveniens Spiritum sanctum amisissent : de quo dicitur Sap. I, quod corripitur a superveniente iniquitate. Tertio ostendit conditionem hanc oportere in eis extare, dicens : *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* : sicut non est membrum Christi qui Spiritum Christi non habet. I Joan. IV, 13 : *In hoc scimus quoniam manet in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Est autem notandum, quod idem est Spiritus Christi et Dei Patris ; sed dicitur Dei Patris, inquantum a Patre procedit ; dicitur Spiritus Christi, inquantum procedit a Filio. Unde etiam Dominus ubique attribuit eum simul sibi et Patri, sicut Joan. XIV, 29 : *Paraclytus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Item XV, 26 : *Cum venerit Paraclytus, quem ego mittam vobis a patre.*

Deinde cum dicit, *Si autem Christus in vobis est*, ostendit quod per gratiam Christi, sive per Spiritum sanctum, liberamur a pœna : et primo ostendit quod liberamur per Spiritum sanctum in futuro a morte corporali ; secundo, quod interim in hac vita adjuvamur a Spiritu sancto contra infirmitates præsentis vitæ, ibi, *Similiter autem Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* Circa primum tria facit. Primo proponit quod intendit ; secundo ex hoc infert quoddam corollarium, ibi, *Ergo, fratres debitores* etc. ; tertio probat propositum, ibi, *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Circa primum considerandum est, quod supra mentionem fecerat de Spiritu Dei et de Spiritu Christi, quamvis sit unus et idem Spiritus. Primo ergo ostendit quid consequamur ex eo, inquantum est Spiritus Dei Patris, ibi, *Quod si Spiritus ejus* etc. Dicit ergo : Dictum est quod *si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* : unde cum vos sitis Christi, Spiritum Christi habetis, et ipsum Christum in vobis habitantem per fidem, secundum illud Eph. III, 17 : *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Si autem Christus sic in vobis est, oportet vos Christo esse conformes. Christus autem sic venit in mundum ut quantum ad spiritum esset plenus gratia

[1] Al. : « non possidebunt. »

et veritate ; et tamen quantum ad corpus, habet similitudinem carnis peccati, ut supra dictum est. Unde et hoc oportet esse in vobis, quod *corpus quidem vestrum*, *propter peccatum*, quod adhuc manet in carne vestra, *mortuum est ;* idest, necessitati mortis addictum, sicut Genes. II, 17, dicitur : *Quacumque die comederitis, morte moriemini* ; idest necessitati mortis addicti eritis : *spiritus vero* vester [1], qui jam renovatus est [2] a peccato, secundum illud Ephes. IV, 23 : *Renovamini spiritu mentis vestræ*, *vivit* vita gratiæ, *propter justificationem*, per quam justificatur a Deo. Galat. II, 20 : *Quod autem nunc vivo in carne*, *in fide vivo Filii Dei.* Supra I, 17 : *Justus ex fide vivit.* Deinde cum dicit, *Quod si Spiritus ejus* etc., ostendit quid consequamur ex Spiritu sancto [3], inquantum est Spiritus Patris, dicens, *Quod si habitat in vobis Spiritus ejus*, scilicet Dei Patris, *qui suscitavit Jesum Christum a mortuis*, Ps. XL, 11 : *Tu autem*, *Domine*, *miserere mei*, *et resuscita me.* Act. III, 15 : *Hunc Deus suscitavit a mortuis* : et tamen ipse Christus propria virtute resurrexit, quia eadem est virtus Patris et Filii : consequens est quod id quod Deus Pater fecit in Christo, faciat etiam in nobis : et hoc est quod subdit : *Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis*, *vivificabit et mortalia corpora vestra.* Non dicit mortua, sed *mortalia :* quia in resurrectione non solum a corporibus nostris auferetur quod sint mortua, idest necessitatem mortis habentia, sed etiam quod sint mortalia, idest potentia mori, quale fuit corpus Adam [4] ante peccatum : nam post resurrectionem corpora nostra erunt penitus immortalia. Isa. XXVI, 19 : *Vivent mortui tui*, *interfecti mei resurgent.* Oseæ VI, 3 : *Vivificabit nos post duos dies.* Et hoc *propter inhabitantem Spiritum ejus in nobis ;* idest, in virtute Spiritus sancti in nobis habitantis. Ezech. XXXVII, 5 : *Hæc dicit Dominus Deus ossibus his* : *Ecce ego intromittam in vobis spiritum*, *et vivetis.* Et hoc *propter inhabitantem Spiritum*, idest propter dignitatem quam corpora nostra habent, eo quod fuerunt receptacula Spiritus sancti. I Corinth. VI, 19 : *Nescitis quod membra vestra templum sunt Spiritus sancti?* Illi vero quorum membra non fuerunt templum Spiritus sancti, resurgent, sed habebunt corpora passibilia.

Deinde cum dicit, *Ergo debitores sumus* etc., concludit corollarium ex dictis : et primo ponit conclusionem ; secundo rationem assignat, ibi, *Si enim secundum carnem vixeritis*, *moriemini.* Dicit ergo primo : Dictum est, quod per Spiritum sanctum multa bona nobis proveniunt, et quod ex prudentia carnis sequitur mors : *ergo debitores sumus* Spiritui sancto propter beneficia ab eo recepta, ut vivamus secundum spiritum et non secundum carnem. Gal. V, 25 : *Si spiritu vivimus*, *spiritu et ambulemus.* Deinde cum dicit, *Si enim secundum carnem vixeritis* etc., assignat rationem conclusionis præmissæ : et primo quantum ad carnem, dicens : *Si enim secundum carnem vixeritis*, scilicet sequendo concupiscentias carnis, *moriemini*, scilicet morte culpæ in præsenti, et morte damnationis in futuro. I Timoth. V, 6 : *Quæ in deliciis vivens*, *mortua est.* Secundo assignat rationem quantum ad spiritum, dicens : *Si autem spiritu*, idest per spiritum, *mortificaveritis facta carnis*, idest opera quæ ex concupiscentia carnis proveniunt, *vivetis*, vita gratiæ in præsenti, et vita gloriæ in futuro. Coloss. III, 5 : *Mortificate membra vestra*, *quæ sunt super terram.* Galat. V, 24 : *Qui Christi sunt*, *carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.*

LECTIO III.

Quicumque enim Spiritus Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore ; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum : in quo clamamus, Abba, pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, et heredes ; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Si tamen compatimur, ut et glorificemur.

Postquam Apostolus ostendit [5] quod per Spiritum sanctum dabitur nobis vita gloriosa, quæ omnem mortalitatem a corporibus nostris excludet, hic probationem inducit : et primo ostendit quod per Spiritum sanctum hujusmodi gloriosa vita datur ; secundo ostendit causam

[1] Al. *vivit.* — [2] Al. : « revocatus est. » — [3] Al. : « in Spiritu sancto. » — [4] Al. omittitur : « Adam. » — [5] Al. : « proposuit. »

quare differtur, ibi, *Si tamen compatimur ut et glorificemur*. Circa primum ponit talem rationem. Quicumque sunt filii Dei, consequuntur hereditatem [1] gloriosæ vitæ : sed quicumque reguntur Spiritu sancto, sunt filii Dei : ergo quicumque reguntur Spiritu sancto, consequuntur hereditatem gloriosæ vitæ. Primo ergo ponit minorem prædictæ rationis ; secundo majorem, ibi, *Si autem filii et heredes*. Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi, *Non enim accepistis spiritum servitutis*.

Circa primum duo consideranda sunt. Primo quidem quomodo aliqui aguntur a Spiritu Dei; et potest sic intelligi. *Quicumque Spiritu Dei aguntur*, id est reguntur [2], sicut a quodam doctore et directore : quod quidem in nobis facit Spiritus, scilicet inquantum illuminat nos interius quid facere debeamus, Psalm. CXLII, 10 : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*. Sed quia ille qui ducitur, ex seipso non operatur : homo autem spiritualis non tantum instruitur a Spiritu sancto quid agere debeat, sed etiam cor ejus a Spiritu sancto movetur; ideo plus intelligendum est in hoc quod dicitur : *Quicumque Spiritu Dei aguntur*. Illa enim agi dicuntur quæ quodam superiori instinctu moventur : unde de brutis dicimus quod non agunt, sed aguntur, quia a natura moventur, et non ex proprio motu, ad suas actiones agendas. Similiter autem homo spiritualis non quasi ex motu propriæ voluntatis principaliter, sed ex instinctu Spiritus sancti inclinatur ad aliquid agendum, secundum illud Isa. LIX, 19 : *Cum venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Dei cogit:* et Luc. IV, quod Christus agebatur a Spiritu in desertum. Non tamen per hoc excluditur quin viri spirituales per voluntatem et liberum arbitrium operentur, quia ipsum motum voluntatis et liberi arbitrii Spiritus sanctus in eis causat, secundum illud Phil. II, 13 : *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere*.

Secundo considerandum est, quomodo illi qui Spiritu Dei aguntur, sunt filii Dei. Et hoc est manifestum ex similitudine filiorum carnalium, qui per semen carnale a Patre procedentes generantur. Semen autem spirituale a Patre procedens, est Spiritus sanctus : et ideo per hoc semen aliqui homines in filios Dei generantur. I. Joan. III, 9 : « Omnis *qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen Dei manet in eo*.

Deinde cum dicit : *Non enim accepistis spiritum servitutis*, probat propositum, scilicet quod Spiritum sanctum accipientes, sint homines filii Dei ; et hoc tripliciter [3]. Primo quidem ex distinctione donorum Spiritus sancti ; secundo ex confessione nostra, ibi, *In quo clamamus, Abba, pater* ; tertio [4] ex testimonio Spiritus, ibi, *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro*.

Circa primum considerandum est, quod Spiritus sanctus duos effectus facit in nobis : unum quidem timoris : Isa. XI, 3 : *Replebit eum Spiritus timoris Domini* : alium amoris : supra V, 5 : *Caritas Dei diffusa est per Spiritum sanctum in cordibus nostris, qui datus est nobis*. Timor autem facit servos, non autem amor. Ad cujus evidentiam considerari oportet, quod timor habet duo objecta : scilicet malum, quod quis timendo refugit, et illud a quo sibi hoc malum imminere videt. Dicitur enim homo timere et occisionem, et regem, qui potest occidere. Contingit autem quandoque quod malum quod quis refugit, est contrarium bono corporali vel temporali, quod quis interdum inordinate amat : et refugit pati ab aliquo homine temporali : et hic est timor humanus vel mundanus ; et hic non est a Spiritu sancto ; et hunc prohibet Dominus Matth. X, 28 : *Nolite timere eos qui corpus occidunt*. Alius autem est timor qui refugit malum quod contrariatur naturæ creatæ, scilicet malum pœnæ, sed tamen refugit hoc pati a causa spirituali, scilicet a Deo; et hic timor est laudabilis quantum ad hoc saltem quod Deum timet. Deut. V, 29 : *Quis det eos talem habere mentem ut timeant me*? et secundum hoc a Spiritu sancto est. Sed inquantum talis timor non refugit malum quod opponitur bono spirituali, scilicet peccatum, sed solum pœnam, non est laudabilis : et istum defectum non habet a Spiritu sancto, sed ex culpa hominis : sicut et fides informis, quantum ad id quod est fidei, est a Spiritu sancto, non autem ejus informitas. Unde etsi per hujusmodi timorem aliquis bonum facit, non tamen

[1] Al. : « æternitatem. » — [2] Al. omittitur : « id est reguntur. » — [3] Al. : « et hoc dupliciter. » — [4] Al. omittitur hoc divisionis membrum.

bene facit : quia non facit sponte, sed coactus metus pœnæ, quod proprie est servorum. Et ideo timor iste proprie dicitur servilis, quia serviliter facit hominem operari. Est autem tertius timor qui refugit malum quod opponitur bono spirituali, scilicet peccata vel separationem a Deo, et hoc quidem timet incurrere ex juxta Dei vindicta : et sic quantum ad utrumque objectum, respicit rem spiritualem, sed tamen cum hoc habet oculum ad pœnam : et iste timor dicitur esse initialis, quia solet esse in hominibus in initio suæ conversionis : timent enim pœnam propter peccata præterita, et timent separari a Deo per peccatum gratiam caritatis infusam : et de hoc dicitur in Psalm. cx, 10 : *Initium sapientiæ timor Domini.* Est autem quartus timor qui ex utraque parte oculum habet solum ad rem spiritualem, quia nihil timet nisi a Deo separari; et iste *timor* est sanctus, qui *permanet in sæculum sæculi*, ut in Psalm. xviii, dicitur. Sicut autem timor initialis causatur ex caritate imperfecta, ita hic timor causatur ex caritate perfecta. I Joan. iv, 18 : *Perfecta caritas foras mittit timorem.* Et ideo timor initialis et timor castus, non distinguuntur contra amorem caritatis, qui est causa utriusque ; sed solum timor pœnæ : quia sicut hic timor facit servitutem, ita amor caritatis facit libertatem filiorum ; facit enim hominem voluntarie ad honorem Dei operari, quod est proprie filiorum. Lex igitur vetus data est in timore : quod significabant tonitrua, et alia hujusmodi quæ facta sunt in donatione veteris legis, ut dicitur Exod. xix ; et ideo dicitur Heb. xii, 21 : *Et ita terribile erat quod videbatur.* Et ideo lex vetus per inflictionem pœnarum, inducens ad mandata Dei servanda, data est in spiritu servitutis : unde dicitur Gal. iv, 24 : *Unum quidem in monte Sina in servitutem generans.* Et ideo hic dicit : Recte dictum est, quod *qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei* : *non enim iterum* in nova lege, sicut in veteri lege fuit, *accepistis spiritum servitutis in timore*, scilicet pœnarum, quem timorem Spiritus sanctus faciebat ; *sed accepistis spiritum*, scilicet caritatis, qui est *adoptionis filiorum*, id est per quem adoptamur in filios Dei Gal. iv, 5 : *Ut adoptionem filiorum reciperemus.* Non autem hoc dicitur quasi sit alius et alius spiritus, sed quia idem est spiritus, scilicet qui in quibusdam facit timorem servilem quasi imperfectum, in aliis facit amorem quasi quoddam perfectum.

Deinde cum dicit, *In quo clamamus* etc., manifestat idem per nostram confessionem : profitemur enim nos patrem habere Deum instructi a Domino, cum dicimus orantes, *Pater noster qui es in cœlis* : ut habetur Matth. vi, 9. Hoc autem convenit dicere non solum Judæis, sed etiam Gentibus ; et ideo duo ponit idem significantia, scilicet *Abba*, quod est Hebræum, et *Pater*, quod est Latinum vel Græcum, ut ostendat hoc ad utrumque populum pertinere. Unde et Dominus Mar. xiv, 36 : *Abba Pater, omnia possibilia sunt tibi.* Hier. iii, 19 : *Patrem vocabis me.* Hoc autem dicimus non tantum sono vocis, quantum intentione cordis, quæ quidem propter sui magnitudinem clamor dicitur : sicut et ad Moysem tacentem dicitur Exod. xix, 15 : *Quid clamas ad me?* scilicet intentione cordis. Sed ista magnitudo intentionis ex affectu filialis amoris procedit, quem in nobis Spiritus[1] facit ; et ideo dicit : *In quo*, Spiritu sancto, *Clamamus*, *Abba pater.* Unde Isa. vi, dicitur, quod *Seraphim*, qui interpretantur ardentes, quasi igne Spiritus sancti, *clamabant alter ad alterum.*

Deinde cum dicit, *Ipse enim Spiritus testimonium reddit*, ostendit idem ex testimonio Spiritus sancti, ne forte aliquis dicat, quod in nostra confessione decipimur : unde dicit : Ideo, dico, quod in Spiritu sancto *clamamus Abba Pater* : *ipse enim Spiritus testimonium reddit, quod sumus filii Dei.* Hic autem testimonium reddit, non quidem exteriori voce[2] ad aures hominum, sicut Pater protestatus est de Filio suo Matth. iii ; sed reddit testimonium per effectum amoris filialis, quem in nobis facit; et ideo dicit, quod *testimonium reddit*, non auribus, *sed spiritui nostro, quod sumus Filii Dei.* Act. iii, 15 : *Nos testes sumus horum verborum.*

Deinde cum dicit, *Si autem filii, et heredes*, ponit majorem : et primo ostendit quod filiis debetur hereditas, dicens : Si autem aliqui filii, per spiritum scilicet, sequitur etiam quod sint heredes ; quia non solum filio naturali, sed etiam adoptivo debetur hereditas. I Pet. i.

[1] Al. : « scilicet. » — [2] Al. : « ipse Spiritus testimonium reddit, non quidem exteriori voce, etc. » intermediis omissis.

3 : *Regeneravit nos in spem vivam... in hereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem.* Psal. VI, 6 : *Hereditas mea præclara est mihi.* Secundo ostendit quæ sit ista hereditas : et primo describit eam quantum ad Deum Patrem, dicens : *Heredes quidem Dei.* Dicitur autem aliquis heres alicujus existere qui principalia ejus bona percipit seu adipiscitur, non autem qui aliqua munuscula recipit ; sicut legitur Genes. XXV, 5 : *Quod Abraham dedit cuncta quæ possedit, Isaac ; filiis autem concubinarum largitus est munera.* Bonum autem principale quo Deus dives est, est ipsemet : est enim dives per seipsum, et non per aliquid aliud : quia extrinsecorum bonorum non indiget, ut dicitur in Psal. XV. Unde ipsum Deum adipiscuntur filii Dei pro hereditate : unde Psalm. XV, 5 : *Dominus pars hereditatis meæ.* Thren. III, 24 : *Pars mea Dominus, dixit anima mea.*

Sed cum filius hereditatem non adipiscatur nisi patre defuncto, videtur quod homo non possit esse heres Dei qui nunquam decedit.

Dicendum est autem quod illud habet locum in bonis corporalibus [1], quæ simul a multis possideri non possunt; et ideo necesse est unum decedere, ut alius succedat : sed bona spiritualia simul a multis haberi possunt; et ideo non oportet patrem decedere, ut filii sint heredes. Potest tamen dici, quod Deus decedit nobis inquantum est in nobis per fidem; erit autem nostra hereditas inquantum videbimus eum per speciem.

Secundo describit hanc hereditatem ex parte Christi, dicens : *Coheredes autem Christi* : quia ipse cum sit principalis Filius, a quo nos filiationem participamus, ita est principalis heres, cui in hereditate conjungimur. Matth. XXI, 38 : *Hic est heres* etc. Mich. I, 15 : *Adhuc heredem adducam tibi.*

Deinde cum dicit, *Si tamen compatimur, ut et glorificemur*, ostendit causam dilationis hujus vitæ gloriosæ, et primo ponit causam ex parte passionum; secundo ponit præeminentiam gloriæ ad passiones, ibi, *Existimo enim* etc. Circa primum considerandum est, quod Christus, qui est principalis heres, ad hereditatem gloriæ pervenit per passiones. Luc. ult. 26 : *Nonne oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam.* Non autem nos faciliori modo debemus hereditatem adipisci ; et ideo nos etiam oportet per passiones ad illam hereditatem pervenire. Act. XIV, 21 : *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei* : non enim statim immortale et impassibile corpus accipimus, ut simul cum Christo pati possimus : unde dicit : *Si tamen compatimur*, id est simul cum Christo [2] patienter sustinemus tribulationes hujus mundi, *ut et* cum Christo *glorificemur.* II Tim. II, 2 : *Si commortui sumus, et conregnabimus.*

LECTIO IV.

Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe : quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc.

Postquam Apostolus demonstravit et dixit quod per gratiam Christi liberamur, nunc assignat causam dilationis immortalis vitæ [3], quæ est hereditas filiorum Dei, ex eo quod oportet nos Christo compati, ut ad ejus gloriæ societatem perveniamus. Et quia posset aliquis dicere, onerosam esse hereditatem hujusmodi, ad quam non potest nisi per tolerantiam passionum perveniri ; ideo hic ostendit excellentiam futuræ gloriæ ad passiones præsentis temporis ; et primo ponit quod intendit; secundo probat [4] propositum, ibi, *Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat.* Dicit ergo primo : Dictum est, quod oportet nos pati ut et glorificemur ; nec debemus refugere passiones, ut gloriam habeamus : *existimo enim* ego, qui utrumque expertus sum. Eccli. XXXIV, 9 : *Vir in multis expertus, cogitabit multa.* Ipse abundanter passiones sustinuit, secundum illud II Corinth. XI, 23 : *In laboribus et carceribus abundantius.* Ipse etiam futuræ gloriæ contemplator fuit, secun-

[1] Al. : « temporalibus. » — [2] Al. deest : « cum Christo. » — [3] Al. : « supra Apostolus assignavit causam dilationis immortalis vitæ, etc. » — [4] Al. : « ostendit. »

dum illud II Corinth. xii, 6 : *Raptus est in paradisum, et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Hoc, inquam, existimo, quod *passiones hujus temporis non sunt* passiones [1] *condignæ ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Ubi quatuor ponit ad ostendendum excellentiam illius gloriæ. Primo quidem designat ejus æternitatem, cum dicit, *Ad futuram*, scilicet post hoc tempus; nihil autem est post hoc tempus nisi æternitas : unde illa gloria excedit passiones hujus temporis, sicut æternum temporale. II Cor. iv, 17 : *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Secundo designat ejus dignitatem, cum dicit, *gloriam* : quæ claritatem quamdam dignitatis insinuat. Psal. cxlix, 5 : *Exultabunt sancti in gloria.* Tertio designat manifestationem, cum dicit, *Quæ revelabitur.* Nunc enim gloriam quidem habent sancti, sed occultatam in conscientia : II Corinth. i, 12 : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* : tunc autem gloria illa in conspectu omnium revelabitur, et bonorum et malorum, de quibus dicitur Sapient. v, 2 : *Mirabuntur in subitatione insperatæ salutis.* Quarto designat ejus veritatem, cum dicit, *In nobis.* Gloria enim hujus mundi vana est, quia est in his quæ sunt extra hominem, puta in apparatu divitiarum, et in opinione hominum : Ps. xlix, 7 : *In multitudine divitiarum suarum gloriantur :* sed illa gloria erit de eo quod est intra hominem, secundum illud Luc. xvii, 21 : *Regnum Dei intra vos est.* Sic igitur passiones hujus temporis, si secundum se considerentur, multum deficiunt a quantitate hujus gloriæ. Isa. liv, 7 : *Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te.* Sed si considerentur hujusmodi passiones inquantum eas aliquis voluntarie sustinet propter Deum ex caritate, quam in nobis Spiritus sanctus [2] facit, sic ex condigno per hujusmodi passiones homo meretur vitam æternam : nam Spiritus sanctus est fons cujus aquæ, idest effectus, saliunt in vitam æternam, ut dicitur Joan. iv.

Deinde cum dicit, *Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat*, ostendit propositum per excellentam illius gloriæ : et primo ex expectatione creaturæ, secundo ex expectatione Apostolorum, ibi, *Non solum autem* etc. Circa primum duo facit. Primo ponit expectationem creaturæ; secundo manifestat eam, ibi, *Vanitati enim creatura subjecta est non volens.* Dicit ergo primo. Dictum est, quod etiam futura gloria excedit passiones præsentes : et tamen hoc manifestum est : *nam expectatio creaturæ*, idest ipsa creatura expectans, *expectat revelationem filiorum Dei :* quia, ut dicitur I Joan. iii, 2, *nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus.* Occultatur enim dignitas divinæ filiationis in sanctis propter exteriores passiones; sed postmodum revelabitur illa dignitas, quando immortalem et gloriosam vitam suscipient : ita quod ex persona impiorum dicitur Sap. v, 5 : *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.* Dicit autem, *Expectatio expectat*, ut talis geminatio intensionem expectationis designet, secundum illud Psal. xxxix, 2 : *Expectans expectavi Dominum.*

Sciendum est autem, quod creatura hic tripliciter accipi potest. Uno modo homines justi, qui specialiter creatura Dei dicuntur, vel quia permanent in bono in quo creati sunt, vel propter excellentiam, quia omnis creatura quodammodo eis deservit. Jacob. i, 18 : *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus.* Hæc autem creatura, idest homo justus, expectat revelationem gloriæ filiorum Dei tamquam præmium sibi repromissum. Tit. ii, 12 : *Expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei.* Secundo potest dici creatura ipsa humana natura, quæ subjicitur bonis gratiæ : quæ quidem in hominibus injustis nondum formata est [3], sed est sicut informis; in hominibus autem jam justificatis est quidem partim formata per gratiam, sed tamen est adhuc informis respectu illius formæ quam est acceptura per gloriam. Sic igitur ipsa creatura, idest nos ipse, secundum quod consideramur in bonis naturæ, *expectat revelationem gloriæ filiorum Dei* ; quod etiam nobis competit per gratiam ; sicut si dicamus quod materia expectat formam, vel colores expectant completionem imaginis, sicut dicit *Glossa.* Job xiv, 14 : *Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.* Ter-

[1] Al. omittitur : « passiones. » — [2] Al. deest : « sanctus. » — [3] Al. : « justificata est. »

tio modo potest intelligi de ipsa creatura sensibili, sicut sunt elementa hujus mundi, secundum illud Sap. xiii, 5 : *A magnitudine speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit eorum creator videri.* Hujusmodi autem creatura dupliciter aliquid expectat : nam expectatio creaturæ sensibilis secundum quod est a Deo, ordinatur ad aliquem finem : quod quidem contingit dupliciter. Uno modo secundum quod Deus imprimit aliquam formam et virtutem naturalem hujusmodi creaturæ, ex qua inclinatur ad aliquem finem naturalem; puta si dicamus quod arbor expectat fructificationem, et ignis expectat locum sursum. Alio modo creatura sensibilis ordinatur a Deo ad aliquem finem qui superexcedit formam naturalem ipsius. Sicut enim humanum corpus induetur quadam forma gloriæ supernaturali, ita tota creatura sensibilis in illa gloria filiorum Dei quamdam novitatem gloriæ consequetur, secundum illud Apocal. xxi, 1 : *Vidi cœlum novum et terram novam.* Et per hunc modum creatura sensibilis expectat revelationem gloriæ filiorum Dei.

Deinde cum dicit, *Vanitati enim creatura subjecta est*, manifestat prædictam expectationem; et primo ponit necessitatem expectandi ; secundo expectationis terminum, ibi, *Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis ;* tertio expectationis signum, ibi, *Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc.* Necessitas autem expectandi est ex defectu, cui subjacet creatura; cui enim nihil deficit, non habet necesse aliquid expectare. Defectum autem creaturæ ostendit, dicens : *Vanitati enim creatura subjecta est.* Et si quidem per creaturam intelligatur homo justus, sic intelligitur subjici vanitati, idest istis rebus corporalibus, quæ sunt mutabilia et caduca : unde dicuntur vana, secundum illud Eccle, i, 2 : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Subjicitur autem eis propter necessitatem præsentis vitæ, circa ea occupationem habens; *non tamen volens*, quia hujusmodi temporalia non amat, sicut illi contra quos dicitur in Psalm. iv, 3 : *Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Sed tamen hujusmodi vanitati subjicitur talis creatura *propter eum*, idest propter ordinationem Dei, *qui subjecit eam*, idest hominem justum; hujusmodi sensibilibus creaturis; et tamen *in spe*, ut scilicet quandoque a tali occupatione homo liberetur, in resurrectione scilicet, quando *neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli in cœlo :* Matth. xxii, 30. Si vero intelligatur creatura ipsa humana natura, sic *est subjecta vanitati*, idest passibilitati, secundum illud Ps. xxxviii, 6 : *Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens. Non* tamen *volens*, quia talis vanitas est humanæ naturæ in pœnam inflicta; pœna autem est involuntaria, sicut et culpa voluntaria. Sed tamen hujusmodi passionibus humana natura subjicitur, *propter eum*, idest propter sententiam Dei, *qui subjecit eam*, scilicet humanam naturam defectibus; sed tamen *in spe* quandoque evadendi hujusmodi passiones. Isai. xxviii, 28 : *Non in perpetuum triturans triturabit.* Si autem intelligatur de creatura sensibili, sic talis creatura *subjecta est vanitati*, idest mutabilitati, *non volens.* Hujusmodi enim defectus, qui consequuntur mutabilitatem, sicut corruptio et senium et alia hujusmodi, sunt contra naturam particularem hujus vel illius rei, cujus appetitus est ad conservationem, licet sint secundum naturam universalem. Sed nihilominus hujusmodi vanitati creatura sensibilis subjicitur *propter eum*, idest propter ordinationem Dei, *qui subjecit eam in spe*, idest in expectatione gloriosæ novitatis, ut supra dictum est.

Deinde cum dicit, *Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis*, ostendit terminum prædictæ expectationis : non enim est vana ejus expectatio vel spes ; *quia ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Et si quidem per creaturam intelligatur homo justus, per servitutem corruptionis intelligitur cura quærendi victum et vestitum et alia quibus servitur nostræ mortalitati, quæ est quædam servitus, a qua liberabuntur sancti tendentes in libertatem gloriæ filiorum Dei; qui, quamvis nunc habeant libertatem justitiæ, quæ est a servitute peccati, nondum tamen habent libertatem gloriæ, quæ est a servitute miseriæ. Job xxxix, 5 : *Quis dimisit onagrum liberum ?* Si vero per creaturam intelligatur humana natura, *ipsa liberabitur a servitute corruptionis*, idest ad litteram a passibilitate et corruptione : et hoc tendens *in libertatem gloriæ filiorum Dei*, quæ est non solum a culpa, sed etiam a morte, secundum illud I Corinth. xv, 54 : *Ab-*

sorpta est mors in victoriam. Si vero intelligatur de creatura sensibili, sic *ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis*, idest mutabilitatis : quia in qualibet mutatione est aliqua corruptio, ut Augustinus dicit, et etiam Philosophus in VIII *Physic.* cap. XIII : et hoc *in libertatem gloriæ filiorum Dei* : quia hoc etiam libertati gloriæ filiorum Dei congruit ut sicut ipsi sunt innovati, ita etiam eorum habitatio innovetur. Isai. LIV, 17 : *Ego creabo* [1] *cœlos novos et terram novam, et non erunt in memoria priora*, idest prior mutabilitas creaturæ. Dicit autem, *Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis*, secundum primum sensum; ac si dicat : Non solum nos Apostoli, sed etiam alii justi : in sensu autem secundo, non solum justi, sed etiam ipsa humana natura, quæ in quibusdam nondum est renovata per gratiam : in tertio autem sensu intelligendum est, ac si dicatur : Non solum homines, sed alia creatura.

Deinde cum dicit, *Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit*, ponit signum expectationis, dicens, *Scimus enim*, nos Apostoli per Spiritum sanctum instructi, et etiam per experimentum, *quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc.*

Quod quidem si intelligatur de creatura sensibili, habet difficultatem. Primo quidem quantum ad hoc quod dicit, *Ingemiscit et parturit :* hoc enim convenire videtur non nisi creaturæ rationali. Sed potest sic exponi, ut hoc quod dicit, *Ingemiscit*, idem sit ei quod dixit, *Non volens* : in illis enim ingemiscimus quæ nostræ voluntati repugnant. Sic ergo inquantum defectus creaturæ [2] sensibilis sunt contra naturalem appetitum particularis naturæ, dicitur ipsa creatura sensibilis ingemiscere. Quod autem dicit, *Parturit*, idem est ei quod supra dixerat, *Expectat* : nam parturitio est via ad prolem producendam.

Secundum autem dubium est in hoc quod dicit, *Omnis creatura* : quia sic etiam includerentur corpora cœlestia : unde et *Glossa* dicit, quod sol et luna non sine labore statuta sibi implent spatia. Sed exponendum est, ut labor accipiatur pro motu, sicut et requies quandoque accipitur pro cessatione ab opere, sicut Deus die septima requievisse dicitur Genes. I. Et secundum hoc per gemitum [3] intelligitur corruptio, quæ admiscetur motui locali, prout scilicet desinit esse in hoc ubi, et incipit esse in alio. Per parturitionem autem intelligitur ordinatio cœlestium corporum ad eorum innovationem.

Si vero exponatur de hominibus, sic dicitur humana natura *omnis creatura*, quia participat cum omni creatura : cum spirituali quidem quantum ad intellectum, cum animali quantum ad corporis animationem, cum corporali quantum ad corpus. Hæc ergo creatura; idest homo, *ingemiscit*, partim propter mala quæ patitur, partim propter bona sperata quæ differuntur. Thren. I, 22 : *Multi gemitus mei. Parturit* autem quia cum quadam afflictione animi sustinet dilationem gloriæ expectatæ. Proverb. XIII, 12 : *Spes quæ differtur affligit animam.* Joan. XVI, 21 : *Mulier cum parit tristitiam habet.* Psalm. XLVII, 8 : *Ibi dolores ut parturientis.* Dicit autem, *Usque adhuc*, quia iste gemitus non est ablatus per nostram justificationem, sed manet *usque adhuc*, idest usque ad mortem : vel *usque adhuc*, quia etsi aliqui jam sint liberati, qui sunt in gloria, adhuc tamen nos sumus residui : vel *usque adhuc*, quia non solum antiqui patres, qui fuerunt ante Christum, sed etiam adhuc tempore gratiæ eadem patimur. II Petr. III, 4, dicitur ex persona impiorum : *Ubi est nunc promissio, aut adventus ejus? Ex quo patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ.*

Est autem sciendum, quod quia creatura Dei potest dici omne illud quod sub Deo est, aliqui voluerunt prædicta verba exponere de qualibet creatura, etiam de Angelis sanctis. Sed valde inconveniens est ut ipsi dicantur vanitati subjecti, aut ingemiscere et parturire, cum ipsi jam habeant gloriam ejus cujus similitudinem expectamus, secundum illud Matth. XXII, 30 : *Erunt sicut Angeli Dei in cœlis.* Et ideo convenientius secundum prædicta exponitur.

[1] Al. : « creo. » — [2] Al. : « naturæ. »
[3] Al. : « et secundum hoc gemitus intelligitur, etc. »

LECTIO V.

Non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias Spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes : nam quod videt quis, quid sperat ? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus. Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram : nam quid oremus, sicut oportet nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desiderat Spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis.

Supra ostendit Apostolus excellentiam futuræ gloriæ ex expectatione [1] creaturæ : nunc ostendit idem ex expectatione Apostolorum. Non autem potest esse parvum quod a magnis viris expectatur tam anxie. Et circa hoc duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi, *Spe enim salvi facti sumus.* Circa primum tria facit. Primo proponit dignitatem expectantium, cum dicit : *Non solum autem illa*, scilicet creatura, expectat gloriam filiorum Dei, *sed et nosipsi*, scilicet Apostoli, *habentes primitias Spiritus* sancti : quia scilicet Spiritum sanctum et tempore prius, et ceteris abundantius Apostoli habuerunt ; sicut et in fructibus terræ, illud quod primo ad maturitatem pervenit est pinguius et magis acceptum. Hierem. II, 3 : *Sanctus Israel Domino primitiæ frugum ejus.* Heb. XII, 23 : *Accessistis ad Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis.* Ex quo patet quod Apostoli sunt omnibus aliis sanctis quacumque prærogativa præfulgeant, sive virginitatis sive doctrinæ sive martyrii, præferendi, tamquam abundantius Spiritum sanctum habentes.

Sed potest aliquis dicere, quod quidam alii sancti majora tormenta sustinuerunt et majores austeritates propter Christum, quam Apostoli. Sed dicendum [2] est, quod magnitudo meriti principaliter et respectu essentialis præmii, attenditur secundum caritatem : consistit enim [3] præmium essentiale in gaudio quod habetur de Deo. Manifestum est autem quod de Deo plus gaudebunt qui plus amant : unde et illam visionem beatam Dominus suo dilecto promittit, dicens Joan. XIV, 21 : *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo : et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum.* Sed secundum quantitatem operum, meretur homo præmium accidentale, quod est gaudium de talibus operibus. Apostoli ergo illa opera quæ fecerunt, ex majori caritate fecerunt, ex qua habebant cor ad multa majora facienda, si fuisset opportunum.

Si autem dicat aliquis : Potest tantum quis conari quod habebit æqualem caritatem cum Apostolis ; dicendum, quod caritas hominis non est a seipso, sed ex gratia Dei, quæ datur unicuique secundum mensuram donationis Christi, ut dicitur Ephes. IV. Unicuique autem dat gratiam proportionatam ei ad quod eligitur : sicut homini Christo data est excellentissima gratia, quia ad hoc est electus ut ejus natura in unitatem personæ divinæ assumeretur ; et post eum habuit maximam plenitudinem gratiæ Beata Maria, quæ ad hoc est electa ut esset mater Christi. Inter ceteros autem ad majorem dignitatem sunt electi Apostoli, ut scilicet immediate ab ipso Christo accipientes, aliis traderent ea quæ pertinent ad salutem ; et sic in eis Ecclesia quodammodo fundaretur, secundum illud Apocal. XXI, 14 : *Murus habebat fundamenta duodecim, et nomina Apostolorum erant in eis scripta.* Et ideo dicitur I Corinth. XII, 28 : *Deus posuit in Ecclesia primum quidem Apostolos.* Et ideo Deus eis abundantiorem gratiam præ ceteris tribuit.

Secundo ponit anxietatem expectationis cum dicit : *Et ipsi intra nos gemimus* : qui quidem gemitus designat afflictionem ex dilatione rei cum magno desiderio expectatæ, secundum illud Proverb. XIII, 12 : *Spes quæ differtur, affligit animam.* Psal. VI, 7 : *Laboravi in gemitu meo.* Iste autem gemitus non est tam exterius quam interius : tum quia ex interiori cordis affectu procedit, tum quia est propter interiora bona : unde signanter dicit, *Intra nos.* Thren. I, 22 : *Multi gemitus mei.* Tertio ponit rem expectatam, dicens : *Adoptionem filiorum Dei expectantes*, idest completionem hujus adoptionis : inchoata enim est hujusmodi adoptio per Spiritum sanctum justificantem animam : supra eodem : *Accepistis spiritum adoptionis filiorum* : consummabitur autem per ipsius corporis glo-

[1] Al. : « et expectationem creaturæ. » — [2] Al. : « sciendum. » — [3] Al. : « etiam. »

rificationem : unde supra v, 2 : *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Et hoc est quod subdit : *Redemptionis corporis nostri* : ut scilicet sicut spiritus noster redemptus est a peccato, ita corpus nostrum redimatur a corruptione et morte. Oseæ XIII, 14 : *De morte redimam eos* Phil. III, 21 : *Reformabit corpus humilitatis nostræ.*

Deinde cum dicit, *Spe enim salvi facti sumus*, probat quod dixerat, tali ratione. Spes est de his quæ non præsentialiter videntur, sed in futuro expectantur : sed nos sumus salvi facti per spem : ergo expectamus in futurum complementum salutis. Primo ergo ponit minorem, dicens : Nos enim Apostoli et ceteri [1] fideles, *spe salvi facti sumus*, quia scilicet spem nostræ salutis habemus. I Pet. I, 3 : *Regeneravit nos in spem vivam.* Psalm. LXI, 9 : *Sperate in eum omnis congregatio populi.* Secundo ponit majorem, dicens : *Spes autem*, idest res sperata, *quæ videtur*, quasi præsentialiter habita, *non est spes :* id est, non est res sperata, sed habita : spes enim est expectatio futuri. Soph. III, 8 : *Expecta me in die resurrectionis meæ in futurum.* Tertio ponit probationem majoris, dicens : *Nam quod videt quis, quid*, id est cur, *sperat?* quasi dicat : Spes importat motum animæ in aliquid non habitum tendentem. Cum autem aliquid jam habetur, non est necessarium ut in id aliquis moveatur. Et est notandum, quod quia spes ex fide quodammodo oritur, attribuit spei opus illud quod est fidei, scilicet esse de non visis, secundum illud Heb. XI, 1 : *Fides est argumentum non apparentium.* Quarto ponit conclusionem, dicens : *Si autem quod non videmus speramus*, sequitur quod *per patientiam expectamus.* Unde notandum est, quod proprie patientia importat tolerantiam tribulationum cum quadam æquanimitate. Infra XII, 12 : *In tribulatione patientes.* Quia vero dilatio boni habet quamdam rationem mali, inde est quod etiam diutina expectatio bonorum absentium cum tranquillitate animi, attribuitur patientiæ, sed hæc maxime ad longanimitatem pertinet, secundum illud Jac. V, 7 : *Patientes estote fratres usque ad adventum Domini.* Utroque autem modo patientia hic accipitur : quia Apostoli expectabant æquanimiter gloriam, et cum dilatione et tribulatione.

Deinde cum dicit, *Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*, ostendit quomodo per Spiritum sanctum adjuvamur in defectibus vitæ præsentis : et primo quantum ad completionem desideriorum ; secundo quantum ad directionem exteriorum eventum, ibi, *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit ; secundo manifestat propositum, ibi, *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus.* Dicit ergo primo : Dictum est, quod per Spiritum sanctum vivificabuntur nostra mortalia corpora, quando auferetur a nobis nostra infirmitas : *similiter autem* et in statu hujus vitæ, in quo adhuc infirmitati subjicimur, *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*, etsi non totaliter eam tollat. Ezech. III, 14 : *Spiritus quoque elevavit me, et assumpsit me* ; *et abii amarus in indignatione spiritus mei* quasi, infirmitate nondum totaliter cessante ; *manus enim Domini erat mecum confortans me* : *et in hoc spiritu me assumpsit.* Matth. XXVI, 41 : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Deinde cum dicit, *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus*, manifestat quod dixerat : et primo ostendit necessitatem auxilii Spiritus, quod pertinet ad infirmitatem præsentis vitæ ; secundo ostendit modum auxilii, ibi, *Sed ipse Spiritus postulat pro nobis* ; tertio ostendit efficaciam auxilii, ibi, *Qui autem scrutatur corda, scit quid desiderat Spiritus.* Dicit ergo primo : Recte dico, quod *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram* : nam in hoc patimur infirmitatem, quod *nescimus quid oremus, sicut oportet.* Job III, 23 : *Viro cujus abscondita est via, et circumdedit eum Deus tenebris.*

Et est considerandum, quod duo dicit nos Apostolus nescire : scilicet quid orando petamus, et modum quo petere oporteat ; sed utrumque videtur esse falsum. Nam primo scimus quid oremus, quia hoc nos Dominus docuit Matth. VI, 9 : *Sanctificetur nomen tuum* etc.

Sed dicendum, quod in generali quidem possumus scire quid convenienter oremus, sed in speciali hoc non possumus scire. Primo quidem quia si desideramus aliquod opus virtutis facere, quod est implere voluntatem Dei sicut in cœlo et in terra ; potest contingere quod illud

[1] Al. : « sicut cæteri. »

opus virtutis non est huic vel illi congruum; sicut alicui qui utiliter posset in actione proficere, non expedit contemplationis quies, et e converso, ut Gregorius dicit in *Moralibus* lib. VI, cap. XXVIII, super illud Job V, 26 : *Ingredieris in abundantia sepulcrum.* Unde dicitur Proverb. XIV, 12 : *Est via quæ videtur homini justa, novissima autem illius ducunt ad mortem.* Secundo aliquis desiderat aliquod temporale bonum ad sustentationem vitæ, quod est petere panem quotidianum, quod tamen sibi vertitur in periculum mortis : multi enim propter divitias perierunt. Eccle. V, 12 : *Divitiæ conservatæ in malum domini sui.* Tertio aliquis desiderat liberari ab aliqua molestia tentationis, quæ tamen est sibi ad custodiam humilitatis; sicut Paulus petiit amoveri a se stimulum, qui tamen erat ei datus ne eum magnitudo revelationum extolleret, ut dicitur II Corinth. XII.

Similiter etiam videtur quod sciamus sicut nos oportet orare, secundum illud Jacob. I, 6 : *Postulet in fide nihil hæsitans.*

Et ad hoc dicendum, quod in generali hoc scire possumus; sed in speciali motus cordis nostri usquequaque discernere non possumus; ut puta utrum petamus aliquid ex ira, vel ex zelo justitiæ : unde et Matth. XX, reprobata est petitio filiorum Zebedæi, quia licet viderentur participationem divinæ gloriæ postulare, tamen ex quadam vana gloria [1] seu elatione procedebat eorum petitio.

Deinde cum dicit, *Sed ipse Spiritus postulat pro nobis*, ponit modum auxilii Spiritus Sancti, dicens, quod *ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Quod quidem videtur suffragari errori Arii et Macedonii, qui posuerunt Spiritum sanctum esse creaturam, et minorem Patre et Filio : postulare enim est minoris. Sed si ex eo quod dicit eum postulare, intelligamus eum esse passibilem creaturam et Patre minorem, consequens est etiam quod ex eo quod dicit gemitibus postulare, intelligamus eum esse passibilem creaturam beatitudine carentem, quod nullus unquam hæreticus dixit : nam gemitus ex dolore est, qui ad miseriam pertinet. Et ideo exponendum est : *Postulat*; idest, postulantes nos facit; sicut et Gen. XXII, 4 : *Nunc cognovit quod timeas Dominum;* idest, cognoscere feci. Facit autem Spiritus sanctus nos postulare, inquantum in nobis recta desideria causat : nam postulatio est quædam desideriorum explicatio; desideria autem recta ex ardore caritatis [2] proveniunt, quam in nobis Spiritus [3] facit. Supra V, 5 : *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Spiritu autem sancto dirigente et instigante cor nostrum, et nostra desideria non possunt esse nisi nobis utilia. Isaiæ XLVIII, 17 : *Ego Dominus docens te utilia.* Et ideo subdit, *Pro nobis.* Ejus autem quod multum desideramus, et desiderantes petimus, dilationem cum dolore et gemitibus patimur; et ideo subdit, *Gemitibus*, quos Spiritus [4] in corde nostro causat, inquantum scilicet nos facit cœlestia desiderare, quæ differuntur animæ [5]. Iste est gemitus columbæ, quem Spiritus sanctus in nobis facit. Nahum II, 7 : *Minabantur gementes ut columbæ.* Dicit autem, *Inenarrabilibus,* aut quia sunt propter rem inenarrabilem, scilicet cœlestem gloriam : II Cor. XII, 4 : *Audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui* : aut quia ipsi motus cordis sufficienter enarrari non possunt, secundum quod a Spiritu sancto procedunt. Job XXXVIII, 37 : *Quis enarrabit cœlorum rationem?*

Deinde cum dicit, *Qui autem scrutatur corda* etc., ostendit efficaciam auxilii quo Spiritus sanctus nos adjuvat, dicens : *Qui autem scrutatur corda*, id est Deus, cui proprium est corda scrutari : Psalm. VII, 11 : *Scrutans corda et renes Deus.* Dicitur autem Deus scrutari corda non quod inquirendo occulta cordis cognoscat, sed quia manifeste scit ea quæ in corde latent. Sophon. I, 12 : *Scrutabor Hierusalem in lucernis.* Deus, inquam, scrutans corda, *scit*, idest approbat, secundum illud II Tim. II, 19 : *Novit Dominus qui sunt ejus*, *quid desideret Spiritus;* idest, quid desiderare nos faciat. Psalm. XXXVII, 10 : *Domine, ante te omne desiderium meum.* Ideo autem desideria spiritus, quæ in sanctis facit Spiritus sanctus, sunt Deo accepta, quia *postulat pro sanctis*, idest postulare eos facit, *secundum Deum*, idest quod convenit divino

[1] Al. : « ex quadam gloria. »
[2] Al. : « ex amore caritatis. » — [3] Al. : « scilicet. » — [4] Al. iterum : « scilicet. » — [5] Al. omittitur : « animæ. »

beneplacito ; Proverb. XI, 23 : *Desiderium justorum omne bonum* : in cujus exemplum Dominus Patri dicebat Matth. XXIV, 39 : *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis.*

LECTIO VI.

Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit ; et quos vocavit, hos et justificavit ; quos autem justificavit, illos et magnificavit. Quid ergo dicemus ad hæc ? Si Deus pro nobis, quis contra nos ? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit ?

Ostendit supra Apostolus quod Spiritus sanctus adjuvat nos in infirmitatibus [1] præsentis vitæ quantum ad impletionem nostrorum desideriorum; hic ostendit qualiter nos juvat quantum ad exteriores eventus, dirigendo in bonum nostrum : et primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi, *Nam quos præscivit, et prædestinavit*; tertio infert quamdam conclusionem ex dictis, ibi, *Quis ergo separabit nos a caritate Christi*?

Circa primum duo consideranda occurrunt. Primo quidem magnitudo beneficii quod nobis a Spiritu sancto confertur, ut scilicet omnia nobis cooperentur in bonum. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod quicquid fit in mundo, etiam si malum sit, cedit in bonum universi : quia, ut Augustinus dicit in *Ench.* cap. XI, « Deus est adeo bonus quod nihil mali esse permitteret, nisi esset adeo potens quod ex quolibet malo posset elicere aliquod bonum. » Non autem semper cedit malum in bonum ejus in quo est; sicut [2] corruptio unius animalis, cedit quidem in bonum universi, inquantum per corruptionem unius generatur aliud, non tamen in bonum ejus quod corrumpitur : quia bonum universi est a Deo volitum secundum se, et ad ipsum ordinantur omnes partes universi. Et eadem ratio esse videtur circa ordinem nobilissimarum partium ad alias partes, quia malum aliarum partium ordinatur in bonum nobilissimarum. Sed quicquid fit circa nobilissimas partes, non ordinatur nisi in bonum ipsarum : quia de eis propter se cura habetur, de aliis autem propter ipsas ; sicut medicus infirmitatem pedis sustinet, ut curet caput. Inter omnes autem partes universi excellunt sancti Dei, ad quorum quemlibet pertinet quod dicitur Matth. XXIV, 47 : *Super omnia bona sua constituet eum.* Et ideo quicquid accidit vel circa ipsos vel alias res, totum in bonum eorum cedit : ita quod verificatur quod dicitur Prov. XI, 29 : *Qui stultus est, serviet sapienti* : quia scilicet etiam mala peccatorum in bonum justorum cedunt : unde et Deus specialem curam de justis habere dicitur, secundum illud Psalm. XXXIII, 16 : *Oculi Domini super justos*, inquantum scilicet sic de eis curat quod nihil mali circa eos esse [3] permittit, quod non in eorum bonum convertat. Et hoc quidem manifestum est quantum ad mala pœnalia quæ patiuntur : unde in *Glossa* dicitur, quod ipsorum infirmitate exercetur humilitas, afflictione patientia, contradictione sapientia, odio benevolentia : unde I Pet. III, 14 : *Si quid patimini propter justitiam, beati.*

Sed numquid etiam eis peccata cooperantur in bonum? Quidam dicunt, quod peccata non continentur sub hoc quod dicit *omnia* : quia, secundum Augustinum, peccatum nihil est, et nihil fiunt homines, cum peccant. Sed contra hoc est quod in *Glossa* sequitur : « Usque adeo talibus Deus omnia cooperatur in bonum, ut si qui horum deviant et exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum. » Unde in Psal. XXXVI, 34, dicitur : *Cum ceciderit justus, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Sed secundum hoc videtur quod semper tales in majori caritate resurgant, quia bonum hominis in caritate consistit, quam si non habeat, Apostolus se nihil esse recognoscit, I Corinth. XIII.

Sed dicendum est, quod bonum hominis non solum consistit in quantitate caritatis, sed præcipue in ipsius perseverantia usque ad mortem, secundum illud Matth. XXIV, 13 : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Ex hoc autem quod justus cadit, resurgit cautior et humilior : unde in *Glossa* subditur, postquam dixerat quod hoc ipsum faciat eis in bonum proficere, quia sibi humi-

[1] Al. : « adjuvat infirmitates præsentis vitæ. » — [2] Al. : « quod sicut. » — [3] Al. omittitur : esse.

liores redeunt, atque doctiores : discunt enim cum tremore se exultare debere; non quasi arrogando sibi, tamquam de sua virtute, fiduciam permanendi.

Secundo oportet considerare, quibus hoc beneficium competat : circa quod primo attenditur aliquid ex parte hominis cum dicit, *Diligentibus Deum* : Dei enim dilectio est in nobis per inhabitantem Spiritum, ut habitum est supra v. Ipse autem Spiritus sanctus est qui nos dirigit in viam rectam, ut dicitur in Psalm. xxiv. Unde dicitur I Petr. iii, 13 : *Quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?* Psalm. cxviii, 165 : *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.* Et hoc rationabiliter, quia, ut dicitur Prov. viii, 17, *Ego diligentes me diligo.* Diligere est bonum velle dilecto; Dei autem velle est operari : *omnia enim quæcumque voluit, fecit*, ut in Psalm. cxxxiii, dicitur. Et ideo Deus omnia convertit in bonum his qui eum diligunt. Secundo attenditur id quod est ex parte Dei, qui primo fideles ab æterno prædestinavit, secundo ex tempore vocat, tertio sanctificat; et hæc tria tangit cum dicit : *His qui secundum propositum vocati sunt sancti*, idest prædestinatis, vocatis et sanctificatis; ut propositum referatur ad prædestinationem, quæ, secundum Augustinum, est propositum miserendi. Ephes. i, 2 : *Prædestinati secundum propositum ejus.* Quod dicit, *Vocati*, ad vocationem pertinet : Isai. xli, 2 : *Vocavit eum ut sequeretur se.* Quod dicit, *Sancti*, ad sanctificationem, secundum illud Levit. xxi, 23 : *Ego Dominus, qui sanctifico eos.* Hoc autem Apostolus se scire dicit ex persona sanctorum, dicens, *Scimus.* Sap. x, 20 : *Dedit illi scientiam sanctorum.* Procedit autem hæc scientia tum ex experimento, tum etiam ex consideratione efficaciæ caritatis : Cantic. viii, 6 : *Fortis est ut mors dilectio* : et etiam prædestinationis æternæ : Isai. xlvi, 10 : *Omnis voluntas mea implebitur, et omne consilium meum fiet.*

Deinde cum dicit, *Nam quos præscivit* etc., probat quod dixerat, tali ratione. Nullus potest nocere his quos Deus promovet; sed prædestinatos diligentes Deum Deus promovet : ergo nihil potest eis nocere, sed omnia cedunt eis in bonum. Primo ergo probat minorem, scilicet quod eos Deus promoveat; secundo majorem, scilicet quod promotis a Deo nihil potest esse nocivum, ibi, *Quid ergo dicemus ad hæc?* Circa primum duo facit. Primo proponit ea quæ sunt ad promotionem sanctorum ab æterno; secundo ea quæ sunt ex tempore, ibi, *Quos autem prædestinavit, hos et vocavit.* Ponit autem duo circa primum, scilicet præscientiam et prædestinationem, cum dicit : *Nam quos præscivit, et prædestinavit.*

Dicunt autem quidam, quod prædestinatio hic accipitur pro præparatione quæ est in tempore, qua scilicet Deus præparat sanctos ad gratiam; et hoc dicunt ad distinguendum præscientiam a prædestinatione. Sed si recte consideretur, utrumque est æternum, et differunt ratione : nam, sicut dictum est supra i, super illud, *Qui prædestinatus est*, prædestinatio importat præordinationem quamdam in animo, eorum quæ quis est facturus : ab æterno autem Deus prædestinavit beneficia quæ sanctis suis erat daturus : unde prædestinatio est æterna. Differt autem a præscientia secundum rationem, quia præscientia importat solam notitiam futurorum, sed prædestinatio importat causalitatem quamdam respectu eorum : et ideo Deus habet præscientiam etiam de peccatis; sed prædestinatio est de bonis salutaribus; unde Apostolus ad Ephes. i, 2 : dicit : *Prædestinati secundum propositum ejus... ut simus in laudem gloriæ ejus.*

Circa ordinem autem præscientiæ et prædestinationis dicunt quidam, quod præscientia meritorum bonorum et malorum est ratio prædestinationis et reprobationis, ut scilicet intelligatur quod Deus prædestinet aliquos, quia præscit eos bene operaturos et in Christum credituros : et secundum hoc littera sic legitur : *Quos præscivit conformes fieri imaginis Filii ejus, hos prædestinavit.* Et hoc quidem rationabiliter diceretur, si prædestinatio respiceret tantum vitam æternam, quæ datur meritis : sed sub prædestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab æterno divinitus præparatum : unde eadem ratione omnia beneficia quæ nobis confert ex tempore, præparavit nobis ab æterno. Unde ponere quod aliquod meritum ex parte nostra præsupponatur, cujus præscientia sit ratio prædestinationis, nihil est aliud quam gratiam ponere dari ex meritis nostris, et quod principium bonorum operum est ex nobis, et consummatio est ex Deo. Unde convenientius sic ordinatur littera : *Quos præscivit, hos*

et prædestinavit fieri conformes imaginis Filii sui : ut ista conformitas non sit ratio prædestinationis, sed terminus vel effectus. Dicit enim Apostolus Ephes. I, 5 : *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum Dei.* Nihil enim aliud est adoptio filiorum [1] quam illa conformitas : ille enim qui adoptatur in filium Dei, conformatur vero Filio ejus : primo quidem in jure participandæ hereditatis, sicut supra eodem dictum est : *Si filii et heredes : heredes quidem Dei, coheredes autem Christi* : secundo in participatione splendoris ipsius : ipse enim est genitus a Patre tamquam *splendor gloriæ ejus*, Heb. I. Unde per hoc quod sanctos illuminat de lumine sapientiæ et gratiæ, facit eos fieri conformes sibi : unde in Psal. CIX, 3, dicitur : *In splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te*, id est profundentem omnem splendorem sanctorum.

Quod autem dicit, *Imaginis Filii ejus*, potest intelligi dupliciter. Uno modo ut sit constructio appositiva, ut sit sensus : *Conformes imaginis Filii ejus*, qui est imago : Coloss. I, 15 : *Qui est imago invisibilis Dei.* Alio modo potest intelligi ut sit constructio transitiva, ut sit sensus : Prædestinavit nos fieri conformes Filio suo in hoc quod portemus ejus imaginem : II Cor. XV, 49 : *Sicut portavimus imaginem terreni, sic portemus imaginem cœlestis.* Dicit autem, *Quos præscivit, et prædestinavit*, non quia omnes præscitos prædestinet, sed quia eos prædestinare non poterat nisi præsciret. Hier. I, 4 : *Priusquam te formarem in utero, novi te.* Quid autem ex hac prædestinatione sequatur, subjungit : *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Sicut enim Deus suam naturalem bonitatem voluit aliis communicare, participando eis similitudinem suæ bonitatis, ut non solum sit bonus, sed etiam auctor bonorum; ita Filius Dei voluit conformitatem suæ filiationis aliis communicare, ut non solum sit ipse Filius, sed etiam primogenitus filiorum: et sic qui per generationem æternam est unigenitus, secundum illud Joan. I, 18, *Unigenitus qui est in sinu Patris*, secundum collationem gratiæ *sit primogenitus in multis fratribus.* Apoc. I, 5 : *Qui est primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ.* Habet igitur Christus nos fratres, tum quia nobis similitudinem suæ filiationis communicavit, sicut hic dicitur; tum quia similitudinem nostræ naturæ, assumpsit, secundum illud Hebr. II, 17 : *Debuit per omnia fratribus assimilari.*

Deinde cum dicit, *Quos autem prædestinavit* etc., ponit ea quæ ex tempore [2] sancti divinitus consequuntur : et primo ponit vocationem cum dicit, *Quos prædestinavit, hos et vocavit.* Prædestinatio autem ejus irrita esse non potest, secundum illud Isai. XIV, 24 : *Juravit Dominus exercituum, dicens : Si non ut putavi, ita erit, et quomodo mente tractavi, sic eveniet.* Primum autem in quo incipit prædestinatio impleri, est vocatio hominis; quæ quidem est duplex. Una exterior, quæ fit ore prædicatoris. Proverb. IX, 3 : *Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem.* Hoc modo Deus vocavit Petrum et Andream, ut dicitur Matthæi IV. Alia vero vocatio est interior, quæ nihil aliud est quam quidam mentis instinctus quo cor hominis movetur a Deo ad assentiendum iis quæ sunt fidei vel virtutis. Isai. XLI, 2 : *Quis suscitavit ab oriente justum, et vocavit eum ut sequeretur se?* Et hæc vocatio necessaria est, quia cor nostrum non se ad Deum converteret, nisi ipse Deus nos ad se traheret. Joan. VI, 44 : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Thren. V, 21 : *Converte nos Domine ad te, et convertemur.* Et etiam hæc vocatio est efficax in prædestinatis, quia hujusmodi vocationi assentiunt Joan. VI, 45 : *Omnis qui audivit a Patre meo, et didicit, venit ad me.* Unde secundo ponit justificationem, cum dicit: *Quos vocavit, hos et justificavit*, scilicet gratiam infundendo : supra III, 24 : *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Hæc autem justificatio etsi in aliquibus frustretur, quia non perseverant usque ad finem; in prædestinatis tamen nunquam frustratur : unde tertio ponit magnificationem cum subdit : *Hos et magnificavit?* et hoc dupliciter, scilicet uno quidem modo per profectum virtutis et gratiæ; alio autem modo per exaltationem gloriæ; Sapient. ult. 21 : *In omnibus Domine magnificasti populum tuum et honorasti.* Ponit autem præteritum pro futuro, si intelligatur de magnificatione

[1] Al. desideratur : « filiorum. » — [2] Al. : « ex parte. »

gloriæ, vel propter certitudinem futuri, vel quia quod in quibusdam est futurum, in aliis est completum.

Deinde cum dicit : *Quid ergo dicemus ad hæc?* manifestat majorem, scilicet quod promotis a Deo nullus potest nocere : et primo ostendit quod non possunt pati detrimentum per malum pœnæ: secundo quod nec per malum culpæ, ibi, *Quis accusabit adversus electos Dei?* Malum pœnæ est duplex. Unum quidem consistit in illatione malorum, aliud in subtractione bonorum. Primo ostendit quod illi qui promoventur a Deo, non patiuntur detrimentum per conatum alicujus persequentis, dicens : *Quid ergo dicemus?* quasi dicat : Cum tot bona Deus suis electis præstet, quid potest dici contra hæc, ut scilicet prædicta Dei benefacia annullentur? quasi diceret, nihil. Proverb. XXI, 30 : *Non est sapientia et non est prudentia et non est consilium contra Dominum.* Vel *quid dicemus ad hæc?* scilicet aspicientes oportet nos obstupescere. Habac. III, 1, secundum aliam litteram : *Consideravi opera tua, et expavi.* Vel *quid dicemus ad hæc?* idest, quid poterimus Deo retribuere tot beneficiis dignum? Psalm. CXXV, 12 : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Et subjungit : *Si Deus pro nobis* est, scilicet prædestinando, vocando, justificando et magnificando, *quis contra nos*, scilicet esse poterit efficaciter? Isai. L, 8 : *Stemus simul : quis est adversarius meus?* Job XVII, 3 : *Pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.* Secundo ostendit quod sancti Dei non possunt pati detrimentum ex subtractione bonorum, dicens : *Qui etiam proprio Filio non pepercit.* Cum autem supra de multis filiis mentionem fecisset, dicens, *Accepistis spiritum adoptionis filiorum*, ab omnibus illis hunc Filium separat, dicens, *Proprio Filio suo*, idest non adoptato, ut hæretici mentiuntur, sed naturali et coæterno. I Joan. ult. 20 : *Ut simus in vero Filio ejus Jesu Christo*: de quo Pater dicit Matth. III, 17 *Hic est Filius meus dilectus.* Quod autem dicit, *Non pepercit* intelligendum est quod eum a pœna non exemit : nam culpa in eo non fuit, cui parci potuisset. Prov. XIII, 24 : *Qui parcit virgæ, odit filium suum.* Non tamen Deus Pater Filio suo non pepercit ut ei aliquid accresceret, qui est per omnia Deus perfectus : sed propter nostram utilitatem eum passioni subjecit : et hoc est quod subdit : *Sed pro nobis omnibus tradidit illum;* idest, exposuit eum passioni pro expiatione peccatorum nostrorum. Supra IV, 25 : *Traditus est propter delicta nostra.* Isai. LV, 6 : *Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum.* Tradidit eum Deus Pater in mortem, eum incarnari et pati statuendo, et humanæ ejus voluntati inspirando caritatis affectum, qua passionem spontaneus subiret : unde ipse seipsum tradidisse dicitur Ephes. V, 2 : *Tradidit semetipsum pro nobis.* Tradidit etiam eum Judas et Judæi, exterius aliquid operando, ut supra V, habitum est. Est autem notandum quod dicit, *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit*; quasi dicat : Non solum alios sanctos pro salute hominum tribulationi exposuit, secundum illud Oseæ VI, 5 : *Propter hoc dolavi in Prophetis* : II Cor. I, 6 : *Cum tribulamur pro vestra exhortatione et salute* : sed etiam proprium Filium suum. In ipso autem Filio Dei omnia existunt, sicut in primordiali et præoperativa causa. Colos. I, 17 : *Ipse est ante omnia, et omnia in ipso constant.* Unde eo tradito nobis, omnia sunt data nobis : unde subdit : *Quomodo non etiam cum illo*, scilicet dato nobis, *omnia donavit* nobis? ut scilicet omnia cedant in bonum nostrum : superiora quidem, scilicet divinæ personæ, ad fruendum; rationales spiritus ad convivendum [1]; omnia inferiora ad utendum, non solum prospera, sed etiam adversa. I Cor. III, 22 : *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Unde patet quod, sicut in Psal. XXXIII, 10, dicitur, *nihil deest timentibus eum.*

LECTIO VII.

Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat, quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, immo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? (Sicut scriptum est : Quia propter te mortificamur tota die, æstimati

[1] Al. : « ad conveniendum. »

sumus sicut oves occisionis). Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors neque Angeli neque Principatus neque Virtutes, neque instantia neque futura, neque fortitudo neque altitudo neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

Postquam Apostolus ostendit quod sancti, quos Deus promovet, nullum detrimentum pati possunt, quasi a malo pœnæ; hic ostendit quod nullum detrimentum pati possunt, quasi a malo culpæ : et primo ostendit propositum; secundo excludit quamdam obviationem, ibi, *Christus Jesus* etc. Circa primum considerandum est, quod aliquis propter culpam læditur a duobus. Primo quidem ab accusatione; secundo a judice condemnante. Primo ergo ostendit quod nulla accusatio possit esse sanctis Dei nociva; et hoc ratione divinæ electionis. Qui enim aliquem eligit, ex hoc ipso eum approbare videtur; sancti autem sunt electi a Deo : Eph. I, IV : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti.* Qui autem accusat, improbat eum quem accusat; non autem valet alicujus accusatio [1] contra Dei approbationem; et ideo dicit : *Quis accusabit,* scilicet efficaciter, *adversus electos Dei*? idest adversus eos quos Deus elegit ut sint sancti; unde dicitur Apoc. XII, 10 : *Projectus est accusator fratrum nostrorum.* Secundo ostendit quod nullius accusatio potest esse sanctis nociva; et hoc etiam ostendit ex alio Dei beneficio, quo scilicet Deus nos justificat : quod quidem beneficium præmittit, dicens : *Deus*, scilicet est, *qui justificat*, secundum illud quod supra dictum est, *Quos vocavit*, *hos et justificavit.* I Corinth. IV, 11 : *Sed justificati estis.* Condemnatio autem contra injustos locum habet : *quis est* ergo *qui condemnet* justificatos a Deo? Job. XXXIV, 29 : *Ipso concedente pacem*, *quis est qui condemnet*?

Deinde cum dicit, *Christus Jesus*, excludit obviationem. Posset aliquis timere ne a Christo Jesu aliquis accusaretur et condemnaretur tamquam transgressor mandati ipsius Christi, sicut et de Moysi Dominus dicit Joan. V, 45 : *Est qui accusat vos Moyses*, *in quo speratis* : et quod etiam ab ipso condemnaretur, eo quod ipse est constitutus a Deo judex vivorum et mortuorum, ut dicitur Act. X. Ipse etiam est immunis a peccato : I Petri II, 22 : *Qui peccatum non fecit* : et ideo idoneus videtur ad accusandum et condemnandum; secundum illud Joan. VIII, 7 : *Qui sine peccato est vestrum*, *primus in illam lapidem mittat.* Et ideo dicit, *Christus Jesus* ? quasi diceret : Numquid Christus Jesus accusabit adversus electos Dei, vel etiam eos condemnabit? Et ostendit quod non : quia etiam ipse secundum humanitatem suam magna beneficia sanctis confert, sicut et secundum suam divinitatem : et ponit quatuor humanitatis ipsius beneficia. Primo quidem mortem, cum dicit : *Qui mortuus est*, scilicet pro nostra salute. I Petri III, 18 : *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est.* Secundo resurrectionem, per quam scilicet nos vivificat, et nunc vita spirituali, et tandem vita corporali : unde subdit, *Qui et resurrexit;* ut supra IV, 25 : *Resurrexit propter justificationem nostram.* Addit autem *immo*, quia potius est nunc commemorandus ex virtute resurrectionis quam ex infirmitate passionis. IV Corinth. ult. 4 : *Nam si crucifixus est ex infirmitate nostra*, *vivit ex virtute Dei.* Tertio ipsam Patris confessionem, cum dicit : *Qui est a Dextris Dei*, idest in æqualitate Dei Patris secundum naturam divinam, et in potioribus bonis ejus secundum naturam humanam : et hoc etiam est ad gloriam nostram : quia, ut dicitur Eph. II, 6, *consedere nos fecit in cœlestibus in Christo Jesu* : inquantum enim nos membra ejus sumus, nos in ipso Deo Patri consedemus. Apoc. III, 21 : *Qui vicerit*, *dabo ei sedere mecum in throno meo*, *sicut ego vici*, *et sedi cum Patre meo in throno ejus.* Quarto interpellationem ejus, cum dicit, *Qui etiam interpellat pro nobis*, quasi advocatus noster existens. I Joan. II, 1 : *Advocatum habemus*, *apud Patrem Jesum Christum.* Ad officium advocati pertinet, non quod accuset vel condemnet, sed magis accusatorem repellat, et condemnationem impediat. Dicitur autem pro nobis interpellare dupliciter. Uno modo pro nobis orando, secundum illud Joan. XVII, 20 : *Non pro his rogo tantum* (scilicet Apostolis) *sed pro his qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Nunc autem ejus interpellatio pro nobis est voluntas ipsius de nostra salute. Joan. XVII, 24 : *Volo ut ubi sum ego*, *et illi sint*

[1] Al. : « non est autem alicujus accusatio. »

mecum. Alio modo interpellat pro nobis, humanitatem pro nobis assumptam et mysteria in ea celebrata conspectui paterno repræsentando. Hebr. i, 24 : *Introivit in ipsum cœlum; ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.*

Deinde cum dicit, *Quis ergo nos separabit a caritate Christi*? infert conclusionem ex dictis. Et quia hæc conclusio quasi incredibilis videtur inexpertis, proponit eam per modum quæstionis : unde tria facit. Primo proponit quæstionem; secundo ostendit necessitatem quæstionis propositæ, ibi, *Sicut scriptum est*, etc.; tertio ponit solutionem, ibi, *In his omnibus superamus*. Potest autem hæc quæstio ex præmissis duplici ratione concludi. Primo quidem sic. Tot beneficia sunt nobis divinitus collata, et tam efficacia, ut nullus contra ea possit. Omnia autem prædicta beneficia ad hoc tendunt ut nos simus in caritate radicati et fundati, ut dicitur Ephes. iii : *Quis ergo nos separabit a caritate Christi*? qua scilicet Christum diligimus et proximum, secundum quod ipse præcepit, Joan xiii, 34 : *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*. Alio modo sic. Dictum est, quod magna beneficia Deus sanctis suis confert, ex quorum consideratione adeo caritas Christi in cordibus nostris fervet quod nihil eam extinguere potest. Cant. ult. 7 : *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem*. Proponit autem mala, per quorum passionem aliquis cogi posset ut caritatem Christi desereret : et primo ponit ea quæ pertinent ad vitam ; secundo id quod pertinet ad mortem. Circa vero ea quæ in vita imminent sustinenda, primo ponit mala præsentia, secundo futura. Circa præsentia vero primo ponit ea quæ pertinent ad tolerantiam malorum; secundo ea quæ pertinent ad defectum bonorum. Mala autem perpessa considerari possunt dupliciter. Uno modo secundum quod sunt in patiente, qui dupliciter ab eis affligitur, scilicet exterius secundum corpus; et ad hoc pertinet tribulatio, dicitur enim a tribulis, quæ sunt herbæ pungitivæ; Genes. iii, 18 : *Spinas et tribulos germinabit tibi* : unde aliquis tribulari dicitur cum exterius pungitur. Nec tamen propter hoc justi vincuntur. Psalm. xxxiii, 20 : *Multæ tribulationes justorum, et de his omnibus liberabit eos Dominus*. Affligitur etiam homo ab eis per interiorem anxietatem cordis, dum scilicet aliquis non videt quo divertat, vel quomodo evadat; et quantum ad hoc subdit, *An angustia*? Dan. xiii : *Angustiæ mihi sunt undique, et quid eligam ignoro*. Alio modo hujusmodi mala considerari possunt secundum quod sunt in agente; et quantum ad hoc subdit, *An persecutio?* Quamvis enim persecutio ad hoc proprie pertinere videatur quod aliquis alium persequitur effugando, secundum illud Matth. x, 23 : *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*; tamen communiter persecutio accipi potest pro inflictione cujuslibet nocumenti. Psal. cxviii, 157 : *Multi qui persequuntur me et tribulant me* [1]. Deinde ponit mala quæ pertinent ad subtractionem bonorum quæ sunt necessaria vitæ, scilicet cibus et vestimenta, secundum illud I Timoth. vi, 8 : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus*. Ad subtractionem autem cibi pertinet fames : unde subdit, *An fames*? Ad subtractionem autem vestitus pertinet nuditas : unde subdit, *An nuditas*? I Cor. iv, 11 : *Usque in hanc horam esurimus et sitimus et nudi sumus*. Quantum ad mala futura subdit, *An periculum?* scilicet imminens in futurum. II Corinth. xi, 26 : *Periculis fluminum, periculis latronum*. Quantum autem ad mortem subdit, *An gladius?* Hebr. xi, 37 : *In occisione gladii mortui sunt*.

Deinde cum dicit, *Sicut scriptum est*, etc., ostendit hujus quæstionis necessitatem per hoc quod dicit, quod sanctis omnia ista imminebant patienda propter Christi caritatem : et inducit verba Psalmistæ, quasi in persona martyrum proposita : in quibus primo ponit causam passionis : martyrem enim non facit pœna, sed causa, ut dicit Augustinus, epist. lxi : unde dicit, *Propter te*. Matth. x, 35 : *Qui perdiderit animam suam* id est vitam *propter me, inveniet eam*. I Pet. iv, 19, *Nemo vestrum patiatur ut fur aut homicida. Si autem ut Christianus, non erubescat*. Patitur etiam propter Christum non solum qui patitur propter fidem Christi, sed etiam qui patitur pro quocumque justitiæ opere pro amore Christi. Matth. v, 10 : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*. Secundo ponit gravitatem passionis, cum dicit, *Mortificamus*, id est, morti tradimur. Esther vii, 4 : *Traditi sumus ego et populus meus, ut conteramur et jugule-*

[1] Al. : « Multi persequuntur me, qui tribulant me. »

muretpereamus. Tertio continuitatem persecutionis, cum dicit, *Tota die*, id est per totum tempus vitæ. II Corinth. iv, 11 : *Semper nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum.* Quarto promptitudinem persequentium ad occidendum, cum dicit : *Æstimati sumus ut oves occisionis*, id est deputatæ ut occidantur in macello, quæ cum studio occiduntur : ita et sancti ex proposito et cum studio occidebantur. Joan. xvi, 2 : *Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Zach. xi, 4 : *Pasce pecora occisionis, quæ qui possidebant, occidebant.*

Deinde cum dicit, *Sed in his omnibus superamus*, solvit quæstionem : et primo proponit solutionem, dicens : *Sed in his omnibus*, scilicet malis quæ supra posuit, *superamus*, dum scilicet circa omnia illibatam caritatem servamus. Sapient. x, 12 : *Certamen forte dedit illi ut vinceret.* Et hoc non nostra virtute, sed per auxilium Christi : unde subdit : *Propter eum qui dilexit nos*, id est propter ejus auxilium, vel propter affectum quem ad eum habemus : *non quasi nos primo dilexerimus eum, sed quoniam ipse prior dilexit nos*; ut dicitur I Joan. iv, 10 : et I Corinth. xv, 57 : *Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam per Jesum Christum*, Secundo ibi, *Certus sum*, manifestat solutionem, ostendens inseparabilem esse sanctorum caritatem : et primo ostendit quod non potest separari a creaturis quæ sunt; secundo quod nec etiam a creaturis quæ non sunt sed esse possent, ibi, *Neque creatura alia.* Circa primum duo facit. Primo ponit ea quæ sunt in homine, dicens, *Certus sum enim quia neque mors*, quæ est præcipuum inter terribilia, *neque vita* quæ est præcipuum inter appetibilia, scilicet poterit nos separare a caritate Dei. Infra xiv, 8 : *Sive vivimus, Domino vivimus : sive morimur, Domino morimur.* In his autem duobus includuntur omnia quæ supra posuit : nam sex præcedentia pertinent ad vitam; unum autem, scilicet gladius, pertinet ad mortem, ut supra dictum est. Deinde ponit ea quæ sunt exterius : inter quæ primo ponit spirituales creaturas, dicens, *Neque Angeli*, qui scilicet sunt minores, deputati ad custodiam hominum singulorum : Psalm. xc, 11 : *Angelis suis mandavit de te*; *neque Principatus*, scilicet qui sunt deputati ad custodiam Gentium. Daniel. x, 20 : *Nunc revertar, ut prælier adversus principem Persarum. Cum enim egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens ; et nemo est adjutor meus nisi Michael noster princeps.* Addit autem, *Neque virtutes*, qui est supremus ordo ministrantium. Luc. xxi, 26 : *Virtutes cœlorum movebuntur.* Potest autem hoc intelligi dupliciter. Uno modo de malis angelis, qui contra sanctos decertant. Ephes. vi, 12 : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates.* Alio modo potest intelligi de bonis; et secundum hoc, ut Chrysostomus dicit in lib. *De compunctione cordis*, hoc dicebat, non quod Angeli affectare possent aliquando eum a Christo separare, sed etiam ea quæ sunt impossibilia verbi gratia, fieri posse dixit magis quam se ab amore Christi sejungi; ut per hoc quanta in eo vis esset divinæ caritatis ostenderet, atque omnibus ante oculos poneret. Hic enim amantium mos est ut amorem suum silentio tegere nequeant; sed necessariis suis et caris afferunt et produnt, et flammas suas intra pectus cohibere non possunt : enarrant eas frequentius, ut ipsa assiduitate narrandi, amoris sui solatium capiant, et refrigeria immensi ardoris assumant. Sic ergo facit beatus hic eximius amator Christi, omnia quæ sunt et quæ erunt, quæque accidere possunt, et quæ omnino non possunt, simul uno sermone complectitur. Et simile est quod dicitur Gal. i, 8 : *Sed licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavi vobis, anathema sit.* Deinde posuit etiam creaturas sensibiles; quarum duplicem diversitatem ponit. Primo quidem secundum tempus, quo diversificantur secundum præsens et futurum : unde dicit, *Neque instantia*, idest præsentia, sive dolorem sive delectationem inferant. II Cor. iv, 16 : *Non contemplantibus nobis ea quæ videntur.* Addit autem, *Neque futura*, quorum nec timor nec desiderium potest nos separare a Christo : unde ipse dicebat Act. xxi, 13 : *Ego non solum alligari sed et mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu.* Deinde ponit diversitatem sensibilium creaturarum ex parte magnitudinis : et primo tangit magnitudinem virtutis, cum dicit, *Neque fortitudo*, id est, neque quæcumque[1] creatura fortis potest me separare a Christo, puta fortis ignis, aut for-

[1] Al. deest : « quæcumque. »

tis aqua : quia, ut Cant. VIII, 6, dicitur, *fortis est ut mors dilectio.* Deinde ponit magnitudinem dilectionis, describens secundum ea quæ proprie conveniunt corporibus, scilicet altum et profundum: unde dicit *Neque altitudo*, ex qua scilicet aliquis mihi minaretur præcipitium; sicut dicitur Luc. IV, quod duxerunt Jesum usque ad supercilium montis, ut præcipitarent eum : *neque profundum*, in quo aliquis submersionem minaretur. Psal. LXVIII, 3 : *Infixus sum in limo profundi.* Possent etiam hæc tria ad res humanas referri. Tripliciter enim aliquis homo posset a Deo aliquem avertere. Uno modo cogendo per fortitudinem : sed, sicut dicitur I Reg. II, 2, *non est fortis sicut Deus noster* : secundo stupefaciendo per altitudinem auctoritatis ; sed de eo [1] dicitur in Psal. LXXXIII, 19 : *Tu solus altissimus super omnem terram* : tertio seducendo per profundum sapientiæ ; sed de eo dicitur Job. XI, 8 : *Profundior inferno; et unde cognosces* ? Possunt etiam hæc duo, altitudo et profundum, ad prospera et adversa referri, secundum illud II Corinth. VI, 6 : *Per arma justitiæ a dextris et a sinistris.* Vel secundum Chrysostomum in libro *De compunctione cordis*, qui ait : « Altitudo et profundum non mihi aliud indicare videntur quam regnum cœlorum et gehennam. » Quasi dicat : Nec si a regno decidere me necesse sit, aut etiam in gehennam trahi pro Christo, nec hoc mihi quidem metuendum est. Quantum autem ad ea quæ non sunt sed possunt esse, subdit, *Neque creatura alia* : quod utique, secundum Chrysostomum, ibid., de his dicitur quæ non sunt ; quasi illi non sufficiant omnia quæ non sunt, sed illa quæ sunt provocet quodammodo ad certamen. Nihil, inquit, istorum *poterit nos separare a caritate Dei* : I Corinth. XIII, 8 : *Caritas nunquam excidit* [2] : quæ quidem caritas Dei *est in Christo Jesu Domino nostro*, quia scilicet per eum data est nobis, inquantum Spiritum sanctum nobis dedit. Luc. XII, 49 : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ?*

Sed cum scriptum sit Eccle. IX, 1 : *Nescit homo utrum amore vel odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta* : quid est hoc quod dicit se esse certum quod nihil possit eum a caritate separare?

Ad quod dici potest, quod Apostolus non loquitur singulariter de seipso, sed loquitur in persona omnium prædestinatorum, de quibus propter certitudinem prædestinationis annuntiat quod nihil eos a caritate possit separare. Potest etiam ista certitudo causari ex virtute caritatis, quæ quantum in se est, ab aliquibus non potest separari [3], cum Deum super omnia diligat. Quod autem aliquis interdum a caritate recedat, non est propter defectum caritatis, sed propter defectum liberi arbitrii. Si autem Paulus hoc dicit de seipso, de hoc certus esse non poterat, nisi forte per revelationem: quia dictum est ei : *Sufficit tibi gratia mea* : II Corinth. XII, 9. Nam quantum ad possibilitatem liberi arbitrii, ipse alibi dicit, I ad Corinth. IX, 27 : *Ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

[1] Al. : « de Deo, » et sic infra. — [2] Al. : « incidit. » — [3] Al. : « superari. »

CAPUT NONUM

LECTIO I.

Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo; optabam enim ergo ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, et gloria et testamentum et legislatio et obsequium et promissa; quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

Apostolus supra necessitatem et virtutem gratiæ demonstravit; hic incipit agere de origine gratiæ, utrum ex sola Dei electione detur, aut detur ex meritis præcedentium operum, occasione accepta ex eo quod Judæi, qui videbantur divinis obsequiis mancipati, exciderant a gratia; Gentiles autem ad eam erant admissi, qui prius fuerant a Deo alieni. Primo igitur agit de electione Gentium; secundo de casu Judæorum, cap. x : *Fratrès, voluntas quidem cordis mei et obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem.* Circa primum duo facit. Primo commemorat dignitatem Judæorum; secundo ostendit quomodo Gentiles ad illam dignitatem sunt assumpti, ibi, *Non autem quod exciderit verbum Dei.* Circa primum duo facit. Primo Apostolus ostendit affectum suum ad gentem Judæorum, ne ea quæ contra eos dixit vel dicturus est, ex odio dicere videatur; secundo eorum dignitatem ostendit, ibi : *Qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum.* Circa primum duo facit [1]. Primo confirmat ea quæ dicturus est; secundo demonstrat suum affectum, ibi, *Quoniam mihi tristitia magna est.* Circa primum duo facit. Primo confirmat dicenda per simplicem assertionem, dicens, *Veritatem dico*, quod maxime convenit prædicatori, qui est testis veritatis. Prover. VIII, 7 : *Veritatem meditabitur guttur meum.* Zach. VIII, 19 : *Pacem et veritatem diligite.* Et quia quandoque aliquis veritati quam loquitur aliquod mendacium interserit, ad hoc excludendum subdit, *Non mentior.* Ephes. IV, 25 : *Deponentes mendacium loquimini veritatem.* Secundo confirmat quæ dicenda sunt per juramentum, quæ est quædam confirmatio per testimonium infallibilis [2] veritatis. Tales autem sunt testes, sanctorum. Primo quidem Deus secundum Job XVI, 20 : *Ecce in cœlo testis meus.* Et ideo dicit, *In Christo Jesu*, id est per Christum Jesum, qui est veritas absque mendacio. II Corinth. I, 19 : *Dei enim Filius, qui prædicatus est in vobis, non fuit in illo Est et Non.* Secundo testis infallibilis sanctorum est eorum conscientia : unde subdit : *Testimonium perhibente mihi conscientia mea.* II Cor. I, 12 : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Et quia interdum conscientia errat, nisi per Spiritum sanctum rectificetur, subdit, *In Spiritu sancto.* Supra VIII, 16 : *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro.*

Deinde cum dicit, *Quoniam tristitia mihi magna est*, ostendit suum affectum ad Judæos per dolorem quem de eorum causa patiebatur : quem quidem primo exponit ; secundo ejus signum ponit cum dicit : *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Exaggerat autem suum dolorem tripliciter. Primo quidem ex ejus magnitudine : *Quoniam mihi tristitia est magna*, quia scilicet est de magno malo, idest de excidio tantæ gentis. Th. XII, 13 : *Magna est velut mare contritio tua.*

Sed contra hoc videtur esse quod dici-

[1] Al. omittuntur sequentia usque ad illud iterum : « Circa primum duo facit. » — [2] Al. : « ineffabilis. »

tur Eccl. xxx, 22 : *Tristitiam non des animæ tuæ* : quod videtur sententiæ Stoicorum consonare, qui tristitiam omnino ab animo sapientis propellebant : cum enim tristitia sit de malo præsenti, non potest sapienti competere, cui nullum malum est præsens. Non enim æstimabant aliquid esse bonum nisi honestum, et malum nisi peccatum.

Sed hæc opinio refellitur dupliciter. Primo quidem, quia corporales defectus, licet non sint simpliciter mala, quibus scilicet homines fiant mali, sunt tamen quædam mala, quæ natura abhorret : unde et Dominus pro his tristatus legitur Matth. xxvi, 38 : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Secundo, cum ex caritate homo debeat suum diligere proximum sicut seipsum, imminet sapienti tristitia laudabilis de peccato proximi, sicut de peccato sui ipsius : unde Apostolus dicit II Cor. xii, 21 : *Et lugeam multos ex eis qui peccaverunt.* Sic igitur reprobatur sæculi tristitia, quia mortem operatur, procedens ex amore sæculi; sed tristitia quæ est secundum Deum, utpote ex divina caritate procedens, salutem operatur, ut dicitur II Cor. vii. Et talis fuit ista tristitia.

Secundo exaggerat eam ex continuitate : unde subdit, *Et continuus dolor* : non quod continuo actu doleret, sed secundum habitum. Hier. ix, 1 : *Ut plorem die ac nocte interfectos populi mei.* Tertio exaggerat eam ex sui veritate, cum dicit[1]. *Cordi meo* : non enim erat superficialis, sed in corde radicata. Thren. i. 22 : *Multi gemitus mei, et cor meum mœrens*[2]. Deinde cum dicit, *Optabam enim* etc., ponit signum doloris, dicens : *Optabam enim ego ipse*, qui tam fervens sum in caritate Christi, ut supra ostensum est, *anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Ubi primo sciendum est, quod anathema est Græcum, et componitur ab ana, quod est sursum, et thesis, quod est positio, ut dicatur anathema quasi sursum positum : quia scilicet cum capiebatur aliquid in præda quod nolebant esse in usu hominum, suspendebant illud in templo : et inolevit usque adhuc ut ea quæ sunt separata ab hominum communi usu, anathemata vocarentur : unde Josue vi, 17 : dicitur : *Sit civitas hæc anathema, et omnia quæ in ea sunt, Domino.* Dicit ergo : *Optabam ego ipse anathema esse a Christo*, id est separatus ab eo : quod quidem fit dupliciter. Uno modo per culpam, per quam aliquis a caritate Christi separatur, ejus præceptum non servans, Joan. xiv, 15 : *Si diligitis me, mandata mea servate.* Sic autem Apostolus non poterat optare esse anathema a Christo pro quacumque causa, ut ex supradictis in viii cap. patet : est enim hoc contra ordinem caritatis, quo quis tenetur Deum super omnia diligere, et salutem suam plusquam salutem aliorum. Et ideo non dicit, Opto, sed *optabam*, scilicet tempore infidelitatis. Sed secundum hoc, nihil magnum dicit Apostolus : quia tunc etiam propter se volebat esse separatus a Christo. Unde et quædam Glossa exponit quod dicit : *Tristitia magna est mihi*, de tristitia qua dolebat de præterito statu peccati, in quo a Christo voluerat esse separatus. Alio modo potest aliquis esse separatus a Christo, id est a fruitione Christi, quæ habetur in gloria. Sic autem separari a Christo volebat Apostolus pro salute Gentilium, nedum pro conversione Judæorum, secundum illud Phil. i, 23 : *Desiderium habens dissolvi, et cum Christo esse multo melius; permanere in carne necessarium propter vos.* Et hoc modo dicebat : *Optabam*, scilicet si fieri posset, *anathema esse*, id est separatus a gloria, vel simpliciter, vel ad tempus, propter honorem Christi, qui est ex conversione Judæorum, secundum illud Prov. xiv, 28 : *In multitudine populi dignitas regis.* Unde Chrysostomus in libro *De compunctione cordis* : « Ita totam ejus mentem devicit amor, ut etiam quod[3] præ ceteris omnibus amabilius erat, esse cum Christo, rursum idipsum, quia ita placeret Christo, contemneret : sed et cœlorum regna, quod videbatur laborum esse remuneratio, pro Christo nihilominus cedere pateretur. » Et causam tanti affectus ostendit subdens, *Pro fratribus meis.* Unde Eccl. xxv, 1, dicitur, quod *tria sunt probata coram Deo et hominibus* : *concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene consentientes.* Et ne hoc intelligeretur de his qui erant spiritualiter in Christo fratres, secundum illud Matth. xxiii, 8 : *Omnes vos fratres estis*, subjungit : *Qui sunt cognati ei secundum carnem.* II Cor. xi, 22 : *Semen Abrahæ sunt et ego.*

Deinde cum dicit, *Qui sunt Israelitæ*,

[1] Al. : « et dicit. » — [2] Al. : « tremens. » —

[3] Al. : « eo quod. »

ostendit dignitatem Judæorum, ut ejus tristitia videretur esse rationabilis propter pristinam dignitatem populi pereuntis; propensius enim est malum dignitatem perdidisse, quam nunquam habuisse, ut dicit *Glossa* et non solum ex affectu carnali procedens. Ostendit autem eorum dignitatem tripliciter. Primo quidem quantum ad suam gentem, cum dicit, *Qui sunt Israelitæ*, id est a genere Jacob descendentes, qui est dictus Israel Genes. xxxii; et II Cor. xi, 22 : *Israelitæ sunt, et ego*. Et hoc ad dignitatem pertinet : dicitur enim Deut. iv, 7 : *Non est alia natio tam grandis quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris*. Secundo ostendit dignitatem illius gentis ex Dei beneficiis : inter quæ primo ponit spiritualia beneficia : quorum unum respicit præsens; et quantum ad hoc dicit : *Quorum est adoptio filiorum Dei*. Unde dicitur Exod. iv, 22 : *Primogenitus meus Israel*. Et hoc quidem dicitur quantum ad spirituales viros, qui fuerunt in illo populo. Quantum ad carnales vero, supra viii, innuit quod acceperunt spiritum servitutis in timore. Aliud vero beneficium ponit quod respicit futurum, cum dicit, *Et gloria*, scilicet filiorum Dei eis repromissa : in cujus signum legitur Exod. ult. quod gloria Domini implevit tabernaculum. Deinde ponit alia beneficia figuralia : quorum tria sunt figura præsentis spiritualis beneficii : et horum primum est *testamentum*, id est pactum circumcisionis Abrahæ datum, ut dicitur Genes. xvii; quamvis hoc possit referri ad testamentum novum, quod primo Judæis est prædicatum. Unde et Dominus dicebat Matth. xv, 24 : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel*, et Hierem. xxxi, 31, dicitur : *Feriam domui Israel fœdus novum*. Secundum est lex data Moysi : unde subdit, *Et Legislatio*. Eccl. xxiv, 33: *Legem mandavit nobis Moyses*. Tertio est cultus divinus, cum dicit, *Et obsequium*, quo scilicet Deo serviebant, omnibus aliis gentibus servientibus idolis. Isa. xliv, 1 : *Et nunc audi serve meus Jacob et Israel quem elegi*[1]. Deinde ponit id quod pertinet ad futuram gloriam, cum dicit, *Et promissa* : promissiones enim factæ in veteri testamento, impletæ per Christum[2], Judæis præcipue factæ videntur : unde dicitur infra xv, 8 : *Dico Jesum Christum ministrum fuisse circumcisionis ad confirmandas promissiones patrum*. Fuerunt autem eis multæ promissiones factæ de bonis terrenis, ut patet Levit. xxvi, et Deut. xviii : sed per illa temporalia bona spiritualia figurabantur. Tertio autem describit dignitatem Judæorum ex origine, cum dicit, *Quorum patres* : quia scilicet secundum carnem sunt progeniti ab illis patribus, qui fuerunt maxime Deo accepti. Deut. iv, 37 : *Dilexi patres tuos, et elegi semen eorum*. Oseæ ix, 10 : *Quasi prima poma ficulneæ ejus vidi patres eorum*. Quarto ostendit dignitatem eorum ex prole, cum dicit : *Ex quibus est Christus secundum carnem*[3] : sicut ipse dicit Joan. iv, 22 : *Salus ex Judæis est* : Et ne hoc parum videatur, ostendit Christi dignitatem, dicens : *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen*. I Joan. ult. 20, *Hic est verus Deus, et vita æterna*. In quibus verbis quatuor hæreses destruuntur. Primo quidem Manichæi, qui dicebat Christum habuisse corpus phantasticum et non verum; quod removet[4] per hoc quod dicit, *Secundum carnem* : habet enim veram carnem, secundum illud Luc. ult. 39 : *Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere*. Secundo hæresis Valentini, qui dixit Christum non de massa humani generis, sed de cœlo corpus attulisse : quod quidem excludit in hoc quod dicit Christum ex Judæis secundum carnem esse, secundum illud Matth. i, 1 : *Liber generationis Jesu Christi filii David*. Tertio hæresis Nestorii, qui posuit alium esse filium hominis, alium Dei; contra quem Apostolus hic dicit, quod ille est ex patribus secundum carnem qui est Deus super omnia. Quarto excluditur hæresis Arii, qui dicebat Christum esse minorem Patre, et quod est creatus ex nihilo : contra quorum primum dicit, quod est super omnia : contra secundum, quod est benedictus per omnia sæcula : hoc enim de solo Deo dicendum est, quod ejus bonitas duret in sæcula.

[1] Al. : « Et nunc serve meus Jacob rectissime, quem elegi. « — [2] Al. : promissiones enim impletæ in veteri testamento per Christum, etc. »

[3] Al. : « et Christus est genitus secundum carnem. » — [4] Al. deest : « quod removet. »

LECTIO II.

Non autem quod exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex circumcisione sunt Israel, hi sunt Israelitæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii. Sed in Isaac vocabitur tibi semen : idest, non qui filii carnis, hi filii Dei ; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine. Promissionis enim verbum hoc est : Secundum hoc tempus veniam, et erit Saræ filius. Non solum autem illa, sed et Rebecca ex uno concubito habens Isaac patris nostri. Cùm enim nondum nati fuissent aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret), non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori ; sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui.

Postquam Apostolus posuit dignitatem Judæorum, nunc ostendit quod ista dignitas non pertinet ad eos qui carnaliter processerunt ab antiquis patribus; sed ad spirituale semen, quod est a Deo electum : et primo ostendit quod hujusmodi dignitas proveniat ex electione divina; secundo ostendit quod hæc electio communiter pertinet ad Judæos et ad Gentiles, ibi, *Quos et vocavit non solum ex Judæis, sed etiam ex Gentibus.* Circa primum duo facit. Primo ostendit quomodo ex electione divina homines spiritualem dignitatem consequuntur; secundo movet quæstionem de justitia divinæ electionis, ibi, *Quid ergo dicemus?* Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo ostendit propositum, ibi, *Sed in Isaac vocabitur tibi semen.* Circa primum duo facit. Primo ponit firmitatem divinæ electionis; secundo ostendit in quibus impleatur, ibi, *Non enim omnes qui ex circumcisione sunt Israel, hi sunt Israelitæ.* Dicit ergo primo : Ita dictum est, quod eorum sunt promissa et adoptio filiorum et gloria, pro quorum casu est mihi magna tristitia et continuus dolor. Non autem est hoc sic intelligendum quod *verbum Dei exciderit*, idest frustratum sit : quia etsi non habet locum in quibusdam qui exciderunt, habet tamen locum in aliis. Isai. LV, 11 : *Verbum quod egreditur ex ore meo, non revertetur ad me vacuum* ; *sed faciet quæcumque volui.* Psal. CXVIII, 89 : *In æternum, Domine, permanet verbum tuum.* Deinde cum dicit, *Non enim omnes* etc., ostendit quomodo et in quibus verbum Dei exciderit. Circa quod considerandum est, quod Judæi de duobus præcipue gloriabantur : videlicet de Abraham, qui primo accepit pactum circumcisionis a Domino, ut dicitur Gen. XVII; et de Jacob sive Israel, cujus tota posteritas in populo Dei connumerabatur. Non autem ita fuit de Isaac : nam posteritas filii ejus Esau ad populum Dei non pertinebat : unde Apostolus ostendit propositum, primum quidem per comparationem ad Jacob, dicens : *Non enim omnes qui sunt ex Israel*, idest ex Jacob secundum carnem progeniti, *hi sunt* veri *Israelitæ*, ad quos pertinent Dei promissa; sed illi qui sunt recti, et videntes Deum per fidem. Isai. XLIV, 2 : *Rectissime, quem elegi.* Unde, et Dominus dicit Nathanaeli, Joan. I, 47 : *Ecce verus Israelita, in quo dolus non est.* Hoc autem nomen *Israel* impositum fuit Jacob ab Angelo, ut patet Gen. XXXII. Secundo ostendit idem per comparationem ad Abraham, dicens : *Neque omnes qui sunt* carnale *semen Abrahæ*, sunt spirituales Abrahæ *filii*, quibus Deus benedictionem repromisit; sed solum illi qui ejus fidem et opera imitantur. Joan. VIII, 39 : *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.*

Deinde cum dicit, *Sed in Isaac vocabitur tibi semen*, manifestat propositum : et primo quantum ad Abraham; secundo quantum ad Jacob, ibi, *Non solum autem illa* etc. Circa primum tria facit. Primo proponit auctoritatem Scripturæ, dicens : *Sed in Isaac vocabitur tibi semen.* Hoc Dominus dixit Abrahæ, ut habetur Gen. XXI, ubi agebatur de expulsione Ismaelis; quasi dicat : Non omnes qui nati sunt carnaliter ab Abraham, pertinent ad illud semen cui facta est repromissio, secundum illud Gal. III, 16 *: Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus;* sed illi qui similes sunt Isaac. Deinde cum dicit, *Idest non qui filii carnis, hi filii Dei*, exponit auctoritatem inductam, secundum quod facit ad propositum. Ad cujus evidentiam accipiendum est quod Apostolus dicit Gal. IV, 22 : *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera; sed qui de ancilla* scilicet, Ismael, *secundum carnem natus est* quia, scilicet secundum legem et consuetudinem carnis ex juvencula natus est; *qui autem ex libera*, scilicet Isaac, *per repromissionem*, et non secundum carnem; idest,

non secundum carnis legem et consuetudinem : quia natus est ex sterili et vetula, ut habetur Genes. XVIII, quamvis sit natus secundum carnem, idest secundum substantiam carnis, quam accepit a parentibus. Ex quo Apostolus hic accipit quod illi non adoptantur in filios Dei *qui sunt filii carnis,* idest ex hoc ipso quod secundum carnem progeniti sunt ab Abraham; sed isti *æstimantur in semine*, quibus facta est repromissio, *qui sunt filii promissionis*, idest illi qui ex gratia promissionis divinæ facti sunt filii Abrahæ secundum imitationem fidei, secundum illud Matth. III, 9 : *Potens est Deus de lapidibus his suscitare filios Abrahæ :* sicut etiam Ismael secundum carnem natus, non est computatus in semine, sed Isaac per repromissionem natus. Tertio ibi, *Promissionis enim verbum hoc est*, probat convenientem fuisse suam expositionem, qua per Isaac significari dixit eos qui sunt filii repromissionis, quia scilicet Isaac per promissionem natus est : unde dicit *: Promissionis enim hoc verbum est,* quod Angelus, immo Dominus in Angelo dixit ad Abraham, Gen. XVIII, 10 : *Secundum hoc tempus veniam* : quo significatur tempus gratiæ : Gal. IV, 4 : *Cum venit plenitudo temporis*, *misit Deus Filium suum* : *et erit Saræ filius*, scilicet per gratiam repromissionis : unde et Gal. IV, dicitur : *Ut adoptionem filiorum reciperemus.* Deinde cum dicit, *Non solum autem illa* etc., manifestat propositum quantum ad Jacob : et primo ponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Cum enim nondum nati fuissent* etc. Dicit ergo primo : *Non solum illa*, scilicet Sara, habuit filium de quo facta est promissio: *sed et Rebecca habens* in utero duos filios, quorum unus pertinebat ad promissionem, alius ad carnem solum : et hoc ex *uno concubitu Isaac patri nostri* : dicitur enim Gen. XXV, quod Isaac rogavit pro uxore sua, eo quod sterilis esset; et dedit Dominus conceptum Rebeccæ, et collidebantur in ventre ejus parvuli. Et est notandum, quod hoc Apostolus inducit contra Judæos, qui reputabant se Dei gratiam [1] adepturos propter merita patrum, contra quos dicit de viris justis, Ezech. XIV, quod filium et filiam non liberabunt, sed ipsi in justitia sua liberabuntur. Unde et Joannes Judæis dicebat, Matth. III, 9 : *Ne cœperitis dicere, Patrem habemus Abraham.* Contra horum opinionem ergo primo induxerat quod de filiis Abrahæ unus erat electus, et alius reprobatus. Possent autem hoc ascribere vel diversitati matrum, quia Ismael natus est de ancilla, et Isaac de libera; vel diversitati meritorum patris, quia Ismaelem genuit incircumcisus, Isaac autem circumcisus. Ut igitur omne subterfugium excludatur, inducit exempla, ubi unus eligitur et alius reprobatur eorum qui non solum ab uno patre, sed etiam ab una matre sunt geniti, et eodem tempore, immo ex uno concubitu. Deinde cum dicit, *Cum nondum nati fuissent*, ostendit propositum : et primo per auctoritatem Gen. XXVIII; secundo per auctoritatem Prophetæ, ibi, *Sicut scriptum est* etc. Circa primum tria facit. Primo designat tempus promissionis; et dicit quod per repromissionem est unus filiorum Rebeccæ alii prælatus, *cum nondum nati fuissent.* Et sicut per superiora exclusit opinionem Judæorum de meritis patris confidentium, ita etiam per hoc excludit errorem Manichæorum, qui diversitatem eorum quæ hominibus accidunt, nativitati ascribunt; ut scilicet uniuscujusque vita et mors disponatur secundum constellationem sub qua natus est; contra quod dicitur Hierem. X, 2 : *A signis cœli nolite metuere, quæ Gentes timent.* Subdit autem : *Aut aliquid egissent boni aut mali* : ubi excluditur error Pelagianorum, qui dicunt, secundum merita præcedentia gratiam dari, cum tamen scriptum sit, Tit. III, 5 : *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Utrumque autem horum ostenditur falsum per hoc quod ante nativitatem et ante opera unus filiorum Rebeccæ alteri est prælatus. Excluditur per hoc etiam error Origenis, qui posuit, animas hominum simul cum Angelis esse creatas; et quod pro meritis eorum quæ ibi egerunt bene vel male, diversitatem vitæ sortiuntur : secundum quem non posset esse verum quod hic dicitur : *Cum nondum aliquid mali vel boni egissent.* Contra hoc autem est quod dicitur Job. XXXVIII, 7 : *Ubi eras, cum me laudarent astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei?* Posset enim secundum Origenis errorem responderi : Eram inter ipsos Dei filios jubilantes. Secundo ostendit quid accipi

[1] Al. : « justitiam. »

posset ex ipsa promissione, quia unus geminorum in utero existentium alteri est prælatus, dicens : *Ut propositum Dei*, scilicet volentis unum præ alio magnificare, *maneret*, idest firmum esset ; et hoc non secundum merita, sed *secundum electionem*, idest inquantum ipse Deus spontanea voluntate unum alteri prælegit, non quia sanctus erat, sed ut sanctus esset, secundum illud Ephes. I, 4 : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti*. Hoc autem est propositum prædestinationis, de quo ibidem dicitur : *Prædestinati secundum propositum voluntatis ejus*. Tertio ponit promissionem, dicens : *Non ex operibus*, quæ nulla præcesserunt, ut dictum est, *sed ex vocante*, idest ex ipsa gratia vocantis, de quo supra VIII, 30, dictum est : *Quos prædestinavit, hos et vocavit*, *dictum est ei*, scilicet Rebeccæ, *quia major*, scilicet Esau, *serviet minori*, scilicet Jacob. Quod quidem tripliciter potest intelligi. Uno modo secundum eorum personas ; et sic intelligitur Esau servisse Jacob, non directe, sed occasionaliter, inquantum persecutio quam ei intulit, in ejus bonum cessit, secundum illud Prov. XI, 29 : *Qui stultus est, serviet sapienti*. Secundo potest referri ad populos ex utroque progenitos : quia Idumæi aliquando fuerunt subjecti Israelitis, secundum illud Psalm. LIX, 10 : *In Idumæam extendam calceamentum meum*. Et hoc videtur competere his quæ præmittuntur in Gen. XXV. Præmittitur enim XXIII : *Duo populi ex ventre tuo dividentur : populus populum superabit, et major minori serviet*. Tertio potest intelligi figuraliter dictum, ut per majorem intelligatur populus Judæorum, qui primo adoptionem filiationis accepit, secundum illud Exod. IV, 22 : *Primogenitus meus Israel*. Per minorem autem figuratur populus Gentilium, qui posterius est ad fidem vocatus, qui etiam figuratur per Filium prodigum. Luc. XV. Major ergo populus serviet minori, inquantum Judæi sunt nostri capsarii, custodientes libros ex quibus nostræ fidei testimonium perhibetur. Joan. V, 39 : *Scrutamini Scripturas*. Deinde cum dicit, *Sicut scriptum est*, probat propositum ex auctoritate Prophetæ, dicens : *Sicut scriptum est*, scilicet I cap. Malachiæ Prophetæ ex persona Dei, dicentis : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*. Dicit autem hic quædam Glossa, quod id quod supra dictum est, *Major serviet minori*, dictum est secundum præscientiam : quod autem hic dicit, est intelligendum secundum judicium : quia scilicet Deus propter bona opera dilexit Jacob, sicut et omnes sanctos diligit : Proverb. VIII, 17 : *Ego diligentes me diligo*. Esau vero odio habuit propter peccata, sicut scriptum est Eccli. XII, 7 : *Altissimus odio peccatores habet*. Sed quia dilectio hominis prævenitur a dilectione Dei, secundum illud I Joan. IV, 10 : *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos* : oportet dicere, quod ante Jacob dilectus sit a Deo quam ipse Deum dilexerit. Nec potest dici quod Deus ex tempore eum diligere inceperit ; alioquin ejus affectus esset mutabilis : et ideo oportet dicere, quod Deus ab æterno Jacob dilexit, ut dicitur Hierem. XXXI, 3 : *In caritate perpetua dilexi te*.

Est autem in his verbis Apostoli considerandum, quod tria ponit in Deo pertinentia ad sanctos : videlicet electionem, per quam intelligitur prædestinatio et dilectio [1] Dei ; quæ quidem realiter sunt idem in Deo, sed differunt ratione : nam ipsa Dei dilectio dicitur secundum quod vult bonum alicui absolute ; electio autem dicitur secundum quod per bonum quod alicui vult, eum alteri præfert ; prædestinatio autem est secundum quod hominem dirigit in id bonum quod ei vult, diligendo et eligendo : et ideo secundum rationem prædestinatio sequitur dilectionem ; sicut et voluntas de fine, naturaliter præcedit directionem aliquorum in finem. Electio autem et dilectio aliter ordinantur in Deo et in homine. In homine enim electio præcedit dilectionem ; voluntas enim hominis movetur ad amandum ex bono quod in re amata considerat, ratione cujus ipsam præelegit alteri et præelectæ suum amorem impendit. Sed voluntas Dei est causa omnis boni quod est in creatura ; et ideo bonum per quod una creatura præfertur alteri per modum electionis, consequitur voluntatem Dei, quæ est de bono illius, quæ pertinet ad rationem dilectionis. Unde non propter aliquod bonum, quod in homine eligat, Deus eum diligit ; sed potius eo quod ipsum diligit, præfert eum aliis, eligendo. Sicut autem dilectio de qua hic loquitur, pertinet ad æternam Dei præ-

[1] Al. : « electio. »

destinationem; ita etiam odium de quo hic loquitur, pertinet ad reprobationem, qua Deus reprobat peccatores. Nec est dicendum, quod ista reprobatio sit temporalis, quia nihil temporale est in voluntate divina, sed est ab æterno; quæ quidem quantum ad aliquid convenit cum dilectione vel prædestinatione, quantum autem ad aliquid differt. Convenit quidem quantum ad hoc quod sicut prædestinatio est præparatio gloriæ, ita reprobatio est præparatio pœnæ : Isai. xxx, 33 : *Præparata est ab heri Thophet, a rege præparata.* Differt autem quantum ad hoc quod prædestinatio importat præparationem meritorum, quibus pervenitur ad gloriam; sed reprobatio non importat præparationem peccatorum, quibus pervenitur ad pœnam. Et ideo præscientia meritorum non potest esse aliqua ratio prædestinationis, quia merita præscita cadunt sub prædestinatione; sed præscientia peccatorum potest esse aliqua ratio reprobationis ex parte pœnæ, quæ præparatur reprobatis : inquantum scilicet Deus proponit se puniturum malos propter peccata, quæ a seipsis habent, non a Deo : justos autem proponit se præmiaturum propter merita quæ a seipsis non habent. Oseæ xiii, 9 : *Perditio tua ex te, Israel*; *tantum in me*[1] *auxilium tuum.*

LECTIO III.

Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Absit : Moysi enim dicit : Miserebor cui misertus sum, et misericordiam præstabo cui miserebor. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni : Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra. Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat.

Postquam præmisit Apostolus quod secundum Dei electionem unus alteri præfertur, non ex operibus, sed ex gratia vocantis; hic inquirit de justitia hujus electionis : et primo proponit dubitationem; secundo solvit, ibi, *Absit*; tertio objicit contra solutionem, ibi, *Dicis itaque mihi : Quid adhuc quæritur?* Dicit ergo primo : Dictum est, quod Deus sine merito præcedente unum eligit, et alterum reprobat. *Quid ergo dicemus? Numquid* per hoc probari potest quod sit *iniquitas apud Deum?* Videtur quod sic : pertinet enim ad justitiam in distributionibus, ut æqualiter æqualibus distribuatur; homines autem, remota differentia meritorum, sunt æquales : si ergo absque consideratione meritorum Deus inæqualiter distribuit, unum eligens et alium reprobans, videtur quod sit in eo iniquitas : quod est contra illud quod dicitur Deuter. xxxii, 4 : *Deus fidelis, et absque ulla iniquitate.* Psalm. cxviii. 137 : *Justus es Domine, et rectum judicium tuum.*

Est autem sciendum, quod Origenes hanc objectionem solvere volens, incidit in errorem : ponit enim in suo Periarchon, Deum ab initio solum creaturas spirituales fecisse, et omnes æquales, ne ex eorum inæqualitate posset secundum rationem prædictam iniquitas Deo ascribi; sed postea creaturarum diversitas subsecuta est ex diversitate meritorum : nam illarum creaturarum spiritualium quædam per amorem conversæ sunt ad Deum plus vel minus, et secundum hoc distincti sunt diversi[2] ordines Angelorum; quædam vero aversæ sunt a Deo plus vel minus, et secundum hoc alligatæ sunt corporibus vel nobilibus vel ignobilibus; quædam quidem cœlestibus corporibus, quædam autem corporibus dæmonum, quædam autem corporibus hominum : et secundum hoc ratio condendi et distinguendi creaturas corporeas, est peccatum spiritualis creaturæ : quod est contra id quod Genes. i, 31, dicitur : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Per quod datur intelligi quod causa producendi creaturas corporales, est bonitas, ut dicit Augustinus, XI *De Civitate Dei.*

Et ideo hac opinione rejecta, videndum est qualiter Apostolus dubitationem solvat, cum dicit : *Absit. Moysi enim dicit* etc. Et circa hoc duo facit. Primo solvit objectionem prædictam quantum ad dilectionem sanctorum : secundo quantum ad odium seu reprobationem malorum, ibi, *Dicit enim Scriptura Pharaoni.* Circa primum duo facit. Primo proponit auctoritatem Scripturæ, ex qua procedit solutio; secundo ex ea conclusionem inducit, ibi, *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.*

[1] Al. : « ex me. »

[2] Al. omittitur : « diversi. »

Inducit autem auctoritatem quæ habetur Exod. XXXIII, 19, ubi dixit Dominus Moysi, secundum litteram nostram : *Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuero.* Sed Apostolus inducit eam secundum litteram LXX, dicens : *Moysi enim dicit*, Dominus : *Miserebor cui misereor, et misericordiam præstabo cui miserebor* : ubi secundum superficiem litteræ, omnia bona nostra Dei misericordiæ ascribuntur, secundum illud Isai. LXIII, 7 : *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis* : et Thren. III, 23 : *Misericordiæ Domini quod non sumus consumpti : multæ enim sunt miserationes ejus.* Exponitur autem hæc auctoritas in *Glossa* dupliciter; et secundum hoc ex auctoritate hac dupliciter solvitur quæstio et objectio. Uno modo sic : *Miserebor cui misereor*, idest illi qui est dignus misericordia; et ad majorem expressionem iterat, dicens : *Misericordiam præstabo cui misereor*, idest cui dignum judico misereri; sicut et in Psalm. CII, 13, dicitur : *Misertus est Dominus timentibus se.* Et secundum hoc, licet misericorditer sua impendat, tamen ab injustitia excusatur : quia dat quibus dandum est, et quia non dat cui dandum non est, secundum rectitudinem sui judicii.

Sed misereri cui dignum est, potest intelligi dupliciter. Uno modo ut intelligatur aliquis dignus misericordia propter opera præexistentia in hac vita, licet non in alia, ut posuit Origenes : quod pertinet ad hæresim Pelagianorum, qui posuerunt gratiam Dei hominibus secundum merita dari. Sed hoc stare non potest : quia, sicut dictum est, ipsa etiam bona merita sunt homini a Deo, et sunt prædestinationis effectus.

Alio modo potest intelligi ut aliquis dicatur dignus misericordia, non propter aliqua merita præcedentia gratiam, sed propter merita subsequentia; puta ut dicamus, quod Deus dat alicui gratiam, et proposuit eam ab æterno illi se daturum quem præscivit ea bene fore usurum; et secundum hoc intelligit *Glossa* quod miseretur cui miserendum est : unde dicit : « *Miserebor cui misertus ero*; idest, illi miserebor vocando, et gratiam apponendo, cui præscius ero quod misericordiam daturus essem, sciens illum convertendum, et apud me permansurum. »

Sed videtur quod nec hoc convenienter dici possit : manifestum est enim quod nihil potest poni ut ratio prædestinationis quod est prædestinationis effectus, etiam si accipiatur prout est in Dei præscientia : quia ratio prædestinationis præintelligitur prædestinationi, effectus autem in ipsa includitur. Manifestum est autem quod omne Dei beneficium quod homini confert ad salutem, est divinæ prædestinationis effectus. Divinum autem beneficium non solum extendit se ad infusionem gratiæ qua homo justificatur, sed etiam ad gratiæ usum; sicut etiam in rebus naturalibus non solum [1] Deus causat ipsas formas in rebus, sed etiam ipsos motus et operationes formarum : eo quod Deus est principium omnis motus, cujus operatione cessante a movendo, ex formis nullus motus vel operatio sequitur. Sicut autem se habet habitus gratiæ vel virtutis in anima ad usum ipsius, sic se habet forma naturalis ad suam operationem; et ideo dicitur Isa. XXVI, 12 : *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Probat autem hoc speciali ratione Aristoteles, IX *Metaph.* text. III, IV et X, de operibus voluntatis humanæ. Cum enim homo habeat potentiam ad opposita, puta ad sedendum vel non sedendum, oportet quod reducatur in actum per aliquid aliud. Reducitur autem in actum alterius horum per consilium, ex quo unum oppositorum præeligit alteri. Sed cum iterum homo habeat potentiam consiliandi vel non consiliandi, oportebit esse aliquod per quod reducatur in actum consilii; et cum in hoc non sit procedere in infinitum, oportet esse aliquod principium extrinsecum superius homine, quod ipsum moveat ad consiliandum; et hoc non est aliud quam Deus. Sic igitur ipse usus gratiæ est a Deo : nec propter hoc superfluit habitus gratiæ; sicut nec superfluunt formæ naturales, quamvis Deus in omnibus operetur : quia, sicut dicitur Sapien. VIII, 1, *ipse disponit omnia suaviter* : quia scilicet per suas formas omnia inclinantur quasi sponte in id ad quod ordinantur a Deo. Sic igitur non potest esse quod merita consequentia gratiam sint ratio miserendi, aut prædestinandi; sed sola Dei voluntas, secundum quam misericorditer aliquos liberat. Manifestum est enim quod justitia distributiva locum habet in his quæ

[1] Al. deest : « Deus. »

dantur ex debito; puta si aliqui meruerunt mercedem, ut plus laborantibus major merces donetur; non autem habet locum in his quæ sponte et misericorditer aliquis dat; puta si aliquis duos pauperes in via inveniens det uni quod potest vel disponit in eleemosynam dare, non est iniquus, sed misericors. Similiter si aliquis duobus æque ipsum offendentibus, uni dimittat offensam, et non alteri; est misericors uni, et justus ad alterum; neutri vero iniquus. Cum enim omnes homines propter peccatum primi parentis damnationi nascantur obnoxii; quos Deus per suam gratiam liberat, sola misericordia liberat : et sic quibusdam est misericors, quos liberat; quibusdam autem justus, quos non liberat : neutris autem iniquus. Et ideo Apostolus quæstionem solvit per auctoritatem quæ omnia divinæ misericordiæ ascribit.

Sciendum est tamen, quod Dei misericordia secundum tria attenditur. Primo quidem secundum prædestinationem, qua ab æterno proposuit aliquos liberare : Psalm. CII, 16 : *Misericordia ejus ab æterno et usque in æternum* [1]. Secundo secundum vocationem et justificationem, quibus homines salvat ex tempore. Tit. III, 5 : *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Tertio magnificando per gloriam, quando liberat ab omni miseria : Psalm. CII, 4 : *Qui coronat te in misericordia et miserationibus.* Et ideo dicit : *Miserebor*, scilicet vocando et justificando, *cui misereor* prædestinando : *et misericordiam præstabo* [2] finaliter glorificando eum *cui misereor*, vocando et justificando. Et hic sensus magis concordat cum nostra littera, quæ dicit loc. cit. : *Miserebor cui voluero, et clemens ero cui mihi placet.* Ubi manifeste non meritis, sed soli divinæ voluntati ascribitur divina misericordia.

Deinde cum dicit, *igitur non volentis* etc., concludit propositum ex præmissa auctoritate. Et potest hæc conclusio multipliciter intelligi. Uno modo sic. Igitur ipsa salus hominis *non est volentis neque currentis*; idest, non debetur alicui per aliquam ejus voluntatem, vel exteriorem operationem, quæ dicitur cursus, secundum illud I Cor. IX, 24 : *Sic currite ut comprehendatis* : *sed est miserentis Dei*; idest, procedit ex sola Dei misericordia, ut maxime [3] sequitur ex auctoritate inducta. Deuter. IX, 4 : *Ne dicas in corde tuo... Propter justitiam meam introduxit me Dominus ut terram hanc possiderem.* Potest autem et aliter intelligi, ut sit sensus : Omnia procedunt ex Dei misericordia : igitur *non est volentis*, scilicet velle, *neque currentis*, scilicet currere; *sed* utrumque *est miserentis Dei*, secundum illud I Corinth. XV, 10 : *Non autem ego, sed gratia Dei mecum :* et Joan. XV, 5 : *Sine me nihil potestis facere.*

Sed si hoc solum in hoc verbo intellexisset Apostolus; cum etiam gratia sine libero arbitrio hominis non velit neque currat, potuisset e converso dicere : Non est miserentis Dei, sed volentis et currentis : quod aures piæ non ferunt. Unde plus aliquid est ex his verbis intelligendum : ut scilicet principalitas gratiæ Dei attribuatur : semper enim actio magis attribuitur principali agenti quam secundario : puta, si dicamus, quod securis non facit arcam, sed artifex per securim. Voluntas autem hominis movetur a Deo ad bonum : unde supra VIII, 14, dictum est : *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Et ideo hominis operatio interior non est homini principaliter, sed Deo attribuenda : Phil, II, 13 : *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate.*

Sed si non est volentis velle, neque currentis, sed Dei moventis ad hoc hominem; videtur quod homo non sit dominus sui actus, quod pertinet ad libertatem arbitrii. Et ideo dicendum est, quod Deus omnia movet, sed diversimode; inquantum scilicet unumquodque movetur ab eo secundum modum naturæ suæ, et sic homo movetur a Deo ad volendum et currendum per modum liberæ voluntatis. Sic ergo velle et currere est hominis ut libere agentis [4], non autem est hominis ut principaliter moventis, sed Dei.

Deinde cum dicit, *Dicit enim Scriptura Pharaoni*, solvit quæstionem præmissam quantum ad reprobationem malorum : et primo inducit auctoritatem; secundo infert conclusionem, ibi, *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat.* Dicit ergo : Ita ostensum est quod non est ini-

[1] Al. : « et in æternum. » — [2] Al. : « prædestinando, et misericordiam præstando. » — [3] Al. : « et maxime. » — [4] Al. deest : « agentis. »

quitas apud Deum quantum ad hoc quod ab æterno diligit justos [1], sed etiam nec quantum ad hoc quod ab æterno reprobat malos : *dicit enim Scriptura* ex ore Dei [2] Exod. IX, 16 : *Quia in hoc ipsum excitavi te*, vel *servavi te*, secundum aliam litteram, *ut ostendam in te virtutem meam*, *ut annuntietur nomen meum in universa terra*. Nostra autem littera sic habet : « Et idcirco posui te, ut ostendam in te fortitudinem meum, ut enarretur nomen meum in omni terra. » Ubi primo considerandum est quid Deus circa reprobos faciat : quod ostendit, dicens : *In hoc ipsum servavi te;* idest, dignus eras mori propter mala quæ feceras : supra I, 32 : *Qui talia agunt, digni sunt morte* : sed tamen non statim tibi mortem induxi, sed servavi te in vita eo fine quo sequitur, *ut* scilicet *ostendam in te virtutem meam*. Et in hoc etiam sensu potest legi quod dicitur, *Excitavi te*, idest, cum apud me pro tuis meritis mortuus esses, concessi tibi vitam, quasi te excitarem. In quo apparet quod Deus iniquitatem reprobis non facit, cum ipsi ex suis meritis essent digni statim consumi; sed hoc ipsum quod eos servat in vita, procedit ex nimia sua bonitate. Hier. X, 24 : *Corripe me Domine, verum tamen in judicio, et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me*. Alio modo potest intelligi, *Excitavi te*, in peccatum, ut deterior fias : quod quidem non est intelligendum hoc modo quod Deus in homine causet malitiam; sed est intelligendum permissive, quia scilicet ex justo suo judicio permittit aliquos ruere in peccatum propter præcedentes iniquitates, sicut supra, I, 28 : dictum est : *Tradidit eos Deus in reprobum sensum*.

Sed aliquid amplius videtur mihi in hoc esse intelligendum : quia videlicet instinctu quodam interiori moventur homines a Deo ab bonum et ad malum : unde Augustinus dicit in lib., *De gratia et libero arbitrio*, cap. XXII, quod « Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum. » Unde et Deus dicitur sæpius suscitare aliquos ad bonum, secundum illud Daniel. XIII, 45 : *Suscitavit Deus spiritum pueri junioris*. Dicitur etiam suscitare aliquos ad malum faciendum, secundum illud Isa. XIII, 17 : *Suscitabo Medos, qui sagittis parvulos interficiant*. Aliter tamen ad bona, aliter ad mala : nam ad bona inclinat hominum voluntates directe et per se, tamquam actor bonorum; ad malum autem dicitur inclinare vel suscitare homines occasionaliter, inquantum scilicet Deus homini aliquid proponit vel interius vel exterius, quod quantum est de se, est inductivum ad bonum; sed homo propter suam malitiam perverse utitur ad malum. Supra II, 4 : *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ?* Et Job. XXIV, 22 : *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam*. Et similiter Deus, quantum est de se, interius instigat hominem ad bonum, puta regem ad defendendum jura regni sui, vel ad puniendum rebelles; sed hoc instinctu bono malus homo abutitur secundum malitiam cordis sui. Et hoc patet Isai. X, 6 : ubi dicitur de Assur : *Ad gentem fallacem mittam eum : contra populum furoris mei mandabo illi ut auferat spolia, et diripiat prædam, et ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum* : et post : *Ipse autem non sic arbitrabitur, et cor ejus non ita æstimabit; sed ad conterendum erit cor ejus*. Et hoc modo circa Pharaonem accidit; qui cum a Deo excitaretur ad regni sui tutelam, abusus est hac excitatione in crudelitatem.

Secundo oportet considerare, quo fine Deus ista partim faciat et partim permittat : est enim considerandum, quod Deus operatur in creaturis ad suam manifestationem, secundum illud supra I, 20 : *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Unde et hujusmodi excitatio in hoc ipsum ordinatur, et quantum ad præsentes, *ut ostendam in te virtutem meam* : Exod. XIV, 31 : *Viderunt filii Israel manum magnam, quam exercuerat Dominus contra Ægyptios* : et quantum ad absentes, *ut annuntietur nomen meum in universa terra* : Psal. XLV, 3 : *Annuntiate inter gentes gloriam ejus*. Sic igitur patet quod quantum ad hoc non est iniquitas apud Deum, quia utitur creatura sua secundum ejus merita ad gloriam suam : et in hoc eodem sensu

[1] Al : « quantum ad hoc quod ab æterno reprobat malos » intermediis omissis. — [2] Supple : « *Pharaoni*. »

potest exponi, si dicatur *Posui* te; idest ordinavi malitiam tuam ad gloriam meam: Deus enim malitiam ordinat, sed non causat.

Deinde cum dicit, *Ergo cujus vult miseretur*, infert conclusionem quamdam ex utraque auctoritate supra inducta : nam ex eo quod dictum est, *Miserebor cui misereor,* concludit, *Ergo cujus vult miseretur* : Psal. cii, 23 : *Misertus est Dominus timentibus se* : ex eo vero quod dictum est, *In hoc ipsum excitavi te*, concludit, *Et quem vult indurat* : Isai. xliii, 17 : *Indurasti cor nostrum ne timeremus te.* Eccli. xxxiii, 12 : *Ex ipsis benedixit et exaltavit, et ex ipsis maledixit et humiliavit.*

Et quidem quod dicitur de Dei misericordia, dubitationem non habet, suppositis his quæ præmissa sunt; sed circa indurationem videtur esse duplex dubitatio. Primo quidem quia duritia cordis ad culpam pertinere videtur, secundum illud Eccli. iii, 27 : *Cor durum male habebit in novissimo.* Si ergo Deus indurat, sequitur quod sit auctor culpæ : contra quod dicitur Jacob. i, 13 : *Deus intentator malorum est.*

Ad quod dicendum, quod Deus non dicitur indurare aliquos directe quasi in eis causet malitiam, sed indirecte, inquantum scilicet ex his quæ facit in homine, intus vel extra, homo sumit occasionem peccati; et hoc ipse Deus permittit. Unde non dicitur indurare quasi immittendo malitiam, sed non apponendo gratiam.

Secunda dubitatio est, quia ipsa obduratio non videtur divinæ voluntati posse ascribi, cum scriptum sit I Thess. iv, 3 : *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra* : et I Timoth. ii, 4 : *Qui vult omnes homines salvos fieri.*

Ad quod dicendum est, quod tam misericordia quam justitia dispositionem voluntatis important : unde sicut miseratio attribuitur divinæ voluntati, ita et id quod est justitiæ. Sic ergo intelligendum est : *Cujus vult miseretur*, scilicet per suam misericordiam, *et quem vul tindurat*, per suam justitiam : quia illi quos indurat, hoc merentur ut indurentur ab ipso, ut supra, i cap., dictum est.

LECTIO IV.

Dicis itaque mihi : Quid adhuc quæritur ? Voluntati enim ejus quis resistit? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit : Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam ? Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.

Posita solutione præmissæ quæstionis, hic Apostolus contra ipsam solutionem objicit : et præcipue contra ultimam conclusionem, qua dictum est : *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat.* Primo ergo ponit objectionem; secundo solutionem, ibi, *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Dicit ergo primo : Dictum est, quod Deus cujus vult miseretur, et quem vult indurat. *Dicis itaque mihi : Quid adhuc quæritur?* idest, quid oportet ulterius quærere de causa bonorum et malorum quæ hic aguntur, cum omnia voluntati divinæ attribuantur, quæ est causa sufficiens, eo quod nullus potest ei resistere? Unde sequitur : *Voluntati ejus quis resistit?* Eccle. i, 13 : *Proposui in animo meo quærere et investigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole.* Vel aliter. *Quid adhuc queritur*, idest conqueritur, Deus de hominibus, quando peccant? sicut Isai. i, 2 : *Filios enutrivi et exaltavi*; *ipsi autem spreverunt me.* Ideo autem videtur justam querimoniam non habere, quia ex voluntate ejus totum procedit, cui nullus potest resistere : unde subdit : *Voluntati ejus qui resistit?* Vel aliter. *Quid adhuc quæritur*, scilicet ab homine, ut faciat bonum, vel vitet malum? Mich. vi, 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Deus requirat a te. Utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Frustra autem requiritur ab aliquo quod non est in ejus potestate. Nihil autem in hominis potestate esse videtur secundum prædicta, quibus omnia divinæ voluntati videntur ascribi, cui resisti non potest : unde sequitur : *Voluntati enim ejus qui resistit?* quasi diceret, nullus. Esther xiii, 9 : *Non est qui tuæ possit resistere voluntati.* Et hæc videtur esse intentio Apostoli.

Deinde cum dicit, *O homo, tu quis es?* respondet præmissæ quæstioni [1]. Ad cujus responsionis intellectum consideran-

[1] Al. : « facile respondet quæstioni. »

dum est, quod circa electionem bonorum et reprobationem malorum, duplex quæstio potest moveri. Una quidem in generali, quare Deus velit quosdam indurare, et quorumdam misereri ; alia vero in speciali, quare velit hujus misereri, et hunc vel illum indurare. Et potest quidem ratio hujus [1] quæstionis assignari ; secundæ autem quæstionis non potest assignari ratio, nisi simplex Dei voluntas ; cujus exemplum patet in rebus humanis. Si enim aliquis ædificare volens, haberet multos lapides similes et æquales congregatos, posset ratio assignari quare quosdam ponat in summo, et quosdam in imo ex parte finis ; quia ad perfectionem domus quam facere intendit, requiritur et fundamentum, quod habet lapides in imo, et cacumen parietis, quod habet lapides in summo. Sed quare ponat hos lapides in summo et hos in imo, non habet aliquam rationem, nisi quia artifex voluit.

Primo igitur Apostolus respondet dubitationi quantum ad quæstionem secundam, quare scilicet hujus hominis misereatur, et illum induret ; secundo quantum ad quæstionem primam, quare scilicet quibusdam misereatur et quosdam induret. ibi, *Quod si volens Deus ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ* etc. Circa primum tria facit. Primo arguit præsumptionem quærentis ; secundo inducit auctoritatem quæ quæstionem solvit, ibi, *Numquid dicit figmentum ei qui se finxit : Quid me fecisti sic ?* tertio exponit auctoritatem, ibi, *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud autem in contumeliam?* Dicit ergo primo : *O homo*, qui es fragilis et ignorans, *tu quis es, qui respondeas Deo?* Unde sufficis ad respondendum ei, si voluerit tecum judicio contendere? Job. IX, 3 : *Si voluerit contendere judicio cum illo, non poterit ei respondere unum pro mille.* Et sicut dicitur Job XXXIX, 32 : *qui arguit Deum, debet ei respondere.* In quo datur intelligi quod homo non debet scrutari rationem divinorum judiciorum cum intentione comprehendendi [2], eo quod excedant rationem humanam. Eccli, III, 22 : *Altiora te ne quæsieris.* Prov. XXV, 27 : *Perscrutator majestatis opprimetur a gloria.* Deinde cum dicit, *Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic?* inducit auctoritatem, quæ habetur Isa. XLV, 9 : *Numquid dicit lutum figulo suo, Quid facis? et, Opus tuum sine manibus est?* Ubi considerandum est, quod si aliquis artifex ex materia vili faciat vas pulchrum et nobilibus actibus accommodatum, totum ascribitur bonitati artificis ; puta, si ex luto faciat scutellas et urceos ad nobilem mensam decentes. Si vero ex vili materia, puta ex luto, faciat vas accommodatum vilibus usibus, puta coquinæ, vel hujusmodi officiis ; non posset vas conqueri, si rationem haberet. Posset enim conqueri, si ex materia pretiosa, quæ præjacet artificis operationi, puta ex auro et lapidibus pretiosis, faceret vas ad vilia officia deputatum. Humana autem natura vilitatem habet ex sua materia, quia, ut dicitur Genes. II, 7, *fecit Deus hominem de limo terræ* ; sed majorem vilitatem habet ex corruptione peccati, quæ per unum hominem in hunc mundum intravit. Et ideo homo luto merito comparatur. Job, XXX, 19 : *Comparatus sum luto, et assimilatus sum favillæ et cineri.* Unde quidquid boni habet homo, debet bonitati divinæ, quasi principali agenti, ascribere [3]. Isa. LXIV, 8 : *Nunc Domine, pater noster es tu, nos vero lutum et fictor noster tu, et opus manuum tuarum omnes nos.* Si vero Deus hominem ad meliora non promoveat, sed in sua infirmitate eum dimittens, deputet eum ad infirmum usum ; nullam ei facit injuriam, ut possit juste de Deo conqueri. Deinde, cum dicit, *An non habet potestatem figulus luti?* exponit Apostolus verba Prophetæ ; quasi dicat : Hoc est dictum : Figmentum, idest vas fictile, non posset dicere fictori, *Quid me fecisti sic*? quia figulus liberam potestatem habet ex materia luti opus facere quodcumque sibi placuerit. Unde dicit : *An non habet potestatem*, scilicet liberam, *figulus luti*, qui scilicet operatur in vili materia, *ex eadem massa*, scilicet vilis materiæ, *facere*, absque alicujus injuria, *aliud quidem vas in honorem*, idest in honorabiles usus, *aliud vero in contumeliam*, idest in usus viliores? II Timoth. II, 20 : *In magna enim domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed etiam lignea et fictilia* ; *et quædam*

[1] Videlicet : « primæ. »

[2] Al. : « apprehendendi. » — [3] Al. : « quasi peritiæ figuli ascribere. »

quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Et similiter Deus liberam potestatem habet facere ex eadem corrupta materia humani generis, sicut ex quodam luto, nulli faciendo injuriam, quosdam autem in miseria derelictos. Hierem. XVIII, 6 : *Sicut lutum in manu figuli, ita in manu mea vos, domus Israel.*

Deinde cum dicit, *Quod si volens Deus ostendere iram* etc. ; solvit primam quæstionem, scilicet quare Deus velit quibusdam misereri, et quosdam in miseria derelinquere ; sive quosdam eligere, et quosdam reprobare. Circa quod considerandum est, quod finis omnium divinorum operum est manifestatio divinæ bonitatis. Prov. XVI, 4 : *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Unde supra I, 20, dictum est quod *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Tanta est autem divinæ bonitatis excellentia quod non potest uno modo nec in una creatura sufficienter manifestari : et ideo diversas creaturas condidit, in quibus diversimode manifestatur : præcipue autem in creaturis rationalibus, in quibus ejus justitia manifestatur quantum ad illos quos pro eorum meritis punit; misericordia vero in illis quos ex sua gratia liberat. Et ideo ut utrumque in hominibus manifestaretur, quosdam misericorditer liberavit, sed non omnes. Primo ergo ponit rationem reprobationis malorum, secundo ponit rationem electionis bonorum, ibi, *Ut ostenderet divitias gloriæ suæ.* Est autem in utrisque triplex differentia attendenda. Prima quidem secundum finem, secunda secundum usum, tertia secundum divinum actum. Finis autem reprobationis vel obdurationis malorum, est manifestatio divinæ justitiæ et virtutis : et quantum ad hoc dicit : *Quod*, idest sed, *si Deus volens ostendere iram suam*, idest justitiam vindicativam : non enim dicitur ira in Deo secundum affectus commotionem, sed secundum effectus vindictæ. Supra I, 18 : *Revelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem.* Addit autem, *Et notam facere potentiam suam* : quia Deus contra malos non solum utitur ira, idest vindicta, puniendo eos sibi subjectos, sed etiam sua potentia subjiciendo sibi. Philipp. III, 21 : *Secundum operationem, qua potest etiam sibi subjicere omnia.* Exod. XIV, 31 : *Viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, et manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos.* Usus autem malorum, ad quem utitur eis Deus, est ira, idest pœna : et ideo vocat eos *vasa iræ*, idest justitiæ instrumenta, quibus Deus utitur ad ostendendam iram, idest justitiam vindicativam. Ephes. II, 3 : *Eramus natura filii iræ.* Actus vero quem Deus erga eos exercet, non est quod disponat eos ad malum, quia ipsi de se habent dispositionem ad malum ex corruptione primi peccati : unde dicit : *Vasa apta in interitum*, idest in se habentia aptitudinem ad æternam damnationem. Gen. VI, 5 : *Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio humani cordis intenta esset ad malum omni tempore.* Hoc autem solum Deus circa eos agit quod eos permittit agere quæ concupiscunt : unde signanter dicit, *Sustinuit.* Et hoc ejus patientiam demonstrat, quod non statim vindictam infert : unde addit, *In multa patientia.* Eccli. V, 4 : *Altissimus est patiens redditor.* Deinde ex parte bonorum similiter tria ponit. Primo quidem finem, cum dicit : *Ut ostenderet divitias gloriæ suæ.* Finis enim electionis et miserationis bonorum est, ut manifestaret in eis abundantiam bonitatis suæ, revocando eos a malo, et ad justitiam eos trahendo, et finaliter eos perducendo [1] in gloriam. Et hoc est quod dicit : *Ut ostenderet divitias gloriæ suæ* : de quibus divitiis supra II, 4 : *An divitias bonitatis ejus contemnis?* Ephes. II, 4 : *Deus autem qui dives est in misericordia.* Signanter autem dicit : *Ut ostenderet divitias gloriæ suæ* : quia ipsa condemnatio et reprobatio malorum, quæ est secundum Dei justitiam manifestat et commendat sanctorum gloriam, qui ab ipsa tali miseria liberantur. Secundo describit usum eorum, cum dicit, *In vasa misericordiæ.* Nominat autem bonos vasa misericordiæ, quia utitur eis Deus quasi instrumentis ad suam misericordiam manifestandam. Eccli. XLIV, 10 : *Isti sunt viri misericordiæ.* Tertio ponit actum quem circa eos Deus exercet : non enim Deus eos solum sustinet quasi de se aptos existentes ad bonum ; sed eos præparat et disponit vocando ad gloriam : unde dicit : *Quæ præparavit in gloriam.* Psal. LXIV, 8 : *Præparans montes in virtute tua.* Est autem constructio defectiva et suspensiva usque huc, ut sit sensus. Si volens Deus hoc facere, quibusdam

[1] Al. : « perducere. »

miseretur, et quosdam indurat; quid contra hoc juste poterit dici ? quasi dicat, nihil. Non enim sic quos vult indurat ut eos peccare compellat; sed sustinet eos, ut secundum suam inclinationem tendant in malum.

LECTIO V.

Quos et vocavit, non solum ex Judæis, sed etiam ex Gentibus, sicut in Osee dicit : Vocabo non plebem meam, plebem meam, et non dilectam, dilectam, et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit in loco ubi dictum est eis, Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi. Isaias autem clamat pro Israel : Si fuerit numerus filiorum Israel tamquam arena maris, reliquiæ salvæ fient. Verbum enim consummans et abbrevians in æquitate : quia verbum breviatum faciet Dominus super terram. Et sicut prædixit Isaias : Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus. Quid ergo dicemus ? Quod Gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam, justitiam autem quæ ex fide est : Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit ? Quare ? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est : Ecce pono in Sion lapidem offensionis et petram scandali, et omnis qui credit in eum, non confundetur.

Postquam Apostolus ostendit quod Dei gratia datur hominibus ex divina electione, per quam homines ad gratiam vocantur; hic ostendit quod prædicta electio sive vocatio non solum pertinet ad Judæos, ut ipsi poterant gloriari, propter hoc quod dicitur Deut. IV. 37 : *Dilexi patres tuos*, sed etiam ad Gentes : et primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi, *Sicut in Osee dicit;* tertio ex dictis infert conclusionem, ibi, *Quid ergo dicemus*? Dicit ergo primo : Dictum est, quod sanctos præparavit in gloriam : *quos et vocavit:* scilicet per gratiam suam, *non solum ex Judæis sed etiam ex Gentibus*. Supra, III, 29 : *An Judæorum Deus tantum*? *Nonne et Gentium*? Soph. II, 11 : *Adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulas Gentium*. Deinde cum dicit, *Sicut in Osee dicit*, probat propositum : et primo quantum ad Gentiles; secundo quantum ad Judæos, ibi, *Isaias autem clamat*. Circa primum ponit duas auctoritates Oseæ loquentis pro Gentibus; quarum prima promittit eis dona Dei, secunda ipsam divinam filiationem, ibi, *Et erit in loco ubi dictum est eis*, etc. Dicit ergo primo : *Sicut* Dominus *Dicit in Osee :* quia ipse erat qui loquebatur in Prophetis. II Reg. XXIII, 2 : *Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam*. Unde et Oseæ I, 2 : *Principium loquendi Domino in Osee*. Est autem considerandum, quod a tribus bonis quæ in Judæis eminebant, Gentiles erant alieni; quorum primum erat divinus cultus, ratione cujus dicebantur populus Dei; quasi ei servientes, et ejus præceptis obedientes. Unde in Ps. XCIX, 4, dicitur : *Nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus*. Sed ab hujus populi societate Gentiles erant alieni, secundum illud Ephes. II, 12 : *Alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum*. Sed per Christum facti sunt populus Dei. Tit. II, 14 : *Dedit semetipsum pro nobis, ut emundaret sibi populum acceptabilem*. Et hoc est quod dicit : *Vocabo non plebem meam*, idest gentilitatem, quæ non erat plebs mea, *plebem meam*; idest : ad hoc ut sit plebs mea. Secundum est privilegium dilectionis divinæ [1] Osee III, 1 : *Diligit Dominus filios Israel*, in eo scilicet quod ei multa beneficia inducentia ad specialem gratiam præstabat; a qua quidem dilectione Gentiles olim erant exclusi. Ephes. IV, 14 : *Alienati a veritate Dei propter ignorantiam, quæ est in illis*. Et ideo dicit : *Et non dilectam* meam, scilicet gentilitatem, vocabo *dilectam* meam. Ephes. II, 13 : *Vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi*. Supra. V, 10 : *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem* [2] *Filii ejus*. Tertium est libertas a peccato originali, quæ Judæis in circumcisione conferebatur. Isa. XIV, 1 : *Miserebitur Dominus Jacob*. Sed hujus miserationis Gentiles non erant participes. Ezech. XVI, 4 : *Quando nata es* [3], *in die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus* : et infra : *Non pepercit super te oculus ut faceret tibi unum de his, misertus tui* [4]. Sed postea per Christum sunt misericordiam consecuti; ideo sequitur. *Et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam*. Tit. III, 5 : *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit*. Hæc autem auctoritas habetur Oseæ II, secundum Septuaginta, loco cujus littera nostra habet ibid. X : *Miserebor ejus quæ*

[1] Al. omittitur : « divinæ. » — [2] Al. : « *in morte*. » — [3] Al. : « natus. » — [4] Al. : « Non pepercit super te oculus meus, ut facerem unum de his misertus tui. »

fuit absque misericordia ; et dicam non populo meo, Populus meus es tu. Deinde cum dicit, *Et erit in loco* etc., inducit aliam auctoritatem, quæ habetur Oseæ I, in qua eis repromittitur dignitas filiorum Dei, de qua Judæi gloriabantur propter id quod dicitur. Isa. I 2 : *Filios enutrivi et exaltavi ; ipsi autem spreverunt me* : et Deuteron. XXXII, 6 : *Nonne ipse est pater tuus?* Gentiles autem non solum non dicebantur filii, quod pertinet ad eos qui ex amore Deo serviunt, et spiritu Dei aguntur, *ut supra* VIII, dictum est ; sed nec etiam digni erant ut populi Dei dicerentur ; quod pertinere poterat etiam ad eos qui spiritum servitutis acceperant in timore. Unde dicit : *Et erit in loco*, idest in Judæa, *ubi dictum est eis*, scilicet Gentilibus a Judæis, quasi ex persona Dei loquentibus, *Non plebs mea vos*, quia non reputabant eos populum Dei, *ibi*, idest etiam apud Judæos credentes, *vocabuntur filii Dei.* Vel *in loco*, idest toto mundo, in quo convertentur ad fidem [1] ; ut detur intelligi quod non hoc modo convertentur sicut proselyti, quos Judæi faciebant, qui suis locis derelictis in Judæam pergebant. Hoc autem non ita futurum esse in his qui ad Christum convertendi erant, ostenditur Sophon. II, 11 : *Adorabunt eum viri de loco suo.* Unicuique ergo in loco suo habitanti, *ubi dictum est eis*, olim ex divina sententia, *Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei*, per divinam adoptionem. Joan. I, 12 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus.*

Deinde cum dicit, *Isaias autem clamat* etc., probat propositum quantum ad Judæos per auctoritatem Isaiæ : et ponit duas auctoritates ; quarum prima videtur pertinere ad omnes credentes ex Judæis : secunda specialiter ad Apostolos, ibi, *Et sicut prædixit Isaias.* Dicit ergo primo : Dictum est per Osee pro Gentibus ; *Isaias autem clamat*, idest aperte loquitur. *pro conversione Israel* : cap. LVIII, 1 : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* ; in hac autem prima auctoritate primo ponit paucitatem conversorum Israel [2], dicens : *Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris*, idest innumerabiles præ multitudine Gentium : Gen. XXII, 17 : *Multiplicabo semen tuum velut arenam maris* : III Reg IV, 20 : *Juda et Israel innumerabiles quasi arena maris* : *reliquiæ salvæ fient ;* idest, non omnes, nec major pars, sed aliqui pauci qui relinquentur ex excidio aliorum. Mich. VII, 1 : *Factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ.* Infra XI, 5 : *Reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt.*

Secundo ibi, *Verbum enim consummans* etc., assignat causam salutis : et primo ponit efficaciam evangelici verbi, dicens : *Verbum enim consummans, et abbrevians in æquitate.* Ubi notatur duplex efficacia evangelici verbi. Prima est, quia est *consummans*, idest perficiens : ut enim dicitur Hebr. VII, 19, « nihil ad perfectum adduxit lex. » Dominus autem dicit Matth. V, 17 : *Non veni solvere legem, sed adimplere* : tum quia figuris legis veritatem adhibuit, tum quia præcepta legis moralia debito modo exposuit : et occasiones transgrediendi abstulit, et etiam eis consilia perfectionis adjunxit : unde et juveni diviti, Matth. XIX, 21, qui omnia mandata legis servaverat, dixit : *Unum tibi deest : si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus.* Et propter hoc discipulis suis dicebat, Matth. V, 48 : *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* Secunda efficacia est abbreviandi ; et hæc convenienter primæ adjungitur : quia quanto aliquod verbum est magis perfectum, tanto est altius, et per consequens magis simplex et breve. Est autem verbum Evangelii abbrevians verba legis : quia omnia sacrificia figuralia legis in uno vero sacrificio comprehendit, quo Christus obtulit seipsum pro nobis hostiam, ut dicitur Ephes. V. Omnia vero præcepta legis moralia in duobus præceptis caritatis concludit. Matth. XXII, 40 : *In his duobus mandatis universa lex pendet, et Prophetæ.* Unde dicit : *Abbrevians in æquitate* ; vel quia nihil est prætermissum de multitudine figurarum et præceptorum legis, quin sub brevitate Evangelii comprehenderetur ; vel quia nihil ipsorum remanet observandum quod est æquum secundum dictamen rationis naturalis. Psal. CXVIII, 172 : *Omnia mandata tua æquitas.* Subaudiendum est autem, Erit, ut sit sensus : Verbum Evangelii erit abbrevians, et consummans in æquitate.

Secundo cum dicit *Quia verbum* etc., assignat rationem prædictæ efficaciæ, dicens : *Quia Dominus super terram*,

[1] Al. : « in quo convertentur, sicut proselyti, » intermediis omissis. — [2] Al. deest « Israel. »

existens, idest in terris tamquam homo inhabitans, secundum illud Bar. III, 38 : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est : faciet verbum breviatum.* Perfectius enim debet esse verbum et majoris virtutis, quod ipse Dominus Deus carnem indutus, locutus est per semetipsum, quam verba quæ locutus est per Prophetas, secundum illud Hebr. I, 1 : *Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime locutus est nobis in Filio.* Vel aliter : *Quia Dominus*, scilicet Deus Pater, *faciet super terram verbum breviatum*, idest incarnatum : quia Filius Dei exinanivit semetipsum, formam servi accipiens. Dicitur autem exinanitum vel breviatum, non quia aliquid subtractum sit plenitudini vel magnitudini divinitatis ipsius ; sed quia nostram exilitatem et parvitatem suscepit. Habetur autem hæc auctoritas. Isa. X, 22, ubi secundum litteram nostram sic dicitur : *Si fuerit populus tuus, Israel, quasi arena maris reliquiæ convertentur ex eo. Consummatio abbreviata inundabit justitiam* : *consummationem enim et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.*

Deinde cum dicit, *Et sicut prædixit Isaias* etc., inducit auctoritatem pertinentem specialiter ad Apostolos, dicens : *Et sicut prædixit Isaias* : *Nisi Dominus sabaoth*, idest exercituum vel virtutum, *reliquisset nobis*, scilicet ex sua misericordia, *semen*, idest verbum Evangelii. Luc. VIII, 2 : *Semen est verbum Dei* [1] : vel *semen*, idest Christum : Galat. III, 16 : *Et semini tuo, qui est Christus* : vel *semen*, idest Apostolos : Isa. VI, 13 : *Semen sanctum erit id quod steterit in ea* : *sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus.* Gravius enim fuit peccatum Judæorum quam Sodomorum, Thren. IV, 6 : *Major effecta est iniquitas populi mei peccato Sodomorum* : et Ezech. XVI, 48 : *Non fecit Sodoma ipsa et filiæ ejus, sicut fecisti tu et filiæ tuæ.* Et ideo Judæi non sunt totaliter exterminati sicut Sodomitæ, est divinæ misericordiæ imputandum. Thren. III, 22 : *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti.*

Deinde cum dicit, *Quid ergo dicemus?* infert conclusionem ex dictis : et primo quantum ad Gentes ; secundo quantum ad Judæos, ibi, *Israel vero sectando legem justitiæ in legem justitiæ non pervenit.* Circa primum duo facit. Primo concludit quod intendit, dicens : *Quid ergo dicemus* ex consideratione prædictorum ? Hoc, inquam, quod *Gentes apprehenderunt*, idest consecutæ sunt, *justitiam*, scilicet, qua vocantur filii. I Cor. VI, 11 : *Et hæc quidem fuistis, sed justificati estis.* Et hoc quidem ex vocatione divinæ electionis, non ex meritis : quod patet per hoc quod dicit : *Quæ non sectabantur justitiam* : secundum illud Ephes. II, 12 : *Eratis in illo tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel.* Secundo exponit quod dixerat : *Justitiam autem quæ ex fide est*, non eam quæ in operibus consistit. Non enim ad hoc Gentes conversæ sunt ut justitiam legalem observent, sed ut justificentur per Christi fidem. Supra III, 22 : *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi.* Deinde cum dicit, *Israel vero* etc., inducit conclusionem quantum ad Judæos : et primo concludit quod intendit, dicens : *Israel vero*, id est populus Judæorum, *sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit.* Dicitur lex spiritus vitæ, per quam homines justificantur : ad quam Judæorum populus non pervenit ; quam tamen sectabatur observando umbram hujus spiritualis legis quæ consistit in observationibus legalibus. Hebr. X. 1 : *Umbram habens lex futurorum bonorum.* Vel *sectando legem justitiæ*, idest legem Moysi, quæ est lex justitiæ, si sit bene intellecta, quia docet justitiam. Vel dicitur lex justitiæ, quia facit homines justos non vere, sed exterius ; dum peccata vitantur non ex amore, sed ex timore pœnæ, quam lex infligebat. Isa. LI, 1 : *Audite me qui sequimini quod justum est, et quæritis Dominum* : et in eodem : *Audite me qui scitis justum, populus meus, lex mea in cordibus eorum.* Secundo assignat causam, dicens : *Quare*, scilicet dum sectarentur legem justitiæ non pervenerunt ? Quia scilicet non per debitam viam sectabantur : et hoc est quod subdit : *Quia non ex fide*, scilicet Christi, quærebant justificari, *sed quasi ex operibus* legis. Sequebantur enim figuram, et repudiaverunt veritatem. Supra III, 20, *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo.* Tertio manifestat causam propositam : et primo proponit manifestationem, dicens : *Offenderunt enim in lapidem offensionis*, id est

[1] Al. omittitur hæc S. Lucæ sententia.

ad Christum, qui assimilatur lapidi offensionis in hoc quod sicut lapis in quem homo offendit, non cavetur propter suam parvitatem ; ita Judæi videntes Christum infirmitate nostra contentum, non caverunt in eum offendere. Isa. LIII, 3 : *Quasi absconditus vultus ejus, et despectus* : *unde non reputavimus eum.* Hier. XIII, 16 : *Antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos*, idest ad Christum et ejus Apostolos, qui dicuntur montes caliginosi propter hoc quod eorum dignitas et magnitudo latebat. Secundo ad hoc inducit auctoritatem, dicens : *Sicut scriptum est*, in Isaia scilicet. Componit autem Apostolus verba Isaiæ in diversis locis scripta [1] : nam Isa. XXVIII, 16, dicitur : *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem angularem, probatum, pretiosum, in fundamento fundatum. Qui crediderit, non festinet* : et hinc sumitur principium auctoritatis. *Ecce ponam in Sion lapidem,* scilicet quasi fundamentum, in quo designatur quod Christus divina ordinatione constitutus erat Ecclesiæ fundamentum. I Corinth. III, 11 : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est*, *quod est Christus Jesus*. Legitur etiam Isa. VIII, 14 : *In lapidem autem offensionis et petram scandali duabus domibus Israel* : et hinc sumitur medium auctoritatis, quo dicit : *Lapidem offensionis et petram scandali* : ut offensio referatur ad ignorantiam : quia, ut dicitur I Corinth. II, 8, *si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Scandalum autem referendum est ad impactionem et casum, quo per infidelitatem ceciderunt, Christum et ejus Apostolos persequentes. I Corinth. I, 23 : *Nos prædicamus Christus crucifixum, Judæis quidem scandalum.* Luc. II, 34 : *Ecce hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel.* Finis autem auctoritatis sumitur Isaiæ, XXVIII, 16 : *Qui crediderit, non festinet :* loco cujus hic dicitur : *Omnis qui credit in eum, non confundetur*, quia scilicet consequetur mercedem ab eo. Eccli. II, 8 : *Qui timetis Deum, credite illi, et non evacuabitur merces vestra.* Ponit autem Apostolus hæc verba secundum litteram Septuaginta ; et ad hunc sensum pertinet quod in littera nostra dicitur : *Qui crediderit, non festinet*; ille enim festinare videtur qui delusum se reputat, quia cito non adipiscitur quod sperabat.

[1] Al. : « in diversis locis Scripturæ. »

CAPUT DECIMUM

LECTIO I.

Fratres, voluntas quidem cordis mei et obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem. Testimonium enim perhibeo illis, quod æmulationem quidem Dei habeat, sed non secundum scientiam : ignorantes enim justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti. Moyses enim scripsit, quoniam justitiam quæ ex lege est qui fecerit homo vivet in ea. Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit : Ne dixeris in corde tuo : Quis ascendet in cœlum ? id est Christum deducere ; aut quis descendet in abyssum ? hoc est Christum a mortuis revocare. Sed quid dicit Scriptura ? Prope est verbum in ore tuo [1], et in corde tuo : hoc est verbum fidei quod prædicamus : quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.

Postquam Apostolus ostendit quomodo per electionem gratiæ Dei Gentiles sunt ad fidem vocati, et etiam aliqui ex Judæis de majori parte populi Judaici offendentibus et scandalizatis; hic agit specialiter de casu Judæorum : et circa hoc tria facit. Primo manifestat causam casus eorum quem supra tetigerat, ex qua ostenditur casus eorum esse miserandus; secundo ostendit casum eorum non esse universalem, xi cap. ibi, *Dico ergo* : *Numquid Deus repulit populum suum?* ; tertio ostendit causam eorum non esse inutilem neque irreparabilem, ibi cap. xi, vers. 2 : *Dico ergo* : *Numquid sic offenderunt ut caderent* ? Circa primum duo facit. Primo ostendit casum eorum esse miserandum ex sua causa; secundo ostendit quod non est totaliter excusabilis, ibi, *Sed dico* : *Numquid non audierunt* ? *Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum.* Circa primum duo facit. Primo ostendit se ad Judæos habere miserationis affectum ; secundo ostendit causam miserationis, ibi, *Testimonium enim illis perhibeo*, *quod æmulationem Dei habent.* Dicit ergo primo : Dictum est, quod Judæi in legem justitiæ non pervenerunt, propter hoc quod offenderunt in lapidem offensionis ; nec tamen contra eos indignor, sed eorum misereor; et ideo dico vobis : *O Fratres*, qui conversi estis tam ex Gentibus, quam ex Judæis : Matth. xxiii, 8 : *Omnes vos fratres estis* : *Voluntas quidem cordis mei*, idest ex intimo cordis affectu procedens, est ad salutem eorum, ut scilicet ipsi salventur, sicut et ego salvatus sum. I Corinth. vii, 7 : *Volo omnes homines esse sicut meipsum.* Actor. xxvi, 29 : *Opto apud Deum omnes qui audiunt tales fieri qualis et ego sum.* Et in hoc Deo conformabatur, qui, ut dicitur I Timoth. ii, 4, *vult omnes homines salvos fieri.* Nec sola voluntas est in salutem eorum, sed etiam voluntatis effectus : unde subdit : *Et obsecratio*, scilicet mea, *fit ad Deum pro illis in salutem.* I Reg. xii, 23 : *Absit a me hoc peccatum in Domino*, *ut cessem orare pro vobis.* Jacob. ult. 16 : *Orate pro invicem*, *ut salvemini.* Et ex hoc patet quod orandum est pro infidelibus ut salventur, quia et ipsa fides est donum Dei. Ephes. ii, 2 : *Gratia salvati estis per fidem*, *et non ex vobis ; Dei enim donum est.*

Deinde cum dicit, *Testimonium enim perhibeo illis*, assignat causam suæ miserationis, quia scilicet non ex certa malitia, sed ex ignorantia peccabant : et circa hoc tria facit : primo enim proponit eorum ignorantiam ; secundo ostendit quod ignorabant, ibi, *Ignorantes enim Dei justitiam* etc,: tertio ostendit veritatem eorum quæ ignorabant, ibi, *Moyses enim dicit*, *quoniam justitiam quæ ex lege est qui fecerit homo*, *vivet in ea.* Dicit ergo primo : Ideo salutem eorum volo, et propter hoc oro, misertus eorum, quia testimonium perhibeo de illis, quod *æmulationem quidem Dei habent*, scilicet quia zelo Dei, Christum et ejus membra per-

[1] Perperam in editis omittitur hic *et in corde tuo*, cum S. Thomas proprio hæc verba illustret commentario.

sequuntur. Joan. xvi, 2 : *Venit hora in qua omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Et hujus rei testis esse poterat, quia et ipse aliquando fuerat in simili causa : Philip. iii, 6 : *Secundum æmulationem persecutus sum Ecclesiam Dei. Sed non secundum scientiam,* quia scilicet eorum zelus per rectam scientiam non ordinatur, dum ignorant veritatem. Isa. v, 13 : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* I Corinth. xiv, 38 : *Si quis autem ignorat, ignorabitur.*

Deinde cum dicit, *Ignorantes enim justitiam Dei,* ostendit cujus rei scientiam non haberent : et primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Finis enim legis Christus.* Dicit ergo primo : Recte dico quod non secundum scientiam : *ignorantes enim Dei justitiam,* scilicet quia Deus per fidem justificat : supra iii, 22 : *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi* : *et quærentes statuere,* idest firmare, *suam,* scilicet justitiam quæ consistit in operibus legis, quæ secundum eorum opinionem non expectabat aliquid a Deo, sed solum ex arbitrio operantium erat. Et ideo dicit eorum esse justitiam quasi humanam et non divinam, secundum illud supra iv, 2 : *Si Abraham ex operibus legis justificatus est, habet gloriam,* scilicet apud homines, *sed non apud Deum. Justitiæ Dei non sunt subjecti;* idest, nolunt subjici Christo, per cujus fidem justificantur homines a Deo. Psal. lxi, 2 : *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* Supra iii, 19 : *Ut subditus fiat omnis mundus Deo.* Exod. x, 3 : *Usquequo non vis subjici mihi?* Deinde cum dicit, *Finis legis Christus* etc., manifestat quod dixerat, scilicet eos Dei justitiam ignorare, et quod ei subjici nolunt, cum tamen justitiam legalem statuere velint. Circa quod considerandum est, quod, sicut etiam philosophi dicunt, intentio cujuslibet legislatoris est facere homines justos : unde multo magis lex vetus hominibus divinitus data, ordinabatur ad faciendum homines justos. Hanc tamen justitiam lex per semetipsam facere non poterat : quia *neminem ad perfectum adduxit lex,* ut dicitur Heb. vii, 19. Sed ordinabat homines in Christum, quem promittebat et præfigurabat. Galat. iii, 24 : *Lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur.* Et hoc est quod dicit : *Christus enim est finis legis,* ad quem scilicet tota lex ordinatur. Ps. cxviii, 96 : *Omnis consummationis vidi finem. Finis,* inquam, *ad justitiam,* ut scilicet homines per Christum justitiam consequantur, quam lex intendebat. Supra viii, 2 : *Quod impossibile erat legi... mittens Deus filium suum... damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis.* Et hoc dico *omni credenti,* quia per fidem suos justificat. Joan. i, 12: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Deinde cum dicit, *Moyses enim scripsit* etc., probat veritatem eorum quæ Judæi ignorabant, scilicet quod justitia Dei sit perfectior quam justitia legalis ; et hoc auctoritate ipsius Moysi veteris legislatoris. Primo ergo per verba ostendit conditionem justitiæ legalis : secundo couditionem justitiæ fidei, ibi, *Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit* etc. Dicit ergo primo. Recte distinxi justitiam humanam a justitia Dei : *Moyses enim scripsit,* Levit. xviii, 5 : *quoniam homo qui fecerit justitiam quæ ex lege est vivet in ea* ; ubi sic littera nostra habet : *Custodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo vivet in eis.* et Ezech. xx, 13 : *Judicia mea projecerunt, quæ faciens homo vivet in eis* : quia scilicet hoc commoditatis consequebatur homo per legis observantiam, ne occideretur tamquam legis transgressor. Hebr. x, 28 ; *Irritam quis faciens legem Moysi, absque ulla misericordia moritur.* Levit. xx, 9 : *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur* : et sic de aliis. Possumus ulterius dicere, quod per legis observationem homo ordinatur in vita præsenti : promittebat enim lex temporalis bona, et quædam mandabat quæ ad ordinationem carnalis vitæ pertinebant. Hebr. x, 10 : *Justitius carnis usque ad tempus correctionis impositis.*

Sed contra videtur esse quod Dominus dicit Matth. xix, 16, quærenti : *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Respondit : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Unde et supra v, 20, super illud, *Lex autem subintravit,* dicit quædam *Glossa* : *Justitia legis suo tempore custodita, non solum bona temporalia sed et vitam conferebat æternam.* Sed hæc intelligenda sunt secundum spiritualem sensum legis, qui pertinet ad fidem Christi : sed quod hic dicitur, refertur ad interiorem legis sensum, secundum quem lex de vita æterna mentionem non faciebat.

Deinde cum dicit, *Quæ autem ex fide*

est justitia sic dicit, inducit auctoritatem Moysi de justitia fidei. Et primo Moyses ostendit certitudinem fidei, quæ debet esse in corde hominis; secundo effectum, ibi, *Sed quid dicit Scriptura*? Dicit ergo primo ; Non solum loquitur Moyses de justitia legis, sed etiam ipse sic dicit de justitia quæ est ex fide : *Quæ autem est ex fide justitia sic dicit*, id est sic loquitur in corde hominis : *Ne dixeris in corde tuo*, scilicet dubitando, *Quis ascendit in cœlum?* quasi hoc impossibile reputans : sicut et Prov. xxx, 4, quæritur : *Quis ascendit in cœlum, atque descendit* : quia scilicet hoc tenere quasi impossibile, est *deducere Christum a cœlo*, id est asserere quod Christus non sit in cœlo, contra id quod dicitur Joan. III, 13 : *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo Filius hominis qui est in cœlo*. Ephes. IV, 10 : *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos*. Aut etiam ne dixeris : *Quis descendit in abyssum*? id est in infernum, quasi reputans hoc esse impossibile : hoc enim negare est *revocare Christum ex mortuis*, scilicet negare eum non esse mortuum : ipse enim moriens in abyssum descendit. Eccl. XXIV, 46 : *Penetrabo inferiores partes terræ*. Et secundum hoc prohibet dubitari de duobus articulis fidei Christi, scilicet de ejus ascensione, et de ejus morte et descensu ad inferos : quorum primum pertinet ad maximam Christi exaltationem, secundum ad maximam ejus humiliationem. Potest autem et aliter exponi, ut dicatur nobis certitudo duorum articulorum : primo quidem incarnationis qua de cœlis ad terram descendit; ut sit sensus : *Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendit in cœlum*? et exponitur supplendo : *Id est Christum deducere*; quasi dicat : Quis ascendit in cœlum ad deducendum Christum ad nos? quod quidem non fuit necessarium, quia ipse propria virtute descendit : secundo autem resurrectionis : cum subdit : *Aut* etiam ne dixeris, *Quis descendit in abyssum*? et supplendo additur : *Hoc est Christum ex mortuis revocare* : quasi dicat : Illuc descendit, ut inde posset Christum revocare, sicut ex persona insipientium dicitur Sapient. II, 1 : *Non est qui agnitus sit reversus ab inferis*. Et hic sensus congruit verbis Moysi : dicitur enim Deuteron. xxx, 2, secundum litteram nostram : *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, neque in cœlo situm, ut possis dicere : Quis nostrum valet ad cœlum conscendere, ut deferat illud ad nos*? Nec est inconveniens, si quod Moyses dixit de mandato legis, hoc Apostolus attribuit Christo; quia Christus est Verbum Dei, in quo sunt omnia Dei mandata. Sic ergo intelligendum est quod dixit, *Quis ascendit in cœlum? idest Christum deducere* : ac si dicat : Quis potest in cœlum conscendere, ut Verbum Dei inde deferat ad nos? Et idem est dicendum in alio quod sequitur.

Deinde cum dicit : *Sed quid dicit Scriptura*? ostendit fructum fidei per ejusdem auctoritatem; secundo exponit eam, ibi, *Hoc est Verbum fidei quod prædicamus*; tertio probat expositionem esse convenientem, ibi, *Corde enim creditur ad justitiam*; *ore autem confessio fit ad salutem*. Dicit ergo primo : *Sed quid dicit Scriptura*? Hoc inquam : *Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo*. Sic enim post præmissa verba Deuteronomii sequitur vers. XIV, *Juxta te est sermo valde in ore tuo*. Quasi dicat : Non soliciteris quod tibi desit verbum fidei justificantis, propter hoc quod Christus est in cœlo secundum naturam divinam, aut quod descendit in infernum propter mortem humanitatis : quia ipse descendens de cœlo, et resurgens ab inferis, impressit verbum fidei in ore tuo et in corde tuo. Unde quod dicit, *Prope est*, potest referri ad hoc quod verbum Dei sumus adepti per Christum incarnatum et resurgentem. Hebr. II, 3 : *Quæ*[1] *cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata est*. Hier. I, 9 : *Ecce dedi verba mea in ore tuo*. Vel secundum *Glossam*, quod dicit, *Prope*, referendum est ad utilitatem, secundum quod dicimus, prope apud nos esse quod nobis est commodum et utile. Verbo enim Dei cor nostrum mundatur. Joan. XV, 3 : *Jam vos mundi estis popter sermonem quem locutus sum vobis*. Vel potest referri ad hoc quod verba fidei, etsi supra rationem, Eccl. III, 25, *Plurima supra sensum hominis monstrata sunt tibi* : non tamen sunt contra rationem, quia veritas non potest esse veritati contraria. Psal. XCII, 5 : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. Deinde cum dicit, *Hoc est verbum* etc., exponit auctoritatem prædictam ; et primo osten-

[1] Salus *videlicet*.

dit quod sit illud verbum de quo Moyses loquitur, dicens : *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus.* II Timoth. IV, 2 : *Prædica verbum.* Hierem. XXIII, 28 : *Qui habet sermonem meum, loquatur sermonem vere.* Secundo exponit quomodo hoc verbum est in ore per confessionem, et in corde per fidem; et hoc est quod subdit : *Quia si confiteris in ore tuo Dominum Jesum Christum,* scilicet recognoscens Dominum, subjiciendo sibi tuum affectum, secundum quod dicitur I Corinth. XII, 3, *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto* : et iterum *si credideris in corde tuo,* scilicet fide formata, quæ per dilectionem operatur, ut dicitur Galat. V, *quod Deus illum suscitavit a mortuis* : Psal. XL, 2 : *Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me* quia, ut dicitur II Corinth. ult. 4, *resurrexit ex virtute Dei,* quæ est communis sibi, et Patri : *salvus eris,* scilicet salute æterna : de qua dicitur Isa. XLV, 17 : *Salvatus est Israel in Domino salute æterna.* Quod autem dicit, *Dominum Jesum,* ad mysterium incarnationis refertur. Quod autem sequitur, *Christum,* manifeste ad resurrectionem refertur : de quibus duobus articulis supra fecerat mentionem.

LECTIO II.

Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem : dicit enim Scriptura : Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Judæi et Græci : nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante ? Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur? Sicut scriptum est : Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona ! Sed non omnes obediunt Evangelio : Isaias enim dicit : Domine, quis credidit auditui nostro ? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.

Postquam præmiserat Apostolus exponendo verbum Moysi, quod confessio oris et fides cordis operantur salutem, proponens hoc causa exempli in duobus articulis, de quibus videbatur Moyses fecisse mentionem [1]; hic probat quod dixerat in universali : et circa hoc tria facit. Primo ostendit quod per fidem et confessionem homo consequitur salutem; secundo ponit salutis ordinem, ibi, *Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt?* tertio infert quamdam conclusionem ex dictis, ibi, *Ergo fides ex auditu.* Circa primum tria facit. Primo proponit quod intendit, dicens : Recte dico, quod si confitearis ore et credas corde, salvus eris : *corde enim creditur,* ab homine, *ad justitiam,* id est ad hoc ut justitiam per fidem consequatur. Supra V, 1 : *Justificati igitur ex fide.* Signanter autem dicit, *Corde creditur,* id est voluntate : nam cetera quæ ad exteriorem Dei cultum pertinent, potest homo nolens; sed credere non potest nisi volens. Intellectus enim credentis non determinatur ad assentiendum veritati ex necessitate rationis, sicut intellectus scientis, sed ex voluntate; et ideo scire non pertinet ad justitiam hominis, quæ est in voluntate, sed credere. Genes. XV, 6 : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* Postquam autem homo est justificatus per fidem, oportet quod ejus fides per dilectionem operetur ad consequendam salutem : unde subdit : *Ore autem confessio fit ad salutem,* scilicet æternam, consequendam. Isa. LIII, 6 : *Salus autem mea in sempiternum erit.* Est autem triplex confessio necessaria ad salutem. Primo quidem confessio propriæ iniquitatis, secundum illud Psalm. XXXI, 5 : *Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino* ; quæ est confessio pœnitentis. Secunda confessio est per quam homo confitetur Dei bonitatem misericorditer beneficia præstantis : Psalm. CXVII, 1 : *Confitemini Domino, quoniam bonus*; et hæc est confessio gratias agentis. Tertia est confessio divinæ veritatis : Matth. X, 32 : *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo* ; et hæc confessio est credentis, de qua nunc Apostolus loquitur. Hæc autem est necessaria ad salutem pro loco et tempore, quando scilicet exposcitur fides alicujus, scilicet a persecutore fidei; vel quando [2] periclitatur fides aliena, sicut præcipue prælati debent prædicare fidem subditis suis. Et ideo baptizati liniuntur chrismate in fronte signo crucis, ut ipsum Crucifixum confiteri non erubes-

[1] Al. deest : « de quibus videbatur Moyses fecisse mentionem. » — [2] Al. . « ut quando. »

cant. Supra I, 16 : *Non enim erubesco Evangelium.* Ita est autem et de omnibus virtutum actibus, qui pro loco et tempore sunt necessarii ad salutem : nam præcepta affirmativa, quæ de his dantur, obligant semper, sed non ad semper. Secundo ibi, *Dicit enim Scriptura*, etc., probat per auctoritatem, dicens : *Dicit enim Scriptura*, scilicet Isaiæ XVIII, 16 : *Omnis qui credit in illum*, fide scilicet formata [1], *non confundetur*, scilicet quasi deficiens a salute. Eccli. II, 8 : *Qui timetis Dominum, credite illi*; *et non evacuabitur merces vestra.* Littera vero nostra habet, Isai loc. cit. : *Qui crediderit, non festinet*, ut supra dictum est. Tertio ibi, *Non enim est distinctio*, etc., probat hoc esse universaliter intelligendum, cum Isaias indefinite hoc proferat [2] : et primo proponit quod intendit, dicens : Ideo dictum est : *Omnis qui credit in illum, non confundetur* : *non enim est distinctio*, quantum ad hoc, *Judæi et Græci.* Coloss. III, 2 : *Ubi non est Gentilis et Judæus, circumcisio et præputium.* Secundo probat per rationem, quæ duplici medio [3] innititur : quorum primum tangit dicens : *Nam idem Dominus omnium.* Supra III, 29 : *An Judæorum Deus tantum? Nonne et Gentium?* Psalm. XLVI, 8 : *Rex omnis terræ Deus.* Et ideo ad ipsum pertinet providere omnium saluti. Secundum medium tangit dicens : *Dives in omnes qui invocant illum.* Si enim non esset tantæ bonitatis quod sufficeret ad sanctificationem utriusque [4], posset putari quod non omnibus credentibus provideret; sed divitiæ bonitatis ejus et misericordiæ indeficientes sunt. Supra II, 4, *An divitias bonitatis ejus contemnis* [5]? Ephes. II, 3 : *Deus autem, qui dives est in misericordia.* Tertio probat idem per auctoritatem quæ habetur Joel. XII, 32 : *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Est autem invocare, in se vocare per affectum et devotum cultum. Psal. XC, 15 : *Invocabit me, et ego exaudiam eum.*

Deinde cum dicit, *Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt?* ponit ordinem, quo quis vocatur in salutem quæ est ex fide : et circa hoc duo facit. Primo ostendit quod ea quæ sunt posteriora in hoc ordine, sine prioribus esse non possunt; secundo ostendit quod positis prioribus, non est necessarium posteriora poni, ibi, *Sed non omnes obediunt Evangelio.* Circa primum duo facit. Primo ponit ordinem eorum quæ requiruntur ad salutem; secundo confirmat quod supposuerat per auctoritatem, ibi, *Sicut scriptum est.* Ponit autem primo quinque per ordinem, incipiens ab invocatione; ad quam, secundum auctoritatem Prophetæ, sequitur salus. Dicit ergo : *Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt?* quasi dicat : Sine dubio invocatio salutem facere non potest, nisi fide præcedente. Pertinet autem invocatio ad confessionem oris, quæ ex fide cordis procedit. Psalm. CXV, 10 : *Credidi, propter quod locutus sum.* I Corinth. IV, 13 : *Nos credimus propter quod et loquimur.* Secundo a fide ascendit, vel procedit ad auditum, dicens : *Aut quomodo credent ei quem non audierunt?* Illa enim homo credere dicitur quæ sibi ab aliis dicuntur, quæ ipse non videt. Joan. IV, 42 : *Jam non propter tuam loquelam credimus* : *ipsi enim audivimus, et scimus, quia hic est vere Salvator mundi.* Est autem duplex auditus : unus quidem interior, quo quis audit a Deo revelante : Psalm. LXXXIV, 9 : *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus* : alius autem auditus est quo aliquis audit ab homine exterius loquente. Act. X, 4 : *Adhuc loquente Petro verba hæc : cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum.* Primus autem auditus non communiter pertinet ad omnes, sed proprie pertinet ad gratiam prophetiæ, quæ est gratis data distincte aliquibus, sed non omnibus, secundum illud I Corinth. XII, 4 : *Divisiones gratiarum sunt.* Sed quia nunc loquitur de eo quod indistincte ad omnes pertinere potest, secundum illud quod supra dixit, *Non enim est distinctio;* ideo relinquitur quod hoc sit intelligendum de secundo auditu : et ideo subdit : *Quomodo ergo audient sine prædicante?* Auditus enim exterior est passio quædam audientis, quæ absque actione loquentis esse non potest : unde et Dominus mandavit discipulis. Marc. ult. 15 : *Euntes in universum mundum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Ea vero quæ fidei sunt, prædicatores a semetipsis non habent, sed a Deo. Isa. XXI, 10 : *Quæ audivi a Domino Deo exercituum, annuntiavi vobis.* I Cor. XI, 23 : *Ego enim accepi a Domino quod*

[1] Al. deest : « scilicet formata. » — [2] Al. : « proponat. » — [3] Al. : « modo. » — [4] Al. : « ad satisfactionem utriusque. » — [5] Al. : « contemnitis. »

et tradidi vobis. Et ideo Apostolus quarto subdit : *Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur?* quasi dicat, Non digne. Hier. XXIII, 31 : *Non mittebam eos, et ipsi currebant.* Mittuntur aliqui a Domino dupliciter. Uno modo immediate ab ipso Deo per inspirationem internam : Isa. XLVIII, 16 : *Et nunc Dominus Deus misit me, et spiritus ejus.* Hujus autem missionis signum quandoque quidem est sacræ Scripturæ auctoritas : unde Joannes Baptista, cum quæreretur ab eo quis esset, auctoritatem Prophetæ induxit, dicens, *Ego vox clamantis in deserto, Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta*, ut legitur Joan. I, 23. Quandoque autem signum hujus missionis est veritas eorum quæ annuntiantur [1] : unde per contrarium dicitur Deut. XVIII, 22, quod hoc habebit signum. *Quod in nomine Domini Propheta prædixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus.* Quandoque vero signum hujus missionis est operatio miraculi : unde dicitur Exod. IV, quod cum dixisset Moyses Domino, vers. I : *Non credent mihi, nec audient vocem meam*, scilicet illi ad quos mittor, Dominus dedit et potestatem signa faciendi. Nec tamen ista duo ultima sufficienter demonstrant Dei missionem, præsertim cum aliquis annuntiat aliquid contra fidem : dicitur enim Deut. XIII, 1 : *Si surrexerit in medio tui Propheta, et prædixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi, Eamus, et sequamur Deos alienos, non audies verba illius.* Alio modo mittuntur aliqui a Deo mediante auctoritate prælatorum, qui gerunt vicem Dei. II Corinth. VIII, 18 : *Misimus cum illo fratrem nostrum, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias.*

Deinde cum dicit, *Sicut scriptum est,* inducit auctoritatem ad probandum hoc ultimum quod dixerat de missione prædixerat de missione prædicatorum, dicens : *Sicut scriptum est*, Isai. LII, 7, *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* ubi littera nostra sic habet : *Quam pulchri supra montes pedes prædicantis, et annuntiantis pacem, annuntiantis bonum* [2]. Et similiter habetur Nahum I, 15 : *Ecce super montes pedes evangelizantis, et annuntiantis pacem.* In his autem verbis primo commendatur processus prædicatorum, cum dicit, *Quam speciosi pedes!* quod dupliciter potest intelligi. Uno modo ut per pedes intelligantur eorum processus, quia scilicet ordinate procedunt, non usurpantes sibi prædicationis officium. Cant. VII, 1 : *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!* Alio modo possunt intelligi per pedes, affectus, qui rectitudinem habent, dum non intentione laudis aut lucri, verbum Dei annuntiant, sed propter hominum salutem et Dei gloriam. Ezech. I, 7 : *Pedes eorum, pedes recti.* Secundo tangit prædicationis materiam, quæ quidem est duplex. Prædicant enim ea quæ sunt utilia ad vitam præsentem ; quod designat cum dicit, *Evangelizantium pacem*, scilicet triplicem. Primo quidem annuntiant pacem, quam Christus fecit inter homines et Deum. II Corinth. V, 19 : *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.... et posuit in nobis verbum reconciliationis.* Supra V, 1 : *Pacem habeamus per Jesum Christum ad Dominum.* Secundo annuntiant pacem habendam cum omnibus hominibus. Infra XII, 18 : *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Tertio annuntiant ea per quæ homo potest habere pacem in semetipso. Psalm. CXVIII, 165 : *Pax multa diligentibus legem tuam, Domine.* Et sub his tribus continentur omnia quæ in hac vita sunt utilia ad salutem, vel quantum ad Deum, vel quantum ad proximum, vel quantum ad semetipsum. Prædicant etiam ea quæ speramus habere in alia vita; et quantum ad hoc dicit, *Evangelizantium bona.* Lucæ XII, 44 : *Super omnia bona sua constituit eum.*

Deinde cum dicit, *Sed non omnes obediunt Evangelio*, ostendit ex prioribus non semper sequi posteriora. Licet enim non possit esse quod quis credat nisi audiat a prædicante ; non tamen quicumque audit a prædicante, credit ; et hoc est quod subdit : *Sed non omnes obediunt Evangelio.* II Thess. III, 2 : *Non enim omnium est fides.* Hoc autem dicit ideo ut ostendatur quod verbum exterius loquentis non est causa sufficiens fidei, nisi cor hominis attrahatur interius [3] virtute Dei loquentis. Joan. VI, 54 : *Omnis qui audivit a Patre meo, et didicit, venit ad me.* Et sic quod homines credunt, non est attribuendum prædicatoris in-

[1] Al. : « est veritas quæ annuntiatur. »
[2] Al. : « Quam pulchri supra montes pedes annuntiantis bonum. » — [3] Al. omittitur « interius. »

dustriæ. Per hoc etiam ostenditur quod omnes increduli non excusantur a peccato, sed illi qui non audiunt et non credunt. Joan. xv, 22 : *Si non venissem, et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent ; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Et hoc etiam magis consonat his quæ Apostolus posterius dicet. Secundo ad hoc idducit auctoritatem, cum subdit : *Isaias enim dicit : Domine, quis credidit auditui nostro?* quasi diceret, rarus. Ezech. II, 6 : *Increduli et subversores sunt tecum.* Mich. VII, 1 : *Factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ.* Quod quidem Isaias dixit prævidens Judæorum infidelitatem futuram. Eccli. XLVIII, 27 : *Spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes in Sion.* Dicit autem, *Auditui nostro*, vel propter id quod a Deo audierunt, sicut dicitur in Abdia I : *Auditum audivimus a Domino, et legatos ad Gentes misit* : vel propter id quod homines ab Apostolis audiebant : Ezech. XXXIII, 31 : *Audiunt verba tua, et non faciunt ea.*

Deinde cum dicit, *Ergo fides ex auditu*, infert conclusionem ex dictis, dicens : *Ergo* ex quo aliqui non credunt nisi audierint, *fides* est *ex auditu.* Psal. XVII : *In auditu auris obedivit mihi.*

Sed contra videtur esse quod fides est virtus infusa divinitus. Phil. I, 29 : *Vobis datum est ut in ipsum credatis.*

Dicendum est ergo, quod ad finem duo requiruntur : quorum unum est cordis inclinatio ad credendum : et hoc non est ex auditu, sed ex dono gratiæ; aliud autem est determinatio de credibili, et istud est ex auditu. Et ideo Cornelius, qui habebat cor inclinatum ad credendum, necesse habuit ut ad eum mitteretur Petrus, qui sibi determinaret quid esset credendum, Act. X.

Ex eo vero quod dixerat : *Quomodo audient sine prædicante, et quomodo prædicabunt nisi mittantur?* concludit : *Auditus autem*, scilicet credentium, est per verbum prædicatorum, quod est *verbum Christi* : vel quia est de Christo : I Corinth. I, 23 : *Nos prædicamus Christum Jesum* : vel quia a Christo habent quod mittantur : I Corinth. XI, 23 : *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis.*

LECTIO III.

Sed dico : Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Sed dico : Numquid Israel non cognovit? Primus Moyses dicit : Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam. Isaias autem audet, et dicit : Inventus sum a non quærentibus me ; palam apparui his qui me non interrogabant. Ad Israel autem dicit : Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi.

Postquam Apostolus ostendit casum Judæorum esse miserandum [1] quia ex ignorantia peccaverunt; hic ostendit, quod eorum talis casus non est excusabilis ex toto, quia eorum ignorantia non fuit invincibilis vel ex necessitate existens, sed quodammodo voluntaria : et hoc quidem ostendit dupliciter. Primo quidem per hoc quod audierunt ex doctrina Apostolorum; secundo per hoc quod cognoverunt ex doctrina legis et Prophetarum, ibi, *Sed dico : Numquid Israel non cognovit?* Circa primum duo facit. Primo proponit quæstionem, dicens : Dictum est, quod fides est ex auditu, et non possunt homines credere ei quem non audierunt. Dico ergo : *Numquid non audierunt?* ut scilicet per hoc possint excusari totaliter ab incredulitate, secundum illud Joan. XV 22 : *Si non venissem, et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent.* Secundo ad quæstionem respondet interimendo [2] per auctoritatem Psalmistæ dicentis : *In omnem terram exivit sonus eorum*, scilicet Apostolorum; idest, fama eorum exivit in omnem terram, non solum Judæorum, sed etiam omnium Gentium. Job. XXVIII, 22 : *Perditio et mors dixerunt : Auribus nostris audivimus famam ejus*, scilicet sapientiam per Apostolos prædicatam. Et Dominus eis præceperat Marc. ult. 15 : *Euntes in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Et verba eorum*, scilicet distincta eorum doctrina, exierunt *in fines orbis terræ* : ad litteram, usque ad fines mundi. Isai. XXIV, 16 : *A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi :* et XLIX, 6 : *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.*

Et est notandum, quod secundum Augustinum, *epist.* LXXX, hæc verba nondum

[1] Al. : « postquam ostendit Judæorum esse miserandum. » — [2] Al. : « interveniendo. »

erant completa quando Apostolus talia loquebatur, sed prævidebat ea esse complenda; et ideo utitur præterito pro futuro propter certitudinem divinæ præordinationis; sicut etiam David, cujus verba assumit Apostolus, manifeste utebatur præterito pro futuro. Et ideo hoc dicit Augustinus, quia adhuc tempore suo dicit fuisse quasdam gentes in Africæ partibus, quibus non erat fides Christi prædicata. Chrysostomus autem *Super Matth. hom.* LXXVI, e contrario dicit hoc quod hic dicitur, completum fuisse tempore Apostolorum, exponens sic quod habetur Matth. XXIV, 14 : *Et oportet hoc Evangelium prædicari* [1] *in universo orbe... et tunc veniet consummatio*, id est destructio Hierusalem. Utrumque autem est aliqualiter verum : tempore enim Apostolorum ad omnes gentes, etiam usque ad fines mundi, pervenit aliqua fama de prædicatione Apostolorum per ipsos Apostolos vel discipulos eorum : Matthæus enim prædicavit in Æthiopia, Thomas in India, Petrus et Paulus in Occidente; et hoc est quod Chrysostomus dicere intendit. Non tamen sic fuit impletum tempore Apostolorum quod in omnibus gentibus Ecclesia ædificaretur; quod tamen est implendum ante finem mundi, ut dicit Augustinus *In Epistola ad Hesychium*. Magis tamen præsenti intentioni Apostoli congruit expositio Chrysostomi, quam Augustini. Nulla enim ratio esset auferendi excusationem infidelibus per hoc quod in futurum erant audituri. Per hoc tamen non habetur quod ad singulos homines fama prædicationis apostolicæ pervenerit, licet pervenerit ad omnes gentes.

Numquid ergo illi ad quos non pervenit, utpote si fuerunt nutriti in silvis, excusationem habent de peccato infidelitatis?

Ad hoc dicendum est, secundum sententiam Domini, quæ habetur Joan. XV, illi qui loquentem Dominum per se vel per ejus discipulos non audierunt, excusationem habent de peccato infidelitatis; non tamen beneficium Dei consequentur, ut scilicet justificentur ab aliis peccatis, vel quæ nascendo contraxerunt, vel male vivendo addiderunt; et pro his merito damnantur. Si qui tamen eorum fecissent quod in se est, Dominus eis secundum suam misericordiam providisset, mittendo eis prædicatorem fidei, sicut Petrum Cornelio, Act. X, et Paulum Macedonibus, ut habetur Act. XVI. Sed tamen hoc ipsum quod aliqui faciunt quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum. Thren. V, 21 : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.*

Deinde cum dicit, *Sed dico : Numquid Israel non cognovit?* ostendit eos esse inexcusabiles propter notitiam quam habuerunt ex lege et Prophetis : et primo movet quæstionem, dicens : *Sed dico*, adhuc inquirendo : *Numquid Israel*, id est populus Judæorum, *non cognovit* ea quæ pertinent ad mysterium Christi, et ad vocationem Gentium, et casum Judæorum? Plane cognovit. Supra II, 18 : *Instructus per legem.* Psalm. CXLVII, 20 : *Non feci taliter omni nationi.* Bar. IV, 4 : *Beati sumus, o Israel, quoniam quæ placita sunt Deo, manifesta sunt nobis.* Secundo cum dicit ibi, *Primus Moyses dicit*, solvit quæstionem [2], et ostendit eos cognovisse, primo quidem per doctrinam legis, dicens : *Primus Moyses dicit*; qui est legislator : quod non sic est intelligendum per hoc quod inducit, *Primus*, quasi fuerint duo Moyses, quorum primus hoc dixit; sed quia Moyses fuit primus, id est præcipuus inter doctores Judæorum. Deuteron. ult. 10, *Non surrexit ultra in Israel sicut Moyses.* Vel primus fuit in ordine talia dicendi, quia ipse primus inter alios hoc dixit, Deuteron. XXXII, 21, *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam* : ubi littera nostra sic habet : *Ego provocabo eos in eo qui non est populus, et in gente stulta irritabo eos.* Ubi duplex est distinctio attendenda. Prima quidem ex parte gentilitatis, quam vocat non gentem, quasi non dignam vocari gentem, eo quod non erat adunata in cultu unius Dei. Eccli. L, 27 : *Tertia* [3] *non est gens, quam oderim.* Eamdem autem gentem [4] vocat gentem insipientem : etsi aliqualiter gens dici posset, secundum quod adunatur et gubernatur lege humana; dicitur tamen insipiens, quasi privata vera sapientia, quæ in cognitione et cultu Dei consistit.

[1] Al. : « et prædicabitur hoc Evangelium, etc. »
[2] Al. : « secundo determinat motam quæstionem cum dicit, » Primus Moyses dixit, « qui est legislator, etc. » — [3] Al. : « secunda. » — [4] Al. : « gentilitatem. »

Ephes. iv, 17 : *Sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a via Dei.* [1] Et sic refertur ad gentilitatem secundum statum ante conversionem. Possunt hæc etiam duo attribui gentilitati post conversionem, quæ dicitur non gens, id est non gentiliter vivens, sicut Apostolus dicit ibidem : *Jam non amplius ambuletis sicut et Gentes.* Dicitur etiam gentilitas conversa, gens insipiens, secundum opinionem infidelium. I Corinth. iii, 18 : *Si quis inter vos sapiens videtur esse in hoc sæculo* [2], *stultus fiat, ut sit sapiens.* Secunda differentia attenditur quantum ad hoc quod primo ponit æmulationem, scilicet invidiæ, qua Judæi invidebant Gentilibus conversis. Galat. iv, 17 : *Æmulantur vos non bene.* Secundo ponit iram qua contra eos irascuntur : Psalm. xxxvi, 12 : *Observabit peccator justum, et stridebit super eum dentibus suis.* Et hæc duo congrue conjunguntur, quia ex invidia causatur ira : unde Job. v, 2, dicitur : *Virum stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia.* Dicitur autem Deus in æmulationem inducere, et in iram mittere, non quidem in eis causando malitiam, sed subtrahendo gratiam, vel potius faciendo conversionem Gentium, unde Judæi occasionem iræ et invidiæ sumunt.

Secundo ostendit eos cognovisse per doctrinam Prophetarum: et inducit Isaiam primo quidem prænuntiantem conversionem Gentium, dicens : *Isaias autem audet, et dicit;* idest, audacter Judæis annuntiat veritatem, quamvis ei periculum mortis immineret. Job. xxxix, 21 : *Audacter in occursum pergit armatis.* Et dicit Isa. lxv, 1 : *Inventus sum a* Gentibus *non quærentibus me* ; *palam apparui his qui me non interrogabant* : ubi littera nostra sic habet : *Quæsierunt me qui ante non interrogabant* ; *invenerunt qui non inquisierunt me.* In his autem verbis primo designat conversionem Gentium, dicens : *Inventus sum a* Gentibus *non quærentibus me* : et ideo præter merita et intentionem Gentilium ostenditur fuisse eorum conversio. Infra xv, 9 : *Gentes autem super misericordia honorare Deum.* De hac autem inventione dicitur Matth. xiii, 44 : *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum.* Secundo ostendit causam et modum conversionis eorum. Causam quidem, quia non casu factum est ut invenirent quod quærebant, sed ex gratia ejus qui eis voluit apparere : quod designatur in hoc quod dicit, *Apparui.* Tit. ii, 11 : *Apparuit gratia Salvatoris nostri Dei omnibus hominibus.* Modum autem, quia non apparuit Christus Gentilibus in ænigmatibus et figuris legis, sed in manifesta veritate : unde dicit, *Palam.* Joan. xvi, 29 : *Ecce palam loqueris, et proverbium nullum dicis. Palam,* inquit, *apparui eis,* scilicet Gentilibus, *qui me non interrogabant* ; idest, qui meam doctrinam non quærebant. Isa. xlv, 20 : *Rogant Deum non salvantem.* Secundo ostendit quod Isaias prænuntiavit incredulitatem Judæorum, dicens : *Ad Israel autem,* idest contra Israel, *dicit,* Isa. lxv, 2 : *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi* : ubi nostra littera sic habet : *Expandi manus meas tota die* [3] *ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas, populus qui ad iracundiam provocat me.* Quod autem dicit, *Expandi manus meas,* potest uno modo intelligi de expansione manuum Christi in cruce : quæ quidem dicitur fuisse in cruce tota die, idest principali parte totius diei, scilicet ab hora sexta usque ad vesperas, Matth. xxvii. Et quamvis eo expandente manus in cruce, sol sit obscuratus, petræ scissæ, monumenta aperta; Judæi tamen in sua incredulitate permanserunt, eum blasphemantes, ut dicitur Matth. xxvii. Unde subdit : *Ad populum non credentem, sed contradicentem mihi.* Hebr. xii, 3 : *Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem.* Alio modo potest referri ad extensionem manus Dei in miraculis faciendis : Act. iv, 30 : *In eo quod manum tuam extendis ad sanitates, et signa et prodigia fieri per nomen sanctum Filii tui Jesu :* ut sit sensus : *Tota die,* idest toto tempore prædicationis meæ, *expandi manus meas,* miracula faciendo, *ad populum non credentem,* etiam miraculis visis : Joan. xv, 24 : *Si opera non fecissem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent : sed contradicentem mihi,* idest meis miraculis detrahentem, secundum illud Matth. xii, 24 :

[1] Al. : « a vita Dei. — [2] Al. deest : « in hoc sæculo. » — [3] Al. omittitur : « tota die. »

in Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Oseæ. IV, 4 : *Populus tuus sicut hi qui contradicunt sacerdoti.* Tertio potest intelligi de extensione manus Dei ad beneficia illi populo exhibita, secundum illud Proverb. I, 24 : *Extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret* : ut sit sensus, *Tota die*, idest toto tempore legis et Prophetarum, *expandi manus meas*, ad dandum beneficia, *ad populum non credentem, sed contradicentem mihi.* Deuter. XXXII, 27 : *Semper contentione egistis contra Dominum.*

CAPUT UNDECIMUM

LECTIO I.

Dico ergo : Numquid repulit Dominus Deus populum suum ? Absit : nam et ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit. An nescitis in Elia quid dicit Scriptura, quemadmodum interpellat Deum adversum Israel ? Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt ; et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam. Sed quid dicit illi divinum responsum ? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. Sic ergo et in hoc tempore reliquiæ, secundum electionem gratiæ Dei, salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus : alioquin gratia jam non est gratia. Quid ergo ? Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus ; ejectio autem consecuta est ; ceteri vero excæcati sunt ; sicut scriptum est : Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, et aures ut non audiant usque in hodiernum diem. Et David dicit : Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum et in captionem, et in scandalum, et in retributionem illis : obscurentur oculi eorum ne videant; et dorsum eorum semper incurva.

Postquam Apostolus ostendit Judæorum casum esse miserandum, non tamen totaliter excusabilem ; hic ostendit casum Judæorum non esse universalem ; et primo movet quæstionem ; secundo solvit, ibi, *Absit* ; tertio infert conclusionem, ibi, *Quid ergo? Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus*. Dicit ergo primo : *Dico* adhuc inquirendo : *Numquid Deus repulit*, totaliter, *populum suum*? scilicet Judæorum, quia vocat eum non credentem, sed contradicentem. Et hoc Psalmista etiam inquirit, dicens Psal. LXXIII, 1 : *Ut quid Deus repulisti in finem* ? Thren. II, 7 : *Repulit Dominus altare suum*.

Deinde cum dicit, *Absit*, solvit quæstionem, ostendens quod Deus non totaliter repulit populum Judæorum : et hoc est quod dicit, *Absit*, ut scilicet populus Judæorum sit totaliter repulsus ; et hoc quidem primo probat quantum ad personam suam, dicens : *Nam et ego*, scilicet in fide Christi existens, *Israelita sum*, scilicet gente. II Cor. XI, 22 : *Israelitæ sunt, et ego*. Et quia in populo Israel erant aliqui proselyti, qui non descenderunt secundum carnem ex Patriarchis, secundo hoc de se excludit, subdens, *Ex semine Abrahæ*. II Cor. XI, 22 : *Semen Abrahæ sunt, et ego*. Erant autem in populo Judæorum tribus distinctæ secundum filios Jacob, quorum quidam fuerunt filii ancillarum, quidam uxorum; Joseph autem et Beniamin filii Rachel prædilectæ uxoris. Unde tertio suam excellentiam in populo Judæorum ostendens, dicit, *Ex tribu Benjamin*. Phil. III, 5 : *Ex genere Israel, de tribu Benjamin*. Unde et de eo exponitur a quibusdam quod legitur Gen. penult. 27 : *Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia*. Secundo ibi, *Non repulit Deum plebem suam*, ostendit populum illum non esse repulsum a Deo, etiam quantum ad multos electos suos : et primo proponit quod intendit : secundo inducit similitudinem, dicens; *An nescitis in Elia quid dicit Scriptura*? tertio adaptat eam, ibi, *Sic ergo et in hoc tempore*. Dicit ergo primo : Non solum ego non sum repulsus, sed *Deus non repulit plebem suam*, totam, *quam præscivit*, idest prædestinavit. Supra VIII, 29 : *Quos præscivit, hos et prædestinavit*. Psal. XCIII, 14 : *Non repellet Dominus plebem suam*. Quod Apostolus hic exponit quantum ad prædestinatos. Deinde cum dicit, *An nescitis*, etc., inducit similitudinem de his quæ contigerunt tempore Eliæ, quando etiam totus populus videbatur a cultu unius Dei aberrasse : ubi primo ponit interpellationem Eliæ ; secundo responsionem Domini, ibi, *Sed quid dicit Scriptura divina*? Dicit ergo primo : *An nescitis quid Scriptura* sacra *dicat in Elia*, idest de Elia? III Reg. XIX, vel *in Elia*, id est in libro de Elia scripto : totus enim liber regum est principaliter scriptus ad notificandum dicta et facta Prophetarum : unde et inter libros propheticos computatur, ut Hieronymus dicit in Prologo libri Regum : *quemadmodum*, scilicet ipse Elias, *interpellat Deum adversus Israel*.

Contra quod videtur esse verbum Samuelis dicentis I Reg. XII, 23 : *Absit hoc peccatum a me in Domino, ut cessem orare pro vobis.* Multo ergo minus est contra populum interpellandum.

Sed intelligendum est, quod Prophetæ contra populum aliquem interpellant tripliciter. Uno modo conformando voluntatem suam voluntati divinæ eis revelatæ, sicut et in Psal. LVII, 2, dicitur : *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* Alio modo interpellando contra regnum peccati, ut scilicet non homines sed peccata, hominum destruantur. Tertio modo interpellatio vel oratio est interpretanda per modum denuntiationis, secundum illud Hier. XVII, 18 : *Confundantur qui me persequuntur* : scilicet confundentur.

Duo autem in hac sua interpellatione contra eos allegat. Primo quidem impietatem, quam commiserant contra cultum Dei. Uno quidem modo persequendo ministros ejus ; quod tangit dicens : *Domine, Prophetas tuos occiderunt.* III Reg. XVIII, 13 : *Numquid non indicatum est tibi domino meo quid fecerim, cum interficeret Jezabel Prophetas Domini?* Act. VII, 52 : *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri?* Alio modo quantum ad loca Deo sanctificata, secundum illud Psal. LXXIII, 7 : *Incenderunt igni sanctuarium tuum* : et quantum ad hoc dicit, *Altaria tua suffoderunt.* Unde notandum est quod Deuter. XII, 5, Dominus mandavit dicens : *Ad locum quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi et habitet in eo, venietis, et offeretis in illo loco holocausta, et victimas vestras.* Tamen ante ædificationem templi permittebatur populo ut in diversis locis altaria construeret ad cultum divinum : quod quia erat contra legem, ædificato jam templo, Ezechias Rex piissimus omnia hujusmodi altaria destrui fecit ; et hoc est quod dicitur Reg. XVIII, 22 : *Nonne iste est Ezechias, qui abstulit excelsa et altaria, et præcepit Judæ et Hierusalem : Ante altare hoc adorabitis in Hierusalem?* Quod ergo Ezechias fecit ex pietate, hoc fecit Achab et Jezabel ex impietate, volentes cultum Dei totaliter extirpare. Secundo [1] allegat contra eos impietatem quam facere intendebant, dicens : *Et relictus sum ego solus*, scilicet in cultu unius Dei : quod quidem dixit Elias, eo quod alii non ita aperte manifestabant se esse Dei cultores : dicitur enim de eo Eccli. XLVIII, 1 : *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, et verbum illius quasi facula ardebat. Et quærunt animam meam*, scilicet ut auferant eam. Miserat enim Jezabel ad Eliam, III Reg. XIX, 2, dicens : *Hæc mihi faciant dii et hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam unius ex illis*, scilicet Prophetis Baal, quos occiderat Elias.

Deinde cum dicit, *Sed quid dicit*, etc., ponit divinum responsum, dicens : *Sed quid dicit* Scriptura ibidem, scilicet dixisse *illi*, scilicet Eliæ, *responsum divinum?* Hoc inquam, quod sequitur : *reliqui mihi*, id est in cultu meo, non permittendo eos cadere in peccatum, *septem millia virorum*, ponitur certum pro incerto, propter perfectionem septenarii et milliarii, *qui non curvaverunt genua ante Baal;* id est, qui cultum Dei non desuerunt. Isa. XLIII, 7 : *Omnis qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum.*

Deinde cum dicit, *Sic ergo*, etc., adaptat quod dixerat, ad propositum : et primo ponit adaptationem, dicens : *Sic ergo et in hoc tempore*, in quo videtur multitudo populi deviasse, *reliquiæ*, id est multi qui sunt relicti ab illo excidio, *salvæ fient*, vel *salvæ factæ sunt*, *secundum electionem gratiæ Dei*, idest secundum gratuitatem electionem Dei. Joan. XV, 16 : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Secundo ex hoc infert conclusionem, dicens : *Si autem gratia* salvi facti sunt, *jam non ex operibus* eorum. Tit. III, 5 : *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Tertio ostendit sequi conclusionem ex præmissis, dicens : *Alioquin*, scilicet si gratia est ex operibus, *jam non est gratia* quæ dicitur ex eo quod gratis datur. Supra III, 24, *Justificati gratis per gratiam ipsius.*

Deinde cum dicit, *Quid ergo?* infert conclusionem intentam : et primo ponit eam, dicens : *Quid ergo* secundum præmissa dicemus? Hoc scilicet quod *Israel*, quantum ad majorem multitudinem populi, *non est consecutus quod quærebat*, scilicet justitiam Et hoc modo intelligendum est quod supra IX, 31, dictum est : *Israel sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit.* Joan. VII, 34. *Quæretis me, et non invenietis* : ita tamen quod *electio*, idest electi ex Judæis,

[1] Al. : « tertio. »

consecuta est, justitiam. Ephes. I, 4 : *Elegit nos in ipso, ut essemus sancti. Ceteri vero*, id est alia pars populi, *excæcati sunt*, propter suam malitiam. Sap. II, 21 : *Excæcavit eos malitia eorum*. Secundo ibi, *Sicut scriptum est*, manifestat conclusionem quantum ad ultimam partem : et primo per auctoritatem Isaiæ ; secundo per auctoritatem David, ibi, *Et David dicit*. Circa primum notandum, quod Apostolus componit auctoritatem ex duabus. Legitur enim Isa. XXIX, 10 : *Miscui vobis spiritum soporis* : et quantum ad hoc dicit : *Dedit illis spiritum compunctionis* ; quod pertinet ad perversitatem affectus : compunctio enim importat quamdam cordis punctionem, sive dolorem. Est ergo quædam bona compunctio, qua quis dolet de propriis peccatis, secundum illud Psal. LIX, 5 : *Potasti nos vino compunctionis*. Est autem et mala compunctio, scilicet invidiæ, qua quis dolet de bonis aliorum. Hunc ergo compunctionis, id est invidiæ, spiritum eis dedit Deus, non quidem immittendo malitiam, sed subtrahendo gratiam, sicut supra X, 19, dictum est : *Ego ad æmulationem adducam vos in non gentem*. Item legitur Isaiæ VI, 10 : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude* ; *ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat*. Et quantum ad hoc, designans defectum cognitivæ virtutis, subdit : *Oculos ut non videant*, scilicet per seipsos quantum ad miracula, quæ Christus eis videntibus fecit ; *et aures ut non audiant*, scilicet fructuose doctrinam Christi et Apostolorum. Isa. LII, 20 : *Qui vides multa, nonne custodies? Qui apertas aures habes, nonne audies?* Addit autem Apostolus de suo, *Usque in hodiernum diem* : quia in fine mundi videbunt, et audient quando convertentur corda filiorum ad patres eorum, ut dicitur Malach. ult. Deinde cum dicit, *Et David dicit*, ponit ad idem auctoritatem David : in qua primo tangit occasionem, defectus Judæorum, dicens: *Fiat mensa eorum*, id est malitia, qua peccatores reficiuntur Job. XX, 12 : *Cum dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua*. Quæ quidem mensa est *coram ipsis* : quando ex certa malitia peccant. Hoc quidem fit *in laqueum*, quando ex ea paratur tentatio ad peccandum : Isa. XXIV, 18 : *Qui explicaverit se de fovea, tenebitur laqueo* : *et in captionem*, quando delectationi succumbit per consensum [1] : Isa. VIII, 15 : *Capientur et irretientur* : *et in scandalum*, id est impactionem casus quando ruunt de peccato in peccatum. Psal. CXVIII, 165 : *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum : et in retributionem illis*, quando scilicet punientur pro suis peccatis. Vel quia hoc ipsum est retributio delictorum, quia Deus eos permittit sic cadere. Psal. XCIII, 2 : *Redde retributionem superbis*. Vel mensa est sacra Scriptura Judæis apposita : Prov. IX, 2 : *Proposuit mensam suam*. Quæ quidem fit *in laqueum*, quando occurrit aliquod ambiguum ; *in captionem*, quando male intelligitur : *in scandalum*, quando ruit in pertinaciam erroris ; *et in retributionem*, ut supra. Secundo ponit ipsum defectum quantum ad cognitivam virtutem, cum dicit : *Obscurentur oculi eorum ne videant* : quod magis prænuntiando quam optando dicitur. Ephes. IV, 18 : *Tenebris obscuratum habentes intellectum*. Et quantum ad affectum, cum dicit : *Et dorsum eorum*, id est liberum arbitrium, quod portat ad bona, et ad mala, *semper incurva* ; id est, incurvari permitte ab æternis ad temporalia, a rectitudine justitiæ, ad iniquitatem. Isai. LI, 23 : *Incurvare ut transeamus*.

LECTIO II.

Dico ergo : Numquid sic offenderunt ut caderent? Absit. Sed illorum delicto salus est Gentibus, ut illos æmulentur. Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, et diminutio eorum divitiæ Gentium ; quanto magis plenitudo eorum? Vobis enim dico Gentibus : Quamdju quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, si quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, et salvos faciam aliquos ex illis. Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi ; quæ assumptio nisi vita ex mortuis? Quod si delibatio sancta est, et massa ; et si radix sancta, et rami.

Postquam Apostolus ostendit quod casus Judæorum non est universalis, hic incipit ostendere quod casus eorum non est inutilis neque irreparabilis : et circa hoc duo facit. Primo ostendit casum Ju-

[1] Al. : « per sensum »

dæorum esse utilem et reparabilem; secundo excludit gloriam Gentilium Judæis insultantium, ibi, *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt... noli gloriari adversus ramos.* Circa primum duo facit. Primo proponit quæstionem; secundo solvit, ibi, *Absit.* Dicit ergo primo : Dictum est et probatum, quod ceteri Judæi præter electos sunt excæcati. *Dico ergo* [1], quæstionem movens : *Numquid sic offenderunt ut caderent?* Quod potest dupliciter intelligi. Uno modo sic. Numquid Deus permisit eos offendere solum *ut caderent?* id est, propter nullam aliam utilitatem inde consequentem, sed solum volens eos cadere : quod quidem esset contra bonitatem divinam, quæ tanta est, ut Augustinus dicit *In Enchir.* cap. XI, quod nunquam permitteret aliquid mali fieri, nisi propter bonum quod ex malo elicit. Unde et Job XXXIV, 24, dicitur : *Conteret multos et innumerabiles, et stare faciet alios pro eis* : et Apoc. III, 2, dicitur : *Tene quod habes, ne alter accipiat coronam tuam* : quia scilicet Deus aliquos sic permittit cadere ut quorumdam casus sit aliorum salutis occasio. Alio modo potest intelligi sic. *Numquid sic offenderunt ut caderent?* id est, perpetuo in casu remanerent. Psalm. XL, 9 : *Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?*

Deinde cum dicit, *Absit*, solvit quæstionem : et primo secundum primum intellectum, ostendens casum Judæorum fuisse utilem; secundo solvit quæstionem quantum ad secundum intellectum, ostendens casum Judæorum esse reparabilem, ibi, *Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi... quanto magis plenitudo eorum?* Dicit ergo primo : *Absit*, ut scilicet inutiliter caderent; *sed* magis *illorum*, scilicet Judæorum, *delicto salus Gentibus* facta *est* occasionaliter. Unde et Dominus dicit Joan. IV, 22 : *Salus ex Judæis est.* Quod quidem potest intelligi tripliciter. Primo modo quia per delictum, quod in occisione Christi commiserunt, est subsecuta salus Gentium per redemptionem sanguinis Christi. I Petr. XVIII : *Non enim corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine agni immaculati.* Secundo modo potest intelligi de delicto quo doctrinam Apostolorum repulerunt, ex quo consecutum est ut Apostoli Gentibus prædicarent [2], secundum illud Act. XIII, 46 : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei ; sed quoniam repulistis illud... ecce convertimur ad Gentes.* Tertio modo potest intelligi de hoc quod propter suam impœnitentiam sunt in omnes Gentes dispersi : et sic Christus et Ecclesia ubique a Libris Judæorum testimonium habuit fidei christianæ, ad convertendos Gentiles, qui suspicari potuissent prophetias de Christo, quas prædicatores fidei inducebant, esse confictas, nisi probarentur testimonio Judæorum : unde in Psal. LVIII, 12, dicitur : *Ostendit mihi super inimicos meos*, scilicet Judæos, *ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua.* Sequitur : *Ut illos æmulentur.* Et quia non dicit qui, vel quos, cum etiam sit duplex æmulatio, scilicet indignationis et imitationis; potest hoc quatuor modis exponi. Primo modo ut intelligatur sic, *ut* Gentiles *illos*, scilicet Judæos, *æmulentur*, idest imitentur in cultu unius Dei. Ephes. II, 12 : *Eratis in illo tempore sine Christo* [3], *alienati a conversatione Israel* : et postea subdit : Nunc autem vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Thess. II, 14 : *Vos imitatores facti estis Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa.* Vel *ut* Gentiles *æmulentur* Judæos, id est indignentur contra eos propter incredulitatem eorum. Psalm. CXVIII, 158 : *Vidi prævaricantes, et tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* Tertio modo potest intelligi sic, *ut* Judæi *æmulentur*, id est imitentur Gentiles, quando ubique et nunc aliqui eorum particulariter convertuntur ad fidem, imitantes fidem Gentium; et finaliter omnis Israel salvus fiet, cum plenitudo Gentium intraverit; et sic impleatur quod dicitur Deuter. XXVIII, 44 : *Ille erit in caput, et tu eris in caudam.* Quarto modo potest exponi sic *ut* Judæi *æmulentur* Gentiles : id est, contra eos ex invidia turbentur, dum vident ad eos eorum gloriam translatam. Deut. XXXII, 21 : *Ego provocabo eos in eo qui non est populus.*

Deinde cum dicit, *Quod si delictum eorum divitiæ sunt mundi*, etc., solvit quæstionem quantum ad secundum intellectum, ostendens casum Judæorum esse reparabilem : quod quidem ostendit

[1] Al. : « dicit ergo. »

[2] Al. deest : « ex quo consecutum est ut Apostoli Gentibus prædicarent. »

[3] Al. : « sine Episcopo. »

tripliciter. Primo ex utilitate; secundo ex Apostoli intentione, ibi, *Vobis enim dico Gentibus;* tertio ex conditione illius populi, ibi, *Quod si delibatio sancta est* [1], *et massa.* Circa primum ponit talem rationem. Bonum est potentius ad utilitatem inferendam, quam malum; sed malum Judæorum magnam utilitatem Gentibus contulit; ergo multo majorem confert mundo eorum bonum. Hoc est ergo quod dicit : Dictum est, quod eorum delicto salus Gentibus facta est : *quod*, pro sed, *illorum*, scilicet Judæorum, *delictum divitiæ sunt mundi*, id est Gentilium, quia scilicet delictum Judæorum redundavit in spirituales divitias Gentilium, de quibus dicitur Isa. XXXIII, 6 : *Divitiæ salutis sapientia et scientia* : quod quidem refert ad eorum culpam. *Et diminutio eorum*, quia scilicet decreverunt ab illa celsitudine gloriæ quam habebant, quod pertinet ad pœnam. Dan. III, 37 : *Imminuti sumus plusquam omnes Gentes, sumusque humiles in universa terra hodie propter peccata nostra.* Sunt autem divitiæ Gentium per occasionem, ut dictum est. Vel *diminutio eorum;* idest, aliqui minimi et abjecti ex Judæis, Gentes spiritualiter ditaverunt, scilicet Apostoli, de quibus dicitur I Cor. I, 27 : *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. Quanto magis plenitudo eorum*, idest abundantia eorum spiritualis, vel multitudo eorum ad Deum conversa, in divitias Gentium redundabit? Eccli. XXIV, 16 : *In plenitudine sanctorum detentio mea.* Et sic si Deus propter utilitatem totius mundi permisit Judæos delinquere et diminui; multo magis implebit ruinas eorum propter totius mundi utilitatem. Deinde cum dicit, *Vobis enim dico Gentibus*, ostendit idem ex sua intentione : quam primo proponit, secundo ejus rationem assignat, ibi, *Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi; quæ assumptio nisi vita ex mortuis*? Circa primum considerandum est, quod cum in superioribus hujus Epistolæ partibus locutus fuerit omnibus fidelibus existentibus Romæ, sive fuerint ex Gentibus, sive ex Judæis, nunc specialiter sermonem suum dirigit ad Gentiles conversos. Dicit ergo : Dixi, quod plenitudo eorum divitiæ mundi essent : in hujus enim signum *dico vobis Gentibus*, idest Gentilibus ad fidem conversis, Isa. LXV, 1 : *Dixi* : *Ecce ego ad Gentes quæ non invocabant nomen meum*, hoc, inquam, vobis dico *quamdiu ego sum Gentium Apostolus*, quarum cura specialiter mihi incumbit ex injuncto officio. Galat. II, 9 : *Dexteras dederunt mihi et Barnabæ societatis, ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem.* I Tim. II, 7 : *In quo positus sum ego prædicator et Apostolus veritatem enim dico in Christo Jesu, non mentior, doctor Gentium in fide et veritate. Ministerium meum honorificabo*, non quidem his quæ ad sæcularem honorem pertinent; sed primo quidem ornando ipsum bonis moribus. II Corinth. VI, 4 : *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia.* Secundo per supererogationem operum, ad quæ non tenebatur. I Corinth. IX, 18 : *Quæ est ergo merces mea? Ut Evangelium Christi prædicans, sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio.* Tertio ampliando solicitudinem ad omnium salutem. II Corinth. XI, 28 : *Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum.* Unde et hic subdit : *Si quo modo ad æmulandum provocem carnem meam*, idest Judæos, qui sunt mihi cognati secundum carnem, ut supra IX dictum est : Isai. LVIII, 7 : *Carnem tuam ne despexeris* : et hoc ad æmulandum bona æmulatione, secundum illud I Corinth. XII, 31 : *Æmulamini charismata meliora :* et per hunc modum, *ut salvos faciam aliquos ex illis*, scilicet ex Judæis. I Corinth. X, 33 : *Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.*

Sed contra est quod ipse dicit II Corinth. X, 13 : *Nos autem non in immensum gloriamur, sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi usque ad vos.* Non autem acceperat mensuram sui ministerii nisi super Gentes. Non ergo debebat se se intromittere de Judæis.

Dicunt autem quidam, quod Judæi in Judæa habitantes non pertinebant ad ejus Apostolatum, sed Petri, Jacobi et Joannis, ut dicitur Galat. II, sed Judæi inter Gentes habitantes, ad ejus Apostolatum pertinebant, et eorum saluti insistebat. Sed hoc videtur contra intentionem litteræ : si enim illi Judæi ad ejus Apostolatum pertinebant in hoc quod eorum conversioni intendebat, non honorificasset suum ministerium. Et ideo dicendum est,

[1] Al. *quod si deliberatio facta est.*

quod sic erat sibi commissa prædicatio Gentilium, ut ad eam ex necessitate teneretur, sicut ipse dicit, I Corinth. IX, 16 : *Si non evangelizavero, væ mihi : necessitas enim mihi incumbit.* Nec tamen erat ei prohibitum Judæis prædicare, quamvis ad hoc non teneretur; et secundum hoc eorum saluti insistendo, ministerium suum honorificabat : quod quidem non faceret, si casum eorum irreparabilem reputaret : unde ipsum Apostoli studium, quod adhibebat ad conversionem Judæorum; inducit pro signo quod casus Judæorum sit reparabilis.

Deinde cum dicit, *Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi*, etc., assignat rationem suæ intentionis, quæ scilicet videbat quod conversio Judæorum proveniebat in salutem Gentium : unde dicit : *Si enim amissio eorum*, idest incredulitas et inobedientia eorum; sicut dicitur servus amissus, quando sub cura et obedientia domini refugit esse : Hier. I, 6 : *Grex perditus factus est populus meus :* si, inquam, ista Judæorum amissio est occasionaliter *reconciliatio mundi,* inquantum per mortem Christi sumus reconciliati Deo; *quæ assumptio nisi vita ex mortuis?* idest, quod Judæi reassumantur a Deo, secundum illud Zachar. XI, 7 : *Sumpsi mihi duas virgas.* Quid, inquam, faciet talis assumptio, nisi quod Gentiles resurgere faciat ad vitam? Gentiles enim sunt fideles qui tepescent. Matth. XXIV, 12 : *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum.* Vel etiam qui totaliter cadent decepti ab Antichristo, Judæis conversis in pristinum fervorem, restituentur; et etiam sicut Judæis cadentibus Gentiles post inimicitias sunt reconciliati, ita post conversionem Judæorum, imminente jam fine mundi, erit resurrectio generalis, per quam homines ex mortuis ad vitam immortalem redibunt.

Deinde cum dicit, *Quod si delibatio sancta est, et massa*, ostendit idem ex conditione ipsius gentis Judæorum; et hoc quidem dupliciter. Primo ex parte Apostolorum, cum dicit : *Quod si delibatio sancta est, et massa.* Dicitur autem delibatio id quod ex massa pastæ sumitur, quasi ad probandum : sunt autem Apostoli ex gente Judæorum assumpti a Deo, sicut delibatio ex massa; et ideo si Apostoli sunt sancti, consequens est quod gens Judæorum sit sancta I Petr. II, 9 : *Gens sancta, populus acquisitionis.* Secundo probat idem ex parte Patriarcharum, qui comparantur ad Judæos sicut radix ad ramos : unde et Isa. XI, 1, dicitur : *Egredietur virga de radice Jesse.* Si ergo Patriarchæ, qui sunt radix, sunt sancti; et Judæi qui ex eis processerunt, sicut rami, sunt sancti. Oseæ XIV, 6 : *Erumpet radix ejus ut Libani*; *ibunt rami ejus, et erit quasi oliva gloria ejus.*

Sed contra est quod dicitur Ezech. XVIII, 5 : *Vir si fuerit justus, vita vivet.* Sic ergo non sequitur quod si radix est sancta, et rami. Ibidem etiam subditur XIV : Quod *si filius videns peccata patris sui, timuerit, et non fecerit simile, non morietur, sed vita vivet.* Unde etiam videtur non sequi quod si delibatio sancta est, et massa [1].

Sed dicendum, quod Apostolus hic non loquitur de actuali sanctitate : non enim intendit ostendere Judæos incredulos esse sanctos; sed de sanctitate potentiali. Nihil enim prohibet eos reparari in sanctitate quorum patres et quorum filii sunt sancti. Vel potest dici, quod illi sunt specialiter rami Patriarcharum qui eos imitantur, secundum illud Joan. VIII, 39 : *Si filii estis Abrahæ, opera Abrahæ facite.*

LECTIO III.

Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem, cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis et pinguedinis olivæ factus es; noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dicis ergo : Fracti sunt rami ut ego inserar. Bene : propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas : noli altum sapere, sed time. Si enim Deus **naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.** Vide ergo bonitatem et severitatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt, severitatem : in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate : alioquin et tu **excideris. Sed et illi si non permanserint in incredulitate,** inserentur. Potens est enim Deus iterum inserere illos. Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam; quanto magis hi qui secundum naturam inserentur suæ olivæ ?

Postquam Apostolus ostendit casum Judæorum fuisse utilem et reparabilem, hic excludit gloriationem Gentilium contra Judæos : et circa hoc duo facit. Primo ostendit Gentilibus conversis non esse

[1] Al. : « quod et massa. »

gloriandum contra Judæos; secundo respondet objectioni Gentilium, ibi, *Dicit ergo : Fracti sunt rami, ut ego inserar.* Circa primum duo facit. Primo prohibet Gentiles contra Judæos gloriari; secundo rationem prohibitionis assignat, ibi, *Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te.* Videbatur autem ex duabus partibus imminere Gentilibus gloriandi occasio contra Judæos. Primo quidem ex defectu Judæorum, dicens : Dictum est quod si radix est sancta, et rami. Sed *si aliqui ex ramis*, idest ex Judæis, non omnes tamen, *sunt fracti*, id est divisi a fide patrum, qui comparantur radici, *noli gloriari*. Job. xv, 30 : *Ramos ejus arefecit flamma.* Sap. iv, 5 : *Confringentur rami inconsumpti.* Secundo videbatur [1] eis imminere materia gloriandi ex parte promotionis eorum. Promotio autem alicujus tanto magis consuevit eum extollere in vanam gloriam, quanto ex viliori statu elevatur : secundum illud Proverb. xxx, 21 : *Propter tria movetur terra, et quartum non poterit sustinere : per servum, cum regnaverit; per stultum, cum saturatus fuerit cibo; per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta; et per ancillam, cum fuerit heres dominæ suæ.* Et ideo præmittit abjectum statum, de quo assumpti erant, dicens : *Tu autem*, Gentilis, *cum* in statu gentilitatis *oleaster esses*, id est arbor infructuosa. Hier. xvii, 6 : *Erunt quasi myricæ in deserto.* Matth. iii, 6 : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Deinde ponit eorum promotionem; et primo quidem quantum ad hoc quod sunt assumpti in dignitatem illius gentis : unde dicit : *Insertus es in illis*, id est loco illorum. Job xxxiv, 24 : *Conteret multos et innumerabiles, et stare faciet alios pro eis.* Secundo per hoc quod sunt consociati Patriarchis, quos supra radici comparaverat : unde dicit : *Et socius radicis factus es*; idest consociatus es Patriarchis et Prophetis. Matth. viii, 11 : *Multi venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum.* Tertio per comparationem ad gloriam Apostolorum, cum dicit : *Et socius pinguedinis olivæ factus es.* Oliva quidem dicitur ipsa gens Judæorum propter uberes [2] fructus spirituales, quos attulit. Hier. xi, 16 : *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Deus nomen tuum.* Psalm. li, 10 : *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei.* Sicut autem hujus olivæ radix sunt Patriarchæ et Prophetæ; ita etiam pinguedo hujus olivæ est abundantia gratiæ Spiritus sancti, quam præ omnibus Apostoli habuerunt, ut *Glossa* dicit : unde Judic. ix, 9 : oliva dixisse inducitur : *Numquid possum deserere pinguedinem meam?* Psal. xlii : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea?* Sic ergo promoti sunt Gentiles ad societate millius populi, scilicet Patriarcharum et Apostolorum [3] et Prophetarum. Ephes. ii, 19 : *Estis cives sanctorum, et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum.* Et licet has occasiones gloriandi habere videaris Gentilis, *noli* tamen *gloriari adversos ramos*, idest adversus Judæos. I Corinth. v, 6 : *Non est bona gloriatio vestra.* Deinde cum dicit, *Quod si gloriaris* etc., assignat rationem suæ admonitionis dicens : *Quod si*, non obstante hac admonitione, *gloriaris*, insultando Judæis stantibus, vel excisis; hoc consideres ad repressionem gloriæ tuæ, quod tu *radicem non portas, sed radix te*; id est, Judæa non accepit a Gentilitate salutem, sed potius e converso. Joan. iv, 22 : *Salus ex Judæis est.* Unde et Abrahæ promissum est, Genes. xxii, quod in ipso benedicerentur omnes cognationes terræ.

Deinde cum dicit, *Dicis ergo, Fracti sunt rami, ut ego inserar*, excludit objectionem Gentilium; et primo proponit objectionem; secundo excludit eam ex consideratione divini judicii, ibi, *Bene propter incredulitatem fracti sunt*; tertio inducit eos in considerationem divinorum judiciorum, ibi, *Vide ergo bonitatem et severitatem Dei.* Dicit ergo primo : *Ergo* tu Gentilis, qui gloriaris contra Judæos, forte *dicis* : *Fracti sunt rami, ut ego inserar;* id est, ad hoc Deus permisit Judæos a fide excidere, ut ego ad fidem intrarem. Nullus autem sustinet detrimentum unius rei nisi propter rem pretiosiorem et magis dilectam; sicut medicus permittit infirmitatem esse in pede, ut sanet oculum. Sic igitur ex hoc ipso videtur Gentilitas esse pretiosior et magis Deo accepta quam Judæa : unde Malach. i, 10, dicitur : *Non est mihi voluntas in vo-*

[1] Al. : « videtur. »
[2] Al. : « universales. » — [3] Al. : « Patriarcharum et Apostolorum; » deest autem : « et Prophetarum. »

bis, dicit Dominus Deus, et munus non accipiam de manu vestra : ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus : et Isa. XLIX, 6 : *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob.... dedi te in lucem Gentium.* Deinde cum dicit *Bene* etc., excludit objectionem : et primo assignat causam defectus Judæorum et promotionis Gentilium, dicens *: Bene* in hoc dicis, quod Deus permisit frangi ramos, ut tu insereris; sed considera causam fractionis ramorum. *Propter incredulitatem*, inquam, *fracti sunt*, quia scilicet in Christum credere noluerunt. Ezech. II, 6 : *Increduli et subversores sunt tecum.* Joan. VIII, 46 : *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi*? *Tu autem*, scilicet Gentilis, *stas in fide*, id est credendo in Christum, in quo gratiam consecutus es. II Cor. I, 23 : *Nam fide statis.* I Corinth. XV, 1 : *Notum facio vobis Evangelium.... in quo statis, per quod et salvamini.* Secundo inducit admonitionem, dicens, *Noli altum sapere* : id est, noli de te ultra te ipsum præsumere. Infra XII, 16 : *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Psalm. CXXX, 1 : *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Sed time*, ne scilicet etiam tu frangaris per incredulitatem; quod pertinet ad timorem castum. Proverb. XXVIII, 14 : *Beatus homo qui semper est pavidus; qui vero mentis est duræ, corruet in malum.* Eccli. I, 27 : *Timor Domini expellit peccatum.* Tertio [1] assignat rationem suæ admonitionis, dicens : *Si enim naturalibus ramis*, id est Judæis, qui naturali origine ex Patriarchis descenderunt, *non pepercit Deus*, quin eos frangi permitteret; time *ne forte nec tibi parcat*, quin scilicet te permittat per incredulitatem excidere. Proverb. VI, 34 *: Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ.* Hier. XIII, 14 : *Non parcam neque miserebor, ut non dispergam eos.* In hoc ergo consistit solutio Apostoli : quod cum aliquis videt se gratiam adeptum, alio cadente, non debet extolli contra cadentem, sed magis timere sibi ipsi : quia ipsa superbia est causa præcipitii, et timor est causa custodiæ et cautelæ. Deinde cum dicit, *Vide ergo bonitatem et severitatem Dei*, inducit eos in diligentem considerationem divinorum judiciorum : et primo inducit eos ad considerandum ; secundo instruit eos quasi per se considerare non valentes, ibi, *Nolo enim vos ignorare, fratres* etc.; tertio, quasi nec ipse perfecte sufficeret ad istorum investigationem, exclamat admirando divinam sapientiam, ibi, *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei.* Circa primum tria facit. Primo ostendit quid considerari oporteat, dicens : *Vide ergo*, id est diligenter considera, *bonitatem Dei* miserentis : Psal. LXXII, 1 : *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde*! supra, II, 4 : *An divitias bonitatis ejus contemnis? et severitatem* ipsius punientis. Psalm. XCIII, 1 : *Deus ultionum Dominus.* Nahum I, 2 : *Deus æmulator et ulciscens Dominus.* Prima enim consideratio tribuit spem, secunda timorem ; ut vitetur desperatio et præsumptio. Secundo ostendit in quibus utrumque dictorum sit considerandum quantum ad prædicta, dicens : *In eos quidem*, scilicet Judæos, *qui ceciderunt, severitatem* : Thren. II, 2 : *Præcipitavit Dominus, nec pepercit*; *omnia speciosa Jacob destruxit : in te autem*, scilicet Gentilem, qui insertus es, *bonitatem.* Psal. CXVIII, 65 : *Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine.* Tertio ostendit quo tenore possint in prædictis hæc considerari, quia non immobiliter, sicut quod potest mutari in futurum. Et primo ostendit quantum ad Gentiles, dicens : *In te*, dico, vide *bonitatem Dei* operantem, eo tamen tenore si permanseris in bonitate. Joan, XV, 9 : *Manete in dilectione mea. Alioquin*, si tu non dederis operam ad permanendum per timorem et humilitatem, *et tu excideris.* Matth. III, 10 : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur.* Secundo ostendit idem quantum ad Judæos : et primo proponit quod intendit, dicens : *Sed et illi*, scilicet Judæi, *si non permanserint in incredulitate, inserentur*; id est, in suum statum restituentur. Hier. III, 1 : *Fornicata es cum amatoribus multis ; tamen revertere ad me, dicit Dominus.* Secundo probat quod dixerat : et primo ex divina potentia, dicens. *Potens est enim Dominus Deus iterum inserere illos*; et ideo non de eorum salute desperandum. Isa. LIX, 1 : *Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare non possit.* Secundo probat idem per locum a minori, dicens : *Nam si tu*, Gentilis, *excisus es ex naturali oleastro*, id est ex gentilitate, quæ natu-

[1] Al. : « secundo. »

raliter erat infructuosa, non quidem prout Dominus fecit naturam, sed secundum quod corrupta est per peccatum : Sap. XII, 10 : *Iniqua est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum :* Ephes. II, 3 : *Eramus natura filii iræ* : *et insertus in bonam olivam*, est in fidem Judæorum, *contra naturam* id est contra communem cursum naturæ : non enim consuevit ramus arboris malæ inseri in bonam arborem, sed potius e converso. Id autem quod Deus facit, non est contra naturam, sed simpliciter est naturale. Dicimus enim esse naturale quod sit ab agente cui naturaliter subditur patiens, quamvis etiam non sit secundum propriam naturam patientis : sicut enim fluxus et refluxus maris est naturalis, propter hoc quod causatur ex motu lunæ, cui naturaliter subditur aqua, quamvis non sit naturalis secundum formam aquæ; ita etiam cum omnis creatura sit naturaliter Deo subjecta, quidquid Deus facit in creatura, est simpliciter naturale, licet forte non sit naturale secundum propriam et particularem naturam rei in qua fit; puta, cum cæcus illuminatur et mortuus resuscitatur. Si, inquam, hoc factum est contra naturam; *quanto magis hi qui* sunt *secundum naturam*, idest qui naturali origine pertinent ad gentem Judæorum, *inserentur suæ olivæ*? idest reducentur ad dignitatem gentis suæ. Malach ult. 6, *Convertet corda patrum ad filios, et corda filiorum ad patres eorum.*

LECTIO IV.

Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret; sicut scriptum est: Veniet ex Sion qui eripiat, et avertat impietatem a Jacob: et hoc illis a me testamentum, cum abstulero peccata eorum. Secundum Evangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem autem carissimi propter patres. Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei. Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum; ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam ut et ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate ut omnium misereatur.

Postquam Apostolus induxit Gentiles in cognitionem divinorum judiciorum, in quibus divina bonitas et severitas manifestatur; hic quasi eis adhuc non sufficientibus considerare prædicta, exponit quid sibi circa hæc videatur : et primo proponit factum; secundo probat, ibi, *Sicut scriptum est* : *Veniet ex Sion qui eripiat et avertat impietatem a Jacob ;* tertio rationem assignat, ibi, *Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo* etc. Circa primum tria facit. Primo proponit suam intentionem, dicens : Ideo induxi vos ad considerandum bonitatem et severitatem Dei : *nolo enim, o fratres, ignorare vos mysterium hoc* : non enim omnia mysteria capere potestis : hoc est enim perfectorum, quibus Dominus dicit Lucæ. VIII, 10 : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei.* Sap. VI : *Non abscondam a vobis sacramenta Dei.* Sed ignorantia hujus mysterii esset vobis damnosa. I Corinth. XIV, 38 : *Si quis ignorat, ignorabitur.* Secundo assignat suæ intentionis rationem ; *Ut non sitis vobismetipsis sapientes*, idest, non de sensu vestro præsumatis, et ex vestro sensu alios condemnantes, vos eis præferatis. Infra. XII, 16 *: Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* Is. V, 21 : *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobis metipsis prudentes.* Tertio proponit quod intendit primo quidem quantum ad casum particularium Judæorum, cum dicit : *Quia cæcitas contigit in Israel*, non universaliter, sed *ex* aliqua *parte*, ut supra ostensum est. Isa. VI, 19 : *Excæca cor populi hujus.* Secundo ponit terminum hujus cæcitatis, dicens : *Donec intraret*, ad fidem, *plenitudo gentium* ; idest, non solum aliqui particulariter ex Gentibus, sicut tunc convertebantur, sed vel pro toto, vel pro majori parte in omnibus Gentibus Ecclesia fundaretur [1]. Psal. XXIII, 1 : *Domini est terra, et plenitudo ejus.* Dicuntur autem Gentiles ad fidem conversi intrare, quasi ex exterioribus et visibilibus rebus, quæ venerabantur, in spirituales voluntate divina [2]. Psal. XCIX, 2 : *Introite in conspectu ejus in exultatione.* Et est notandum, quod hoc adverbium *donec* potest designare causam excæcationis Judæorum : propter hoc enim permisit Deus eos excæcari, ut plenitudo Gentium intraret, sicut patet ex supradictis. Potest etiam designare

[1] Al. : « fundata. » — [2] Al. : « in spirituali, et voluntate divina. »

terminum : quia videlicet usque tunc cæcitas Judæorum durabit, quousque plenitudo Gentium ad fidem intrabit : et huic concordat quod infra subdit de futuro remedio Judæorum, cum dicit : *Et tunc* [1], scilicet cum plenitudo Gentium intraverit, *omnis Israel salvus fiet*, non particulariter, sicut modo, sed universaliter omnes. Oseæ I, 7 : *Salvabo eos in Domino Deo suo.* Mich. ult. 19 : *Revertetur, et miserebitur nostri.*

Deinde cum dicit, *Sicut scriptum est* etc., probat quod dixerat de futura salute Judæorum : et primo probat hoc per auctoritatem ; secundo per rationem, ibi, *Secundum Evangelium* etc. Dicit ergo primo : Dico quod *omnis Israel salvus fiet*, sicut scriptum est Isa. LIX, 20, ubi nostra littera sic habet *Veniet ex Sion Redemptor, et eis qui redeunt ad Jacob : hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus.* Sed Apostolus hoc inducit secundum litteram Septuaginta : et tangit tria verba hic posita. Primo Salvatoris adventum, cum dicit : *Venit* Deus scilicet humanatus ad salvandum nos, *ex Sion*, idest ex populo Judæornm, qui significatur per Sion, quæ erat arx Hierusalem, quæ est metropolis Judææ : unde dicitur Zach. IX, 9 : *Exulta satis filia Sion, jubila filia Hierusalem : ecce rex tuus venit tibi justus et salvator.* Joan. IV, 22 : *Salus ex Judæis est.* Vel dicit, *ex Sion* eum venire, non quia sit ibi natus, sed quia inde doctrina ejus exivit in universum mundum, per hoc quod Apostoli in cœnaculo Sion Spiritum sanctum receperunt. Isa. II, 3 : *De Sion exibit lex.* Secundo ponit salutem per Christum Judæis oblatam, dicens, *Qui eripiat, et avertat impietatem a Jacob.* Et potest ereptio referri ad liberationem a pœna. Psal. LV, 14 : *Eripiet animam meam de morte.* Quod vero dicit, *Avertat impietatem a Jacob*, potest referri ad liberationem a culpa. Ps. LII, 7 : *Avertet Dominus captivitatem plebis suæ.* Vel utrumque refertur ad liberationem a culpa ; sed dicit, *Qui eripiat* propter paucos qui nunc difficulter quasi cum quadam violentia convertuntur. Amos III, 12 : *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura aut extremum auriculæ, sic eruentur filii Israel.* Dicit autem, *Avertat impietatem a Jacob*, ad ostendendum facilitatem conversionis in fine mundi. Mich. ult. 18 : *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, et transfers peccatum reliquiarum hereditatis tuæ?* Tertio ostendit modum salutis cum dicit [2] : *Et hoc testamentum* [3], scilicet novum, erit *illis a me, cum abstulero peccata eorum.* Vetus enim testamentum peccata non auferebat : quia, ut dicitur Hebr. X, 4, *impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata :* et ideo propter imperfectionem veteris testamenti promittitur eis novum testamentum. Hier. XXXI, 31 : *Feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum :* quod quidem habebit efficaciam ad remissionem peccati per sanguinem Christi. Matth. XXVI, 28 : *Hic sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Mich. ult. 19 : *Deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.*

Deinde cum dicit, *Secundum Evangelium*, probat propositum per rationem : et primo inducit probationem ; secundo removet objectionem, ibi, *Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei.* Dicit ergo primo, quod eorum peccata auferentur ; et quod postquam peccata habent, manifestum est quod sunt inimici Christi. *Secundum Evangelium quidem inimici*, idest quantum ad doctrinam Evangelii pertinet, quam impugnant, *propter vos*; idest, ad utilitatem vestri cedit, ut supra dictum est : unde dicitur Luc. XIX, 27 : *Veruntamen inimicos meos illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, et interficite ante me.* Joan. XV, 24 : *Nunc autem et viderunt, et oderunt et me et Patrem meum.* Vel *secundum Evangelium* dicit, quod eorum inimicitia ad utilitatem Evangelii pertinet, cujus prædicatio occasione talis inimicitiæ ubique diffunditur. Col. I, 5 : *In verbo veritatis Evangelii, quod pervenit ad vos sicut et in universo mundo est, fructificat, et crescit.* Sed sunt *carissimi Deo propter patres*? et hoc *secundum electionem*, quia scilicet ob gratiam patrum, eorum semen elegit. Deut. IV, 37 : *Dilexit patres tuos, et elegit semen eorum post eos.* Quod non est sic intelligendum, quasi merita præstita patribus fuerint causa æternæ electionis filiorum : sed quia Deus ab æterno elegit gratis et patres et filios ; hoc tamen ordine ut filii propter patres consequeren-

[1] Al. *ei sic.*

[2] Al. omittitur : « tertio ostendit modum salutis, cum dicit. » — [3] Al. *testamentum.*

tur salutem; non quasi merita patrum sufficerent ad filiorum salutem; sed per quamdam abundantiam divinæ gratiæ et misericordiæ hoc dicit, quæ intantum patribus est exhibita ut propter promissiones eis factas etiam filii salvarentur. Vel intelligendum est *secundum electionem*, idest quantum ad electos ex illo populo, sicut supra dictum est, electio consecuta est. Si autem sunt Domino carissimi, rationabile est quod a Deo salventur, secundum illud Isai. LXIV, 4 : *Oculus non vidit, Deus, absque te quæ præparasti expectantibus te.* Deinde cum dicit, *Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei,* excludit obviationem. Posset enim aliquis obviando dicere, quod Judæi, etsi olim fuerint carissimi propter patres, tamen inimicitia quam contra Evangelium exercent, prohibet ne in futurum salventur. Sed hoc Apostolus falsum esse asserit, dicens : *Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei*; quasi dicat: Quod Deus aliquid aliquibus donet, vel aliquos vocet, hoc est *sine pœnitentia*, quia de hoc Deum non pœnitet, secundum illud I Reg. XXV, 29 : *Triumphator in Israel non parcet, nec pœnitudine flectetur* Psal. CIX, 4 : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum.*

Sed videtur falsum : dicit enim Dominus Genes. VI, 6, *Pœnitet me fecisse hominem* : et Hier. XVIII, 9 : *Loquar de gente et de regno, ut ædificem et plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis... pœnitentiam agam super bonum quod locutus sum ut facerem ei.*

Sed dicendum est, quod sicut Dominus irasci dicitur non propter hoc quod in eo sit commotio iræ, sed quia ad modum irati se habet quantum ad punitionis effectum; ita quandoque pœnitere dicitur, non quasi in eo sit pœnitentiæ commutatio, sed quia ad modum pœnitentis se habet, dum mutat quod fecerat.

Sed adhuc videtur secundum hoc, quod dona et vocatio non sint sine pœnitentia : quia dona divinitus concessa, frequenter amittuntur, secundum illud Matth. XXV, 28 : *Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta.* Vocatio enim Dei etiam quandoque mutari videtur, cum scriptum sit Matth. XXII, 14 : *Multi sunt vocati, pauci vero electi.*

Sed dicendum est, quod donum hic accipitur pro promissione, quæ fit secundum Dei præscientiam vel prædestinationem; vocatio autem hic accipitur pro electione : quia propter certitudinem utriusque, quod Deus promittit, jam quodammodo dat; et quos elegit jam quodammodo vocat. Et tamen ipsum temporale Dei donum et temporalis vocatio non irritatur per mutationem Dei, quasi pœnitentis; sed per mutationem hominis, qui gratiam Dei abjicit, secundum illud Hebr. XII, 15 : *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei.*

Potest etiam quod hic dicitur aliter intelligi, ut dicamus, quod dona Dei, quæ dantur in baptismo, et vocatio qua baptizatus vocatur ad gratiam, sunt sine pœnitentia hominis baptizati : quod quidem hic inducitur, ne aliquis desperet de futura Judæorum salute, propter hoc quod non videntur de peccato suo pœnitere.

Sed contra hoc quod dicitur, est quod Petrus dicit Act. II, 38 : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.*

Sed dicendum est, quod duplex est pœnitentia : interior et exterior. Interior quidem consistit in contritione cordis, qua quis dolet de peccatis præteritis; et talis pœnitentia requiritur a baptizato : quia, ut Augustinus dicit in lib. *De pœnitentia* cap. II, « nemo suæ voluntatis arbiter constitutus, potest novam vitam inchoare, nisi pœniteat eum veteris vitæ : alioquin fictus ad baptismum accedit. » Exterior vero pœnitentia consistit in exteriori satisfactione, quæ a baptizato non requiritur, quia per gratiam baptismalem liberatur homo non solum a culpa, sed etiam a tota pœna per virtutem passionis Christi qui pro peccatis omnium satisfecit, sicut supra VI, 3, dictum est : *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Unde dicitur Tit. III, 5 : *Per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde.*

Sed cum claves Ecclesiæ et omnia alia sacramenta in virtute passionis Christi operentur, videtur quod pari ratione omnia alia sacramenta liberent hominem a culpa, et a tota pœna.

Sed dicendum est, quod passio Christi operatur in baptismo per modum cujusdam generationis, quæ requirit ut homo totaliter priori vitæ moriatur, ad hoc ut novam vitam accipiat; et ideo tollitur in baptismo totus reatus pœnæ, qui pertinet ad vetustatem prioris vitæ. Sed in aliis sacramentis operatur virtus passionis Christi per modum sanationis, ut in pœ-

nitentia. Sanatio autem non requirit ut statim omnis infirmitatis reliquiæ auferantur. Et eadem ratio est in aliis sacramentis.

Sed cum confessio peccatorum pertineat ad exteriorem pœnitentiam, quæri potest utrum a baptizato confessio peccatorum requiratur. Et videtur quod sic : dicitur enim Matth. III, quod baptizabantur homines a Joanne, confitentes peccata sua.

Sed dicendum est, quod baptismus Joannis erat baptismus pœnitentiæ, quia scilicet accipiendo illum baptismum quodammodo se profitebantur pœnitentiam accepturos de peccato suo ; et ideo conveniens erat ut confiterentur, ut secundum modum peccati, eis pœnitentia statueretur. Sed baptismus Christi est baptismus remissionis [1] omnium peccatorum, ita quod non restat baptizato aliqua satisfactio pro peccatis præteritis : propter quod nulla est confessionis vocalis necessitas. Ad hoc enim necessaria est confessio in sacramento pœnitentiæ, ut sacerdos per potestatem clavium convenienter pœnitentem solvat vel liget.

Deinde cum dicit, *Si enim aliquando et vos non credidistis Deo,* assignat rationem futuræ salutis Judæorum post eorum incredulitatem : et primo ponit similitudinem inter utriusque populi salutem ; secundo hujus similitudinis causam ostendit, ibi, *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate.* Dicit ego primo : Ita dico quod omnis Israel salvus fiet, quamvis nunc sit inimici. *Sicut enim et vos* Gentiles *aliquando non credidistis Deo* : Ephes. II, 12 : *Eratis illo tempore sine Deo in hoc mundo* : *nunc autem misericordiam consecuti estis* : infra XV, 9 : *Gentes autem super misericordia honorare Deum :* Oseæ XI, 23 : *Miserebor ejus quæ fuit absque misericordia* : et hoc *propter eorum incredulitatem*, quæ scilicet fuit occasio vestræ salutis, ut supra dictum est : *ita et isti*, scilicet Judæi, *nunc*, scilicet tempore gratiæ, *non crediderunt*, scilicet Christo. Joan. VIII, 46 : *Quare non creditis mihi ?* Et hoc est quod subdit, *In vestram misericordiam*, idest in gratiam Christi, per quam misericordiam consecuti estis. Tit. III, 5 : *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Vel *non crediderunt*, ut per hoc pervenirent *in vestram misericordiam.* Vel *non crediderunt*, quod *in vestram misericordiam* occasionaliter cessit, *ut et ipsi* quandoque *misericordiam consequantur.* Isa. LXIV, 1 : *Miserebitur Dominus Jacob.* Deinde cum dicit, *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate*, assignat rationem hujus similitudinis, quia scilicet Deus voluit ut sua misericordia in omnibus locum haberet ; et hoc est quod subdit : *Conclusit enim Deus*, idest concludi permisit, *omnia*, idest omne hominum genus, tam Judæos quam Gentiles, *in incredulitate*, sicut in quadam catena erroris : Sap. XVII, 17 : *Una catena tenebrarum omnes erant colligati* : *ut omnium misereatur ;* idest, ut in omni genere hominum sua misericordia locum habeat. Sap. XI, 24 : *Misereris omnium Domine.* Quod quidem non est extendendum ad dæmones, secundum errorem Origenis, nec etiam quantum ad omnes homines [2] singillatim, sed ad omnia genera hominum ; fit enim hic distributio pro generibus singulorum, et non pro singulis generum. Ideo autem Deus vult omnes per suam misericordiam salvari, ut ex hoc humilientur, et suam salutem non sibi, sed Deo ascribant. Oseæ XIII, 9 : *Perditio tua in te Israel* [3], *tantummodo ex me auxilium tuum.* Supra III, 19 : *Ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundo Deo.*

LECTIO V.

O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit ? aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei ? Quoniam ex ipso sunt omnia [4] ; ipsi honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Supra Apostolus conatus fuit assignare rationem divinorum judiciorum, quibus tam Gentes quam Judæi post incredulitatem misericordiam consequuntur ; nunc quasi ad hæc investiganda se insufficientem recognoscens, exclamando, divinam excellentiam admiratur : et primo admiratur divinam excellentiam ; secundo probat quod dixerat, ibi, *Quis enim cognovit sensum Domini ?* Circa pri-

[1] Al. omittitur : « remissionis. »
[2] Al. : « quod quidem non est extendendum ad omnes homines singillatim, » intermediis omissis. — [3] Al. : « perditio tua Israel. »
[4] *Vulgata* ipsi gloria in sæcula.

mum duo facit. Primo admiratur excellentiam divinæ sapientiæ secundum se consideratæ; secundo per comparationem ad nos, ibi, *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!* Excellentiam divinæ cognitionis admiratur primo quantum ad altitudinem, dicens, *O altitudo!* Eccle. VII, 25 : *Alta profunditas, quis inveniet eam?* Hierem. XVII, 12 : *Solium gloriæ altitudinis a principio.* Hæc autem altitudo attenditur quantum ad tria. Uno quidem modo quantum ad rem cognitam, inquantum scilicet Deus seipsum perfecte cognoscit. Eccli. XXIV, 7 : *Ego in altissimis habito.* Alio modo quantum ad modum cognoscendi, inquantum scilicet per seipsum omnia cognoscit. Psal. CXCI, 20 : *Prospexit de excelso sancto suo Dominus, de cœlo in terram aspexit.* Tertio quantum ad certitudinem cognitionis. Eccli. XXIII, 28 : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem.* Secundo admiratur excellentiam divinæ cognitionis quantum ad ejus plenitudinem, cum dicit, *Divitiarum.* Isai. XXXIII, 6 : *Divitiæ salutis sapientia et scientia.* Quæ quidem plenitudo attenditur in tribus. Uno modo in multitudine cognitorum, quia scilicet omnia novit : Joan. ult. 17 : *Domine, tu omnia scis* : Coloss. II, 3 : *In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ Dei absconditi.* Alio modo quantum ad facilitatem cognoscendi, quia statim omnia intuetur sine inquisitione et difficultate. Hebr. IV, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.* Tertio quantum ad copiam cognitionis, quia eam omnibus communicat affluenter. Jacob. I, 5 : *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter.* Tertio admiratur divinam excellentiam quantum ad perfectionem, cum dicit, *Sapientiæ et scientiæ.* Habet enim sapientiam de divinis : Job. XII, 13 : *Apud ipsum est fortitudo et sapientia* : et scientiam de rebus creatis : Baruch III, 32 : *Qui scit universa, novit eam.* Deinde cum dicit, *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!* ostendit excellentiam divinæ sapientiæ per comparationem ad nostrum intellectum : et primo quantum ad sapientiam, ad quam pertinet judicare et ordinare : unde dicit : *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!* quia scilicet homo non potest comprehendere rationem divinorum judiciorum, quia in sapientia Dei latent. Psal. XXXV, 7 : *Judicia tua abyssus multa.* Job XI, 7 : *Forsitan vestigia Dei comprehendes, et Omnipotentem usque ad perfectum reperies?* Secundo quantum ad scientiam, per quam in rebus operatur : unde subdit : *Et investigabiles,* idest non perfecte ab homine vestigabiles, *viæ ejus,* idest processus ejus, quibus in creaturis operatur. Etsi enim ipsæ creaturæ sint homini notæ; tamen modi quibus Deus in creaturis operatur, ab homine comprehendi non possunt. Psal. LXXVI, 20 : *In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis* [1] *et vestigia tua non cognoscentur.* Job XXXVIII, 24 : *Per quam viam spargitur lux numquid aspexisti?*

Deinde cum dicit, *Quis enim cognovit sensum Domini?* probat quod dixerat; ad quod inducit duas auctoritates, quarum una habetur Isa XL, 13, ubi secundum litteram nostram sic legitur : *Quis adjuvit spiritum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* loco cujus hic dicitur : *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Alia auctoritas habetur Job XLI, 2 : *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei?* loco cujus hic dicitur : *Aut quis prior dedit illi et retribuetur ei?* In his autem verbis et sequentibus Apostolus tria facit. Primo ostendit excellentiam divinæ sapientiæ per comparationem ad intellectum nostrum, dicens : Dictum est quod *incomprehensibilia sunt judicia ejus* : *quis enim cognovit sensum Domini,* per quem scilicet judicat, et operando procedit? quasi dicat : Nullus, nisi eo revelante. Sap. IX, 17 : *Sensum tuum quis scire poterit, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis?* et I Cor. II, 11 : *Quæ sunt Dei nemo novit nisi Spiritus Dei; nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.* Secundo ostendit excellentiam divinæ sapientiæ secundum quod in se habet altitudinem; quæ quidem est altitudo quæ est supremi principii, ad quod duo pertinent : primo quod non sit ab alio; secundo, quod alia sint ab eo : et hæc ostendit ibi, *Quoniam ex ipso.* Quod autem sapientia Dei non dependeat ab altiori principio, ostendit dupliciter. Primo quidem per hoc quod non est instructa alieno consilio : unde dicit : *Aut quis consiliarius ejus fuit?* quasi diceret, nullus. Ille enim consilio indiget qui non plene cognoscit qualiter sit agendum : quod Deo non competit. Job. XXVI, 3 : *Cui dedisti consilium? For-*

[1] Al. : « In mari viæ tuæ, in aquis multis. »

sitan illi qui non habet sapientiam? Hierem. XXIII, 18 : *Quis affuit in consilio Domini*? Secundo per hoc quod non est adjuta alieno dono : unde subdit : *Aut quis prior dedit illi*, et per hoc *retribuetur ei*, quasi prius danti ; quasi dicat, nullus : non enim potest dare Deo nisi quæ a Deo accepit. I Paral. ult. 14 :*Tua sunt omnia, et quæ de manu tua accepimus dedimus tibi.* Job XXXV, 7 : *Porro si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?*

Deinde cum dicit, *Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia*, ostendit altitudinem Dei quantum ad hoc quod ex ipso [1] sunt omnia : et primo ostendit ejus causalitatem, secundo ejus dignitatem, ibi, *Ipsi honor et gloria*; tertio ejus perpetuitatem, ibi, *In sæcula sæculorum. Amen.* Dicit ergo primo : Recte dixi quod nullus prior dedit illi [2] : *quia ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia*, et ita nihil potest esse nisi a Deo [3] acceptum. Ad designandum autem Dei causalitatem, utitur tribus præpositionibus, quæ sunt, *ex*, *per* et *in*. Hæc autem præpositio *ex* denotat principium motus, et hoc tripliciter : primo quidem ipsum principium agens vel movens ; alio modo ipsam materiam, tertio modo ipsum contrarium oppositum, quod est terminus a quo incipit motus [4]. Dicimus enim, cultellum fieri ex fabro, ex ferro et ex infigurato. Universitas autem creaturarum non est facta ex præexistenti materia, quia et ipsa materia est effectus Dei [5] : et secundum hoc omnia creata non dicuntur ex aliquo esse ; sed sicut ex opposito dicuntur esse ex nihilo : quia nihil erant antequam crearentur ut essent. Sap. II, 2 : *Ex nihilo nati sumus.* Ex Deo autem sunt omnia sicut ex primo agente. I Corinth. XI, 12 : *Omnia autem ex Deo.*

Notandum tamen, quod hæc præpositio « de » easdem habitudines designare videtur, hoc tamen superaddit, quia semper designat causam [6] consubstantialem. Dicimus enim cultellum esse de ferro, non autem de artifice. Quia igitur Filius procedit a Patre ut ei consubstantialis, dicimus Filium esse de Patre. Creaturæ vero non procedunt a Deo tamquam ei consubstantiales : unde non dicuntur esse de ipso, sed solum ex ipso. Hæc autem præpositio *per* designat causam operationis. Sed quia operatio est medium inter faciens et factum, dupliciter hæc præpositio *per* potest operationis causam designare. Uno modo secundum quod operatio exit ab operante ; sicut aliquid dicitur per se operari quod est sibi causa ut operetur. Hoc autem est uno quidem modo forma ; sicut dicimus quod ignis calefacit per calorem : alio modo aliquid superius agens ; puta si dicamus quod homo generat per virtutem solis, vel potius Dei. Sic igitur omnia dicuntur dupliciter esse *per ipsum.* Uns modo sicut per primum agens, cujus virtute omnia alia agunt : Prov. VIII, 15 : *Per me reges regnant* : alio modo inquantum ejus sapientia, quæ est ejus essentia, est forma [7] per quam Deus omnia fecit, secundum illud Proverb. III, 19 : *Dominus sapientia fundavit terram.* Alio vero modo hæc præpositio *per* designat causam operationis, non quidem secundum quod exit ab operante, sed secundum quod terminatur ad opera ; sicut dicimus quod faber fecit cultellum per martellum : quod non est sic intelligendum quod martellus sic cum fabro operetur, sicut in prioribus intelligebatur ; sed quia cultellus fit ex operatione fabri per martellum. Et ideo dicitur quod hæc præpositio *per* quandoque designat auctoritatem in recto, sicut cum dicimus, rex operatur per balivum, quod pertinet ad hoc quod nunc dicitur ; quandoque autem in causali, sicut cum dicitur Balivus per Regem operatur, quod pertinet ad præcedentem modum. Hoc autem modo de quo nunc loquimur, dicuntur omnia esse facta a Patre per Filium, secundum, illud Joan. I, 3 : *Omnia per ipsum facta sunt* : non ita quod Pater habeat a Filio hoc quod facit re, sed potius quia virtutem faciendi Filius accipit a Patre ; non tamen instrumentalem, aut diminutam, aut aliam ; sed principalem et æqualem et eamdem. Joan. V, 19 : *Quæcumque Pater facit, hæc et Filius similiter facit.* Unde licet omnia sint facta a Patre per Filium ; non tamen Filius est instrumentum vel minister Patris. Hæc autem præpositio *in* designat etiam triplicem habitudinem causæ. Uno quidem modo designat materiam ; sicut dicimus, animam esse in

[1] Al. : « in ipso. » — [2] Al. : « recte nullus prior dedit illi. » — [3] Al. : « ab eo. » — [4] Al. : « ipsum contrarium oppositorum, quo incipit motus. » — [5] Al. : « sed est effectus Dei. » — [6] Al. deest : « causam. » — [7] Al. omittitur : « forma. »

corpore, et formam in materia : hoc autem modo non dicitur quod omnia sint in Deo, quia ipse non est causa materialis rerum. Alio modo designat habitudinem causæ efficientis, in cujus potestate est effectus suos disponere, et secundum hoc dicuntur omnia esse in ipso, secundum quod omnia in ejus potestate et dispositione consistunt ; secundum illud Psal. XCIV, 4 : *In manu ejus sunt omnes fines terræ* : et Act. XVII, 28 : *In ipso vivimus, movemur et sumus.* Tertio modo designat habitudinem causæ finalis, secundum quod totum bonum rei et conservatio ipsius consistit in suo optimo ; et secundum hoc dicuntur omnia esse in Deo, sicut in bonitate conservante. Coloss. I, 17 : *Et omnia in ipso constant.* Quod autem dicit, *Omnia*, est absolute accipiendum, pro omnibus quæ habent verum esse. Peccata autem non habent verum esse ; sed inquantum sunt peccata, dicuntur per defectum alicujus entis : eo quod malum nihil est, nisi privatio boni. Et ideo cum dicitur, *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia*, non est intelligendum de peccatis : quia secundum Augustinum *In Psal.* LVIII, et lib. I *Conf.*, cap. XVI, peccatum nihil est, et nihil fiunt homines cum peccant. Quicquid tamen entitatis est in peccato, totum est a Deo. Sic igitur secundum præmissa, omnia sunt *ex ipso*, scilicet Deo, sicut ex prima operatrice potentia ; omnia autem sunt *per ipsum*, inquantum omnia facit per suam sapientiam ; omnia sunt *in ipso*, sicut in bonitate conservante. Hæc autem tria, scilicet potentia, sapientia et bonitas, communia sunt tribus personis : unde hoc quod dicitur, *Ex ipso et per ipsum et in ipso*, potest attribui cuilibet trium personarum ; sed tamen potentia, quæ habet rationem principii, appropriatur Patri, qui est principium totius divinitatis ; sapientia Filio, qui procedit ut Verbum, quod nihil aliud est quam sapientia genita ; bonitas appropriatur Spiritui sancto, qui procedit ut amor, cujus objectum est bonitas. Et ideo appropriando dicere possumus, *Ex ipso*, scilicet ex Patre ; *per ipsum*, scilicet per Filium ; *in ipso*, scilicet in Spiritu sancto, *omnia sunt.*

Deinde cum dicit, *Ipsi honor et gloria*, ostendit Dei dignitatem, quæ consistit in duobus, quæ præmissa sunt. Nam ex eo quod *ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia*, debetur ei honor et reverentia et subjectio a tota creatura. Malach I, 6 : *Si ego pater, ubi est honor meus?* Ex eo vero quod ab alio non accepit nec consilium nec donum, debetur ei gloria : sicut e contrario dicitur homini I Corinth. IV, 7 : *Si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et quia hoc est proprium Dei, dicitur Isai. XLII, 8 : *Gloriam meam alteri non dabo.* Ultimo ponit ejus æternitatem, cum dicit, *In sæcula sæculorum* : quia ejus gloria [1] non est transitoria, sicut gloria hominis : de qua dicitur Isai. XL, 6 : *Omnis gloria ejus quasi flos agri* : sed durat *in sæcula sæculorum*, idest per omnia sæcula succedentia sæculis, prout sæculum dicitur duratio uniuscujusque rei. Vel *sæcula sæculorum* dicuntur sæcula, idest durationes rerum incorruptibilium, quæ continent sæcula corruptibilium rerum, et præcipue ipsa Dei æternitas ; quæ tamen pluraliter dici potest, licet in se sit una et simplex, propter multitudinem et diversitatem contentorum ; ut sis sensus, in sæcula contentiva sæculorum. Psalm. CXLIV, 12 : *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum.* Addit autem ad confirmationem, *Amen;* quasi dicat : Vere ita est. Et sic accipitur in Evangeliis, ubi dicitur, *Amen dico vobis.* Quandoque tamen accipitur pro Fiat : unde in *Psalterio* Hieronymi dicitur, « Dicit omnis populus, Amen, amen : » ubi nos habemus, Fiat fiat.

[1] Al. : « cum dicit, *In sæcula sæculorum*, idest per omnia sæcula succedentia sæculis, » intermediis omissis.

CAPUT DUODECIMUM

LECTIO I.

Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta. Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos : non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem; et unicuiqne sicut Deus divisit mensuram fidei.

Postquam Apostolus ostendit necessitatem, virtutem et originem gratiæ [1], hic docet gratiæ usum, quod pertinet ad instructionem moralem : et circa hoc duo facit. Primo ponit doctrinam moralem in generali; secundo specialiter descendit ad quædam particularia pertinentia ad eos quibus scribit, circa medium xv, cap., ibi, *Certus sum autem, fratres mei, et ego ipse de vobis.* Circa primum duo facit. Primo docet usum gratiæ quantum ad hoc quod sit homo perfectus; secundo quantum ad hoc quod perfectus imperfectum sustineat, xiv cap., ibi, *Infirmum autem in fide assumite.* Circa primum tria facit. Primo inducit ad perfectionem vitæ quantum ad sanctitatem quam homo servat Deo; secundo quantum ad justitiam quam quis exhibet proximo; xiii, cap., ibi, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*; tertio quantum ad puritatem quam homo conservat in seipso, circa finem xiii cap., ibi, *Et hoc scientes tempus.* Circa primum duo facit. Primo monet ut homo se exhibeat Deo sanctum; secundo docet qualiter aliquis uti debeat donis gratiæ Dei, quibus sanctificatur, ibi, *Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos.* Circa primum duo facit. Primo docet qualiter aliquis se debeat exhibere Deo quantum ad corpus, secundo quantum ad animam, ibi, *Et nolite conformari huic sæculo.* Circa primum duo facit. Primo inducit observantiam eorum quæ docentur; et hoc dupliciter. Uno quidem modo ex parte sui ipsius, cum dicit : *Obsecro itaque vos fratres*; quasi dicat : Dictum est incomprehensibilia esse judicia Dei, et investigabiles vias ejus. Itaque *obsecro vos fratres*, ut scilicet observetis ea quæ dicentur. Utitur autem obsecratione propter tria. Primo quidem ad demonstrandum suam humilitatem : Proverbior. xviii, 23 : *Cum obsecrationibus loquitur pauper* : qui scilicet de sua abundantia non confidit; et ideo non ex eo quod suum est, sed ex eo quod Dei est, homines conatur inducere ad bonum : nam obsecrare est ob sacra contestari. Secundo ut magis ex amore moveat rogando, quam ex timore auctoritative [2] imperando. Unde dicitur ad Philem. viii, *Multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet, propter caritatem magis obsecro.* Gal. ult. 1 : *Vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Tertio propter reverentiam Romanorum, quibus scribebat. I Tim. v, 1 : *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Alio modo inducit eos ex parte Dei, cum dicit, *Per misericordiam Dei*, per quam scilicet salvati estis. Tit. ii, 5 : *Secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* Et ideo ex consideratione divinæ misericordiæ debemus facere quod monemur. Matth. xviii, 33 : *Nonne oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum* ? Vel potest dici : *Per misericordiam Dei*, idest auctoritate Apostolatus mihi misericorditer commissi. I Cor. vii, 25 : *Misericordiam consecutus sum a Domino, ut sim fidelis.* Secundo ponit admonitionem, cum dicit : *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem.*

Circa quod sciendum est, quod, sicut Augustinus dicit X *De civit. Dei*, cap. v,

[1] Al. : « necessitatem virtutum, et originem gratiæ. » — [2] Al : « auctoritate. »

« visibile sacrificium, quod exterius Deo offertur, signum est invisibilis sacrificii, quo quis se et sua in Dei obsequium exhibet. » Habet autem homo triplex bonum. Primo quidem bonum animæ, quod exhibet Deo per devotionis et contritionis humilitatem, secundum illud Psal. L, 19 : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Secundo habet homo exteriora bona, quæ exhibet Deo per eleemosynarum largitionem : unde dicitur Hebr. ult. 16 : *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci* : *talibus enim hostiis promeretur Deus.* Tertio habet homo bonum proprii corporis ; et quantum ad hoc dicit : *Ut exhibeatis,* scilicet Deo, *corpora vestra*, sicut quamdam spiritualem hostiam. Dicebatur autem animal Deo immolatum hostia, vel quia pro victoria hostium offerebatur, seu pro securitate ab hostibus; vel quia ad ostium tabernaculi immolabatur. Exhibet autem homo Deo corpus suum ut hostiam tripliciter. Uno quidem modo quando aliquis corpus suum exponit passioni et morti propter Deum; sicut dicitur de Christo Ephes. v, 2 : *Tradidit semetipsum oblationem et hostiam Deo* : et Apostolus dicit de se, Phil. II, 17 : *Si immolor supra sacrificium et obsequium fidei vestræ, gaudeo.* Secundo per hoc quod homo corpus suum jejuniis et vigiliis macerat ad serviendum Deo, secundum illud I Corinth. IX, 27 : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo.* Tertio per hoc quod homo corpus suum exhibet ad opera justitiæ et divini cultus exequenda. Supra VI, 19 : *Exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.*

Est autem considerandum, quod hostia quæ Deo immolabatur, quatuor habebat. Primo namque ipsa oblatio debebat esse integra et incorrupta : unde dicitur Malach. IV, 14 : *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens, immolat debile Domino.* Et propter hoc dicit, *Viventem*, ut scilicet hostia nostri corporis, quam Deo offerimus, sit vivens per fidem formatam caritate. Gal. II, 20 : *Quod nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei.* Est autem attendendum, quod materialis [1] hostia quæ prius viva erat, occidebatur ut immolaretur, ad ostendendum quod adhuc mors regnabat in homine, regnante peccato, ut supra v, dictum est. Sed hæc hostia spiritualis semper vivit, et in vita proficit, secundum illud Joan. x, 10 : *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant* : quia jam peccatum ablatum est per Christum : nisi dicamus, quod hostia corporis nostri vivit quidem Deo per justitiam fidei, sed mortificatur concupiscentiis carnis. Colos. III, 5 : *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.* Secundo vero hostia Deo oblata, in ipsa immolatione sanctificabatur : unde dicitur Lev. XXII, 3 : *Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, et quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Et ideo subdit, *Sanctam*, scilicet per devotionem, qua corpus nostrum Dei servitio mancipatur. Lev. XX, 7 : *Sanctificamini, et estote sancti, quia ego sanctus* [2] *Dominus Deus vester.* Proprie autem sanctitas dicitur per respectum ad Deum, inquantum scilicet homo servat ea quæ sunt juxta quo ad Deum. Tertio quantum ad ipsam sacrificii consumptionem dicebatur sacrificium illud Lev. I, 13 : *Oblata omnia adolebit sacerdos super altare in holocaustum, et in odorem suavissimum Domino.* Unde hic dicit, *Deo placentem*, scilicet per rectitudinem intentionis. Psal. LV, 14 : *Ut placeam coram Deo in lumine viventium.* Quarto in ipsa sacrificii præparatione apponebatur sal : unde Lev. II, 13 ; *Quicquid obtuleris sacrificii, sale condies.* et Marc. IX, 8, dicitur : *Omnis victima sale salietur.* Sal autem discretionem sapientiæ significat : unde dicitur Coloss. ult. v : *In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt. Sermo vester semper in gratia sit sale conditus.* Unde et hic sequitur : *Rationabile obsequium vestrum ;* scilicet, cum discretione corpora vestra Deo exhibeatis hostiam vel per martyrium, vel per abstinentiam, vel per quodcumque opus justitiæ. I Corinth. XIV, 40 : *Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis* : et in Psalm. XCVIII, 3 : *Honor regis judicium diligit.*

Aliter se habet homo justus ad interiores actus, quibus Deo obsequitur, et ad exteriores ; nam bonum hominis et justitia ejus principaliter in interioribus actibus consistit, quibus scilicet homo credit, sperat et diligit : unde dicitur Luc. XIV, 21 : *Regnum Dei intra vos est* : non autem principaliter consistit in exterioribus actibus. Infra XIV : *Non est regnum Dei esca et potus.* Unde interiores actus

[1] Al. : « naturalis. » — [2] Al. deest : « sanctus. »

se habent per modum finis, qui secundum se quæritur; exteriores vero actus, ad quos Deo corpora exhibentur, se habent sicut ea quæ sunt ad finem. In eo autem quod quæritur tamquam finis, nulla mensura adhibetur; sed quanto majus fuerit, tanto melius se habet : in eo autem quod quæritur propter finem, adhibetur mensura secundum proportionem ad finem : sicut medicus sanitatem facit quantum potest; medicinam autem non tantum dat quantum potest, sed quantum videt expedire ad sanitatem consequendam. Et similiter homo in fide, in spe et in caritate nullam mensuram debet adhibere; sed quanto plus credit, sperat et diligit, tanto melius est : propter quod dicitur Deuter. VI, 5 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.* Sed in exterioribus actibus est adhibenda discretionis mensura per comparationem ad caritatem : unde dicit Hieronymus *Epist. ad Rustic. et ad Roman.* : « Nonne rationalis homo dignitatem amittit, qui jejunium vel vigilias præfert sensus integritati; ut propter Psalmorum atque officiorum decantationem, amentiæ vel tristitiæ quis notam incurrat? »

Deinde cum dicit, *Et nolite conformari huic sæculo*, ostendit qualiter se debeat homo exhibere Deo quantum ad animam : et primo prohibet sæculi conformitatem, cum dicit, *Et nolite conformari huic sæculo*, idest rebus quæ temporaliter transeunt : nam sæculum præsens est quædam mensura eorum quæ temporaliter labuntur. Rebus autem temporalibus homo conformatur per affectum, eis amore inhærendo. Oseæ IX, 10 : *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.* Jac. I, 27 : *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem*[1] *hæc est, immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Conformatur etiam huic sæculo qui vitam sæculariter viventium imitatur. Ephes. IV, 17 : *Testificor in Domino, ut jam non amplius ambuletis, sicut et Gentes ambulant.* Secundo mandat interiorem mentis reformationem, cum dicit : *Sed reformamini in novitate sensus vestri.* Sensus autem hominis hic dicitur ratio, secundum quod per eam homo in sua creatione habuit integrum et vigentem : unde dicitur Eccli. XVII, 6 : *Sensu implevit corda illorum, et bona et mala ostendit illis.* Sed per peccatum hic sensus est corruptus, et quasi inveteratus : Baruch. III, 2 : *Inveterasti in terra aliena :* et per consequens pulchritudinem et decorem suum amisit. Thren. I, 6 : *Egressus est a filia Sion omnis decor ejus.* Monet ergo Apostolus ut reformemur; idest, iterato formam et decorem mentis assumamus, quem nostra mens habuit : quod quidem fit per gratiam Spiritus sancti, ad quam participandum[2] homo studium habere debet; ita scilicet ut qui eam nondum perceperunt, eam percipiant; et qui illam perceperunt in ea proficiant. Ephes. IV, 23 : *Renovamini spiritu mentis vestræ.* Psalm. CII, 5 : *Renovabitur ut aquilæ juventus tua.* Vel aliter. *Reformamini*[3], scilicet in exterioribus actibus, *in novitate sensus vestri*, idest secundum novitatem gratiæ, quam mente percepistis. Tertio assignat rationem admonitionis prædictæ, cum dicit, *Ut probetis quæ sit voluntas Dei.* Circa quod considerandum est quod sicut homo qui habet gustum infectum, non habet rectum judicium de saporibus : sed ea quæ sunt suavia, interdum abominatur, ea vero quæ sunt abominabilia, appetit : qui autem habet gustum sanum, rectum judicium de saporibus habet : ita homo qui habet corruptum affectum, quasi conformatum rebus sæcularibus, non habet rectum judicium de bono; sed ille qui habet sanum affectum[4], sensu ejus innovato per gratiam, rectum judicium habet de bono. Ideo ergo dixit : *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini*[5] *in novitate sensus vestri; ut probetis*, idest experimento cognoscatis Psal. XXXIII, 9 : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus : quæ sit voluntas Dei*, qua scilicet vult eos esse salvos : I Thess. IV, 3 : *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra : bona*, idest qua[6] vult bonum honestum nos velle, et ad hoc suis præceptis nos inducit : Mich. VI, 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Deus requirat a te; et beneplacens*, inquantum scilicet bene disposito est delectabile id quod Deus vult nos velle : Psalm. XVIII, 9 : *Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda :* et non tantum utilis ad finem consequendum, sed etiam *perfecta*, quasi conjungens

[1] Al. omittitur : « apud Deum et Patrem. » — [2] Al. : « participando. » — [3] Al. *Renovamini*. — [4] Al. : « qui habet regnum (*rectum* et sanum affectum. » [5] Al. *renovamini*. — [6] Al. deest : « qua. »

gens nos fini. Matth. v, 48 : *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Genes. xvii, 1 : *Ambula coram me, et esto perfectus.* Talem ergo experiuntur Dei voluntatem illi qui non conformantur huic sæculo, sed reformantur in novitate sensus sui : illi autem qui in vetustate permanent, sæculo conformati, judicant Dei voluntatem non esse bonam, sed gravem et inutilem. Eccli. vi, 21 : *Quam aspera est sapientia indoctis hominibus!*

Deinde cum dicit, *Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos*, docet qualiter donis Dei homo debeat uti : et primo docet hoc quantum ad dona quæ non sunt omnibus communia, sicut sunt gratiæ gratis datæ; secundo quantum ad donum caritatis, quod est omnibus commune, ibi, *Dilectio sine simulatione* etc. Circa primum duo facit. Primo docet in generali quomodo debeat homo uti gratiis gratis datis; secundo exequitur hoc per partes, ibi, *Habentes autem donationes* [1]. Circa primum duo facit. Primo proponit documentum; secundo rationem assignat, ibi, *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus.* Circa primum tria facit. Primo excludit superfluum, dicens : Monui quod reformemini in novitate sensus vestri, quod quidem moderate facere debetis: *dico enim*, idest mundo *per gratiam* Apostolatus, et auctoritate apostolica, *quæ data est mihi.* Gal. ii, 9 : *Cum cognovissent gratiam quæ data est mihi inter Gentes.* Ephes. iii, 8 : *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus evangelizare divitias Christi. Omnibus qui sunt inter vos :* quia omnibus est hoc utile. II Corinth. vii, 7 : *Volo omnes homines esse sicut meipsum.* Hoc, inquam, mando : *Non plus sapere quam oportet sapere* ; idest, nullus præsumat de sensu aut sapientia sua, confidens supra suam mensuram. Eccle. vii, 17 : *Non plus sapias quam necesse est.* Psal. cxxx, 2 : *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* Secundo hortatur ad id quod est medium, dicens : *Sed sapere ad sobrietatem;* scilicet, mando vobis ut mensurate sapiatis, secundum gratiam vobis datam : sobrietas enim mensuram importat ; et quamvis proprie dicatur circa potum vini, potest tamen accipi circa quamlibet materiam, in qua homo debitam mensuram observat. Tit. ii, 12 : *Sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo.* Tertio docet secundum quid accipienda sit mensura medii, dicens : Et hoc, inquam, *sicut Deus unicuique divisit*, idest distribuit, *mensuram fidei*, idest mensuram donorum suorum, quæ ordinatur ad fidei ædificationem. I Corinth. xii, 7 : *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem.* Dat enim Deus hujusmodi dona, non eadem omnibus, sed diversa diversis distribuit, secundum illud I Corinth. xii, 4 : *Divisiones gratiarum sunt.* Nec omnibus æqualiter dat, sed unicuique secundum certam mensuram. Eph, iv, 7 : *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Et ideo Apostolus sobrie sapiens, secundum hanc mensuram dicebat, II Corinth. x, 13 *: Non autem in immensum gloriamur, sed secundum mensuram, regulæ qua mensus est nobis Deus.* Soli autem Christo datus est Spiritus *non ad mensuram*, ut dicitur Joan. iii. Non solum autem alias gratias datas dat Deus mensurate, sed etiam ipsam fidem, quæ per dilectionem operatur : unde Luc. xvii, 5, discipuli Christo dixerunt : *Domine adauge nobis fidem.*

LECTIO II.

Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent ; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis, differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet, in doctrina ; qui exhortatur, in exhortando : qui tribuit, in simplicitate ; qui præest, in sollicitudine ; qui miseretur, in caritate. Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono, caritatem fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes sollicitudine non pigri, spiritu ferventes. Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes hospitalitatem sectantes.

Præmissa admonitione, hic Apostolus rationem assignat sumptam ex similitudine corporis mystici ad corpus naturale ; et primo in corpore naturali tangit tria. Primo quidem corporis unitatem, cum dicit, *Sicut enim in uno corpore;* secundo membrorum pluralitatem, cum dicit, *Multa membra habemus* :est enim corpus

[1] Al. : « ibi. » *Sicut enim in uno corpore*, etc. intermediis omissis.

humanum organicum ex diversitate membrorum constitutum; tertio officiorum diversitatem, cum dicit : *Omnia autem membra non eumdem actum habent;* frustra enim esset membrorum diversitas, nisi ad diversos actus ordinarentur. Deinde aptat hæc tria ad corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia. Ephes. I, 22 : *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus.* Circa quod etiam tria tangit. Primo quidem fidelium quasi membrorum multitudinem, cum dicit : *Ita multi unum corpus sumus in Christo.* Luc. XIV, 16 : *Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos.* Isa. LIV, 1 : *Multi filii desertæ.* Quamvis enim sint pauci per comparationem ad infructuosam multitudinem damnatorum [1], secundum illud Matth. VII, 14 : *Arcta est via quæ ducit ad vitam, et pauci inveniunt eam*; tamen absolute loquendo sunt multi : Apoc. VII, 9 : *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Secundo tangit corporis mystici unitatem, cum dicit, *Unum corpus sumus.* Ephes. II, 16 : *Ut reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem.* Hujus autem corporis mystici est unitas spiritualis, per quam fide et affectu caritatis invicem unimur, et Deo [2], secundum illud Ephes. IV, 4 : *Unum corpus, et unus spiritus.* Et quia spiritus unitatis a Christo in nos derivatur : supra VIII, 9 : *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus* : ideo subdit, *In Christo*, qui per spiritum suum, quem dat nobis, nos invicem unit, et Deo. Joan. XVII, 22 : *Ut sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus.* Tertio tangit officiorum diversitatem ad utilitatem communem reductam, dicens : *Singuli autem alter alterius membra.* Membrorum enim quodlibet, proprium actum habet et virtutem. Inquantum ergo unum membrum sua virtute et actu alteri prodest, dicitur membrum alterius; sicut pes dicitur membrum oculi, inquantum oculum defert, et oculus dicitur membrum pedis, inquantum dirigit pedem. I Cor. XII, 21 : *Non potest dicere oculus manui, Opera tua non indigeo*, ita etiam in corpore mystico ille qui accepit gratiam prophetiæ, indiget illo qui accepit gratiam sanitatum; et ita est in omnibus aliis. Unde dum unusquisque fidelis secundum gratiam sibi datam alteri servit, efficitur alterius membrum. Galat. ultim. 2 : *Alter alterius onera portate.* I Pet. IV, 10 : *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes.*

Deinde cum dicit, *Habentes autem donationes*, exequitur per partes monitionem, quam supra posuerat de sobrio et moderato gratiæ usu : et primo ponit gratiarum diversitatem, dicens : *Sumus*, inquam, *alter alterius membra*, non secundum eamdem gratiam, sed *habentes* diversas [3] *donationes* differentes, non ex diversitate meritorum, sed *secundum gratiam quæ data est nobis.* I Corinth. VII, 7 : *Unusquisque proprium donum habet ex Deo*; *unus quidem sic, alius vero sic.* Matth. XXV, 14 : *Vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua*; *et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum.* Secundo docet diversarum gratiarum usum; et primo in rebus divinis quantum ad cognitionem quidem dicem dicens, *Sive prophetia* : quam habentes utamur ea secundum rationem fidei. Dicitur autem prophetia quædam apparitio ex revelatione divina eorum quæ sunt procul : unde I Reg. IX, 9, dicitur : *Qui Propheta hodie dicitur, vocabatur olim videns.* Sunt autem procul a cognitione nostra, secundum se quidem futura contingentia, quæ propter defectum sui esse cognoscibilia non sunt; sed res divinæ sunt procul a nostra cognitione, non secundum se, cum sint maxime cognoscibiles : quia ut dicitur I Joan. I, 5, *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ* : sed propter defectum intellectus nostri, qui se habet ad ea quæ sunt ad lucem solis [4]. Et quia unumquodque magis proprie [5] dicitur tale quod est secundum se tale, quam quod est tale secundum aliud [6]; inde est quod magis proprie dicuntur esse procul a cognitione nostra futura contingentia : et propter hoc horum proprie est prophetia. Amos III, 7 : *Non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas.* Dicitur tamen prophetia communiter etiam revelatio quorumcumque occultorum. Hoc autem donum prophetiæ non solum fuit in veteri testamento, sed etiam in novo. Joel. II, 28 :

[1] Al. omittitur : « damnatorum. » — [2] Al. : « invicem unimur Deo. » — [3] Al. : « sed habentes differentes, etc. » — [4] Al. omittitur : « solis. »

[5] Al. deest : « proprie. » — [6] Al. : « quam secundum aliud. »

Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri. Dicuntur etiam Prophetæ in novo testamento qui prophetica dicta exponunt : quia sacra Scriptura eodem Spiritu interpretatur quo est condita. Eccli. XXIV, 46 : *Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam.* Ordinatur autem prophetiæ donum, sicut et aliæ gratiæ gratis datæ, ad fidei ædificationem. I Corinth. XII, 7 : *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem.* Hebr. II, 4 : *Confirmata est* scilicet doctrina fidei *contestante Deo signis et prodigiis et variis virtutibus, et Spiritus sancti distributionibus.* Et ideo prophetia est utendum *secundum rationem fidei*, idest non in vanum, sed ut per hoc fides confirmetur ; non autem contra fidem. Unde dicitur Deut. XIII, 1 : *Si surrexit in medio tui propheta, et dixerit tibi, Eamus, et sequamur deos alienos ; non audies verba prophetæ illius ;* quia scilicet prophetizat contra rationem fidei. Quantum ad sacramenta ministranda subdit : *Sive ministerium in ministrando ;* idest, si quis accepit gratiam vel officium ministerii, puta ut sit Episcopus vel Sacerdos, qui dicuntur ministri Dei. Isa. LXI, 6 : *Vos Sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri dicetur vobis*, exequatur illud, diligenter exequendo in ministrando. II Timoth. IV, 5 : *Ministerium tuum imple.* Secundo tangit ea quæ pertinent ad res humanas, in quibus potest aliquis alteri subvenire. Primo quidem quantum ad cognitionem vel speculativam vel practicam. Quantum ad speculativam primo dicit : *Sive quis docet*, idest qui habet officium vel gratiam docendi, utatur *in doctrina* ; idest, ut studiose et fideliter doceat. Job. IV, 3 : *Ecce docuisti plurimos.* Matth. ult. 19 : *Euntes docete omnes gentes.* Quantum autem ad cognitionem practicam subdit : *Qui exhortatur*, idest qui habet officium vel gratiam exhortandi homines ad bonum, utatur illo *in exhortando.* I Thess. II, 3 : *Exhortatio nostra non fuit de errore neque de immunditia, neque in dolo* : Tit. II, 15 : *Hæc loquere et exhortare.* Deinde ponit ea quæ pertinent ad exteriora opera, in quibus quandoque aliquis subvenit alicui aliquod donum dando ; et quantum ad hoc dicit : *Qui tribuit*, idest qui habet facultatem tribuendi, et gratiam, exequitur *in simplicitate*, ut scilicet nihil mali ex illo intendat, quasi donis homines ad malum alliciens : vel etiam cum aliquis ex modico dato intendit multo majora acquirere. Eccli. XX, 14 : *Datum insipientis non erit tibi utile : oculi enim illius septemplices sunt : exigua dabit, et multa improperabit* : et Proverb. II, 3 : *Simplicitas justorum diriget eos.* Quandoque autem aliquis subvenit alteri ejus curam habendo ; et quantum ad hoc dicit : *Qui potest*, id est qui est in prælationis officio constitutus, utatur illo officio *in solicitudine.* Hebr. ultim. 17 : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis : ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris* : II Corinth. XXIV, 28 : *Solicitudo omnium Ecclesiarum.* Quandoque autem subvenit aliquis alicui relevando ejus miseriam : et quantum ad hoc dicit : *Qui miseretur*, id est qui habet facultatem et affectum miserendi, exequatur hoc *in hilaritate*, quasi libenter hoc faciens. II Corinth. IX, 7. *Non ex tristitia aut*[1] *ex necessitate ; hilarem enim datorem diligit Deus.* Eccli. XXXIII, 11 : *In omni dato hilarem fac vultum tuum.*

Deinde cum dicit, *Dilectio sine simulatione*, etc., docet usum doni gratuiti, quod est omnibus commune, scilicet caritatis : et primo ponit ea quæ pertinent ad caritatem in generali ; secundo ponit quædam specialiter pertinentia ad dilectionem quorumdam, ibi, *Necessitatibus sanctorum communicantes.* Circa primum tria facit. Primo ostendit qualis debeat esse dilectio caritatis ex parte dilectionis[2] ; secundo qualiter se debeat habere ad proximum, ibi, *Caritatem fraternitatis* ; tertio qualiter se debeat habere ad Deum, ibi, *Solicitudine non pigri.* Circa qualitatem autem caritatis tria docet. Primo quidem quod dilectio debet esse vera : unde dicit, *Dilectio sine simulatione* : ut scilicet non tantum in verbo aut in exteriori apparentia, sed sit in vero cordis affectu et efficacia operis. I Joan. III, 18 : *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.* Eccli. VI, 15 : *Amico fideli nulla est comparatio.* Secundo docet quod dilectio debet esse pura, cum dicit, *Odientes malum.* Tunc enim est pura dilectio quando homo non consentit amico suo in malum, sed ita diligit hominem, ut ejus vitium odiat : unde dicitur I Corinth. XIII, 6 : *Non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Psal.

[1] Al. : « neque. » — [2] Al. : « qualis debeat esse dilectio ex parte diligentis. »

cxviii, 113 : *Iniquos odio habui.* Tertio docet quod dilectio debet esse honesta, cum dicit, *Adhærens bono ;* ut scilicet aliquis adhæreat alteri propter bonum virtutis. Galat. iv, 18 : *Bonum autem æmulamini in bono semper.* Hæc est pulchra dilectio, de qua dicitur Eccli. xxiv, 24 : *Ego mater pulchræ dilectionis.* Deinde cum dicit, *Caritatem fraternitatis*, ostendit qualiter caritas se debet habere ad proximum : et primo quantum ad interiorem affectum, cum dicit : *Caritatem fraternitatis invicem diligentes* : ut scilicet non solum fratres diligamus per caritatem, sed etiam diligamus ipsam caritatem, qua eos diligimus, et ab eis diligimur. Sic enim si caram habemus caritatem, non de facili eam dissolvi faciemus. Hebr. ult. 1 : *Caritas fraternitatis maneat in vobis.* Cantic. ult. 7 : *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, tamquam nihil despiciet illam.* Secundo quantum ad exteriorem effectum, cum dicit : *Honore invicem prævenientes :* in quo tria designantur. Primo quidem quod homo proximum in reverentia debet habere, quod pertinet ad rationem honoris : nullus enim potest vere diligere eum quem despicit. Phil. ii, 3 : *In humilitate superiores invicem arbitrantes.* Quod quidem fit dum aliquis suum defectum considerat, et bonum proximi. In honore autem non solum reverentia intelligitur, sed etiam necessariorum subventio; sicut cum dicitur Exod. xx, 12 : *Honora patrem tuum et matrem tuam*, præcipitur necessariorum subventio ; sicut patet per hoc quod Dominus Matth. v, arguit pharisæos contra hoc præceptum impedientes filios a subventione parentum. Secundo designatur quod effectus dilectionis debet mutuo exhiberi ; ut scilicet homo non solum velit beneficia recipere, sed etiam exhibere. Eccli. iv, 36 : *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta* : et xiv, 16 : *In divisione fortis da et accipe.* Et hoc designat cum dicit, *Invicem.* Tertio designatur quod effectus dilectionis debet esse promptus et velox ; quod designatur cum dicit, *Prævenientes* ; ut scilicet aliquis præveniat amicum in beneficiis. Eccli. xxxvii, 1 : *Omnis amicus dicit : Et ego amicitiam copulavi.* Deinde cum dicit, *Solicitudine non pigri*, ostendit qualiter se debeat habere dilectio caritatis ad Deum : et primo incipit ab ipsa rationis attentione, cum dicit : *Solicitudine* sitis *non pigri*, scilicet ad serviendum Deo. Mich. vi, 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Deus requirat a te* : postea subdit ibid. : *Solicite ambulare cum Deo tuo.* II Timoth. ii, 15 : *Solicite cura teipsum probabilem exhibere Deo.* Secundo quantum ad effectum, cum dicit : *Spiritu* sitis *ferventes*, scilicet in Dei dilectione. Procedit autem fervor ex abundantia caloris. Unde fervor spiritus dicitur, quia propter abundantiam divinæ dilectionis totus homo fervet in Deum. Act. xviii, dicitur, quod Apollo fervens spiritu loquebatur. I Thess. ult. 19, *Spiritum nolite extinguere.* Tertio quantum ad exterius obsequium, cum dicit, *Domino servientes*, scilicet servitute latriæ, quæ soli Deo debetur. Deut. vi, 13 : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Psal. ii, 11 : *Servite Domino in timore.* Vel secundum aliam litteram, *Tempori servientes*, ut scilicet Dei servitium congruo tempore faciamus. Eccle. viii, 6 : *Omni negotio tempus est et opportunitas.* Quarto quantum ad mercedem servitutis, cum dicit, *Spe gaudentes*, scilicet mercedis, quæ est Dei fruitio. Gen. xv, 1 : *Ego Dominus merces tua magna nimis.* Supra v, 2 : *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Facit autem spes hominem gaudentem ratione certitudinis, sed tamen affligit ratione dilationis. Prov. xiii, 12 : *Spes quæ differtur, affligit animam.* Quinto quantum ad difficultatem, quam homo patitur in Dei servitio : unde subdit : *In tribulatione*, scilicet quam propter Deum sustinetis, sitis *patientes.* Supra v, 3 : *Tribulatio patientiam operatur.* Sexto quantum ad omnia prædicta dicit, *Orationi instantes;* in quo orationis assiduitas designatur. Luc. xviii, 1 : *Oportet semper orare, et nunquam deficere.* I Thess. v, 17 : *Sine intermissione orate.* Per orationem enim in nobis solicitudo excitatur, fervor accenditur, ad Dei servitium incitamur, gaudium spei in nobis augetur, et auxilium in tribulatione promeremur. Psal. cxix, 1 : *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, et exaudivit me.*

Deinde cum dicit, *Necessitatibus sanctorum communicantes*, determinat de caritate quantum ad speciales quasdam personas : et primo quidem quantum ad indigentes ; secundo quantum ad inimicos, ibi, *Benedicite persequentibus vos.* Circa primum duo facit : primo inducit ad exhibenda beneficia caritatis indigentibus in universali, cum dicit : *Necessitatibus sanctorum communicantes.* Ubi tria

sunt notanda. Primo quidem quod eleemosynæ ex caritate sunt impendendæ indigentibus, sive necessitatem patientibus : Ephes. IV, 28 : *Laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.* Secundo quod potius est subveniendum justis et sanctis quam aliis : unde dicit, *Necessitatibus sanctorum.* Eccli. XII, 5 : *Da justo; et non recipias peccatorem.* Quod quidem non sic est intelligendum, quin etiam in necessitatibus sit peccatoribus subveniendum; sed quia non est eis subveniendum ad fomentum peccati : utilius tamen est subvenire justis, quia talis eleemosyna fructuosa est non solum ex parte dantis, sed etiam ex suffragio recipientis. Luc. XVI, 9 : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula,* scilicet suis suffragiis. Secundo in speciali admonet ad hospitalitatem, *Hospitalitatem sectantes*, quia scilicet in hoc misericordiæ opere alia misericordiæ opera includuntur : nam hospes non solum domum exhibet ad manendum, sed etiam alia necessaria subministrat. Hebr. ult. II, *Hospitalitatem nolite oblivisci.* I Petr. IV, 9 : Hospitales invicem sine murmuratione.

LECTIO III.

Benedicite persequentibus vos, benedicite, et nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Idipsum invicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Nulli malum pro malo reddentes, providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus : si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes : non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum iræ : scriptum est enim : Mihi vindictam et ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

Supra Apostolus ostendit qualiter caritas sit exhibenda indigentibus; nunc ostendit qualiter sit exhibenda etiam inimicis : et primo ponit admonitionem : secundo probat quod dixit, ibi, *Scriptum est enim* etc. Circa primum considerandum est, quod ad caritatem tria pertinent. Primo quidem benevolentia, quæ consistit in hoc quod aliquis velit bonum alteri, et malum ejus nolit; secundo concordia, quæ consistit in hoc quod amicorum sit idem nolle et velle; tertio beneficentia, quæ consistit in hoc quod aliqui benefaciat ei quem amat, et eum non lædat. Primo ergo ponit ea quæ pertinent ad benevolentiam; secundo ea quæ pertinent ad concordiam, ibi, *Gaudere cum gaudentibus;* tertio ea quæ pertinent ad beneficentiam, ibi, *Nulli malum pro malo reddentes.* Circa primum duo facit. Primo monet ut benevolentia sit ampla, quæ se extendat etiam ad inimicos, cum dicit : *Benedicite persequentibus vos.*

Circa quod notandum est, quod benedicere est bonum dicere. Contingit autem bonum dicere tripliciter. Uno modo enuntiando, puta cum quis bonum alterius laudat. Eccl. XXVIII, 11 : *Splendidum in panibus benedicent labia multorum, et testimonium veritatis illius fidele.* Alio modo imperando : et sic benedicere per auctoritatem est proprium Dei, cujus imperio bonum ad creaturas derivatur; ministerium autem pertinet ad ministros Dei, qui nomen Domini super populum invocant. Num. VI, 23 : *Benedicetis filiis Israel, et dicetis eis : Benedicat tibi Dominus, et custodiat te : ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui : convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem* : et post 27, *Invocabunt nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis.* Tertio benedicit aliquis optando. Psal. CXXVIII, 8 : *Et non dixerunt qui præteribant : Benedictio Domini super vos.* Et secundum hoc benedicere est bonum alicui velle, et quasi bonum pro aliquo precari : et hoc modo accipitur hic : unde in hoc quod dicitur, *benedicite persequentibus vos*, datur intelligi quod etiam ad inimicos et persecutores debemus esse benevoli, eis bona optando, et pro eis orando. Matth. V, 44 : *Diligite inimicos vestros, et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos.*

Quod autem hic dicitur, quodam quidem modo est in præcepto, quodam autem modo est in consilio : quod enim aliquis in generali dilectionis affectum impendat inimicis, non excludendo eos a communi dilectione proximorum, et a communi oratione quam quis pro fidelibus facit, pertinet ad necessitatem præcepti. Similiter etiam quod aliquis in articulo necessitatis inimico dilectionis effectum particulariter impendat, pertinet ad necessitatem præcepti : unde dicitur

Exod. XXIII, 4 : *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reducas eum.* Sed quod aliquis in speciali dilectionis effectum et orationis suffragium, aut qualecumque subventionis beneficium exhibeat inimico, interdum etiam extra articulum manifestæ necessitatis, pertinet ad perfectionem consiliorum : quia per hoc ostenditur tam perfecta caritas hominis ad Deum, quod omne humanum odium superet. Ille autem qui pœnitet, et misericordiam petit, jam non est inter inimicos aut persecutores computandus : unde ei absque omni difficultate sunt caritatis indicia ostendenda. Eccli. XXVIII, 2 : *Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur.*

Secundo docet quod benevolentia, sive benedictio, sit pura, idest absque permixtione contrarii : unde dicit : *Benedicite, et nolite maledicere*, idest, ita benedicatis quod nullo modo maledicatis : quod est contra quosdam qui ore benedicunt, et corde maledicunt, secundum illud Psalm. XXVII, 3 : *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum :* et etiam contra illos qui quandoque benedicunt, quandoque maledicunt; vel quibusdam benedicunt, quibusdam maledicunt. Jac. III, 10 : *Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.* I Petr. III, 9 : *Non reddentes maledictum pro maledicto.*

Sed contra hoc videtur esse quod in sacra Scriptura plures maledictiones inveniuntur : dicitur enim Deut. XXVII, 27 : *Maledictus qui non permanserit in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit.*

Ad quod dicendum est, quod maledicere est malum dicere; quod quidem tripliciter contingit, sicut et benedicere : scilicet enuntiando, impetrando, et optando; et secundum quodlibet horum modorum potest bene et male fieri. Si enim id quod est materialiter [1] malum, dicatur malum, quodlibet prædictorum modorum, sub ratione boni, non est illicitum : quia hoc est magis benedicere quam maledicere : unumquodque enim magis judicatur secundum suam formam quam secundum suam materiam. Si vero aliquis dicat malum sub ratione mali, formaliter maledicit : unde est omnino illicitum. Utrumque autem horum contingit in hoc quod aliquis enuntiando malum profert : quandoque enim aliquis enuntiat malum alicujus ad notificandum necessariam veritatem ; et sic dicit malum sub ratione veri necessarii, quod est bonum, unde est licitum; et hoc modo Job. III, dicitur, quod Job maledixit diei suæ, enuntians malitiam præsentis vitæ, sicut Apostolus dicit Ephes. V, 16 : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Quandoque autem aliquis enuntiat malum alterius sub ratione mali [2], scilicet intentione detrahendi ; et hoc est illicitum : dicitur enim I Corinth. VI, 10 : *Neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Similiter etiam in eo quod quis dicit malum imperando. Contingit autem quandoque quod aliquis dicit id quod est materialiter malum sub ratione boni ; puta cum ex imperio alicujus provenit alicui malum pœnæ propter justitiam ; quod quidem est licitum ; et hoc modo transgressores legis maledicuntur, idest, pœnæ secundum justitiam deputantur. Quandoque vero aliquis imperando dicit malum alterius injuste, puta propter odium et vindictam ; et talis maledictio est illicita. Exod. XXI, 17 : *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* Et idem est etiam circa id quod aliquis dicit malum optando. Si enim hoc optet sub ratione boni, puta ut per adversitatem aliquis perveniat ad spiritualem profectum, hoc licitum est. Job. V, 3 : *Vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini ejus statim.* Si vero hoc homo faciat propter odium vel vindictam, est omnino illicitum. I Reg. XVII, 43 : *Maledixit Philisthæus David in diis suis.*

Deinde cum dicit, *Gaudere cum gaudentibus*, ponit ea quæ pertinent ad concordiam : et primo ponit concordiæ documenta ; secundo removet impedimenta, ibi, *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Concordia autem potest dupliciter attendi. Uno modo quantum ad affectum in bonis et in malis. In bonis quidem, ut aliquis boni aliorum congaudeat : unde dicit : *Gaudere*, scilicet debetis, *cum gaudentibus.* Ad Philip. II, 17 : *Gaudeo, et congratulor omnibus vobis.* Sed hoc est intelligendum quando quis gaudet de bono. Sunt autem quidam qui gaudent de malo, secundum illud Proverb. II, 14 : *Lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis.* Et

[1] Al. : « naturaliter. » — [2] Al. deest : « sub ratione mali. »

istis [1] non est congaudendum. I Corinth. xiii, 6, dicitur de caritate, quod *non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati*. In malis autem, ut aliquis tristetur de malis alterius : unde subdit: *Flere*, scilicet debetis, *cum flentibus*. Job. xxx, 25 : *Flebam quondam super eo qui afflictus erat*. Eccl. vii, 38 : *Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula*. Ipsa enim compassio amici condolentis consolationem in tristitiis affert dupliciter. Primo quidem quia ex hoc colligitur efficax amicitiæ argumentum. Eccl. xii, 9 : *In malitia illius*, idest in infortunio *amicus cognitus est*. Et hoc ipsum est delectabile cognoscere aliquem sibi esse verum amicum. Alio modo, quia ex hoc ipso quod amicus condolet, videtur se offerre ad simul portandum onus adversitatis quod tristitiam causat: et quidem levius portatur quod portatur a pluribus, quam ab uno solo. Secundo concordia consistit in unitate sententiæ ; et quantum ad hoc dicit : *Idipsum*, idest idem sitis, *invicem sentientes*, ut scilicet in eadem sententia conveniatis. I Corinth. i, 10 : *Sitis perfecti in eodem sensu et in eadem sententia*. Philip. ii, 2 : *Eamdem caritatem habentes unanimes, idipsum sentientes*.

Sciendum est tamen, quod duplex est sententia. Una quidem quæ pertinet ad judicium intellectus circa speculabilia; puta circa considerationes geometricas vel naturales. Dissentire autem in talibus non repugnat amicitiæ vel caritati : quia caritas in voluntate est; hujusmodi autem judicia non proveniunt ex voluntate, sed ex necessitate rationis. Alia vero sententia pertinet ad judicium rationis circa agenda; et in talibus dissensio amicitiæ contrariatur; quia talis dissensio habet contrarietatem voluntatis : et quia fides non solum est speculativa, sed etiam practica inquantum per dilectionem operatur, ut dicitur Gal. v, ideo etiam dissentire a recta fide, est contrarium caritati.

Deinde cum dicit, *Non alta sapientes*, etc., excludit impedimenta concordiæ; quæ quidem sunt duo. Primum est superbia, ex qua contingit quod dum aliquis inordinate suam excellentiam quærit, et subjectionem refugit; vult alium subjici, et ejus excellentiam impedire; et ex hoc sequitur discordia. Proverb. xiii, 10 : *Inter superbos semper jurgia sunt*. Et ideo ad hoc removendum dicit : *Non sitis alta sapientes*, ut scilicet inordinate vestram excellentiam appetatis. Supra xi : *Noli altum sapere, sed time*. Eccl. iii, 22 : *Altiora te ne quæsieris*. *Sed* sitis *consentientes humilibus*, idest his quæ sunt humilia; idest, quæ abjecta videntur non recusetis, cum oportuerit. Ps. lxxxiii, 2 : *Elegi abjectus esse in domo Dei mei*. I Pet. ult. 6, *Humiliamini sub potenti manu Dei* [2]. Secundum impedimentum concordiæ est præsumptio sapientiæ, vel etiam prudentiæ [3], ex qua contingit quod aliquis aliorum sententiæ non credit : ad quod removendum dicit : *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos*, ut scilicet judicetis solum id esse prudentiæ quod vobis videtur. Isa. v, 21 : *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes*. Supra xi, 25 : *Ut non sitis vobismetipsis sapientes*.

Deinde cum dicit, *Nulli malum pro malo reddentes*, docet illa quæ pertinent ad beneficentiam, excludendo contrarium : et primo docet quod non sit alicui malefaciendum ratione vindictæ; secundo docet quod non sit alicui malefaciendum ratione defensionis, ibi, *Non vosmetipsos defendentes*. Circa primum tria facit. Primo prohibet vindictam, dicens : *Nulli malum pro malo reddentes*, scilicet sitis. Psal. vii, 5 : *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis*. I Pet. iii, 9 : *Non reddentes malum pro malo*. Sed hoc est intelligendum formaliter, sicut supra dictum est de maledicto : prohibemur enim affectu odii vel vindictæ [4] reddere malum pro malo, ita quod in malo alterius delectemur. Sed si pro malo culpæ, quod quis facit, reddat judex malum pœnæ secundum justitiam ad compensandam malitiam, materialiter quidem infert malum, sed formaliter et per se infert bonum : unde cum judex suspendit latronem pro homicidio, non reddit malum pro malo, sed magis bonum pro malo. Et hoc modo Apostolus quemdam pro peccato incestus tradidit satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret, ut habetur I Corinth. v. Secundo docet quod etiam bona sint proximis exhibenda, dicens : *Providentes*, scilicet sitis, *bona non tantum co-*

[1] Al. : « in istis. » — [2] Al. : « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. » — [3] Al. deest : « vel etiam prudentiæ. » — [4] Al. : « vel invidiæ. »

ram Deo, ut scilicet curetis satisfacere conscientiæ vestræ coram Deo, *sed etiam coram omnibus hominibus*, ut scilicet ea faciatis quæ hominibus placeant. I Cor. x, 32 : *Sine offensione estote Judæis et Gentibus et Ecclesiæ Dei, sicut et ego per omnia omnibus placeo.* II Corinth. VIII, 21 : *Providemus*[1] *bona non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Hoc tamen contingit et bene et male fieri : si enim hoc fiat propter favorem[2] humanum, non bene agitur. Matth. VI, 1 : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Si autem hoc fiat ad gloriam Dei, bene agitur, secundum illud Matth. v, 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Tertio assignat rationem utriusque dictorum. Ad hoc enim debemus abstinere a retributione malorum, et coram hominibus bona providere, ut cum hominibus pacem habeamus; et ideo subdit : *Cum omnibus hominibus pacem habentes.* Hebr. XII, 14 : *Pacem sequimini cum omnibus.* Sed hic addit duo : quorum primum est quod dicit, *Si fieri potest.* Quandoque enim malitia aliorum impedit ne cum eis pacem habere possimus, quia scilicet cum eis pax haberi non potest, nisi eorum malitiæ consentiatur; quam quidem pacem constat esse illicitam : unde Dominus dicit Matth. x, 34 : *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Aliud autem addit dicens, *Quod ex vobis est ;* scilicet, et si ipsi contra pacem agunt, tamen quod in nobis est, facere nos debemus, ut eorum pacem quæramus. Psal. CXIX, 6 : *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus* : alibi Psal. XXXIII, 15 : *Inquire pacem, et persequere eam.*

Deinde cum dicit, *Nos vosmetipsos defendentes* etc., ostendit quod non sunt mala proximis inferenda per modum defensionis : et primo ponit documentum, dicens : *Non sitis vosmetipsos defendentes*, o carissimi, sicut de Christo dicitur I, 6 : *Dedi corpus meum percutientibus, et genas meas vellentibus* : et LIII, 7 : *Quasi agnus coram tondente se obmutuit.* Unde et ipse Dominus mandavit Matth. v, 39 : *Si quis te percusserit in una maxilla, præbe ei etiam alteram.* Sed, sicut Augustinus dicit in lib. *Contra mendacium*, cap. XV, ea quæ in novo testamento a sanctis facta sunt, valent ad exempla intelligendarum Scripturarum, quæ in præceptis data sunt. Ipse autem Dominus cum alapa percussus esset, non ait, Ecce altera maxilla; sed *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo ; si autem bene, quid me cædis*? Jo. XVIII, 23. Ubi ostendit præparationem alterius maxillæ in corde esse faciendam. Paratus enim fuit Dominus non solum in altera cædi pro salute hominis, sed in toto corpore crucifigi. Et sicut Augustinus dicit *Ad Marcellinum epist.* III, tunc quidem hoc mandatum recte fit, cum ei credatur profuturum esse propter quem fit, ad operandam in eo correctionem atque concordiam, etiam si alius exitus consequatur. Sunt igitur ista præcepta patientiæ semper in cordis præparatione retinenda; et ipsa benevolentia, ne reddatur malum pro malo, semper in voluntate complenda est. Agenda sunt autem et multa etiam cum invitis, benigna quadam asperitate plectendis. Secundo assignat rationem, cum dicit : *Sed date locum iræ*, idest divino judicio : quasi diceret : Committatis vos Deo, qui suo judicio potest vos defendere et vindicare, secundum illud I Pet. ult. VII : *Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Sed hæc intelligenda sunt in casu in quo nobis non adest facultas aliter faciendi secundum justitiam. Sed quia, ut dicitur Deuter. I, 17, *Domini est judicium*, cum aliquis auctoritate judicis vel vindictam quærit ad comprimendam malitiam, et non propter odium; vel etiam cum auctoritate alicujus superioris suam defensionem procurat; intelligitur locum dare iræ, idest divino judicio, cujus ministri sunt principes, ut dicitur infra XV. Unde etiam Paulus procuravit se per armatos defendi contra insidias Judæorum, ut patet Act. XXIII.

Deinde cum dicit, *Sicut scriptum est*, probat quod dixerat : et primo per auctoritatem; secundo per rationem, ibi, *Noli vinci a malo* etc. Circa primum duo facit. Primo probat quod dictum est de prohibitione vindictæ, dicens : Dictum est : *Date locum iræ*, idest divino judicio : *scriptum est enim*, Deuter. XXXII, 35 : *Mihi vindictam*, scilicet servate : *et ego retribuam, dicit Dominus.* Nostra littera sic habet : *Mea est ultio, et ego retribuam eis in tempore.* Psal. XCIII, 1 : *Deus*

[1] Al. : « providentes. »

[2] Al. : « pavorem. »

ultionum Dominus. Nahum I, 2 : *Deus æmulator et ulciscens Dominus*. Secundo probat per auctoritatem quod dictum est de benevolentia exhibenda inimicis. In qua quidem auctoritate primo ponit documentum, ut subveniamus inimicis in articulo necessitatis, quia hoc est de necessitate præcepti, ut supra dictum est : et hoc est quod dicit : *Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illud : si sitit, potum da illi*, Matth. v, 44 : *Benefacite his qui oderunt vos*. Secundo rationem assignat dicens : *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus*. Quod quidem uno modo potest intelligi in malum, ut sit sensus : Si tu ei benefacies, bonum tuum vertetur ei in malum, quia ex hoc incurret combustionem ignis æterni per suam ingratitudinem. Sed iste sensus repugnat caritati, contra quam ageret qui alicui subveniret ut ei proveniret in malum : et ideo est exponendum in bonum, ut sit sensus : *Hoc enim faciens*, idest in necessitate ei subveniens, *carbones ignis*, idest amorem caritatis, da qua dicitur Cant. VIII, 6 : *Lampades ejus ut lampades ignis atque flammarum* : *congeres*, idest congregabis, *super caput*, idest super mentem, *ejus* : quia, ut Augustinus dicit in lib. *De catechizandis rudibus*, cap. IV, « nulla est major provocatio ad amandum quam prævenire amando. Nimis enim durus animus qui dilectionem etsi nolebat impendere, nolit rependere. » Deinde cum dicit, *Noli vinci a malo* etc., probat quod dixit per rationem. Naturale est enim homini, ut velit adversarium vincere, et non vinci ab eo. Illud autem ab aliquo vincitur quod ad illud trahitur; sicut aqua vincitur ab igne, quando trahitur ad calorem ignis. Si ergo bonus aliquis homo propter malum quod sibi ab aliquo infertur, trahatur ad hoc quod ei malefaciat, bonus a malo vincitur. Si autem e contrario propter beneficium, quod bonus persecutori exhibet, eum ad suum amorem trahat; bonus malum vincit. Dicit ergo : *Noli vinci a malo*, scilicet ejus qui te persequitur, ut tu eum persequaris; *sed in bono* tuo *vince malum* illius, ut scilicet ei benefaciendo, eum a malo [1] trahas. I Joan. ult. 4 : *Hæc est victoria quæ vincit mundum* [2], *fides nostra*. Hier. XV, 19 : *Ipsi convertentur ad te, et tu converteris ad eos*.

[1] Al. omittitur : « a malo. » — [2] Al. : « malum. »

CAPUT DECIMUMTERTIUM

LECTIO I.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas nisi a Deó. Quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, et habetis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem feceris, time : non enim sine causa gladium portat : Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit. Ideoque necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim et tributa præstatis : ministri enim Dei sunt; in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum ; cui vectigal, vectigal ; cui timorem, timorem ; cui honorem, honorem.

Postquam Apostolus ostendit qualiter se debeat homo exhibere Deo, utendo donis gratiæ ejus; hic ostendit quomodo debeat se exhibere proximo : et primo quantum ad superiores; secundo quantum ad omnes, ibi, *Nemini quidquam debeatis*. Circa primum duo facit. Primo inducit homines ad subjectionem quam debent superioribus; secundo ad exhibendum subjectionis signum, ibi, *Ideo et tributa præstatis*. Circa primum tria facit. Primo proponit documentum; secundo rationem assignat, ibi, *Non enim est potestas nisi a Deo;* tertio infert conclusionem intentam, ibi, *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*. Circa primum considerandum est, quod quidam fideles in primitiva Ecclesia dicebant, terrenis potestatibus se subjici non debere, propter libertatem quam consecuti erant a Christo, secundum illud Joan. VIII, 36 : *Si Filius vos liberavit, vere liberi eritis*. Sed libertas per Christum concessa, est libertas spiritus, qua liberamur a peccato et morte, sicut supra VIII, 2, dictum est : *Lex spiritus in Christo Jesu liberavit a lege peccati et mortis*. Caro autem adhuc remanet servituti obnoxia, sicut supra VII, dictum est. Et ideo tunc nulli subjectioni homo per Christum liberatus erit obnoxius, nec spirituali scilicet nec carnali, ut [1] dicitur I Corinth. XV, 24, *cum tradiderit Christus regnum Deo Patri, et evacuaverit omnem principatum et potestatem*. Interim autem dum corruptibilem carnem gerimus, oportet nos dominis carnalibus subjacere : unde dicitur Ephes. VI, 5 : *Servi obedite dominis carnalibus*. Et hoc est etiam quod hic Apostolus dicit : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. Potestates autem sublimiores hic dicuntur homines in potestatibus constituti, quibus secundum justitiæ ordinem subjici debemus. I Petr. II, 13 : *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum*. Dicit autem indefinite *Potestatibus sublimioribus*, ut ratione sublimitatis officii eis subjiciamur, etiam si sint mali. Unde I Pet. II, 18, subditur : *Subjecti estote non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis*. Quod autem dicitur, *Omnis anima*, per synecdochen intelligitur omnis homo, sicut Gen. XVII, 14 : *Delebitur anima illa de populo suo*. Utitur autem hoc modo loquendi, quia subjectionem superioribus debemus ex animo, idest ex pura voluntate, secundum illud Ephes. VI, 5 : *Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ex animo cum bona voluntate*. Deinde cum dicit, *Non est enim potestas nisi a Deo*, ponit rationem admonitionis præmissæ : primo quidem ex parte honesti; secundo ex parte necessarii, ibi, *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*. Circa primum duo facit. Primo præmittit duo principia; secundo ex eis concludit, ibi, *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*. Primo enim præmittit originem potestatis, dicens : *Non est enim*

[1] Al. : « unde. »

potestas nisi a Deo. Quidquid enim communiter de Deo et creaturis dicitur, a Deo in creaturas derivatur, sicut patet de sapientia, Eccl. I, 1 : *Omnis sapientia a Domino Deo est.* Potestas autem de Deo et de hominibus dicitur. Job XXXVI, 6 : *Deus potestates non abjicit, cum ipse sit potens.* Unde consequens est quod omnis humana potestas sit a Deo. Dan. IV, 14 : *Dominabitur excelsus in regno hominum, et cuicumque voluerit, dabit illud.* Joan. XIX, 2 : *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.*

Sed contra hoc esse videtur quod dicitur Oseæ VIII, 4 : *Ipsi regnaverunt, et non ex me*; *principes extiterunt, et non cognovi.*

Ad hoc dicendum est, quod regia potestas, vel cujuscumque alterius dignitatis, potest considerari quantum ad tria. Uno quidem modo quantum ad ipsam potestatem : et sic est a Deo, *per quem reges regnant*, ut dicitur Prov. VIII. Alio modo potest considerari quantum ad modum adipiscendi potestatem ; et sic quandoque potestas est a Deo, quando scilicet aliquis ordinate potestatem adipiscitur, secundum illud Hebr. V, 4 : *Nemo sibi honorem assumit, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron* : quandoque vero non est a Deo ; sed ex perverso hominis appetitu, qui per ambitionem, vel quocumque alio illicito modo potestatem adipiscitur. Amos VI, 14 : *Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?* Tertio modo potest considerari quantum ad usum ipsius : et sic quandoque est a Deo, puta cum aliquis secundum præcepta divinæ justitiæ utitur concessa sibi potestate, secundum illud Proverb. VIII, 15 : *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt* : quandoque autem non est a Deo, puta cum aliqui potestate sibi data utuntur contra divinam justitiam, secundum illud Psal. II, 2 : *Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Christum ejus.*

Dubitatur etiam de potestate peccandi utrum sit a Deo : ad quod dicendum est, quod ipsa potentia qua peccatur a Deo est, eadem enim potentia est qua peccatur et qua recte agitur; sed quod in bonum ordinetur, a Deo est; quod autem ordinetur ad peccandum est ex defectu creaturæ, inquantum est ex nihilo.

Secundo ponit quod ea quæ sunt, a Deo ordinata sunt : cujus ratio est, quia Deus omnia per suam sapientiam fecit, secundum illud Psalm. CIII, 24 : *Omnia in sapientia fecisti.* Est autem proprium sapientiæ, ordinate omnia disponere. Sapient. VIII, 1 : *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Et ideo oportet effectus divinos ordinatos esse. Job. XXXVIII, 33 : *Numquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra?* Duplicem autem ordinem Deus in suis effectibus instituit : unum quidem quo omnia ordinantur in ipsum : Prov. XVI, 4 : *Universa propter semetipsum operatus est Deus* : alium vero quo effectus divini ordinantur ad invicem, sicut dicitur Deut. IV, de sole et luna et stellis, quod fecit ea in ministerium cunctis gentibus. Deinde cum dicit : *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*, ex duabus præmissis concludit propositum. Si enim potestas principum, inquantum talis est [1], a Deo est, et nihil a Deo sine ordine; consequens est quod etiam ordo quo inferiores potestatibus superioribus subjiciuntur, sit a Deo. Itaque qui contra hunc ordinem, *resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* I Reg. VIII, 7 : *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Luc. X, 16 : *Qui vos spernit, me spernit.* Resistere autem divinæ ordinationi contrariatur honestati virtutis : unde contra virtutem agit quicumque potestati resistit in eo quod pertinet ad ordinem suæ potestatis.

Deinde cum dicit, *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*, ostendit hujusmodi subjectionem non solum esse honestatem, sed necessariam : et primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi, *Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali.* Dicit ergo primo : Dictum est, quod *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit :* quod quidem secundum se est vitandum, tamquam contrarium virtuti. Multi tamen sunt qui amorem virtutis non habentes, ea quæ sunt contraria virtuti non detestantur : unde tales cogendi sunt ad vitationem malorum per pœnas ; et quantum ad hoc subdit : *Qui autem resistunt*, scilicet divinæ ordinationi, *sibi damnationem acquirunt*, contra potestatis ordinem agendo. Quod quidem post intelligi uno modo de damnatione æterna, quam merentur qui potestatibus subjici nolunt

[1] Al. deest : « inquantum talis est. »

in eo quod debent : in cujus exemplum Datan et Abiron, qui Moysi et Aaron restiterunt, sunt a terra absorpti, ut habetur Numer. XVI. Alio modo potest intelligi de damnatione pœnæ, quæ per ipsos principes infertur. Proverb. XX, 2 : *Sicut rugitus leonis, ita et terror regis : qui provocant eum, peccant in animam suam.*

Sed contra hoc videtur esse quod Apostoli et martyres principibus et potestatibus restiterunt; et ex hoc non damnationem a Deo, sed præmium acquisierunt.

Sed dicendum est, quod Apostolus hic loquitur de eo qui resistit potestati [1] secundum quod est a Deo ordinata. Habet autem hoc divina ordinatio, ut potestati inferiori non obediatur contra superiorem; sicut etiam in rebus humanis, ut proconsuli non obediatur contra imperatorem, nec balivo contra regem. Et omnis potestas humana sub potestate Dei ordinatur; et nulli potestati humanæ est contra Deum obediendum, secundum illud Act. V, 29 : *Oportet obedire magis Deo quam hominibus.*

Deinde cum dicit, *Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali*, assignat rationem ejus quod dixerat : et primo ponit rationem; secundo ex ratione posita quoddam utile documentum trahit, ibi, *Vis autem non timere potestatem? Bonum fac;* tertio hujus documenti necessitatem assignat, ibi, *Si autem male feceris, time.* Dicit ergo primo : Dictum est, quod *qui resistunt potestati, sibi damnationem acquirunt : nam principes*, qui hic potestates dicuntur, *non sunt timori*, idest in timorem, *boni operis*, idest propter bonum opus, *sed mali*, idest propter malum. Quod quidem videtur esse intelligendum secundum causam instituendi principes. Ad hoc enim sunt instituti [2] principes, ut illi qui amore virtutis non provocantur ad vitandum malum et faciendum bonum, cogantur ad hoc timore pœnæ. Proverb. XX, 8 : *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Et secundum hoc dicitur, quod *principes non sunt timori boni operis, sed mali*, quantum ad id quod principi ex officio competit; sicut et Isai. XXXII, 8, dicitur : *Princeps ea quæ sunt digna principe cogitabit.* Potest quidem hoc referri etiam ad malos principes, qui non sunt timori boni operis, sed mali : quia etsi interdum injuste persequuntur bene operantes, non tamen illi qui bene operantur, causam habent timendi : quia hoc ipsum, si patienter sustinent, in eorum bonum cedit, secundum illud I Pet. III, 14 : *Si quid patimini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, ut non conturbemini.* Ex hoc autem quod hic dicitur, assignari potest ratio quare qui potestati resistunt, sibi damnationem acquirant : sive intelligatur de damnatione punitionis qua principes rebelles puniunt, sive de damnatione qua homines puniuntur a Deo. Si enim principes sunt timori mali operis, consequens est quod si aliquis potestati resistit male operetur; et ita ipse homo male agendo, est sibi causa punitionis temporalis et æternæ.

Deinde cum dicit, *Vis autem non timere potestatem?* ex eo quod dixerat, quoddam utile documentum tradit, scilicet vitandi timorem principum. Et primo insinuat sua interrogatione hoc esse desiderabile, dicens : *Vis non timere potestatem?* quasi dicat : Hoc debet homini esse placitum. Prov. XX, 2 : *Sicut rugitus* [3] *leonis, ita et terror regis.* Secundo docet medium ad hoc perveniendi, dicens, *Bonum fac :* quia, ut dicitur Prov. XXVI, 13, *voluntas regum, labia justa.* Et in Psal. C, 6 : *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Tertio ostendit hujus effectum, dicens : Et si benefeceris, non solum timorem vitabis, sed etiam *habebis laudem ex illa*, scilicet potestate : quod planum est, si accipiatur secundum finem, ad quem institutæ sunt potestates : ad hoc enim institutæ sunt ut non solum a malis timore pœnarum retrahant, sed etiam ut ad bonum per præmia [4] alliciant, secundum illud I Petr. II, 14 : *Sive ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam malorum* [5], *laudem vero bonorum.* Verificatur hoc etiam de malis principibus, quorum injustam persecutionem dum boni patienter sustinent, laudantur. Jacob. V, 11 : *Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt.* Quarto rationem assignat, dicens : *Dei enim minister est tibi in bonum :* quod quidem manifeste patet quantum ad debitum ordinem principum : sunt enim sub regimine Dei, quasi supremi Principis, tamquam ministri ordinati. Sapient. VI, 5 : *Cum essetis*

[1] Al. : « potestati inferiori. » — [2] Al. : « instituendi. »

[3] Al. : « tremitus. » — [4] Al. : « et præmia. »
[5] Al. : « malefactorum »

ministri regni illius[1], *non recte judicastis.* Ad idem autem tendit minister et dominus. Eccli. x, 2 : *Secundum judicem populi, sic et ministri ejus.* Et ideo sicut Deus operatur in bonum his qui bonum agunt; ita et principes, si recte ministerium suum impleant. Sed et mali principes ministri Dei sunt secundum ordinationem Dei ad inferendas pœnas, licet hoc sit præter intentum eorum : secundum illud Isa. xix, 5 : *Assur virga furoris mei, et baculus ipse in manu mea est... Ipse autem non sic arbitrabitur* : et Hierem. xxv, 9 : *Assumam universam cognationem aquilonis, et Nabuchodonosor regem Babilonis servum meum, et adducam eos super terram istam et super habittaores ejus, et super omnes cognationes quæ in circuitu illius sunt, et interficiam eas* ; et quia tales mali principes interdum, Deo permittente, bonos affligunt, quod in bonum eorum cedit : secundum illud supra viii, 28 : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Deinde cum dicit, *Si autem male feceris, time*, ostendit necessitatem præmissi documenti. Dictum est enim, quod benefaciendo non timebis potestatem; *si autem male feceris, time* : quia causam timoris habes. Prov. x, 29 : *Pavor his qui operantur malum.* Sapient. xvii, 10 : *Cum sit timida nequitia, data est in omnium condemnationem.* Secundo assignat rationem, dicens : *Non enim sine causa gladium portat.* Loquitur autem secundum consuetudinem principum, qui quasi insignia[2] suæ potestatis, deferebant instrumenta puniendi, puta fasces virgarum ad verberandum, et secures vel gladios ad occidentum. Job xix, 29 : *Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum est gladius.* Tertio rationem exponit, dicens *Portat* inquam, *gladium, quia est minister Dei, vindex*, idest vindictam exercens, *in iram*, idest ad exequendam iram Dei, idest justum judicium ejus, *ei qui malum agit*, idest contra malefactorem. Ezech. xvi, 37 : *Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, et dicabo te et dabo te in manus eorum, in judiciis adulterorum, et destruent lupanatuum.* Prover. xvi, 12 : *Abominabiles regi qui impie agunt, quoniam justitia firmatur solium.* Ex quo patet quod non solum est licitum, sed etiam meritorium principibus qui zelo justitiæ vindictam exercent in malos : unde dicitur Ezech. xxix, 19 : *Erit merces exercitui illius, et operi quo servivit mihi adversus eam.*

Deinde cum dicit, *Ideoque necessitate subditi estote*, infert conclusionem principaliter intentam, dicens, *Ideoque*, propter prædictas rationes, *subditi estote* principibus, *ex necessitate*[3], quia scilicet hoc est ex necessitate salutis ; *subditi estote* voluntarie *necessitati* quæ vobis imminet potentia principum, ut faciatis de necessitate virtutem, non solum *propter iram*, idest vindictam vitandam, quod pertinet ad secundam rationem, *sed etiam propter conscientiam* bonam conservandam, quod pertinet ad primam rationem : quia *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Tit. iii, 1 : *Admone illos, principibus et potestatibus subditos esse.*

Deinde cum dicit, *Ideo enim et tributa præstatis*, inducit homines ad exhibendum suis superioribus signum subjectionis : et primo ponit signum subjectionis; secundo inducit ad ejus exhibitionem, ibi, *Reddite ergo omnibus debita.* Circa primum duo facit. Primo ponit subjectionis signum, dicens, *Ideo enim*, idest quod debetis esse subjecti, et tributa præstatis, idest præstare debetis in signum scilicet subjectionis. Et ideo conquerendo dicitur Thren. i, 1 : *Princeps provinciarum facta est sub tributo.* Dicuntur autem tributa, eo quod subditi dominis ea tribuunt. Secundo assignat rationem, dicens : *Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum*, idest pro hoc ipso, scilicet tributo, recipiendo[4], *servientes*, scilicet Deo et populo; quasi dicat : Unusquisque de suo ministerio vivere debet, secundum illud I Corinth. ix, 7 : *Quis pascit gregem, et de lacte ejus non edit?* Et ideo cum principes nostri suo regimine Deo ministrent, a populo debent tributa suscipere, quasi stipendia sui ministerii; non autem ita quod hoc debeant sibi computare pro præmio : proprium enim præmium principis est laus et honor, ut Philosophus dicit in V *Ethic;* et cum hoc non sufficit, tyrannus fit. Sed hoc non est intelligendum de laude humana solum, vel honore, quia tale præmium esset vanum ; sed de

[1] Al. : « regis illius. »
[2] Al. : « in figura. » — [3] Al. : « subditi estote voluntarie necessitati quæ vobis imminet præcepto Principum, etc. » intermediis omissis. —
[4] Al. : « idest pro ipso tribus recipiendo. »

laude et honore divino, qui principibus bene gubernantibus exhibetur. Sapient. XI, 22 : O *reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis.* Hujusmodi autem tributa recipiunt ad sustentationem. Laborant autem principes ad omnium pacem. Unde dicitur II Tim. XXI, 2 : *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt constituti, ut quietam ac tranquillam vitam agamus.* Baruch I, 11 : *Orate pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis, ut vivamus sub umbra ejus.* Ab hoc tamen debito libri sunt clerici ex privilegio principum ; quod quidem æquitatem naturalem habet : unde etiam apud Gentiles liberi erant a tributis illi qui vacabant rebus divinis : legitur enim Genes. XLVII, quod Joseph subjecit Pharaoni totam terram Ægypti, præter terram sacerdotum, quæ a rege tradita fuerat eis, quibus et statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur. Et infra *loc. cit.* dicitur, quod in universa terra Ægypti quinta pars solvitur absque terra sacerdotali, quæ libera erat ab hac conditione. Hoc autem ideo [1] æquum est, quia sicut reges solicitudinem habent de bono publico in bonis temporalibus, ita ministri Dei in spiritualibus : et sic per hoc quod Deo in spiritualibus ministrant, recompensant regi quod pro eorum pace laborat.

Sed attendendum est, cum tributa dicta sint regibus esse debita quasi laboris stipendium, quod dupliciter peccare possunt principes accipiendo tributa. Primo quidem si utilitatem populi non procurent, sed solum ad diripiendum eorum bona intendant : unde dicitur Ezech. XXXIV, 3 : *Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis; gregem autem meum non pascebatis.* Alio modo ex eo quod violenter diripiunt supra statutam legem, quæ est quasi quoddam pactum inter regem et populum, et supra populi facultatem : unde dicitur Mich. III, 1 : *Audite principes Jacob, et duces domus Israel* : et postea subdit : *Qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, et carnes eorum desuper ossibus eorum.*

Deinde cum dicit, *Reddite ergo omnibus debita*, monet ad reddendum prædictum subjectionis signum : et primo quidem in generali, dicens : Ex quo tributum debetur principibus, tamquam Dei ministris, *reddite ergo omnibus debita.* Ex quo patet quod ex necessitate justitiæ tenentur subditi sua jura principibus exhibere. Matth. XVIII, 24 : *Oblatus est regi unus qui debebat decem millia talenta* : et XXII, 21 : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Secundo specificat ; et primo ea quæ sunt exteriora, dicens : *Cui tributum*, scilicet debetis, reddite *tributum,* quod scilicet principi tribuitur pro generali regimine, quo patriam in pace et quiete gubernat. Gen. XLIX, 15 : *Vidit requiem, quod esset bona... factusque est tributis serviens. Cui vectigal*, scilicet debetis, reddite *vectigal*, quod scilicet redditur Principi in aliquibus certis locis de mercimoniis quæ deferuntur pro reparatione viarum [2] et custodia. Vel vectigal dicitur quod datur principi, quando per patriam devehitur [3], sicut sunt procurationes et alia hujusmodi. Secundo ponit ea quæ sunt interius exhibenda. Est autem considerandum, quod principi debetur et timor et honor : timor quidem, inquantum est dominus sua potestate malos coercens a malis [4]. Malach. I, 6 : *Si ego Dominus, ubi est timor meus?* Et ideo dicit : *Cui timorem*, scilicet debetis, reddite *timorem*. Proverb. XXIV, 21 : *Deum time, fili mi.* Inquantum autem quasi pater providet bonis quæ sunt in laudem eorum, debetur illi honor. Malach. I, 6 : *Si ego pater, ubi honor meus?* Et ideo subdit : *Cui honorem*, debetis reddite *honorem.* I Pet. II, 17 : *Regem honorificate.*

Sed contra est quod dicitur Lev. XIX, 15 : *Non honores vultum potentis.* Sed hoc est intelligendum quantum ad hoc ut pro eo a justitia non declines : unde subditur ibid. : *Juste judica proximo tuo.*

LECTIO II.

Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis : qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi, malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.

[1] Al. : « omnino. »

[2] Al. deest : « viarum. » — [3] Al. : « devenitur » — [4] Al. omittitur : « a malis »

Supra Apostolus ostendit qualiter debeant fideles ad superiores justitiam observare ; hic ostendit [1] quid debeant omnibus communiter exhibere : et circa hoc duo facit. Primo proponit quod intendit ; secundo reddit rationem, ibi, *Qui enim diligit proximum, legem implevit.* Dicit ergo primo : Dictum est, *Reddite omnibus debita*, non quidem particulariter, sed integraliter : et hoc est quod subdit [2] : *Nemini quidquam debeatis* ; quasi dicat : Ita plene omnibus omnia debita persolvatis ut nihil remaneat quod solvere debeatis. Et hoc quidem propter duo. Primo, quia in ipsa mora reddendi, peccatum communitur, dum homo injuste detinet rem alienam : unde dicitur Lev. XIX, 13 : *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.*

Et eadem est ratio de aliis debitis. Secundo, quia quamdiu aliquis debet, est quodammodo servus, et cui debet obligatur ; Proverb. XXII, 7 : *Qui accipit mutuum, servus est fenerantis.* Sunt tamen quædam debita a quibus homo nunquam potest se absolvere ; et hoc contingit [3] dupliciter. Uno quidem modo propter excellentiam beneficii, cui æquivalens recompensari non potest ; sicut Philosophus dicit de honore qui exhibetur Deo vel parentibus, secundum illud Psal. CXXXI, 12 : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi*? Alio modo propter causam debendi, quæ semper manet ; vel etiam propter hoc quod illud quod redditur, nunquam exhauritur, sed semper in reddendo crescit. Et propter has causas debitum dilectionis fraternæ ita solvitur quod semper debetur. Primo quidem, quia dilectionem proximo debemus propter Deum, cui sufficienter recompensare non possumus : dicitur enim I Joan. IV, 21 : *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum diligat et fratrem suum.* Secundo, quia causa dilectionis semper manet, quæ est similitudo naturæ et gratiæ. Eccli. XIII, 19 : *Omne animal diligit sibi simile* ; *sic et omnis homo proximum sibi.* Tertio, quia caritas in diligendo non deficit, sed proficit. Philip. I, 9 : *Hoc oro, ut caritas vestra magis ac magis abundet.* Ideo dicit : *Nisi ut invicem diligatis* : quia scilicet dilectionis debitum ita semel redditur ut tamen semper maneat sub debito præcepti. Joan. XV, 12 : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.*

Deinde cum dicit, *Qui enim diligit proximum, legem implevit*, assignat causam ejus quod dixerat, debito dilectionis nos nunquam absolvi, quia scilicet in dilectione, tota legis impletio consistit : unde circa hoc tria facit. Primo proponit quod intendit ; secundo manifestat propositum, ibi, *Nam non adulterabis* etc. ; tertio infert conclusionem intentam, ibi, *Plenitudo ergo legis est dilectio.* Dicit ergo primo : Ideo dictum est, quod non intendamus nos expedire a debito dilectionis, sicut ab aliis debitis : *qui enim diligit proximum, legem implevit* ; idest, tota impletio legis ex proximi dilectione dependet.

Sed hoc non videtur verum : dicitur enim I Timoth. I, 5 : quod *finis præcepti caritas est.* Unumquodque enim perficitur cum ad finem pervenit ; et ideo tota legis perfectio in caritate consistit. Sed caritas duos habet actus, scilicet dilectionem Dei, et dilectionem proximi : unde et Dominus dixit Matth. XXII, quod tota lex et Prophetæ pendet in duobus mandatis caritatis ; quorum unum est de dilectione Dei, aliud de dilectione proximi. Non ergo videtur quod qui proximum diligit, impleat totam legem.

Sed dicendum est, quod illa dilectio proximi ad caritatem pertinet et legem implet, qua proximus diligitur propter Deum ; et ita in dilectione proximi includitur dilectio Dei, sicut causa includitur in effectu. Dicitur enim I Joan. IV, 21 : *Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.* Et e converso dilectio proximi includitur in dilectione Dei, sicut effectus in causa : unde ibidem dicitur : *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum odit, mendax est.* Et inde est quod in sacra Scriptura quandoque fit mentio solum de dilectione Dei, quasi sufficiat ad salutem : secundum illud Deut. X, 12 : *Et nunc Israel audi : quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum* ? quandoque autem fit mentio solum de dilectione proximi : Joan. XV, 17 : *Hoc vobis mando, ut diligatis invicem.*

Deinde cum dicit, *Nam non adulterabis* etc., probat propositum : primo quidem

[1] Al. : « quid debeant omnibus exhibere : et primo proponit. etc. » — [2] Al. : « ostendit. »

[3] Al. omittitur : « contingit. »

per inductionem ; secundo vero per medium syllogismi, ibi, *Dilectio proximi, malum non operatur.* Circa primum, more inducentium, enumerat quædam præcepta quæ dilectionem proximi implent. Et quia præcepta tria primæ tabulæ immediatius ordinantur ad dilectionem Dei, non facit mentionem hic de eis, quamvis et ipsa impleantur in dilectione proximi, prout dilectio Dei includitur [1] in dilectione proximi. Enumerat autem mandata secundæ tabulæ ; prætermittit tamen præceptum affirmativum tantum, quod est de honore parentum, in quo etiam intelligitur ut omnibus reddamus quæ debemus ; enumerat autem præcepta negativa, per quæ aliquis prohibetur malum proximis inferre ; et hoc duplici ratione. Primo quidem, quia præcepta negativa sunt magis universalia et quantum ad tempora et quantum ad personas. Quantum ad tempora quidem, quia præcepta negativa obligant semper et ad semper : nullo enim tempore est furandum et adulterandum : præcepta autem affirmativa obligant quidem semper, sed non ad semper, sed pro loco et tempore : non enim tenetur homo ut omni tempore honoret parentes, sed pro loco et tempore. Quantum ad personas autem, quia nulli hominum est nocendum. Non autem sufficientes sumus ut unus homo possit omnibus hominibus servire. Secundo, quia magis manifestum est quod per dilectionem proximi implentur præcepta negativa quam affirmativa : qui enim diligit aliquem, magis abstinet a nocumento illius quam ei beneficia impendat, a quo quandoque homo impeditur per impotentiam. Tripliciter autem aliquis nocumentum proximo inferre potest. Uno modo, facto ; alio modo, verbo ; tertio, desiderio. Facto quidem tripliciter. Uno modo quantum ad personam ipsius proximi ; et hoc prohibetur cum dicitur, *Non occides* : in quo etiam intelligitur prohiberi omnis injuria in personam proximi illata. I Joan. III, 15 : *Omnis homicida non habet vitam æternam in se ipso.* Secundo quantum ad personam conjunctam, scilicet uxorem ; et hoc prohibetur cum dicitur, *Non adulterabis* : in quo etiam intelligitur prohiberi fornicatio, et omnis illicitus usus genitalium membrorum. Hebr. ult. 4, *Fornicatores et adulteros judicabit Deus.* Tertio quantum ad res exteriores : quod prohibetur cum dicitur, *Non furaberis :* in quo etiam prohibetur [2] omnis injusta subtractio rei alienæ, sive per vim sive per dolum. Zach. v, 3 : *Omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur.* Nocumentum autem quod quis proximo infert verbo, prohibetur cum dicitur : *Non falsum testimonium dices :* quod non solum prohibetur in judicio, sed etiam extra judicium, sive per modum detractionis sive per modum contumeliæ. Proverb. XIX, 9 : *Testis falsus non erit impunitus ; et qui mendacia loquitur, non effugiet.* Nocumentum autem quod quis infert proximo, solo desiderio prohibetur cum dicitur : *Non concupisces rem proximi tui* : ubi etiam intelligitur prohiberi concupiscentia uxoris. Supra VII, 7 : *Nam concupiscentiam nesciebam,* scilicet esse peccatum, *nisi lex diceret, Non concupisces.* Ponuntur autem hæc mandata Exod. XX. Enumeratis autem pluribus præceptis, colligit omnia alia in communi, dicens *Et si quod est aliud mandatum*, affirmativum vel negativum, vel ad Deum vel ad proximum pertinens [3], per modum supra dictum, *instauratur*, idest perficitur et impletur, *in hoc verbo, Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Quod quidem ponitur Lev. XIX, 18 : ubi nos habemus : *Diliges amicum tuum sicut te ipsum.* Quod autem dicit *Proximum tuum*, referendum est ad omnem hominem, et etiam ad sanctos Angelos, ut Augustinus probat in I, *De doctrina christiana*, cap. XXX. Nomine enim proximi intelligitur quicumque facit alicui misericordiam, secundum illud Luc. x, 36 : *Quis tibi videtur illi proximus fuisse qui incidit in latrones? Et ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum.* Et quia proximus est proximo proximus, consequens est quod etiam ille qui ab aliquo misericordiam recipit, proximus ei dicatur. Sancti autem Angeli nobis misericordiam impendunt, et nos omnibus hominibus misericordiam debemus impendere, et ab eis, cum necesse fuerit, recipere ; unde patet quod sancti Angeli et omnes homines proximi nobis dicuntur, quia beatitudinem ad quam nos tendimus, vel jam habent, vel ad eam nobiscum tendunt. Ex quo patet quod dæmones non sunt secundum hanc rationem proximi

[1] Al. : « prout includit dilectionem Dei. » — [2] Al. : « intelligitur prohiberi. » — [3] Al. : « vel negativum ad proximum pertinens, etc. »

nobis, nec sub hoc præcepto eorum dilectio nobis injungitur : quia sunt totaliter a dilectione [1] Dei exclusi, et non sunt computandi in numero proximorum, sed in numero hostium. Quod autem dicit, *Sicut teipsum*, non est referendum ad æqualitatem dilectionis, ut scilicet aliquis teneatur diligere proximum æqualiter sibi : hoc enim esset contra ordinem caritatis, quo quilibet plus tenetur suam quam aliorum salutem curare, Cant. II, 4 : *Ordinavit in me caritatem*, sed est referendum ad similitudinem dilectionis, ut scilicet similiter diligamus proximum sicut nosipsos ; et hoc tripliciter. Primo quidem quantum ad finem dilectionis, ut scilicet nos et proximum diligamus propter Deum. Secundo quantum ad formam dilectionis, ut scilicet sicut aliquis seipsum diligit quasi sibi volens bonum, ita aliquis proximum diligat, quasi ei bona volens [2]. Qui autem diligit proximum ad hoc solum ut ejus utilitate vel delectatione potiatur ; non vult bonum proximo, sed ex proximo vult sibi bonum. Quo quidem modo homo amare dicitur res irrationales, puta vinum vel aquam, ut scilicet eis utatur. Tertio quantum ad effectum dilectionis, ut scilicet aliquis necessitati proximi subveniat sicut sibi; et quod nihil illicitum propter amorem proximi committat, sicut nec propter suum amorem.

Deinde cum dicit, *Dilectio proximi malum non operatur*, manifestat propositum medio syllogismi per hunc modum. Qui diligit proximum, nullum malum operatur ad ipsum; sed ad hoc tendit omne legis præceptum ut abstineatur a malo : qui ergo diligit proximum, legem implevit. Quod autem dilectio proximi malum non operetur, habetur I Corinth. XIII, 4 : *Caritas non agit perperam.* Quocumque autem modo accipiatur hic malum; vel pro malo transgressionis, vel etiam omissionis [3]; poterit hoc referri non solum ad præcepta negativa, sed etiam ad affirmativa. Inquantum vero dilectio proximi includit dilectionem Dei, intelligitur quod dilectio proximi excludit malum non solum quod est contra proximum, sed etiam quod est contra Deum. Et sic includuntur etiam præcepta tabulæ primæ.

Ultimo autem infert conclusionem principaliter intentam, dicens : *Plenitudo ergo legis est dilectio* ; idest, per dilectionem lex impletur et perficitur. Eccli. XXIV, 16 : *In plenitudine sanctorum detentio mea.* Coloss. III, 14, *Caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.*

LECTIO III.

Et hoc scientes tempus, quia hora est jam nos de somno surgere : nunc enim propior est nostra salus quam cum credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus : non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione; sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis.

Postquam Apostolus ostendit quomodo homo debet se Deo exhibere pium, convenienter ejus donis utendo, et proximo juste, ei debita reddendo; hic ostendit quomodo in seipso debeat honestatem conservare ; et circa hoc duo facit. Primo proponit temporis congruitatem ; secundo exhortatur ad honestatem operum, ibi, *Abjiciamus ergo opera tenebrarum.* Circa primum tria facit. Primo ponit temporis congruitatem ; secundo assignat rationem, ibi, *Nunc enim propior est nostra salus quam cum credidimus ;* tertio adhibet similitudinem, ibi *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Dicit ergo primo : Dictum est quæ debetis observare : et hoc non solum propter ea quæ dicta sunt, sed etiam *scientes hoc tempus*, idest per hoc quod debetis considerare hujus temporis conditionem : quia, ut dicitur Eccle. VIII, 6, *omni negotio tempus est et opportunitas.* Hier. VIII, 7 *: Milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur et hirundo et ciconia custodierunt tempus adventus sui; populus autem meus non cognovit judicium Domini.* Ad quid autem congruum sit hoc tempus, ostendit subdens : *Quia hora est jam nos de somno surgere* : quod quidem intelligendum est, non de somno naturæ, quod quandoque dicitur mors : secundum illud I Thess. IV, 12 :

[1] Al. : « a societate. »
[2] Al. omittitur : « quasi ei bona volens. » — [3] Al. : « si quidem accipiatur hic malum non solum transgressionis, sed etiam omissionis; poterit hoc referri, etc. »

Nolumus vos ignorare de dormientibus : quandoque autem est quies animalium virtutum, secundum illud Joan. XI, 12 : *Si dormit, salvus erit.* Nec etiam intelligendum est de somno gratiæ, quod quandoque dicitur quies æternæ gloriæ, secundum illud Psalm. IV, 9 : *In pace in idipsum dormiam et requiescam*, quandoque autem est quies contemplationis etiam in hac vita : Cant. V, 2 : *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Sed intelligitur de somno culpæ, secundum illud Ephes. V, 14 : *Exurge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* vel etiam negligentiæ, secundum illud Proverb. VI, 9 : *Usquequo piger dormies?* Tempus ergo est surgendi a somno culpæ per pœnitentiam : Psalm. CXXVI, 2 : *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris* : a somno vero negligentiæ per solicitudinem bene operandi : Isa. XXI, 5 : *Surgite principes, accipite clypeum.* Eccli. XXXII, 15 : *Hora surgendi non te tristet.* Deinde cum dicit, *Nunc enim propior est salus nostra*, assignat rationem ejus quod dixerat, dicens : *Nunc enim propior est salus nostra quam cum credidimus* : quod quidem secundum intentionem Apostoli intelligitur de salute vitæ æternæ, de qua dicitur Isa. LI, 8 : *Salus autem mea in sempiternum erit.* Ad hanc autem salutem homo ordinatur primo quidem per fidem. Mar. ult. 16 : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Sed semper magis ac magis homo accedit ad eam per bona opera et caritatis augmentum : unde dicitur Jacob. IV, 8 : *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Hoc est ergo quod Apostolus dicit : Ideo *hora est jam nos de somno surgere : nunc enim*, quando scilicet per caritatis augmentum profecimus, *propior*, idest propinquior, *est*, scilicet nobis, *nostra salus*, scilicet vitæ æternæ, de qua dicitur Isa. LI, 8 : *Salus autem mea in sempiternum erit* : *quam cum credidimus*, idest quam cum a principio fidem accepimus. Et potest hic intelligi duplex propinquitas. Una quidem secundum tempus : quia viri sancti in operibus justitiæ proficientes magis appropinquant ad terminum vitæ hujus, in quo mercedem accipiunt. Alia vero est propinquitas dispositionis vel præparationis : quia per augmentum caritatis et operationem justitiæ, homo præparatur ad illam salutem. Matth. XXV, 10 : *Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias.* Sed secundum quod Ecclesia hæc verba adventus tempore legit, videntur hæc verba esse referenda ad salutem quam Christus fecit in suo primo adventu, ut intelligamus Apostolum loquentem quasi ex persona omnium fidelium, qui fuerunt ab initio mundi. Appropinquante enim jam tempore incarnationis Christi, quo vaticinia Prophetarum crebrescebant, quod tempus repræsentat Ecclesia, poterit dici, *Nunc propior est nostra salus*, scilicet Christus, *quam cum credidimus*, idest cum homines a principio credere cœperunt Christi adventum futurum. Isa. LVI, 11 : *Juxta est salus mea ut veniat, et justitia mea ut reveletur.* Posset etiam assumi ad tempus misericordiæ, quo quis incipit velle a præteritis peccatis discedere : tunc enim magis appropinquat suæ saluti, quam a principio, dum haberet fidem informem. Jac. IV, 7 : *Resistite diabolo, et fugiet a vobis; appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Deinde cum dicit, *Nox præcessit, dies autem appropinquavit*, ponit ad propositum similitudinem : quod quidem secundum intentionem Apostoli sic videtur esse intelligendum ut totum tempus vitæ præsentis nocti comparetur propter ignorantiæ tenebras [1], quibus præsens vita gravatur : Job XXXVII, 19 : *Omnes quippe involvimur tenebris* : et de hac nocte dicitur Isa. XXVI, 9 : *Anima mea desideravit te in nocte.* Diei autem comparatur status futuræ beatitudinis propter claritatem Dei, qua sancti illustrantur. Isa. LX, 19 : *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Ad quem diem refertur quod dicitur in Psal. CXVII, 24 : *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea.* Alio modo potest intelligi quod status culpæ nocti comparetur propter tenebras culpæ, de quibus dicitur in Psal. LXXXI, 5 : *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant* : et de hac nocte dicitur Sap. XVII, 20 : *Solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ superventura erat illis.* Dies autem dicitur status gratiæ propter lumen spiritualis intelligentiæ, quod justi habent, sed impiis deest. Psal. XCVI, 11 : *Lux orta est justo.* Sap. V, 6 : *Sol intelligentiæ non est ortus nobis.*

[1] Al. desunt sequentia usque ad illa verba, « Et de hac nocte, etc. »

Tertio modo potest intelligi quod comparetur nocti tempus præcedens Christi incarnationem, quia nondum erat manifestata, sed sub quadam caligine. II Pet. I, 19 : *Habetis propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Et de hac nocte dicitur Isai. XXI, 4 : *Custos quid de nocte?* Unde sicut in nocte apparent umbræ, ita etiam illo tempore eminebant legalia, quæ sunt umbra futurorum, ut dicitur Coloss. II. Tempus autem ab incarnatione Christi comparatur diei propter præsentiam [1] spiritualis solis in mundo; de quo dicitur Malach. ult. 2 : *Vobis timentibus nomen meum, orietur sol justitiæ.* Unde et ipse Dominus dicit Joan. IX, 4 : *Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est* : et postea subdit : *Quamdiu in mundo sum, lux sum mundi.* Quod ergo dicitur, *Nox præcessit*, indifferenter accipi potest pro qualibet prædictarum trium noctium. Jam enim præcesserat eos quibus scribebat et magna pars temporis hujus vitæ, et, quod verius est, præcesserat nox culpæ; præcesserat etiam tempus legis, quod fuit ante Christum. Quod autem subdit, *Dies autem appropinquavit*, videtur secundum intentionem Apostoli referendum esse ad diem futuræ gloriæ, qui licet nondum advenisset fidelibus Christi quibus scribebat, tamen in propinquo erat eis. Secundum prædicta posset etiam intelligi tempus gratiæ Christi; quod etsi jam advenerit secundum temporum cursum, appropinquare tamen nobis dicitur per fidem et devotionem, sicut et Philip. V, 5, dicitur : *Dominus prope est* : et in Psal. CXLIV, 18 : *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum.* Potest etiam hoc congruere his qui de peccatis pœnitere incipiunt, quibus dies gratiæ appropinquat.

Deinde cum dicit, *Abjiciamus ergo opera tenebrarum*, concludit exhortationem de honestate vitæ : et primo ponit exhortationem; secundo exponit eam, ibi, *Non in comessationibus et ebrietatibus*, etc. Circa honestatem vitæ tria tangit. Primo quidem remotionem vitiorum, concludens ex præmissis : Si *nox præcessit*, ut dictum est, *abjiciamus opera tenebrarum* : quia, ut dicitur Eccle. VIII, 6 : *Omni negotio tempus est et opportunitas.* Unde recedente nocte, cessare debent opera noctis. Dicuntur autem opera tenebrarum, opera peccatorum : primo quidem quia in seipsis privata sunt lumine rationis, quo illustrari debent humana opera : Eccli. II, 14 : *Sapientis oculi in capite ejus, stultus in tenebris ambulat* : secundo, quia in tenebris aguntur : Job 24, 15 : *Oculus adulteri observat caliginem* : tertio, quia per ea homo ad tenebras ducitur, secundum illud Matth. XXII : 13 : *Mittite eum in tenebras exteriores.* Secundo inducit ad assumendas virtutes; quasi dicat : Ex quo dies appropinquavit, assumentes ea quæ congruunt diei, *induamur arma lucis*, idest virtutes, quæ et arma dicuntur, inquantum nos muniunt. Ephes. ult. II : *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Et dicuntur lucis arma, tum quia lumine rationis decorantur et perficiuntur : unde dicitur Prov. IV, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens procedit* : tum quia lucis examen requirunt : Joan. III, 21 : *Qui facit veritatem, venit ad lucem* : tum quia per opera virtutum alii illuminantur : Matth. V, 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona.* Tertio exhortatur ad usum virtutum et profectum, cum dicit : *Sicut in die honeste ambulemus* : hæc enim duo videntur diei congruere. Primo quidem honestas : nam in die unusquisque seipsum studet componere, ut coram aliis honestus appareat; in nocte autem non sic : unde dicitur I Thess. V, VII : *Qui dormiunt, nocte dormiunt; et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Nos autem qui diei sumus, sobrii simus.* Unde I Corinth. XIV, 40, dicitur : *Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis.* Secundo homo in die ambulat, non in nocte : unde dicitur Joan. XI, 10 : *Qui ambulat in nocte, offendit.* Et ideo quia dies est, oportet quod ambulemus, idest de bono in melius procedamus. Unde dicitur Joan. XII, 35 : *Ambulate dum lucem habetis.* Deinde cum dicit, *Non in comessationibus et ebrietatibus*, exponit quod dixerat : et primo exponit quomodo sunt abjicienda opera tenebrarum, quæ sunt opera peccatorum : de quibus quædam enumerat, primo ponens ea quæ pertinent ad corruptionem concupiscibilis, cujus corruptio est intemperantia, quæ est circa delectationes tactus, et circa cibos [2] : unde primo ex-

[1] Al. : « potentiam. »

[2] Al. omittitur : « unde primo excludit intemperantiam ciborum. »

cludit intemperantiam ciborum, cum dicit, *Non in comessationibus.* Dicuntur comessationes, superfluæ et nimis accuratæ comestiones. Prov. XXIII, 20 : *Noli esse in conviviis peccatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt.* Quod quidem potest esse peccatum mortale ex hoc quod secundum legem pro hac culpa aliquis damnatur ad mortem. Dicitur enim de filio protervo Deut. XXI, 20 : *Comessationibus vacat et luxuriæ, atque conviviis : lapidibus eum obruet populus civitatis, et morietur.* Dicitur aliquis vacare comessationibus atque conviviis, non quidem si comedat magnifice secundum statum suæ dignitatis, sicut dicitur Esther II, quod Assuerus jussit præparari convivium magnificum propter conjunctionem Esther, juxta magnificentiam principalem; sed quando aliquis hoc facit præter decentiam sui status, et præcipue si ad hoc principalis ejus cura existat; sicut illi de quibus dicitur infra ult. XVIII, *Hujusmodi Christo Domino non serviunt, sed suo ventri* : et Phil. III, 19, *Quorum deus venter est.* Secundo excludit intemperantiam circa potum, cum subdit, *Et ebrietatibus*, quæ pertinent ad superfluitatem potus extra mensuram rationis hominem ponentis. Eccli. XXXI, 31 : *Vinum in jucunditatem creatum est, et non in ebrietatem.*

Et est considerandum, quod ebrietas ex suo genere est peccatum mortale, cum scilicet homo ex proposito inebriatur : quia videtur præferre delectationem vini integritati rationis : unde dicitur Isa. V, 22 : *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Si vero aliquis inebrietur præter intentionem, non ex proposito; puta quia ignorat virtutem vini, vel quia non æstimat se tanto potu inebriandum; non est peccatum mortale : quia non per se inebriatur, sed per accidens, idest præter intentionem : quod quidem non potest contingere in his qui frequenter inebriantur; et ideo dicit Augustinus in sermone *De Purgatorio serm.* XLI *De Sanct.*, quod ebrietas est peccatum mortale, si assidua fuerit. Unde signanter hic Apostolus in plurali numero dicit : *Non in comessationibus et ebrietatibus.*

Tertio [1] excludit intemperantiam circa corporalem quietem, cum dicit, *Non in cubilibus*, idest non in superflua dormitione; quam convenienter post comessationem et ebrietatem prohibet, quia sequitur ex illis; et potest esse in hoc peccatum mortale, quando propter quietem corporalem et somnum, omittit homo quæ facere debet, et inclinatur ad aliqua mala facienda. Mich. II, 1 : *Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris.* Potest etiam quod dicit, *Non in cubilibus*, referri ad apparatum luxuriæ : unde dicitur in persona meretricis Prov. VII, 17 : *Aspersi cubile meum myrrha et aloe et cinnamomo.* Gen. XLIX, 4 : *Ascendisti cubile patris tui.* Et ideo convenienter quarto excludit intemperantiam circa venerea, cum subdit, *Et impudicitiis*, idest quibuscumque venereis actibus, qui dicuntur impudici, quia non cavent id quod est maxime pudore vel confusione dignum : tum quia omnes delectationes tactus, gulæ et luxuriæ sunt communes nobis et brutis : unde qui eis inordinate insistit, brutalis efficitur : Psalm. XXXI, 9 : *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus :* tum etiam quia specialiter in actibus venereis ratio hominis totaliter absorbetur a delectatione, ut non possit homo tunc aliquid intelligere, sicut Aristoteles dicit in lib. IV *Ethic.* cap. XXII. Unde et Oseæ IV, 11, dicitur : *Fornicatio et ebrietas et vinum auferunt cor.* II Cor. XII, 21 : *Non egerunt pœnitentiam super immunditia et fornicatione et impudicitia quam gesserunt.* Deinde excludit ea quæ pertinent ad corruptionem irascibilis, cum dicit, *Non in contentione* : quæ quidem, ut Ambrosius dicit *In epist.* II *ad Tim.* cap. IV, est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. Potest autem intelligi quod per hoc prohibetur omnis rixa non solum verborum, sed et factorum, quæ ut plurimum a verbis incipit. Proverb. XX, 3 : *Honor est homini qui separat se a contentionibus.* Solet autem contentio ex invidia generari; et ideo subdit, *Et æmulatione.* Unde Jac. III, 16, dicitur : *Ubi zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum.*

Secundo exponit quomodo debeamus induere arma lucis, dicens : *Sed induimini Dominum Jesum Christum* : in quo scilicet abundantissime fuerunt omnes virtutes, secundum illud Isa. IV, 1 : *Apprehendent septem mulieres virum unum.*

[1] Al. : « ponit. »

Induimus autem Jesum Christum primo quidem per sacramenti susceptionem. Galat. III, 27 : *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Secundo per imitationem. Coloss. III, 9 : *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit illum* : et Ephes. IV, 24 : *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Dicitur autem induere Christum qui Christum imitatur; quia sicut homo continetur vestimento, et sub ejus colore videtur; ita in eo qui Christum imitatur, opera Christi apparent. Per hoc ergo induimur arma lucis, quando induimur Christum.

Tertio exponit quod dixerat, *Sicut in die honeste ambulemus,* per hoc quod subdit, *Et carnis curam ne feceritis in desideriis.* In hoc enim pulchritudo honestatis consistit, ut homo non carnem spiritui, sed spiritum præferat carni [1]. Supra VIII, 12 : *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus.* Sed notandum quod non dicit simpliciter, *Carnis curam ne feceritis :* quia quilibet tenetur ut carnis curam gerat ad sustentandam naturam, secundum illud Ephes. V, 29 : *Nemo unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit et fovet eam.* Sed addit, *In desideriis,* ut scilicet inordinata carnis desideria, idest concupiscentias, non sequamur : unde dicitur Gal. V, 16 : *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis.*

[1] Al. : « ut homo spiritum præferat carni. »

CAPUT DECIMUMQUARTUM

Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. Alius enim credit se manducare omnia; qui autem infirmus est, olus manducet. Is qui manducat, non manducantem non spernat; et qui non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum assumpsit. Tu quis es qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit. Stabit autem: potens est enim Deus statuere illum. Nam alius judicat diem inter diem, alius autem judicat omnem diem. Unusquisque in suo sensu abundet. Qui sapit diem, Domino sapit; et qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo. Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est et resurrexit, ut vivorum et mortuorum dominetur. Tu autem quod judicas fratrem tuum? Aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi: scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius invicem judicemus.

Postquam Apostolus ostendit quomodo aliquis debeat perfectus fieri, hic ostendit quomodo perfecti debeant se habere ad imperfectos : et primo ostendit quod non debent eos scandalizare, vel judicare ; secundo ostendit quomodo debent eos sustentare ; XVI cap., ibi, *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere*. Circa primum duo facit. Primo prohibet inordinata judicia ; secundo prohibet infirmorum scandala, ibi, *Sed hoc judicate magis ne ponatis offendiculum fratri*. Circa primum tria facit. Primo proponit admonitionem ; secundo exponit eam, ibi, *Alius enim credit se manducare omnia* ; tertio rationem assignat ibi, *Deus enim illum assumpsit*. Circa primum considerandum est, quod in primitiva Ecclesia aliqui ex Judæis conversi ad Christum, credebant legalia cum Evangelio esse servanda, ut patet Actor. XV ; et hos Apostolus vocat infirmos in fide Christi, quasi nondum perfecte credentes quod fides Christi sufficiat ad salutem ; perfectos autem vel firmos in fide vocat eos qui fidem Christi sine legalibus credebant esse servandam. De utrisque tamen erant aliqui Romæ inter fideles Christi. Alloquitur ergo Apostolus perfectos in fide, dicens : Dictum est, quod sic debetis [1] induere Dominum Jesum Christum ; *assumite autem*, idest affectu caritatis vobis conjungite ad supportandum, *infirmum in fide*, sicut expositum est : de quo potest intelligi illud Sap. IX, 5 : *Infirmus homo et exigui temporis, et minor ad intellectum judicii et legum*. Infra XV, 7 : *Suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos*. Eccli. XXIX, 12 : *Propter mandatum assume pauperem*. Et hoc *non in disceptationibus cogitationum*, idest non disceptando propter hoc quod unus contra alium cogitat, dum scilicet illi qui legalia servabant, judicabant tamquam transgressores eos qui non servabant ; et illi qui non servabant, contemnebant tamquam errantes et ignorantes qui servabant. Supra II, 15 : *Cogitationum invicem accusantium aut defendentium*. Deinde cum dicit, *Alius enim credit se manducare omnia*, exponit quod dixerat : et primo ostendit qui sunt infirmi in fide ; secundo ostendit qualiter sint disceptationes cogitationum vitandæ, ibi, *Is qui manducat, non manducantem non judicet*. Circa primum considerandum est, quod inter ceteras legales observantias una erat discretio ciborum, propter aliquos cibos in lege prohibitos, ut patet Levit. XI : et hac quidem observantia quotidie erat utendum vel non utendum. Et ideo de hoc mentionem fecit specialiter Apostolus, dicens : *Alius enim* inter vos [2], qui scilicet est perfectus in fide, *credit se* posse licite *manducare omnia*, eo quod non reputat se astrictum ad legales observantias. Matth. XV, 11 : *Quod intrat in os, non coinquinat hominem*. I Tim. IV, 4 : *Omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione accipitur*. In veteri autem

[1] Al. : « dixi quod debetis, etc. » — [2] Al. deest : « inter vos. »

lege prohibebantur aliqui cibi, non quia naturaliter essent immundi. Sicut enim in verbis hoc nomen stultus significat aliquod malum, quamvis hoc nomen sit bonum; ita in rebus quoddam animal bonum est secundum naturam, sed significatione est malum, sicut porcus, qui significat immunditiam; et ideo prohibitus est antiquis esus illarum carnium; ut significaretur in eorum vitatione, vitatio immunditiæ; tota enim illius veteris populi vita figuralis erat, ut Augustinus dicit in lib. *Contra Faustum*, lib. IV, cap. II et VII. Veniente autem Christo, qui est veritas, cessaverunt figuræ. Subdit autem quantum ad infirmum : *Qui autem infirmus est, olus manducet*; quasi dicat : Illis cibis utatur quibus non occurrit aliquod immundum in lege prohibitum. In singulis enim generibus animalium, puta terrestribus, volatilibus, et aquaticis, quædam genera erant concessa, et quædam prohibita; sed in herbis et arboribus nihil erat prohibitum, ut patet Levit. XI. Et hujus potest esse ratio duplex. Una est, quia terræ nascentia fuerunt a principio concessa homini ad edendum, secundum illud Gen. I, 29 : *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.* Sed post diluvium primo legitur[1] homini concessus carnium esus. Unde dicitur Gen. IX, 3 : *Quasi olera virentia tradidi vobis omnia*, scilicet animalium genera. Alia ratio est, quia primam prohibitionem de abstinendo a quibusdam terræ nascentibus homo in paradiso transgressus fuerat, ut patet Gen. III : et propter hoc non erat ei similis prohibitio iteranda.

Sed cum legalia cessaverint in Christi passione, videtur quod inconvenienter Apostolus infirmis in fide permittat quod a cibis prohibitis in lege abstineant ; quod nunc in Christianis non sustinetur ab Ecclesia.

Sed distinguendum est triplex tempus, secundum Augustinum, *epist.* XIX, quantum ad legalia. Quorum primum est tempus ante passionem Christi, in quo legalia suum robur obtinebant quasi adhuc viventia. Secundum autem tempus est post passionem Christi ante divulgationem Evangelii : in quo quidem tempore legalia mortua erant, quia nullus ad ea tenebatur, nec observata aliquid conferebant alicui ; nondum tamen erant mortifera, quia sine peccato poterant Judæi ad Christum conversi legalia observare : et pro illo tempore loquitur hic Apostolus. Tertium autem tempus est post divulgationem Evangelii, in quo legalia non solum sunt mortua, sed mortifera, ut quisquis ea observet, peccet, mortaliter. Exponitur autem et aliter in *Glossa*, ut dicatur *infirmus* qui est ad lapsum vitiorum carnalium pronus ; et huic consulendum est quod comedat *olus*, idest tenues et aridos cibos, qui non sunt fomentum vitiorum, et abstineat ab illis quibus excitatur libido. Sed alius qui est fortior, credit se absque periculo[2] posse omnia manducare. Et hæc differentia apparet. Matth. IX, inter discipulos Christi, qui non jejunabant tamquam confortati præsentia Christi, et discipulos Joannis Baptistæ, qui jejunabant. Unde et pœnitentiam agentes a quibusdam cibis abstinent, non propter eorum immunditiam, sed ad libidinem refrenandam.

Deinde cum dicit, *Is qui manducat, manducantem non judicet*, exponit quomodo sunt vitandæ disceptationes cogitationum : et primo quantum ad perfectos, dicens : *Is qui manducat*, scilicet cum secura conscientia omnia, vel etiam sine periculo libidinis, *non spernat non manducantem*, scilicet indifferenter omnia, tamquam infirmum in fide, vel quasi pronum ad vitia. Isa. XXXIII, 1 : *Væ qui spernis, nonne et ipse sperneris?* Luc. X, 16 : *Qui vos spernit, me spernit.* Secundo loquitur quantum ad infirmos, dicens : *Et qui non manducat*, scilicet indifferenter omnia, vel quia est infirmus in fide, de quo loquitur Apostolus, vel etiam quia pronus est ad libidinem, *non judicet manducantem*, scilicet indifferenter omnia, quasi transgressorem legis, vel quasi in libidinem præcipitem. Matth. VII, 1 : *Nolite judicare, et non judicabimini.* Supra II, 1 : *inexcusabilis es o homo omnis qui judicas.*

Deinde cum dicit, *Deus enim illum assumpsit*, assignat tres rationes propter quas debemus a falso judicio abstinere. Secunda ponitur ibi, *Suo Domino stat aut cadit;* tertia ibi, *Tu autem quid judicas fratrem tuum?* Prima ratio sumitur ex auctoritate judicantis ; unde primo os-

[1] Al. omittitur : « homini. » — [2] Al. deest : « posse. »

tendit hanc auctoritatem Deo competere; secundo concludit quod judicium ad homines non pertinet, ibi, *Tu quis es qui judicas alinum servum?* Dicit ergo primo : Recte dictum est, quod *qui non manducat, manducantem non judicet* : *Deus enim assumpsit illum*, scilicet in servum a se judicandum. Zach. I, 7 : *Assumpsi mihi duas virgas*, idest duos populos. Psal. XVII, 17 : *Assumpsit me de aquis multis.* Ille autem qui assumitur ad superioris judicium, non debet ab inferiori judicari; et ideo concludit : *Tu quis es*, idest cujus auctoritatis vel virtutis es, *qui judicas alienum servum*, idest proximum tuum, qui est servus Dei? Requiritur enim in judicante auctoritas, secundum illud Exod. II, 12 : *Quis constituit te principem et judicem super nos* ? et Luc. XII, 14 : *Quis me constituit judicem aut divisorem super vos*?

Sed ex hac ratione sequi videtur, hominis judicium de alio homine esse illicitum.

Sed dicendum est, quod intantum hominis judicium licitum est, inquantum agitur auctoritate concessa divinitus : unde dicitur Deut. I, 16 : *Audite illos, et quod justum est judicate* : et postea sequitur 17 : *Quia Dei est judicium*; id est, auctoritate divina agitur. Si quis vero velit sibi usurpare judicium super ea quæ non sunt ei divinitus concessa ad judicandum, est judicium temerarium : sicut si quis judex delegatus a Papa, vellet in judicando transgredi mandati fines. Deus autem soli sibi reservavit judicare occulta, quæ præcipue sunt cogitationes cordium et futura : et ideo si quis de his judicare præsumpserit, est temerarium judicium. Unde Augustinus dicit in lib. *De sermone Domini in monte* : « In his duobus temerarium est judicium : tum videlicet incertum sit quo animo quid factum sit; vel incertum qualis futurus sit qui nunc vel bonus vel malus appareat [1]. »

Deinde cum dicit, *Suo Domino stat aut cadit*, ponit secundam rationem; quæ quidem sumitur ex fine meriti vel demeriti. Posset aliquis dicere, quod licet homo non habeat judiciariam auctoritatem; tamen intromittere se debet judicio alterius propter damnum vel fructum qui inde provenit. Sed Apostolus ostendit hoc ad Deum magis quam ad homines pertinere : et sic etiam propter hoc debemus Deo proximorum judicia relinquere, nisi inquantum vice ipsius fungimur in judicando, per auctoritatem nobis commissam. Circa hoc tria facit. Primo proponit quod intendit; secundo exemplificat, ibi, *Nam alius judicat diem inter diem*; tertio probat propositum, ibi, Qui *sapit diem, Domino sapit.* Circa primum duo proponit. Primo, quod quidquid circa hominem accidit, ad Deum pertinet, cum dicit : *Suo Domino stat*, scilicet recte agendo : Psal. CXXI, 2 : *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Hierusalem* : *aut cadit*, scilicet peccando : Amos V, 1 : *Domus Israel cecidit, et non adjicet ut resurgat.* Ponit autem sub distinctione, *aut cadit*, propter incertitudinem : quia multi videntur cadere qui stant, et e conveaso, secundum illud Eccle. VIII, 10 : *Vidi impios sepultos, qui cum adhuc viverent, in loco sancto erant, et laudabantur in civitate, quasi justorum operum.* Loquitur autem hic Apostolus secundum similitudinem hominis servi, ad cujus dominum pertinet omne quod circa servum agitur. Nec intelligendum est quod Deo aliquid proficiat vel noceat, si homo stet aut cadat : dicitur enim Job XXXV, 6 : *Si peccaveris, quid ei nocebis?... Porro si juste egeris, quid ei donabis* ? Sed quantum ad homines, id quod juste agimus, ad gloriam Dei spectat. Matth. V, 16 : *Ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Quod autem cadimus peccando, est hominibus occasio blasphemandi Deum. Supra II, 24 : *Nomen Dei propter vos blasphematur inter gentes.* Vel quod dicit, *Suo Domino stat aut cadit*, exponendum est in judicio Domini sui. I Corinth. IV, 8 : *Qui judicat me, Dominus est.* Secundo ostendit quod hominis statum judicare ad Deum pertinet [2], dicens, *Stabit autem*; quasi dicat : Et si aliquis nunc cadit per peccatum, tamen potest esse quod iterum stabit; et hoc omnino implebitur, si est prædestinatus. Psal. XL, 9 : *Numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat* ? Mich. VII, 8 : *Ne læteris, inimica mea, quia cecidi : resurgam.* Et propter hoc, si videmus aliquem manifeste cadentem, non debemus eum despicere, temerarie judicando de eo quod nunquam resurget;

[1] Al. : « qui nunc sit vel bonus vel malus manifeste apparet. »

[2] Al. : « secundo ostendit quod si cadit, ad Deum pertinet, etc. »

sed magis debemus præsumere quod iterum stabit, non ex consideratione conditionis humanæ, sed considerando virtutem divinam. Unde cum dicit, *Potens est Deus statuere illum*, propter ejus bonitatem præsumere debemus quod iterum statuet eum. Ezech. III, 24 : *Ingressus est in me spiritus, et statuit me supra pedes meos* : sicut et supra XI, 23, dictum est : *Si non permanserint in incredulitate, inserentur : potens enim est Deus iterum inserere illos.*

Deinde cum dicit, *Nam alius judicat diem inter diem*, exemplificat quod dictum est : et primo proponit diversitatem humanæ sententiæ, dicens : Ideo dico quod *suo Domino stat aut cadit* ; *nam alius judicat inter diem et diem ;* idest, judicat inter unum diem et alium, ut scilicet uno die abstineat, et non alio. Quod quidem videtur pertinere ad infirmum in fide, qui reputat adhuc legalia esse observanda : dicitur enim Levit. XXIII, 27 : *Decimo die mensis septimi, dies expiationum erit... affligetisque animas vestras in eo* : et Judith VIII, dicitur, quod Judith jejunabat omnibus diebus vitæ suæ præter sabbata et neomenias, et festa domus Israel, *Alius autem judicat omnem diem* indifferenter esse observandum, quantum ad cæremonialia [1] legis, quæ jam cessaverunt. Unde hoc videtur pertinere ad eum qui est perfectus in fide. Psal. CXLIV, 2 : *Per singulos dies benedicam tibi.* Potest hoc etiam referri ad abstinentias quæ fiunt causa cohibendæ libidinis, quibus omni die aliqui vacant ; puta qui perpetuo a carnibus vel vino abstinent, vel jejunant ; quidam autem interpositis diebus abstinent, et ab abstinentia cessant, secundum illud Eccle. III, 1 : *Omnia tempus habent.* Secundo ostendit hæc omnia posse ad Dei gloriam pertinere, dicens : *Unusquisque in sensu suo abundet* ; idest, suo sensui dimittatur. Abundare enim in sensu suo, est sensum suum sequi. Eccli. XV, 14 : *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui.* Vel *in sensu suo* ; idest, secundum sensum suum studeat abundare ad gloriam Dei, secundum illud I Corinth. XIV, 12 : *Ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut abundetis.*

Sed hoc videtur locum habere in his quæ non secundum se mala ; in his autem quæ sunt secundum se mala, non est homo suo sensui relinquendus. Quod autem aliquis judicet diem inter diem, videtur esse secundum se malum, secundum primam expositionem : dicitur enim Gal. IV, 10 : *Dies observatis, et menses, et tempora et annos. Timeo ne sine causa laboraverim in vobis.* Et loquitur tibi ad litteram de his qui dixerunt dies observandos secundum cæremonias legis.

Sed dicendum, quod Apostolus hic loquitur secundum tempus illud in quo Judæis ad fidem conversis licitum erat legalia observare, ut dictum est ; sed quantum ad secundam expositionem videtur esse illicitum quod dicit, *Alius judicat omnem diem* : sunt enim quidam dies in quibus non est licitum jejunare : dicit enim Augustinus in *Epist.* LXXXVI *ad Casulanum* : « Quisquis diem dominicum jejunio decernendum esse putarit, non parvo scandalo erit [2] Ecclesiæ. » Nec immerito : illis enim diebus nihil certi statuit Ecclesia vel Scriptura [3] divina, mos populi Dei et instituta majorum, pro lege tenenda sunt : et in *Decretis* dicitur dist. XXX : « Si quis [4] propter publicam pœnitentiam a sacerdote acceptam, absque alia necessitate, die dominica pro quadam religione jejunaverit, sicut Manichæi ; anathema sit. » Sed intelligendum est quod hic Apostolus loquitur quantum ad illas abstinentias quæ quolibet die licite fieri possunt absque dissonantia communis consuetudinis, vel eorum quæ sunt a majoribus instituta.

Deinde cum dicit, *Qui sapit diem, Domino sapit*, probat propositum, quod scilicet unusquisque suo Domino stet aut cadat ; et hoc tripliciter. Primo per actum fidelium ; secundo per intentionem eorum, ibi, *Nemo enim nostrum sibi vivit* ; tertio per eorum conditionem, ibi, *Sive ergo vivimus sive morimur Domini sumus.* Probat ergo primo quomodo unusquisque fidelium suo Domino stat aut cadit, per hoc quod de omnibus quæ fecit secundum suam conscientiam, gratias agit Deo : unde dicit : *Qui sapit diem*, ut scilicet uno die abstineat, et alio die ab abstinentia cesset, *Domino sapit* ; idest, ad reverentiam Dei cibos discernit ; sicut etiam nos discernimus vigilias fes-

[1] Al. : « quantum ad jejunia legis, etc. » — [2] Al. : « esset. » — [3] Al. : « statuit divina Scriptura. » — [4] Al. additur : « presbyter. »

torum in quibus jejunamus, a diebus festis quibus jejunium solvimus propter reverentiam Eccl. XXXIII, 7 : *Quare dies diem superat, et iterum lux lucem?* Deinde loquitur quantum ad illos qui judicant omnem diem, quorum quidam omni die a jejunio cessabant, sicut dicitur Matth. IX, quod discipuli Christi non jejunabant. Unde dicit : *Et qui manducat*, scilicet omni die, *Domino manducat*, idest ad gloriam Domini : quod per hoc patet : *Gratias enim agit Deo*, scilicet de cibo assumpto. I Tim. IV, 3 : *Abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum, cum gratiarum actione fidelibus.* Psal. XI, 27 : *Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum.* Ulterius quantum ad eum qui sic judicat omnem diem, ut scilicet omni die abstineat, subdit : *Et qui non manducat*, idest abstinet omni die, *Domino*, idest ad honorem Domini, *non manducat.* Et hoc patet per hoc quod gratias agit Deo, qui sibi dedit voluntatem et virtutem abstinendi. I Thess. ult. 18 : *In omnibus gratias agite.* Sed quod hic dicit Apostolus de his qui in omni die vel abstinebant vel ab abstinentia cessabant, debet intelligi quantum ad illud tempus in quo hoc non erat contrarium statutis majorum, nec communi consuetudini populi Dei.

Deinde cum dicit, *Nemo enim nostrum sibi vivit* etc., probat idem ex intentione fidelium; et primo excludit inordinatam intentionem, dicens : Recte dico, quod unusquisque Domino suo stat aut cadit : *Nemo enim nostrum sibi vivit*, vel naturali vita, vel spirituali, de qua dicitur Habac. II, 4 : *Justus autem meus ex fide vivit. Sibi*, idest propter seipsum, quia hoc esset frui seipso. I Corinth. X, 33 : *Non quærens quod mihi utile est.* Psalm. CXIII, 9 : *Non nobis Domine,non nobis,sed nomini tuo da gloriam.* Vel *sibi*, idest secundum suam regulam, sicut qui dicunt Sap. II, 11 : *Sit fortitudo nostra lex injustitiæ.* Vel *sibi*, idest suo judicio. I Cor. IV, 3 : *Sed neque meipsum judico. Et nemo moritur*, scilicet morte corporali, vel morte spirituali peccando, vel etiam morte spirituali, qua quis moritur vitiis, puta in baptismo, secundum illud supra VI, 7, *Qui mortuus est, justificatus est a peccato.* Vel *sibi*, idest suo judicio, vel propter seipsum, aut suo exemplo; sed exemplo Christi moritur aliquis a vitiis. Supra, VI, 10 : *Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel* : et infra 2 : *Ita et vos existimate vos mortuos esse peccato.* Secundo ostendit qualis sit recta intentio fidelium, dicens : *Sive enim vivimus* vita corporali, *Domino*, idest ad gloriam Domini, *sive morimur*, morte corporali, *Domino morimur*, idest ad honorem Domini, Philip. I, 20 : *Magnificabitur Christus in corpore meo sive per mortem sive per vitam.* Vel si exponatur quod dicit *Vivimus* et *morimur*, de vita et morte spirituali; exponendum est quod dicit *Domino* [1], idest judicio Domini, *qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum*, ut dicitur Act. X, 42. Deinde cum dicit, *Sive ergo vivimus* etc., ostendit propositum ex conditione fidelium : et primo concludit ex præmissis conditionem fidelium, scilicet quod non sunt sui, sed alterius : illi enim qui sui sunt, sicut liberi homines, sibi vivunt et sibi moriuntur. Quia ergo dictum est quod fideles non sibi vivunt aut moriuntur, sed Domino; concludit sic : *Sive ergo vivimus sive morimur, Domini sumus*, quasi servi ejus qui habet potestatem vitæ et mortis. I Cor. VII, 23 : *Pretio empti estis*; *nolite fieri servi.* Et VI, 20 : *Empti enim estis pretio magno.* I Paralip. XII, 18 : *Tui sumus, o David, et tecum filii Isai.* Secundo assignat causam hujus conditionis, dicens : *In hoc enim Christus mortuus est et resurrexit*; idest, hoc adeptus est sua morte et resurrectione [2] ut vivorum dominaretur, quia resurrexit, vitam novam et perpetuam inchoando; et mortuorum, quia mortem nostram moriendo destruxit. II Corinth. V, 15 : *Pro omnibus mortuus est Christus : ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro eis mortuus est et resurrexit.* Sic igitur per omnia prædicta Apostolus probavit quod unusquisque Domino suo stat aut cadit, per hoc scilicet quod fideles gratias agunt Deo, et quod Domino vivunt et moriuntur, et quod Domini sunt et in morte et in vita.

Deinde cum dicit, *Tu autem quid judicas?* ponit tertiam rationem, quæ sumitur ex futuro judicio : et circa hoc tria facit. Primo proponit superfluitatem præsentis judicii, dicens : *Tu autem quid judicas*, idest qua utilitate vel necessitate judicas, *fratrem tuum*, temere de occul-

[1] Al. : « vel sic exponatur quod dicit *Domino*, idest judicio Domini, etc. »

[2] Al. omittitur : « et resurrectione. »

tis, quæ tuo judicio non sunt commissa? Aut tu alius qui judicaris, quare spernis fratrem tuum, pro nullo reputans ab eo judicari? Malach. II, 10 : *Quare despicit unusquisque fratrem suum?* Secundo prænuntiat [1] futurum Christi judicium; quasi dicat : Recte dico, *Cur judicas?* quia non debes timere quod absque judicio remaneat : *omnes enim stabimus ante tribunal Christi.* Dicitur enim tribunal Christi ejus judicaria potestas, sicut et Matth. XXV, 31, dicitur : *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, tunc sedebit super sedem majestatis suæ.* Dicit autem, *Omnes stabimus*, quasi judicandi, tam boni quam mali, quantum ad remunerationem vel punitionem. II Corinth. V, 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum.* Sed quantum ad discussionem non omnes stabunt ut judicandi, sed quidam consedebunt ut judices. Matth. XIX, 28 : *Sedebitis super sedes judicantes duodecim tribus Israel.* Tertio ibi, *Scriptum est enim* etc., probat quod dixerat : et primo inducit auctoritatem; secundo infert conclusionem, ibi, *Itaque unusquisque* etc. Dicit ergo primo : Dictum est quod omnes stabimus ante tribunal Christi : et hoc patet per auctoritatem sacræ Scripturæ : *scriptum est enim*, Isa. XLV, 41, *Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo.* Littera nostra sic habet : *In memetipso juravi, quia mihi curvabitur omne genu, et jurabit omnis lingua.* Tria autem in his verbis ponuntur. Primo quidem juramentum, quod interdum in verbis Dei ponitur ad ostendendum id quod dicitur, firmum esse immutabilitate divini consilii [2]; non autem esse mutabile sicut ea quæ prænuntiantur secundum causas inferiores, ut prophetia comminationis : unde dicitur in Psal. CIX, 4 : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum.* Homines autem, ut Apostolus dicit Hebr. VI, 16, *per majorem sui jurant.* Quia vero Deus non habet majorem in quo major firmitas consistat veritatis, per seipsum jurat. Ipse autem est ipsa vita et fons vitæ [3], secundum illud Deut. XXX, 20 : *Ipse est enim vita tua et longitudo dierum tuorum, ut habites in terra, pro qua juravit Dominus patribus tuis.* Psalm. XXXV, 10 : *Apud te est fons vitæ.* Et ideo forma juramenti Domini est, *Vivo ego* : quasi dicat : Juro per vitam, qua ego singulariter vivo. Secundo prænuntiatur subjectio communis creaturæ ad Christum, cum dicitur : *Quoniam mihi*, scilicet Christo, *flectetur omne genu* : in quo designatur perfecta subjectio rationalis creaturæ ad Christum. Solent enim homines in signum subjectionis, majoribus flectere genua : unde Philip. II, 10, dicitur : *In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum.* Tertio prænuntiat fidei confessionem, qua omnes gloriam Christi confitebuntur : unde sequitur : *Et omnis lingua confitebitur Deo;* idest, confitebitur Christum esse Dominum, secundum illud Philip. II, 11 : *Omnis lingua confiteatur quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Omnis autem [4], lingua intelligi potest expressio cognitionis sive hominum sive Angelorum [5], secundum illud I Corinth. XIII, 1 : *Si linguis hominum loquar et Angelorum.* Hoc autem impletur nunc in hac vita, non quantum ad singulos homines, sed quantum ad genera singulorum : de quolibet enim genere hominum nunc aliqui Christo subjiciuntur, et ei confitentur per fidem; sed in futuro judicio omnes et singuli ei subjicientur; boni quidem voluntarie, mali autem inviti. Unde dicitur Hebr. II, 8 : *In eo quod ei omnia subjecit, nihil dimisit non subjectum ei. Nunc autem nec dum videmus omnia subjecta ei.*

Deinde cum dicit, *Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Dei*, infert conclusionem ex dictis : et primo conclusionem intentam ex eo quod immediate dixerat, dicens : *Itaque* ex quo Christo flectitur omne genu, *unusquisque nostrum per se* [6] *reddet rationem Deo*, scilicet ante tribunal Christi. Matth. XII, 36 : *De omni verbo otioso quod locuti fuerant homines, reddent Deo rationem in die judicii* : et XVIII, 23 : *Assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.*

Sed videtur quod non quilibet per se rationem reddet, sed unus pro alio. Heb.

[1] Al. : « præmittit. » — [2] Al. : « id quod dicitur firmum, esse immutabilitatem divini consilii. »
[3] Al. omittuntur sequentia usque ad illa verba, « Et ideo forma juramenti, etc. » — [4] Al. : « enim. » — [5] Al. desunt sequentia usque ad illud, « Hoc autem impletur, etc. »
[6] Forte : « pro se, » ut etiam infra in objectione, ubi subditur, « Sed unus pro alio; » verumtamen fere in idem redit.

ult. 17 : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis : ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* Sed dicendum, quod in hoc ipso quod prælati pro aliis rationem reddent, reddent rationem pro suis actibus, quos circa subditos agere debuerunt. Si enim fecerunt quod competebat eorum officio, non eis imputabitur si subditi pereant. Imputaretur autem eis, si negligerent facere quod eorum officium requirebat : unde dicitur Ezech. III, 18 : *Si dicente me ad impium, Morte morieris, non annuntiaveris ei : ipse in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ; ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.*

Secundo infert conclusionem principaliter intentam in tota præcedenti parte, dicens : *Non ergo amplius invicem judicemus*, scilicet temerario judicio, quod includitur rationibus supra dictis. I Corinth. IV, 5 : *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus.*

LECTIO II.

Sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratribus, vel scandalum. Scio et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum; nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est. Si enim propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum caritatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est. Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Non est enim regnum Dei esca et potus ; sed justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto. Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus. Itaque quæ pacis sunt sectemur, et quæ ædificationis sunt, invicem custodiamus. Noli propter escam destruere opus Dei.

Postquam Apostolus prohibuit humana judicia, hic prohibet scandalum proximorum ; et circa hoc duo facit. Primo proponit quod intendit ; secundo manifestat propositum, ibi, *Si enim propter cibum frater tuus constristatur* etc. Circa primum proponit tria. Primo enim docet scandala esse vitanda, dicens : Dixi quod non judicetis invicem, sed unusquisque de suis actibus judicare debet, ne sint in scandalum aliorum ; et hoc est quod dicit : *Sed hoc judicate magis, ne ponatis fratribus offendiculum vel scandalum.* Scandalum autem, sicut dicit Hieronymus *Super Matth.*, notat offendiculum vel ruinam, quam impactionem pedis possumus dicere. Unde scandalum est factum vel dictum minus rectum, præbens alicui occasionem ruinæ ; ad similitudinem lapidis, ad quem in via positum homo impingit et cadit. Majus autem aliquid videtur esse scandalum quam offendiculum : nam offendiculum potest esse quidquid retinet seu retardat motum procedentis ; scandalum autem, id est impactio, videtur esse cum aliquis disponitur ad casum. Non ergo debemus fratri [1] ponere offendiculum, ut aliquid faciamus unde impediatur proximus a via justitiæ. Isa. LII, 14 : *Auferte offendiculum de via populi mei.* Neque etiam debemus fratri ponere scandalum, aliquid faciendo unde ipse inclinetur ad peccatum. Matth. XVIII, 7 : *Væ homini illi per quem scandalum venit.* Secundo docet id ex quo scandalum parabatur [2], esse secundum suam naturam sive secundum se licitum. Circa quod sciendum est, quod sicut supra dictum est, apud Romanos erant quidam ex Judæis ad finem Christi conversi, qui cibos secundum legem discernebant ; alii vero habentes fidem perfectam, indifferenter omnibus cibis utebantur : quod quidem secundum se licitum erat. Unde dicit : *Scio et confido in Domino Jesu, quia nihil est commune per ipsum.* Circa quod notandum est, quod, sicut dicit Hieronymus super Matthæum, populus Judæorum, partem Dei se esse jactans, communes cibos vocat quibus omnes utuntur homines ; verbi gratia suillam carnem, lepores et hujusmodi : et quia [3] ceteræ gentes, quæ talibus utebantur cibis, non erant de parte Dei, ideo talis cibus immundus appellabatur. Quod ergo dicit, *Nihil commune est*, idem est ac si diceret, Nihil immundum est. Et hoc quidem Apostolus primum dicit se scire, quia ita est secundum rerum naturam, secundum illud I Timoth. IV, 4 : *Omnis creatura Dei bona, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.* Secundo dicit se confidere in Christo Jesu, quia per ipsum [4]

[1] Al. : « facti ; » et sic infra.
[2] Al. : « putabatur. » — [3] Al. deest : « quia : » item sic legitur : « Commune igitur quod ceteris hominibus, et quia quasi non ens de parte Dei, pro immundo appellatur. » — [4] Al. : « per seipsum. »

nihil est commune : quia scilicet cibi secundum suam naturam nunquam fuerunt immundi ; vitabantur tamen aliquo tempore ut immundi secundum legis præceptum propter figuram ; sed hoc Christus removit implendo omnes figuras : et ideo Apostolus per fiduciam quam habet in Domino Jesu asserit, quod *nihil est commune*, vel immundum, *per ipsum*, idest ipso hoc faciente. Act. x, 15 : *Quod Deus purificavit, tu ne commune*[1] *dixeris*. Tertio ostendit quomodo hoc posset esse per accidens illicitum, inquantum scilicet est contra conscientiam manducantis : unde dicit : Dictum est quod nihil est commune. Sed hoc intelligendum est, nisi ei *qui* erronea conscientia *æstimat quid*, idest aliquid ciborum, *commune esse* ; idest, immundum, *illi commune est*, idest, ita est illicitum sibi, ac si essset secundum se immundum. Tit. I, 15 : *Omnia munda mundis ; coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum est, sed inquinata est eorum mens et conscientia*. Et sic apparet quod aliquid quod est secundum se licitum, efficitur illicitum ei qui id contra suam conscientiam agit , licet conscientia sua sit erronea : quod rationabiliter accidit : nam actus judicantur secundum voluntatem agentium ; voluntas autem movetur a re apprehensa : unde in id voluntas tendit quod ei vis apprehensiva repræsentat : et secundum hoc qualificatur vel specificatur actio. Si igitur ratio alicujus judicet aliquid esse peccatum et voluntas feratur in id faciendum ; manifestum est quod homo habet voluntatem faciendi peccatum ; et ita actio ejus exterior, quæ informatur ex voluntate, est peccatum. Et eadem ratione si aliquis æstimet, id quod est veniale peccatum, esse mortale peccatum ; si hac conscientia durante illud faciat, manifestum est, quod eligit peccare mortaliter : et ita actio ejus propter suam electionem est peccatum mortale. Si tamen aliquis post factum[2] habeat conscientiam erroneam, per quam credat, id quod est licitum, a se factum fuisse peccatum, vel quod est veniale, fuisse mortale ; non propter hoc efficitur id quod est prius, vel peccatum vel mortale : quia voluntas et actio non informantur ex apprehensione sequenti, sed ex præcedenti.

Hæc autem quæ dicta sunt, dubitationem non habent ; sed dubium potest esse utrum si aliquis habeat erroneam conscientiam ut credat esse necessarium ad salutem quod est peccatum mortale ; puta si aliquis æstimet se peccare mortaliter nisi furetur vel fornicetur ; utrum talis conscientia eum liget, ita scilicet quod si contra conscientiam agat, mortaliter peccet.

Et videtur quod non. Primo quidem, quia lex Dei, quæ prohibet fornicationem et furtum, fortius ligat quam conscientia. Secundo, quia hoc posito esset perplexus : peccaret enim et fornicando et non fornicando.

Sed dicendum est, quod etiam in per se malis conscientia erronea ligat. Intantum enim conscientia ligat, ut dictum est, inquantum ex hoc quod aliquis contra conscientiam agit, sequitur quod habeat voluntatem peccandi ; et ita si aliquis credat non fornicari esse peccatum mortale, dum eligit non fornicari, eligit peccare mortaliter, et ita mortaliter peccat. Et ad hoc etiam facit quod hic dicit Apostolus. Manifestum est enim quod discernere cibos, quasi necessarium ad salutem, erat illicitum[3] : quia nec Judæis conversis etiam ante divulgationem Evangelii licebat servare legalia spem ponendo in eis, quasi essent necessaria ad salutem, ut Augustinus dicit *epist.* XIX ; et tamen Apostolus hic dicit, quod si quis habens conscientiam cogentem discernere cibos, quod est æstimare aliquid esse commune, et non discernit eos, scilicet abstinendo ab eis, peccat ac si manducaret immundum. Et ita etiam in per se illicitis conscientia erronea ligat.

Nec obstat quod primo objicitur de lege Dei : quia idem est ligamen conscientiæ etiam erronææ, et legis Dei. Non enim conscientia dictat aliquid esse faciendum vel vitandum, nisi quia credit hoc esse contra vel secundum legem Dei[4] : non enim lex nostris actibus applicatur nisi mediante conscientia nostra. Similiter etiam nec obstat quod secundo objicitur. Nihil enim prohibet aliquem esse perplexum aliquo supposito, licet nullus sit perplexus simpliciter : sicut sacerdos fornicarius, sive celebret missam sive non celebret quando debet ex officio, peccat mortaliter ; non tamen est perplexus simpliciter, quia potest peccatum dimittere

[1] Al. : « immundum. » — [2] Al. : « ex post facto. » [3] Al. : « quod discernere cibos non necessarium ad salutem erat illis : quia, etc. » — [4] Al. : « hoc esse legem Dei. »

et celebrare. Et similiter potest aliquis conscientiam erroneam dimittere et a peccato abstinere.

Est autem adhuc alia dubitatio. Non enim dicitur scandalizare qui facit opus rectum, licet etiam ex eo aliquis sumat materiam scandali : legitur enim Matth. xv, quod pharisæi, audito verbo Christi, scandalizati sunt. Sed non discernere cibos est opus rectum : ergo non est dimittendum propter scandalum ejus qui perversam conscientiam habet, errans in fide. Nam secundum hoc catholici deberent abstinere a carnibus et matrimonio, ne inde hæretici scandalizarentur secundum erroneam conscientiam.

Sed dicendum est, quod aliquis scandalizare alium potest, non solum faciendo aliquod malum, sed etiam aliquid faciendo quod habet speciem mali, secundum illud I Thess. ult. 22 : *Ab omni specie mali abstinete vos.* Dicitur autem aliquod habere speciem mali dupliciter. Primo videlicet secundum opinionem eorum qui sunt ab Ecclesia præcisi ; secundo secundum opinionem eorum qui adhuc ab Ecclesia tolerantur. Infirmi autem in fide existimantes legalia esse observanda, adhuc tolerabantur ab Ecclesia ante Evangelii divulgationem ; et ideo non erat comedendum cum eorum scandalo de cibis in lege prohibitis. Hæretici autem non tolerantur ab Ecclesia ; et ideo de eis non est similis ratio.

Deinde cum dicit, *Si enim propter cibum frater tuus constristatur*, manifestat quod dixerat : et primo primum, scilicet quod non sit ponendum scandalum fratribus ; secundo secundum et tertium, quomodo scilicet sit aliquid commune, ibi, *Omnia quidem munda sunt.*

Circa primum ponit quatuor rationes, quarum prima sumitur ex parte caritatis, dicens : *Si enim frater tuus contristatur*, de hoc quod reputat te peccare propter cibum quem tu comedis, quem ipse reputat immundum, *jam non secundum caritatem ambulas*, secundum quam aliquis proximum suum diligit sicut seipsum ; et ita vitat ejus contristationem, et non præfert cibum quieti fratris : quia, ut dicitur II Corinth. xiii, 5, *caritas non quærit quæ sua sunt.*

Secundam rationem ponit, ibi, *Noli cibo tuo illum perdere ;* quæ sumitur ex parte mortis Christi. Videtur enim parum appretiare mortem Christi qui pro cibo fructum ejus evacuare non recusat : unde dicit, *Noli cibo tuo*, quem tu scilicet indifferenter comedis, non discernendo cibos, *illum perdere*, idest scandalizare, *pro quo*, idest pro cujus salute, *Christus mortuus est.* I Pet. vii, 18 : *Christus semel mortuus est pro peccatis nostris* [1] *justus pro injustis.* Dicit autem illum perdi qui scandalizatur, quia scandalum passivum sine peccato scandalizati esse non potest : ille enim scandalizatur qui occasionem sumit ruinæ. I Corinth. viii, 11 : *Peribit infirmus in tua conscientia frater, pro quo Christus mortuus est.*

Tertiam rationem ponit, ibi, *Non ergo blasphemetur bonum nostrum* ; quæ sumitur ex donis spiritualis gratiæ : et primo ostendit inconveniens quod sequitur contra hujusmodi dona ex eo quod alios scandalizamus ; secundo manifestat quod dixerat, ibi, *Non enim est regnum Dei esca et potus* ; tertio infert conclusionem intentam, ibi, *Itaque quæ pacis sunt sectemur.* Circa primum considerandum est, quod ex hoc quod aliqui indifferenter cibis utebantur in primitiva Ecclesia cum scandalo infirmorum, hoc inconveniens sequebatur quod infirmi fidem Christi blasphemabant, dicentes, eam voracitatem ciborum inducere contra legis mandatum. Et ideo Apostolus dicit : Ex quo per Dominum Jesum factum est quod nihil est commune, *non ergo bonum nostrum*, idest fides, vel gratia Christi, per quam libertatem a cæremoniis consecuti estis *blasphemetur* ab infirmis dicentibus, eam gulæ hominum indulgere. Jac. ii, 7 : *Ipsi blasphemant nomen bonum, quod invocatum est super vos.* De hoc bono dicitur in Psal. lxxii, 27 : *Mihi adhærere Deo bonum est.*

Deinde cum dicit, *Non enim est regnum Dei esca et potus*, manifestat quod dixerat, scilicet in quo bonum nostrum consistat ; et primo ostendit in quo non consistat dicens : *Non enim est regnum Dei esca et potus.* Regnum autem Dei dicitur hic id per quod Deus regnat in nobis, et per quod ad regnum ipsius pervenimus : de quo dicitur Matth. vi, 10 : *Adveniat regnum tuum* : et Mich. iv, 7 : *Regnabit Dominus super omnes in monte Sion.* Deo autem conjungimur et subdimur per interiorem intellectum et affectum, ut dicitur Joan. iv, 24 : *Spiritus est Deus, et*

[1] Al. deest : « pro peccatis nostris. »

eos qui adorant eum, in spiritu et veritate adorare oportet. Et inde est quod regnum Dei principaliter consideratur secundum interiora hominis, non secundum exteriora : unde dicitur Luc. XVII, 21 : *Regnum Dei intra vos est.* Ea vero quæ sunt exteriora ad corpus pertinentia, intantum ad regnum Dei pertinent, inquantum per ea ordinatur vel deordinatur interior affectus, secundum ea in quibus principaliter consistit regnum Dei. Et ideo, cum esca et potus ad corpus pertineant, ipsa secundum se non pertinent ad regnum Dei, nisi secundum quod eis utimur vel ab eis abstinemus. Unde dicitur I Corinth. VIII, 8 : *Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si non manducaverimus, deficiemus*; *neque si manducaverimus, abundabimus.* Pertinet tamen usus vel abstinentia escæ et potus ad regnum Dei, inquantum affectus hominis circa hoc ordinatur vel deordinatur : unde Augustinus dicit in lib. *De quæstionibus Evang.*, et habetur hic in *Glossa* : « Justificatur sapientia a filiis suis, qui intelligunt non in abstinendo nec in manducando esse justitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam, et in temperantia non se corrumpendi per abundantiam atque importunitatem sumendi. » Non enim interest quomodo ut in *Glossa* dicitur quid alimentorum vel quantum quis accipiat; dummodo id faciat pro congruentia hominum cum quibus vivit, et personæ suæ, et pro valetudinis suæ necessitate; sed quanta facultate et severitate animi careat his, vel cum oportet, vel cum necesse est his carere. Secundo ostendit in quo consistat bonum nostrum, quod regnum Dei vocat, dicens : *Sed regnum Dei est justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto :* ut justitia referatur ad exteriora opera, quibus homo unicuique reddit quod suum est, et ad voluntatem hujusmodi opera faciendi, ut dicitur Matth. VI, 33 : *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus* : pax autem referatur ad effectum justitiæ : per hoc enim pax maxime perturbatur, quod unus homo non exhibet alteri quod ei debet ; unde dicitur Isai. XXXII, 17 : *Opus justitiæ pax.* Gaudium autem referendum est ad modum quo sunt justitiæ opera perficienda : ut enim dicit Philosophus in I *Ethic.*, « non est justus qui non gaudet justa operatione. » Unde et in Psalm. XCIX, 1, dicitur : « Servite Domino in lætitia. » Causam autem hujus gaudii exprimit dicens, *In Spiritu sancto :* est enim Spiritus sanctus, quo caritas Dei diffunditur in nobis, ut dicitur supra V. Illud enim est *gaudium in Spiritu sancto* quod caritas parit; puta cum aliquis gaudet de bonis Dei et proximorum. Unde I Corinth. XIII, 6, dicitur, quod *caritas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati* : et Gal. V, 22, dicitur : *Fructus autem Spiritus, est caritas, gaudium pax.* Hæc autem tria quæ hic tanguntur, imperfecte quidem in hac vita habentur, perfecte autem quando sancti possidebunt regnum Dei sibi paratum, sicut dicitur Matth. XXV. Ibi erit perfecta justitia absque omni peccato : Isa. VI : *Populus tuus omnes justi.* Ibi erit pax absque omni perturbatione timoris : Isai. XXXII, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ.* Ibi erit gaudium : Isa. XXXV, 10 : *Gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.* Tertio probat quod dixerat, scilicet quod in his regnum Dei consistit. Ille enim homo videtur ad regnum Dei pertinere qui placet Deo, et a sanctis hominibus approbatur; sed hoc illi contingit in quo invenitur justitia, pax et gaudium : ergo in his est regnum Dei. Dicit ergo : Dictum est, quod regnum Dei *est justitia, pax, et gaudium in Spiritu sancto.* Qui ergo *in hoc servit Christo*, qui est rex hujus regni, secundum illud Col. I, 13 : *Transtulit nos in regnum Filii dilectionis suæ* : ut scilicet vivat in justitia, pace et spirituali gaudio; *placet Deo,* qui est hujus regni auctor : Sap. IV, 20 : *Placens Deo factus est dilectus* : *et probatus est hominibus*, idest, ab eis approbatur qui sunt hujus regni participes. Eccli. XXXI, 10 : *Qui probatus est in illo et perfectus inventus est.* Deinde cum dicit, *Itaque quæ pacis sunt sectemur*, infert admonitionem intentam, dicens : Ex quo regnum Dei consistit in justitia, pace, et spirituali gaudio, itaque ut ad regnum Dei pervenire [1] possimus, *sectemur ea quæ pacis sunt*; idest, ea studeamus adimplere per quæ Christianorum pacem conservemus. Heb. XII, 14 : *Pacem sequimini et sanctimoniam cum omnibus. Custodiamus invicem ea quæ sunt ædificationis*; idest ea, per quæ invicem nos ædificemus ; idest, bonum conservemus, et in melius provocemur. I Corinth. IV, 12 : *Ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut*

[1] Al. : « pertinere. »

abundetis : quod quidem fiet, si in justitia et spirituali gaudio vixerimus.

Quartam rationem ponit ibi, *Nolite propter escam destruere opus Dei*; quæ sumitur ex reverentia divinorum operum, quibus hoc reverentiæ debemus, ut ea quæ Deus operatur, non debeamus destruere propter aliquod commodum corporale : et hoc est quod dicit : *Noli propter escam*, quæ ad corporis utilitatem pertinet, *destruere opus Dei* : quod quidem non intelligitur de quocumque Dei opere : nam omnia quæ in cibum hominis veniunt, Dei opera sunt, sicut terræ nascentia, et animalium carnes, quæ sunt hominibus in cibum a Deo concessa, ut patet Gen. I. IX : sed intelligitur de opere gratiæ, quod in nobis ipsis specialiter operatur. Philip. II, 13 : *Deus enim est qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate.* Hoc igitur opus Dei non debemus in promixo destruere propter escam nostram ; sicut facere videbantur illi qui cum turbatione et scandalo proximorum, indifferentibus utebantur.

LECTIO III.

Omnia quidem munda sunt ; sed malum est homini qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur aut scandalizatur aut infirmatur. Tu fidem quam habes penes temetipsum, habe coram Deo. Beatus qui non judicat semetipsum in eo quod probat. Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est, quia est non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.

Postquam Apostolus posuit rationem ad ostendendum quod non debemus cum scandalo proximorum indifferenter sumere omnia, hic ostendit qualiter aliqui cibi possunt esse mundi et immundi : et circa hoc duo facit. Primo proponit quæ sunt munda ex sua natura, dicens : *Omnia quidem*, quæ scilicet ad escam hominis pertinere possunt, *munda sunt*, scilicet ex sui natura, quia ex sua natura non habent quod animam hominis inquinent, secundum illud Matth. xv, 11 : *Non enim omne quod intrat in os coinquinat hominem.* I Tim. IV, 4 : *Omnis creatura Dei bona est.* Dicebantur autem in lege quædam immunda non natura, sed significatione, ut patet Lev. XI. Sed et hanc immunditiam Christus removit implendo veteris legis figuras : unde dictum est Petro Act. x, 15 : *Quod Deus purificavit, tu ne commune dixeris*, idest immundum. Secundo ibi, *Sed malum est homini* etc., ostendit qualiter aliquis cibus homini possit fieri immundus, ut scilicet ex ejus esu, secundum animam inquinetur : quod quidem ostendit fieri dupliciter. Primo ex eo quod aliquis cibum quemcumque cum scandalo proximorum manducat ; secundo ex eo quod contra conscientiam manducat, ibi, *Beatus qui non judicat semetipsum in eo quod probat.* Circa primum tria facit. Primo ostendit quod circa esum ciborum sit malum, dicens : Licet omnia ex sui natura sint munda, *sed tamen malum est homini qui manducat* quemcumque cibum *per offendiculum*, idest cum confessione et scandalo proximorum. Matth. XVIII, 7 : *Væ homini illi per quem scandalum venit.* Secundo ostendit quid circa hujusmodi usum ciborum sit bonum dicens : *Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum* : quorum primum præcipuum esse videtur inter cibos, secundum inter potus. Et ab his quidem abstinere ponit bonum esse, vel propter carnis concupiscentiam edomandam, secundum illud Ephes. V, 18 : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria* : vel etiam ut homo reddatur habilior ad spiritualia contemplanda, secundum illud Eccle. II, 3 : *Cogitavi a vino abstrahere carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam.* Sed hoc non intendit hic Apostolus dicere, sed quod bonum est his non uti cum scandalo proximorum : quod quidem apparet ex hoc quod subditur : *Neque in quo frater tuus offenditur* ; quasi dicat : Non solum dico de vino et carnibus, quod bonum est eis non uti, sed quocumque alio cibo *frater tuus offenditur*, idest turbatur contra te, quasi illicite agentem, per quod pax ejus perturbatur, *aut scandalizatur*, idest ad casum peccati provocatur, propter quod læditur ejus justitia, *aut infirmatur*, idest saltem in dubitationem venit utrum hoc quod agitur sit licitum, per quod ejus spirituale gaudium diminuitur. Unde et ipse Apostolus dicit I Corinth. VIII, 13 : *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.*

Sed cum licitum sit his cibis uti, si est

ab his abstinendum propter hoc quod vitetur scandalum proximorum, videtur pari ratione quod ab omnibus licitis quæ non sunt necessaria ad salutem sicut sunt necessaria justitia, pax et spirituale gaudium, sit propter proximorum scandalum abstinendum. Et ita videtur quod homini non liceat sua repetere cum scandalo proximi.

Sed dicendum est, quod si scandalum ex infirmitate vel ex ignorantia proveniat eorum qui propter hoc scandalizantur ; ad vitandum hoc scandalum debet homo a licitis abstinere, si non sunt necessaria ad salutem ; hoc enim est scandalum pusillorum, quod Dominus vitari jubet Matth. xviii, 10 : *Videte ne contemnatis* [1] *unum ex his pusillis.* Si vero hujusmodi scandalum ex militia proveniat eorum qui scandalizantur, tale scandalum est quasi pharisæorum quod Dominus Matth. xv, docuit esse contemnendum. Unde ad vitandum hujusmodi scandalum, non oportet a licitis abstinere.

Sed tamen circa scandalum pusillorum attendendum est, quod propter illud vitandum tenetur homo usum licitorum differre quousque, reddita ratione, hoc scandalum amoveri possit. Si vero ratione reddita adhuc scandalum maneat, jam non videtur ex ignorantia vel ex infirmitate procedere, sed ex malitia ; et sic jam pertinebit ad scandalum pharisæorum.

Tertio excludit quamdam excusationem. Posset enim aliquis dicere : Licet proximus scandalizetur de hoc quod indifferenter ego cibis utor, tamen ad ostensionem meæ fidei, per quam certum est hoc mihi licere, volo indifferenter cibis uti. Sed hanc rationem [2] excludens Apostolus dicit: *Tu* qui indifferenter cibis uteris, *fidem, habes* rectam *apud temetipsum,* per quam constat licitum esse his cibis uti. Bona quidem et laudabilis est fides ista ; sed *habe* eam in occulto *coram Deo*, cui talis fides placet. Eccli, i, 34 : *Beneplacitum est Deo fides et mansuetudo.* Quasi dicat : Non oportet quod fidem istam manifestes per operis executionem, ubi hoc sit cum scandalo proximorum.

Sed contra videtur esse quod dicitur supra x, 10 : *Corde creditur ad justitiam* ; *ore autem confessio fit ad salutem.* Non ergo videtur quod sufficiat corde solum coram Deo fidem habere, sed oportet hujusmodi fidem proximo manifestare, confitendo.

Dicendum est autem, quod eorum quæ sunt fidei, quædam sunt quæ non sunt perfecte per Ecclesiam manifestata : sicut in primitiva Ecclesia nondum erat perfecte declaratum apud homines quod illi qui erant ex Judæis conversi, non tenerentur legalia observare ; et sicut tempore Augustini nondum erat per Ecclesiam declaratum quod anima non esset ex traduce. Unde in hujusmodi sufficit homini quod fidem habeat coram Deo ; nec oportet quod fidem suam propalet cum scandalo proximorum, nisi forte apud eos qui habent de fide determinare. Quædam vero sunt ad fidem pertinentia jam per Ecclesiam determinata ; et in talibus non sufficit fidem habere coram Deo, sed oportet quod coram proximo fidem quis confiteatur, quantumcumque ex hoc aliquis scandalizetur : quia veritas doctrinæ non est dimittenda propter scandalum, sicut nec Christus veritatem suæ doctrinæ propter scandalum pharisæorum dimisit, ut habetur Matth. xv.

Sciendum etiam quod licet circa talia oporteat quod homo fidem suam manifestet confessione verborum ; non tamen oportet quod eam manifestet executione operis : sicut si aliquis tenet fide, uti matrimonio esse licitum, non requiritur ab eo quod matrimonio utatur ad fidei suæ manifestationem ; et sic etiam non requirebatur ab eis qui rectam fidem habebant, quod fidem suam usu ciborum manifestarent : poterant enim manifestare verbo tenus confitendo.

Deinde cum dicit, *Beatus qui non judicat se*, ostendit quomodo ciborum usus efficitur aliquibus immundus ex eo quod est contra conscientiam : et circa hoc tria facit. Primo ostendit quid circa hoc sit bonum : ut scilicet eo quod homo facit [3], non habeat conscientiam remordentem : unde dicit : *Beatus qui non judicat semetipsum*, id est cujus conscientia eum non reprehendit vel condemnat, *in eo quod probat*, idest approbat esse faciendum. Sed hoc est intelligendum, si recta fide approbet esse aliquid faciendum. Si autem falsa opinione approbat aliquid esse faciendum, puta si arbitratur obsequium

[1] Al. : « ne condemnetis. » — [2] Al. : « responsionem. » — [3] Al. : « non facit. »

se præstare Deo de eo quod discipulos Christi interficit, ut dicitur Joan. XVI, non excusatur ex eo quod circa hoc non judicat semetipsum : immo beatior esset, si circa hoc eum conscientia reprehenderet, inquantum per hoc a peccato magis prohiberetur. Sed in his quæ sunt licita, est intelligendum quod hic Apostolus dicit. Hoc enim ad gloriam hominis pertinet quod eum sua conscientia non reprehendat. II Corinth. I, 12, *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* Job XXVII, 6 : *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Secundo ostendit quid circa hoc sit malum, ut scilicet contra conscientiam agat : unde dicit : *Qui autem discernit*, idest qui habet opinionem falsam quod oporteat cibos discernere, *si manducaverit*, scilicet cibos quos reputat esse illicitos, *damnatus est*, ex hoc quod, quantum in ipso est, habet voluntatem faciendi quod est illicitum : et sic delinquit proprio judicio condemnatus, ut dicitur Tit. III. Tertio assignat causam ejus quod dixerat, dicens, *Quia non ex fide* : ideo scilicet condemnatus est. Potest autem hic fides dupliciter accipi. Uno modo de fide quæ est virtus : alio modo secundum quod fides dicitur conscientia : et hæ duæ acceptiones non differunt nisi secundum differentiam particularis et universalis. Id enim quod universaliter fide tenemus, puta usum ciborum esse licitum vel illicitum, conscientia applicat ad opus quod est factum vel faciendum. Dicitur ergo, ideo eum qui manducat et discernit, esse condemnatum, quia hoc non est ex fide, immo est contra fidem, idest contra veritatem fidei, et contra conscientiam facientis. Heb. XI, 6 : *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et quod hæc sit sufficiens causa condemnationis, ostendit subdens : *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.*

Ex quo videtur quod, sicut dicitur in *Glossa*, omnis vita infidelium peccatum sit, sicut omnis vita fidelium est meritoria, inquantum ad Dei gloriam ordinatur, secundum illud I Cor. X, 31 : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Sed dicendum est, quod aliter se habet fidelis ad bonum, et infidelis ad malum : nam in homine qui habet fidem formatam nihil est damnationis, ut supra VIII, dictum est, sed in homine infideli, cum infidelitate est bonum naturæ. Et ideo, cum aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo ad malum finem, non peccat. Non tamen opus ejus est meritorium, quia non est gratia informatum. Et hoc est quod in glossa dicitur : « Nihil bonum est sine summo bono ; » idest, nullum bonum meritorium est sine gratia Dei ; et ubi deest agnitio vitæ æternæ et incommutabilis veritatis, quæ scilicet est per fidem, falsa virtus est in optimis moribus, inquantum scilicet non refertur ad finem beatitudinis æternæ. Cum vero homo infidelis aliquid ex eo quod infidelis est, manifestum est quod peccat. Unde cum [1] in *Glossa* dicitur : « Opus *omne quod non est ex fide, peccatum est* : » sic est intelligendum : Omne quod est contra fidem, vel contra conscientiam, peccatum est, etsi ex genere suo bonum esse videatur : puta, si paganus ad honorem suorum deorum virginitatem servet, vel eleemosynam det, hoc ipso peccat. Tit. I, 15 : *Coinquinatis et infidelibus nihil mundum est ; sed inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia.*

[1] Al. deest : « cum. »

CAPUT DECIMUMQUINTUM

LECTIO I.

Debemus autem firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit ; sed sicut scriptum est : Improperia improperantium tibi ceciderunt super me. Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus. Deus autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum, et Patrem Domini nostri Jesu Christi. Propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei. Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum ; Gentes autem [1] super misericordia honorare Deum ; sicut scriptum est : Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, et nomini tuo cantabo. Et iterum dicit : Lætamini Gentes cum plebe ejus. Et iterum : dicit Laudate omnes Gentes Dominum, et magnificate eum omnes populi. Et rursus Isaias ait : Erit radix Jesse, et qui exurget regere Gentes : in eum Gentes sperabunt. Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus sancti.

Supra Apostolus docuit quod majores debent scandala infirmorum vitare ; hic docet quod majores debent etiam infirmitates minorum sustinere : et circa hoc duo facit. Primo proponit admonitionem ; secundo manifestat eam, ibi, *Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum.* Ista admonitio duo continet, quorum primum pertinet ad exteriorem exhibitionem [2] . unde dicit : Non solum debemus scandala infirmorum vitare, sed etiam *nos*, qui sumus *firmiores* in fide, *debemus sustinere imbecillitates infirmorum.* Sicut enim in materiali ædificio eliguntur aliqua firmiora ad sustinendum totum ædificii pondus, quod ex fragiliori materia superponitur [3], sicut sunt fundamenta et columnæ ; ita etiam in spirituali Ecclesiæ ædificio non solum eliguntur, sed efficiuntur [4] aliqui firmiores, ut sustineant pondus aliorum. Unde in Psal, LXXIV, 4, dicitur : *Ego confirmavi columnas ejus* : et Gal. VI, 2 : *Alter alterius onera portate.*

Sustinent autem firmiores imbecillitates infirmorum, dum eorum defectus patienter ferunt, et pro posse sublevare nituntur. Secundum autem pertinet ad interiorem intentionem : unde dicitur : *Et non* debemus *nobis placere*, ita scilicet ut semper illud velimus impleri quod nobis placet ; sed debemus [5] condescendere voluntatibus aliorum, ut faciamus ea quæ aliis placent, et quæ eis sunt utilia. I Corinth, X, 23 : *Sicut et ego per omnia omnibus placeo.*

Deinde cum dicit, *Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum*, manifestat propositam admonitionem : et primo quantum ad secundam partem ; secundo quantum ad primam, ibi, *Propter quod suscipite invicem*, etc. Circa primum duo facit. Primo exponit quod dixerat ; secundo rationem inducit, ibi, *Etenim Christus non sibi placuit.* Dicit ergo primo. Ita dictum est, quod nos non debemus nobis placere ; et hoc quidem est, quia unusquisque nostrum, qui sumus firmiores, debet placere proximo suo infirmo, idest condescendere ei in his quæ ei placent : non tamen in his quæ mala sunt, sicut Isa. XXX, 10, quidam requirunt : *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Et ideo subdit, *In bonum.* Similiter etiam non debemus intendere ut hominibus placeamus propter humanum favorem vel gloriam, cum in Ps. LII, 6, dicatur : *Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent* : sed ad honorem Dei et utilitatem proximorum : unde subdit, *Ad ædificationem*, idest propter hoc quod aliorum voluntati condescendentibus [6], ædificentur in fide et dilectione Christi. Supra XIV, 19 : *Quæ ædificationis sunt, invicem custodiamus.*

Deinde cum dicit, *Etenim Christus non*

[1] Al. : « super omnia. » — [2] Al. : « actum. » — [3] Al. : « supponitur. »
[4] Al. : « effulciuntur. » — [5] Al. : « quod nobis placet, et quæ sunt nobis utilia, » intermediis omissis. — [6] Al. : « condescendentes. »

sibi placuit, assignat rationem ejus quod dixerat, exemplo Christi : et primo proponit exemplum esse a nobis imitandum, ibi, *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*; tertio subjungit orationem [1], ut id implere possimus, ibi, *Deus autem patientiæ* [2] *et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum*.

Circa primum duo facit. Primo proponit exemplum, dicens : Dictum est quod non debemus nobis placere, scilicet secundum nostram privatam voluntatem : *etenim Christus*, qui est caput nostrum, *non sibi placuit*, dum elegit pati pro nostra salute, et ea quæ suæ propriæ voluntati erant contraria, scilicet naturali voluntati humanæ, ut impleret divinam, quæ sibi et Patri erat communis; secundum illud, Luc. XXII, 42 : *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Secundo ad hoc auctoritem inducit, dicens : *Sed sicut scriptum est*, in Psalm. LXVIII, 10, ex persona Christi, dicentis ad Patrem : O Pater, *improperia* Judæorum *improperantium tibi*, idest te blasphemantium per sua mala opera, et per hoc quod veritati tuæ doctrinæ contradicunt, *ceciderunt super me* : quia videlicet opprimere me voluerunt, quia voluntatem tuam eis proponebam, et eorum mala opera redarguebam. Joan. XV, 24 : *Sed oderunt me et Patrem meum.* Potest et hoc referri ad peccata totius humani generis quia omnia peccata quodammodo sunt improperia Dei, inquantum per ea lex Dei contemnitur. Isa. I, 4 : *Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel.* Sic ergo improperia improperantium Deo ceciderunt super Christum, inquantum ipse pro peccatis omnium mortuus est. Isa. LIII, 6 : *Deus posuit in eo iniquitates omnium nostrum.* I Petr. II, 24 : *Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum.*

Deinde cum dicit, *Quæcumque enim scripta sunt* etc., ostendit quod hoc exemplum Christi sit nobis imitandum, dicens : *Quæcumque enim scripta sunt*, in sacra Scriptura vel de Christo, vel de membris ejus, *scripta sunt ad nostram doctrinam* : nulla enim necessitas fuit hæc scribere nisi propter nos, ut ex his instruamur. II Tim. III, 16 : *Omnis Scriptura* [3] *divinitus inspirata utilis est ad docendum et erudiendum, ad arguendum et corripiendum.* Quid autem in Scripturis ad nostram doctrimum contineatur, ostendit subdens : *Ut per patientiam et consolationem Scripturarum*, idest quas Scripturæ continent : continetur enim in sacra Scriptura patientia sanctorum in malis sustinendis. Jacob. ult. 2 : *Patientiam Job audistis.* Continetur etiam in eis consolatio quam Deus eis exhibuit, secundum illud Psal. XCIII : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Unde et I Pet. I, 11, dicitur : *Prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones*, quod pertinet ad patientiam, *et posteriores glorias*, quod pertinet ad consolationem. Quem autem fructum ex hac doctrina suscipiamus, ostendit subdens, *Spem habeamus.* Per hoc enim quod ex sacra Scriptura instruimur, eos qui patienter propter Deum tribulationes sustinuerunt, divinitus consolatos fuisse; spem accipimus ut et ipsi consolemur, si in ipsis fuerimus patientes. Job XIII, 15 : *Et si occiderit me, in ipso sperabo.*

Deinde cum dicit, *Deus autem patientiæ* etc., quia videbatur nimis arduum ut purus homo possit exemplum Christi imitari, secundum illud Eccle. II, 12 : *Quid est homo, ut sequi possit regem factorem suum ?* ideo adhibet orationis suffragium, dicens : *Deus autem patientiæ*, scilicet dator : Psal. LXX, 5 : *Tu es patientia mea* : *et solatii*, idest qui spiritualem consolationem largitur : II Corinth. I, 3 : *Pater misericordiam et Deus totius consolationis* : *det vobis*, a quo est omne datum optimum, ut dicitur Jacob. I, *idipsum sapere in alterutrum*, idest ut invicem idem sapiatis : II Corinth. ult. 2 : *Idem sapite, pacem habente* : non quidem secundum consensum in peccatum, sed *secundum Jesum Christum*, de quo dicitur Ephes. II, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum* : ut per hoc quod idem sapitis, *unanimes* existentes per fidei et caritatis consensum, secundum illud Psal. LXVII, 7, secundum aliam litteram, *Qui habitare facit unanimes in domo, uno ore*, idest una oris confessione, quæ ex unitate fidei procedit : I Corinth. I, 10 : *Idipsum dicatis omnes* : et pro conformitate cordis et oris *honorificetis Deum* omnium creatorem, idipsum etiam existentem *Patrem Domini nostri Jesu Christi*; per quem nos sibi in filios adop-

[1] Al. : « rationem. » — [2] Al. *pacis*. — [3] Al. : « doctrina. »

tavit. I Reg. II, 30 : *Qui honorificaverit me, honorificabo eum.* Malach I, 6 : *Si ego pater, ubi est honor meus?*

Deinde cum dicit, *Propter quod suscipite invicem*, manifestat primam partem admonitionis, in qua dixerat, quod firmiores debent imbecillitatem infirmorum sustinere : et circa hoc duo facit. Primo resumit admonitionem ; secundo inducit rationem exemplo Christi, ibi, *Sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei*; tertio subjunxit orationem, ibi, *Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo*. Dicit ergo primo : *Propter quod*, idest quia ea quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam ordinantur, scilicet exempla Christi et aliorum sanctorum ; consequenter *suscipite invicem*, secundum caritatis affectum, ut scilicet unus sustineat ea quæ sunt alterius, sicut et vult se sustineri quantum caritas permittit : et unus alium etiam suscipiat ad adjuvandum et promovendum. Supra XIV, 1, *Infirmum in fide suscipite*. Deinde cum dicit, *Sicut et Christus suscepit vos*, assignat rationem exemplo Christi : et primo ponit ejus exemplum, dicens : *Sicut et Christus suscepit vos*, scilicet in sua protectione et cura. Isa. XLII, 1 : *Ecce servus meus, suscipiam eum.* Luc. I, 54 : *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.* Et hoc *in honorem Dei*, in quem omnia referebat. Joan. VIII, 49 : *Honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me.* Ex quo datur intelligi quod nos invicem debemus suscipere in his quæ pertinent ad honorem Dei. Secundo ibi, *Dico enim Christum* etc., manifestat quod dixerat : et primo quidem quantum ad Judæos ; secundo quantum ad Gentiles, ibi, *Gentes autem super misericordia honorare Deum*. Dicit ergo primo : Dictum est, quod Christus vos suscepit, qui estis congregati in unitate fidei ex Judæis et Gentibus : et hoc patet quantum ad utrosque. *Dico* ergo, *Christum ministrum fuisse circumcisionis* : est enim ipse auctor fidei quantum ad omnes, secundum illud Hebr. XII, 2 : *Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum.* Sed in propria persona non exhibuit seipsum nisi Judæis, secundum illud Matth. XV, 24 : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* Isa. XLII, 2 : *Non audietur vox ejus foris.* Et hoc quidem *propter veritatem Dei*, ut scilicet veritas Dei promittentis comprobaretur : supra III, 4, *Est autem Deus verax*. Unde subdit : *Ad confirmandas promissiones patrum* ; idest, ut per hoc implerentur promissiones patribus factæ : Luc. I, 69 : *Erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui ; sicut locutus est per os sanctorum.* II Corinth. I, 20 : *Quotquot sunt promissiones Dei, in illo Est.* Deinde cum dicit, *Gentes autem super misericordia honorare Deum*, ostendit etiam Gentes susceptas a Christo : et primo proponit quod intendit ; secundo confirmat per auctoritatem, ibi, *Sicut scriptum est*. Dicit ergo : Ita dictum est, quod Christus suscepit Judæos propter veritatem Dei, ut promissiones patrum implerentur ; Gentibus autem non erant promissiones factæ : unde hoc non habet locum quantum ad Gentiles : sed sunt propter misericordiam suscepti : et hoc est quod dicit : *Gentes autem* debent *honorare Deum super misericordia* eis exhibita per Christum : quia licet eis personaliter non prædicaverit, ad eos tamen discipulos suos misit, qui in Gentibus ministerium exercuerunt, sicut ipse exercuerat in Judæis, secundum illud Matth. ult. 19 : *Euntes docete omnes Gentes.* Et de hac misericordia dicitur in Psalm. XXXII, 5 : *Misericordia Domini plena est terra.* Luc. I, 50 : *Misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.* Sic ergo Apostolus conversionem Judæorum attribuit veritati divinæ, conversionem Gentilium divinæ misericordiæ.

Contra quod videtur esse, quod dicitur in Ps. XXIV, 10 : *Universæ viæ Domini misericordia et veritas.* Sed dicendum est, quod per hoc quod ascribit vocationem Judæorum divinæ veritati, non excludit misericordiam : quia et Apostolus ex Judæis natus dicit I Tim. I, 13 : *Misericordiam consecutus sum.* Et hoc ipsum misericordiæ fuit quod Deus patribus promissiones fecit de posterorum salute. Similiter hoc quod vocationem Gentium ascribit divinæ misericordiæ, non excludit totaliter divinam veritatem ; quia hoc ipsum ad divinam veritatem pertinebat quod propositum suum de salvatione Gentium implevit ; quod ad Ephes. III, dicit Apostolus, esse sacramentum absconditum a sæculis in Deo. Sed aliquis modus veritatis, scilicet pro impletione promissorum, consideratur in vocatione Judæorum, qui non consideratur in vocatione Gentium, quibus promissiones non sunt factæ.

Deinde cum dicit, *Sicut scriptum est* etc., confirmat quod dixerat de conver-

sione Gentium, per auctoritatem. Licet enim Gentibus non fuerit repromissa vocatio ad fidem Christi, non tamen ex improviso accidit, sed fuit prænuntiatum vaticiniis Prophetarum. Inducit autem quatuor auctoritates : quarum prima continet gratiarum actiones Christi ad Patrem pro conversione Gentium per ipsum facta : unde dicit : *Sicut scriptum est*, in Psal. XVII, 44, ex persona Christi : *Constitues me in caput Gentium* : et *Ab insurgentibus in me Judæis exaltabis me.* O Deus Pater, ego Christus *confitebor tibi*, confessione gratiarum actionis, *in Gentibus*, idest pro Gentium conversione per me facta, *et cantabo*, nova quadam mentis exultatione, *nomini tuo*, quod eis manifestatum est, secundum illud Joan. XVII, 6 : *Manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi.* Vel aliter, *Confitebor tibi in Gentibus*; idest, faciam quod tibi Gentes confiteantur confessione fidei : Psalm. LXVI, 6 : *Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes : et nomini tuo cantabo*; idest faciam quod Gentes cantent tibi canticum, quod consistit in exultatione spiritus renovati. Psal. XCV, 1 : *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra.* Secunda auctoritas continet adunationem Gentium et Judæorum : unde subdit : *Et iterum dicit* Scriptura, Isa. ult. [1]. O *Gentes,* quæ eratis alienæ a conversatione Israel, ut dicitur Ephes. II, *Lætamini* [2] *cum plebe ejus;* idest simul communem exultationem assumatis cum Judæis, qui olim erant plebs ejus. Isai. IX, 3 : *Lætabuntur coram te sicut qui lætantur in messe.* Joan. X, 16 : *Fiet unum ovile, et unus pastor.* Nostra autem littera habet : *Lætamini cum Hierusalem, et exultate in ea omnes qui diligitis eam.* Tertia auctoritas continet devotionem Gentium ad Deum : unde subdit : *Et iterum*, scriptum est in Psalm. CVI : *Laudate omnes Gentes Dominum*, scilicet ejus bonitatem confitentes : Psal. CXII, 3 : *A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini : et omnes populi*, non solum populus Judæorum, *magnificate eum*; idest, credite esse magnum; idest, quod sua magnitudine omnem laudem excedat. Eccli. XLVIII, 33 : *Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis : major enim est omni laude.* Malach. I, 11 : *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus.* Quarta auctoritas continet reverentiam Gentium ad Christum : unde subditur : *Et rursus Isaias ait*, 11, *Erit radix Jesse* : in quo prænuntiat Christi originem ex David semine nascituri : Jesse namque fuit pater David. Dicit ergo : *Erit radix Jesse*, ex cujus semine [3] Christus nascetur. Isa. XI, 1 : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.* Vel Christus *erit radix Jesse*, quia licet ex Jesse processerit secundum carnis originem, tamen sua virtute Jesse sustentavit et gratiam ei influxit. Supra XI, 18 : *Non tu radicem portas, sed radix te.* Deinde tangit Christi officium, subdens : *Et qui exurget* in tantam gratiæ excellentiam ut possit *regere Gentes*, eos divino cultui subjugando ; quod nullus ante eum facere potuit. Psal. II, 8 : *Dabo tibi Gentes hereditatem tuam... reges eos in virga ferrea.* Ultimo ponit devotionem Gentium ad Christum, dicens : *In eum Gentes sperabunt*, ut scilicet per eum hereditatem cœlestis gloriæ consequantur. I Pet. I, 3 : *Regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.*

Deinde cum dicit, *Deus autem spei* etc., subjungit orationem, dicens : Dictum est, quod in Christum Gentes sperabunt. *Deus autem spei*, idest qui nobis hanc spem infundit, secundum illud Psal. LXX, 5 : « Spes mea Domine : » vel *Deus spei*, idest in quo sperandum est, *repleat vos omni gaudio*, scilicet spirituali, quod est de Deo : Nehem. VIII, 10 : *Gaudium enim Domini est fortitudo vestra* : per quam homo in seipso et ad Deum et proximum est pacatus. Psalm. CXVIII, 165 : *Pax multa diligentibus legem tuam, Domine. In credendo*; quasi dicat : Ut cum hoc quod creditis, etiam pacem et gaudium habeatis ; quæ quidem sunt caritatis effectus, secundum illud Gal. V, 22 : *Fructus autem Spiritus sunt caritas, gaudium, pax.* Unde patet quod a Deo, qui est dator spei, optat eis ut cum fide habeant caritatem, per quam fides operatur, ut habetur Gal. V ; ne fides eorum sit informis et mortua : quia fides sine operibus mortua est, ut dicitur Jac. II ; et ut sic per plenitudinem harum virtutum, *abundetis*, pro-

[1] Al. Isai. XXXV : « *Lætamini Gentes, cum plebe ejus*; idest, etc. » intermediis omissis. — [2] In edit. Romana, et Veneta Nicolini repetitur hic vox : « Gentes. » — [3] Al. : « ex cujus pullulatione. »

ficiendo de bono in melius, non solum *in spe*, sed etiam in *virtute Spiritus sancti*, idest in caritate quæ in cordibus nostris diffunditur per Spiritum sanctum, ut supra v, dictum est. II Corinth. ix, 8 : *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.*

LECTIO II.

Certus sum autem, fratres mei, et ego ipse de vobis quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia ita ut possitis alterutrum monere. Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte, tamquam in memoriam vos reducens propter gratiam quæ data est mihi a Deo, ut sim minister Christi Jesu, Gentibus sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta, et sanctificata in Spiritu sancto. Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus in obedientiam Gentium in verbo et factis, in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus sancti : ita ut ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi. Sic autem prædicavi Evangelium hoc non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem ; sed sicut scriptum est : Quoniam quibus non est annuntiatum de eo videbunt, et qui non audierunt de eo intelligent.

Postquam Apostolus generalibus admonitionibus Romanos instruerat, hic incipit eis quædam familia scribere : et primo quædam pertinentia ad seipsum ; secundo quædam pertinentia ad alios, xvi, cap. ibi, *Commendo autem vobis Phœben*, etc. Circa primum tria facit. Primo excusat præsumptionem de hoc quod eos instruxerat et reprehenderat ; secundo excusat suam tarditatem circa visitationem eorum, ibi, *Propter quod plurimum impediebar venire ad vos;* tertio petit suffragia orationum ipsorum, ibi, *Obsecro autem vos fratres* etc. Et circa primum duo facit. Primo excludit oppositam causam instruendi et arguendi eos ; secundo assignat veram causam, ibi, *Audacius enim scripsi vobis*, *fratres*, *ex parte.* Circa primum considerandum est, quod aliquis posset credere Apostolum ideo scripsisse Romanis, quia æstimaret nullum [1] esse apud Romanos qui posset instruere et corrigere. Sed hoc ipse excludit, dicens : *Certus sum enim, fratres mei*, per ea quæ de vobis audivi, quoniam idonei estis ad admonendum eos qui inter vos admonitione indigent. Ad hoc autem ut aliquis recte admoneat, duo requiruntur : quorum primum est ut non ex odio vel ira, sed ex dilectione moneat, secundum illud Psal. cxl, 5 : *Corripiet me justus in misericordia* : et Gal. vi, 1 : *Vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis :* et quantum ad hoc dicit : *Quoniam et ipsi pleni estis dilectione.* Ezech. x, 2 : *Imple manum tuam prunis ignis*, *quæ sunt inter Cherubim* : qui, est ignis caritatis. Secundo requiritur scientia veritatis, eo quod quidam habent zelum Dei in corrigendo, sed non secundum scientiam, ut supra x, dictum est : et ideo subdit : *Repleti omnia scientia*, scientia et humana et divina, et veteris et novæ legis. I Corinth. i, 5 : *In omnibus divites facti estis in illo*, *in omni verbo et in omni scientia.* Et ex hoc concludit sic : *Ita ut possitis*, convenienter propter dilectionem et scientiam, *alterutrum monere.* Quia enim in multis offendimus omnes, ut dicitur Jac. iii, oportet ut invicem moneamus : quia, ut dicitur Eccli. xvii, 12, *unicuique mandavit Deus de proximo suo.*

Deinde cum dicit, *Audacius autem scripsi vobis*, assignat veram causam quare eos admonuerat et correxerat : et circa hoc duo facit. Primo ostendit quod hoc pertinebat ad auctoritatem Apostolatus sibi commissam ; secundo ostendit qualiter hac potestate usus fuerit, ibi, *Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum.* Dicit ergo : *Audacius autem*, idest securius *scripsi vobis*, errores et defectus vestros arguendo : quod quidem ad audaciæ præsumptionem posset ascribi propter hoc quod ostensionem vestram non timui. Job xxxix, 22 : *Audacter in occursum pergit armatis.* Sed hæc præsumptio excusatur ex tribus. Primo quidem ex conditione eorum quibus scribebat : quia etsi inter Romanos essent aliqui respectu quorum talis reprehensio audax et præsumptuosa videretur; erant tamen etiam aliqui qui indigebant dura reprehensione propter contentionum insolentiam. Tit. i, 13 : *Increpa illos dure.* Et hoc est quod dicit, *Ex parte;* quasi dicat : Non videtur mea scriptura esse audax quantum ad omnes vos, sed quantum ad partem aliquam vestrum. Vel potest intelligi, *Ex parte* Epistolæ in

[1] Al. : « illum. »

qua eos reprehendit. Potest intelligi etiam ex parte Ecclesiæ, quæ scilicet mecum est. Secundo excusatur prædicta audacia ex intentione Apostoli : non enim scripsit eis tamquam reputans eos ignorantes [1], sed in memoriam eos reducens cognitorum : et hoc est quod subdit : *Tamquam in memoriam vos reducens*, quasi oblitos eorum quæ sciebatis : sicut et Phil. IV, 10, dicitur : *Occupati autem eratis.* Hebr. X, 32 : *Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum.* Tertio excusatur ex auctoritate Apostoli quæ hoc requirebat : unde subdit, *Propter gratiam*, scilicet Apostolatus mihi commissi. I Corinth. XV, 10 : *Gratia Dei sum id quod sum.* Hujus autem gratiæ primo describit auctoritatem, cum dicit : *Quæ data est mihi a Deo* ; quasi diceret, Non ab hominibus. Ad Galat. I, 1 : *Paulus Apostolus non ab hominibus neque per hominem.* Secundo specificat istam gratiam, cum dicit : *Ut sim minister Christi Jesu in Gentibus* : idest, ut serviam Christo in Gentium conversione. I Corinth. IV, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi.* Supra XI, 13 : *Quamdiu sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo.* Tertio ostendit hujus gratiæ actum, cum dicit : *Sanctificans Evangelium Dei* ; idest, sanctum esse ostendens et verbo veritatis, et opere bonæ conversationis et miraculorum. Col. I, 5 : *In verbo veritatis Evangelii quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat et crescit.* Proverb. VIII, 8 : *Recti sunt sermones mei.* Quarto ponit finem hujus gratiæ, cum dicit : *Ut fiat oblatio Gentium*, idest Gentes per meum ministerium conversæ: in quo quasi quoddam sacrificium et oblationem Deo obtulit secundum illud Philip. II, 17 : *Et si immolor super sacrificium et obsequium fidei vestræ, gaudeo et congratulor omnibus vobis. Fiat accepta*, scilicet Deo per rectitudinem intentionis [2]. Psal. L : *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta* : *et sanctificata in Spiritu sancto* ; id est per caritatem, et alia Spiritus sancti dona. I Corinth. VI, 9 : *Sanctificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.*

Deinde cum dicit, *Habeo igitur gloriam* etc., ostendit quomodo auctoritate apostolica fuerat usus : et primo ponit fructum quem fecit ; secundo ostendit hujus fructus magnitudinem, ibi, *Ita ut ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim evangelium Christi* : tertio ostendit difficultatem, ibi, *Sic autem prædicavi hoc, non ubi nominatus est Christus* etc. Circa primum tria facit. Primo dat gloriam Deo de fructu quem fecit, dicens : *Igitur* quia talem gratiam accepi et diligenter executus sum id ad quod mihi hæc gratia data est, *habeo gloriam*, idest meritum dignum gloria [3], sicut fidelis minister. I Corinth. IX, 15 : *Melius est mihi mori quam ut gloriam meam quis evacuet.* Sed hanc gloriam non mihi principaliter attribuo, sed eam habeo *in Christo Jesu*, idest per Christum, cujus virtute fructificare potuit. Joan. XV, 5 : *Sine me nihil potestis facere.* Et quia ipsi [4] omnia tradita sunt a Patre, ut dicitur Matth. XI, et *Pater in eo manens, ipse facit opera* : Joan. XIV, 10 ; ideo ulterius hanc gloriam refert ad Patrem dicens, *Ad Deum*, scilicet Patrem. Psalm. CXIII, 1 : *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Assignat autem rationem ejus quod dixerat, subdens : *Non enim audeo loqui aliquid eorum quæ per me non effecit Christus ;* quasi dicat : Nihil referam de fructu per me facto quod per me factum non sit. Alioquin gloriam non haberem apud Deum, etsi apud homines. Quæ quidem refero, non tamquam per me principaliter facta, sed sicut quæ per me Christus fecit ; et ideo hanc gloriam dixi me habere in Christo Jesu. Isa. XXVI, 12 : *Omnia opera nostra operatus es in nobis* : Secundo ponit ipsum fructum, dicens : *In obedientiam Gentium* ; quasi dicat : Gloria mea hæc est pro eo quod feci Gentes fidei obedire. Supra I, 5 : *Ad obediendum fidei in omnibus Gentibus.* Psalm. XVII, 45 : *In auditu auris obedivit mihi.* Tertio ostendit quomodo Gentes ad hanc obedientiam adduxerit. Quia autem supra X, 17, dictum est : *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* : ideo [5] dicit, *In verbo*, idest per verbum prædicationis fidei. Argumenta autem fidei prædicatæ, sunt bona conversatio prædicantis ; et quantum ad hoc subdit, *Et factis* ; quasi scilicet per recta opera

[1] Al. : « tamquam instruens ignorantes. »
[2] Al. deest : « intentionis. » — [3] Al. omittitur : « idest meritum dignum gloria. » — [4] Al. : « Christo. » — [5] Al. : « primo. »

vos ad fidem allexi : Matth. v, 16 : *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est* : et opera miraculorum, quibus Deus dat testimonium doctrinæ prædicatæ, secundum illud Marc. ult. 20 : *Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis*. Unde subdit : *In virtute signorum*, idest miraculorum minorum, puta sanationes ægritudinum, *et prodigiorum*, idest majorum miraculorum, quæ ex sua magnitudine aliquid magni portendunt, idest ostendunt. Sed hoc totum non sufficeret, nisi Spiritus sanctus intus corda audientium ad fidem commoveret : unde dicitur Act. x, quod loquente Petro verba fidei, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et ideo subdit : *In virtute Spiritus sancti*. Hebr. ii, 4 : *Contestante Deo signis et prodigiis, et variis Spiritus sancti distributionibus*. Deinde cum dicit, *Ita ut incipiens ab Hierusalem*, ostendit magnidinem fructus ex multitudine locorum in quibus prædicavit dicens : *Ita ut incipiens ab Hierusalem*, ubi in principio suæ conversionis prædicavit in synagogis Judæorum, ut dicitur Act. ix, ut sic impleret quod dicitur Isa. ii, 3 : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem* : *usque ad Illyricum*, quod est mare Adriaticum ex parte opposita Italiæ, *repleverim Evangelium Christi ;* idest omnia illa loca replevi prædicatione Evangelii. Et ne aliquis intelligat quod solum vadens per rectam viam a Hierusalem in Illyricum prædicaverit Evangelium, addit, *Per circuitum*, quia scilicet gentibus circumquaque prædicavit, et eas ad fidem convertit : unde sibi potest competere quod dicitur Job xxxviii, 25 : *Quis dedit vehementissimo imbri cursum ?* Deinde cum dicit, *Sic autem prædicavi* etc. ostendit difficultatem hunc fructum faciendi ; difficile enim est omnino ignaros ad fidem convertere. Primo igitur difficultatem se passum ostendit, dicens : *Sic autem prædicavi Evangelium non ubi*[1] *nominatus est Christus*, idest non apud illos qui nomen Christi audiverant. Psalm. xvii, 45 : *Populus quem non cognovi, servivit mihi*. Isa. lv, 5 : *Ecce gentes quas nesciebas, vocabis ; et gentes quæ te non cognoverunt, ad te current*. Subdit autem rationem dicens : *Ne super alienum fundamentum ædificarem*. Potest autem alienum fundamentum dupliciter intelligi. Uno modo doctrina hæretica quæ est aliena a veræ fidei fundamento : et sic hoc quod dicit *ne*, ponitur causaliter. Ea enim intentione Apostolus voluit prædicare illis qui nomen Christi non audierunt, ne si præventi essent a doctrina pseudo apostolorum, difficilius esset eos ad veritatem reducere. Unde Matth. vii, dicitur : Stultus est qui ædificat domum suam super arenam, cum comparatur falsa doctrina. Alio modo per alienum fundamentum potest intelligi doctrina veræ fidei ab aliis prædicata ; et sic potest sumi ly *ne* consecutive. Non enim vitavit Apostolus prædicare illis quibus ante fuerat ab aliis prædicatum, sicut ipsis Romanis specialiter prædicavit, quos prius Petrus instruxerat ; sed eo prædicante illis qui nihil de Christo audierant, consecutum est ut non ædificaret super alienum fundamentum, sed ipse jaceret prima fidei fundamenta, secundum illud I Corinth. iii, 10 : *Ut sapiens architectus fundamentum posui*. Secundo ad hoc quod dixerat, auctoritatem inducit dicens : *Sicut scriptum est*, Isa. lii, *Quoniam quibus non est annuntiatum de eo, videbunt* ; *et qui non audierunt, contemplati sunt* : in quibus verbis Propheta videtur prædicere quoniam Gentiles excellentiori modo ad cognitionem Dei essent perventuri quam Judæi, qui ante cognoverant. Ostendit ergo primo excellentiam quantum ad causam cognitionis ; quæ scilicet duplex est, scilicet verba audita, et res visæ : hi enim duo sensus sunt disciplinabiles. Judæi ergo in notitiam mysteriorum Christi pervenerunt per verba annuntiata eis a Prophetis Pet. i, 10 : *Prophetæ qui de futura in vobis gratia prophetaverunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones et posteriores glorias*. Sed Gentiles hujusmodi Christi mysteria jam realiter impleta vident ; ideo dicitur : *Quoniam* Gentes, *quibus non est annuntiatum*, per Prophetas, *de eo*, idest de Christo, sicut fuit annuntiatum Judæis, *videbunt* res jam impletas. Luc. x, 34 : *Multi reges et Prophetæ, voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt*. Secundo ostendit excellentiam quantum ad modum cognoscendi : quia Judæi ex annuntiatione Prophetarum solum auditum habebant : Abdiæ i, *Auditum audivi-*

[1] Al. : « non quidem. »

mus a Domino, et legatos ad Gentes misit. sed Gentiles ex visione intellectum perceperunt : unde dicitur : *Et*, Gentiles scilicet, *qui ante non audierunt,* prænuntiari Christum per Prophetas, *intelligent*, scilicet fidei veritatem. Psal. II, 10 : *Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram.*

LECTIO III.

Propter quod et impediebar plurimum venire ad vos et prohibitus sum usque adhuc. Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis, cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos et a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero. Nunc igitur proficiscar in Hierusalem ministrare sanctis. Probaverunt enim Macedonia et Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum qui sunt in Hierusalem. Placuit enim eis, et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent et in carnalibus ministrare illis. Hoc igitur cum consummavero, et assignavero eis fructum hunc, per vos proficiscar in Hispaniam. Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Christi veniam. Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et caritatem sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus qui sunt in Judæa, et obsequii mei oblatio accepta fiat in Hierusalem sanctis, ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, ut refrigerer vobiscum. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.

Postquam Apostolus se excusavit de præsumptione quæ ei potuisset ascribi ex hoc quod Romanos instruxerat et correxerat, hic se excusat de eo quod eos visitare distulerat : et circa hoc tria facit. Primo ponit impedimentum visitationis præteritum ; secundo ponit visitandi propositum, ibi, *Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus... spero quod præteriens videam vos* ; tertio promittit visitationis fructum, ibi, *Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Christi veniam.* Dicit ergo primo : Dictum est : Prædicavi Evangelium per multa loca, in quibus Christus non fuerat nominatus : *propter quod* hactenus *impediebar plurimum* ex hujusmodi occupatione *venire ad vos.* Et istud impedimentum usque nunc duravit : unde subdit : *Et prohibitus sum usque adhuc* : quod quidem potest referri ad multitudinem occupationum quas in aliis locis habuerat ; vel etiam ad divinam ad divinam providentiam, per quam Apostoli impediebantur ne pervenirent ad quosdam, et dirigebantur in salutem aliorum, secundum illud Act. XVI, 6 : *Transeuntes Phrygiam et Galatiæ regionem, vetati sumus a Spiritu sancto loqui verbum* [1] *in Asia.* Unde et supra I, dictum est : *Sæpe proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc.* Et hoc est quod dicitur Job XXXVII, 12, de nubibus, per quas prædicatores intelliguntur : *Lustrant cuncta per circuitum, quocumque eos voluntas gubernantis duxerit.*

Deinde cum dicit, *Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus* etc., manifestat propositum suum de eorum visitatione : et primo promittit eis suam visitationem ; secundo assignat causam quare oporteat eam differre, ibi, *Nunc igitur proficiscar* etc. ; tertio assignat eis visitationis terminum, ibi, *Hoc igitur cum consummavero, et assignavero eis fructum hunc.* Dicit ergo primo ita : *Usque modo sum prohibitus ; nunc vero*, jam peragratis omnibus his locis, *ulterius non habens locum*, idest necessitatem permanendi, *in his regionibus*, in quibus jam per me fundata est fides, *cupiditatem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis*, secundum illud supra I, 11 : *Desidero enim videre vos, ut aliquid impartiar vobis gratiæ spiritualis* : *cum in Hispaniam proficisci cœpero* ; quo scilicet ire intendebat, ut etiam in extremis terræ fundamenta fidei collocaret, secundum illud Isa. XLIX, 6 : *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ* : *spero quod præteriens videbo vos* : per quod dat intelligere quod non intendebat ad eos principaliter ire, quia reputabat eis sufficere doctrinam Petri, qui primus inter Apostolos Romanis fidem prædicavit. Et quia tunc Romani dominabantur in toto occidente, eorum auxilio et ducatu se sperabat in Hispaniam proficisci : unde subdit : *Et a vobis deducar illuc.* Intendebat tamen aliquam moram apud eos contrahere : unde subdit : *Si vobis fruitus fuero*, idest consolatus, secundum illud quod supra I, 12, dictum est, *Simul consolari in vobis* ; et hoc *ex parte*, scilicet temporis, quia per aliquod tempus intendebat cum eis consolari.

Sed contra est quod Augustinus dicit

[1] Al. : « verbum Dei. »

in lib. III, cap. v *De doctrina christiana*, quod illis solis rebus fruendum est quæ nos beatos faciunt, scilicet Patre, Filio et Spiritu sancto. Inconvenienter ergo dicit se fruiturum esse Romanis.

Sed dicendum est, quod, sicut Augustinus dicit ibidem, homine in se non est fruendum, sed in Deo, secundum illud ad Philem. xx : *Ita, frater, ego te fruar in Domino* ; quod est delectari in homine propter Deum. Et sic intelligendum est quod dicit, *Si fuero fruitus vobis*, scilicet in Deo. Vel quod dicit, *Ex parte*, potest referri ad bonos, quibus poterat frui in Deo : nam alia parte, scilicet malis, non poterat frui, sed magis de eis dolere, sicut dicitur II Corinth. xii, 21 : *Ne cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex his qui ante peccaverunt.*

Deinde cum dicit, *Nunc igitur proficiscar*, assignat rationem quare differebat visitationem : et circa hoc tria facit. Primo ponit causam, dicens : *Nunc igitur proficiscar*, idest, ideo non statim venio ad vos, quia proficiscor *Hierusalem ministrare sanctis.* Circa quod sciendum est, quod, sicut legitur Act. iv, illi qui ex Judæis a principio convertebantur ad fidem, venditis possessionibus suis, de pretio communiter vivebant ; quod cum defecisset, maxime quadam magna fame imminente, ut legitur Act. xi, discipuli, scilicet Christiani, ex diversis partibus mundi, prout quisque habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judææ fratribus ; quod et fecerunt mittentes ad seniores per manus Barnabæ et Sauli. Ministerium igitur sanctorum hic dicit eleemosynam quam fidelibus Christi attulit in Hierusalem, secundum illud I Corinth. ult. 3 : *Quos probaveritis, hos mittam perferre gratiam vestram in Hierusalem* : *quod si dignum fuerit ut ego eam, mecum ibunt.* Secundo exponit quod dixerat de ministerio sanctorum, dicens : *Probaverunt enim*, idest approbaverunt, *Macedonia et Achaia*, idest fideles utriusque regionis per eum conversi, *collectionem aliquam facere*, idest aliquam collectam, *in pauperes* Christi, idest ad usum pauperum qui sunt de numero sanctorum, secundum illud Eccli. xii, 4 : *Da justo, et non recipias peccatorem : qui sunt in Hierusalem*, in paupertate viventes. II Corinth. ix, 1 : *De ministerio quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis. Scio enim promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones.* Tertio assignat rationes dictorum ; quarum prima est beneplacitum : unde dicitur : *Placuit enim illis.* II Corinth, ix, 7 : *Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate.* Secunda causa est debitum : unde subdit : *Et debitores sunt eorum.* Supra xiii, 7 : *Reddite omnibus debita.* Rationem autem debiti assignat, dicens : *Nam si Gentiles facti sunt participes bonorum spiritualium*, quæ erant specialiter *eorum*, idest Judæorum, scilicet notitiæ divinæ et promissionum et gratiæ, secundum illud supra ix, 4 : *Quorum adoptio est filiorum, et gloria et testamentum et legislatio et obsequium et promissa*: et supra xi, 17 : *Socius radicis, et pinguedinis olivæ factus es* : sunt etiam facti participes spiritualium eorum per hoc quod illi prædicatores eis miserunt : *debent et in carnalibus ministrare illis*, secundum illud Eccli. xiv, 15 : *In divisione sortis da et accipe* : et Psal. viii, 3 : *Sumite psalmum* id est spiritualia *et date tympanum*, idest temporalia. Et ex hoc sumitur argumentum, quod debentur sumptus non solum illis quis prædicant, sed etiam eis qui prædicatores mittunt.

Deinde cum dicit, *Hoc igitur cum consummavero*, præfigit terminum quo ad eos sit venturus, dicens : *Hoc igitur cum consummavero*, scilicet ministerium sanctorum, *et assignavero eis fructum hunc*, idest eleemosynam Gentilium, quæ est quidam fructus conversionis eorum : Oseæ x, 1 : *Vitis frondosa Israel, fructus est ei adæquatus* : *proficiscar per vos in Hispaniam.*

Sed videtur hic Apostolus falsum dicere : nunquam enim in Hispaniam ivisse [1] legitur : in Hierusalem enim captus fuit, et exinde Romam perlatus est in vinculis, ut habetur Act. ult., ubi est occisus simul cum Petro.

Dicunt ergo quidam, quod, sicut dicitur Act. ult., cum venisset Romam Paulus, permissum est est ei manere sibimet cum custodiente se milite ; et postea dicitur, quod mansit biennio toto in suo conductu, et in illo spatio dicunt eum in Hispaniam ivisse. Sed quia hoc certum non est, potest melius dici, quod Apostolus falsum non dixit, qui propo-

[1] Al. : « fuisse in Hispania. »

nebat se facturum quod dicebat ; et sic verba ejus erant intelligenda quasi insinuantia ejus propositum, non autem futurum eventum, qui ei erat incertus : unde non poterat hoc prædicere, nisi forte sub conditione quam Jacobus dicit apponendam, Jac. IV, 15 : *Pro eo ut dicatis : Si Dominus voluerit, et si vixerimus, faciemus hoc aut illud.* Et sic etiam Apostolus se excusat II Corinth. I, 17, de hoc quod ad eos non iverat sicut promiserat, dicens : *Cum ergo volui, numquid levitate usus sum? Aut quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me Est et Non?* Et sic ex hoc quod ex justa causa prætermisit facere quod promiserat, se immunem dicit a levitate, carnalitate et falsitate. Et sic etiam solvit hoc Gelasius Papa, et habetur *In decret.* XXII, qu. II : « Beatus inquit Paulus Apostolus non ideo, quod absit, fefellisse credendum est, aut sibi extitisse contrarius, quoniam cum ad Hispaniam se promisisset iturum, dispositione divina majoribus occupatus causis, implere non potuit quod promisit. Quantum enim ipsius voluntatis interfuit, hoc pronuntiavit quod revera voluisset efficere ; quantum vero ad divini secreta consilii, quæ ut homo non potuit, licet spiritu Dei plenus, agnoscere, superna prætermisit dispositione præventus. Licet enim propheticum spiritum habuerit, tamen Prophetis non omnia revelantur : » ut patet IV Reg. IV, 27, ubi Eliseus dixit : « Anima ejus in amaritudine est, et Dominus celavit a me, et non indicavit mihi. »

Deinde cum dicit, *Sic autem* etc., prænuntiat eis fructum suæ visitationis, dicens : *Scio autem*, scilicet ex fiducia divinæ gratiæ, *quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Christi veniam* ; idest, Christus abundantius suam benedictionem dabit vobis in meo adventu ; de qua dicitur in Psal. XXXIII, 8 : *Etenim benedictionem dabit legislator : ibunt de virtute in virtutem.* Et sic Laban dixit ad Jacob Genes. XXX, 27 : *Experimento didici quod benedixerit mihi Deus propter te.*

Deinde cum dicit, *Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum*, petit ab eis orationis suffragia: et primo petit eorum orationes ; secundo ipse pro eis rogat, ibi, *Deus pacis sit cum omnibus vobis.* Circa primum tria facit. Primo inducit eos ad orandum pro se ex tribus. Primo quidem ex superna caritate, cum dicit : *Obsecro vos ergo fratres.* Ad Philem. IX : *Propter caritatem autem magis obsecro.* Secundo ex reverentia Christi, cujus ipse erat minister, dicens : *Per Dominum nostrum Jesum Christum* : in quo omnes unum sumus, ut supra XII, dictum est. Tertio ex dono Spiritus sancti, quod ejus ministerio tradebatur : unde subdit : *Per caritatem Spiritus sancti* ; quam Spiritus sanctus in cordibus nostris diffundit, ut supra V, dictum est. Secundo petit auxilium orationis eorum, dicens : *Ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum*, scilicet pro me fusis. Proverb. XVIII, 19 : *Frater qui juvatur a fratre, quasi civitas firma.* Hoc autem, ut *Glossa* dicit, non ideo dicit Apostolus quia ipse minus mereatur quam alii minores, sed ordinem sequitur. Primo quidem ut ab Ecclesia pro rectore suo fiat oratio, secundum illud I Tim. II, 1 : *Obsecro igitur primum omnium, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui sunt in sublimitate constituti.* Secundo, quia multi minimi dum congregantur unanimes, magis merentur ; et ideo impossibile est ut multorum preces non impetrent. Matth. XVIII, 19 : *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo qui est in cœlis.* Tertio ut dum multi orant, multi etiam gratias agant exauditi, secundum illud II Corinth. I, 2: *Adjuvantibus vobis in oratione pro nobis, ut per multos gratiæ agantur Deo.* Tertio ponit ea quæ vult sibi impetrari ; quorum primum pertinet ad hostes, quos habebat in Judæa : unde dicit : *Ut liberer ab infidelibus qui sunt in Judæa*, qui præcipue Paulum impugnabant et odiebant, quia fiducialiter prædicabat cessationem legalium. Act. XXI, 21 : *Audierunt de te, quod discessionem doces a Moyse eorum qui per Gentes sunt Judæorum ; dicens non debere eos circumcidere filios suos neque secundum consuetudinem ingredi.* Secundum pertinebat ad eos in quorum ministerium ibat ; et hoc est quod subdit: *Et oblatio obsequii mei*, idest eleemosyna [1], in qua eis ministro, *fiat accepta sanctis qui sunt in Hierusalem*, scilicet ut ex hac provocentur ad gratias agendum

[1] Al. : « Ecclesia. »

Deo, et ad orandum pro ipsis Gentibus, a quibus recipiunt. Eccli. xxxi, 28 : *Splendidum in panibus benedicent labia multorum*. Tertium pertinet ad ipsos, quibus scribebat : unde subdit : *Ut veniam ad vos in gaudio ;* et hoc per *voluntatem Dei*, contra quam nihil agere volebat ; supra. i, 10 : *Obsecrans si quo modo prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos* ; *et refrigerer vobiscum ;* idest, ut ex vestra præsentia refrigerium tribulationum mearum accipiam.

Deinde cum dicit, *Deus autem pacis* etc., ostendit quod pro eis orat, dicens : *Deus autem* dator *pacis sit cum omnibus vobis*, per hoc scilicet quod vos ad invicem pacem habeatis. II Corinth. ultim. 11, *Idipsum sapite*, *et Deus pacis et dilectionis vobiscum*. Subdit, *Amen*, idest fiat Psalm. cv, 48, *Et dicet omnis populus*, *Fiat fiat*.

CAPUT DECIMUMSEXTUM

LECTIO I.

Commendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ quæ est in Cenchris, ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis et assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit : etenim ipsa quoque astitit multis, et mihi ipsi. Salutate Priscam et Aquilam adjutores meos in Christo Jesu, qui pro anima mea suas cervices supposuerunt ; quibus non solum ego gratias ago, sed et cunctæ Ecclesiæ Gentium ; et domesticam Ecclesiam eorum. Salutate Ephenetum [1] dilectum mihi, qui est primitivus Ecclesiæ Asiæ, in Christo Jesu. Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis. Salutate Andronicum, et Juliam, cognatos et concaptivos meos, qui sunt nobiles in Apostolis, qui et ante me fuerunt in Christo Jesu. Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino. Salutate Urbanum adjutorem nostrum in Christo Jesu, et Stachyn dilectum meum. Salutrte Apellem probum in Christo. Salutate eos qui sunt ex Aristoboli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate Tryphænam et Tryphosam, quæ laborant in Domino. Salutate Persidam carissimam quæ multum laboravit in Domino. Salutate Rufum electum in Domino et matrem ejus et meam. Salutate Asineretum, et Phlegontem, Hermem, Patrobam, Hermam, et qui cum eis sunt fratres. Salutate Philologum, Juliam, Nereum, et sororem ejus, et Olympiadem, et omnes qui cum eis sunt sanctos. Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi.

Postquam Apostolus proposuit fidelibus Romanis quibus scribebat, quædam familiaria pertinentia ad suam personam, hic ponit quædam familiaria pertinentia ad alios : et tria facit. Primo monet quid ad alios debeant facere ; secundo ostendit quid alii ad eos agant, ibi, *Salutat vos Timotheus adjutor meus* etc. ; tertio epistolam finit in gratiarum actione, ibi, *Ei autem qui potens est vos confirmare juxta Evangelium meum.* Circa primum duo facit. Primo ostendit quos debeant salutare ; secundo ostendit quos debeant vitare, ibi, *Rogo autem vos fratres.* Circa primum mandat quasdam personas salutari in speciali ; secundo ponit in generali modum salutationis, ibi, *Salutate invicem in osculo sancto* ; tertio salutat eos in communi ex parte fidelium ; ibi, *Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi.* Circa primum primo [2] ; loquitur de quadam muliere Corinthia, quæ Romam ibat, quam eis recommendat, describens eam primo ex nomine, dicens : *Commendo autem vobis Phœben*, quæ licet esset Deo devota, non tamen erat tantæ auctoritatis ut commendatitiis litteris non egeret ; sicut ipse de se dicit II Corinth. III, 1 : *Aut numquid egemus, sicut quidam, commendatitiis litteris?* Secundo describit eam ex fidei religione, dicens, *Sororem nostram* : omnes enim mulieres fideles, sorores vocantur, sicut et omnes viri fratres. Matth. XXIII, 8 : *Omnes vos fratres estis.* Tertio ex officio pietatis, cum dicit : *Quæ est in ministerio Ecclesiæ quæ est in Cenchris*, portu Corinthiorum, ubi aliqui Christiani erant congregati, quibus dicta mulier serviebat ; sicut et de ipso Christo Luc. VIII, dicitur, quod quædam mulieres ministrabant ei de facultatibus suis : et de vidua eligenda dicitur II Tim. V, 10 : *Si hospitio recepit, si pedes sanctorum lavit.* Deinde dicit duo, in quibus vult eam commendatam haberi : quorum primum est ut honeste recipiatur ; et hoc est quod dicit : *Ut suscipiatis eam in Domino*, idest propter amorem Dei, *digne sanctis*, idest, secundum quod dignum est recipi sanctos, secundum illud Matth. X, 41 : *Qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi recipiet.* Quidam libri habent, *Digne satis*, idest convenienter : tamen littera non concordat cum Græco. Secundum est, ut eam solicite adjuvent : unde subdit : *Ut assistatis ei*, scilicet consilium et auxilium ferendo, *in quocumque negotio vestri indiguerit* : habebat enim forte aliquid expedire in curia Cæsaris.

Sed contra hoc videtur esse quod dicitur I Thessal. IV, 2, *Vestrum negotium agatis* : quasi dicat : Non intromittatis vos de negotiis alienis.

Sed dicendum est, quod assistere negotiis alienis contingit dupliciter. Uno modo sæculariter, idest propter favorem

[1] *Vulgata* Epænetum.

[2] Al. deest : « primo. »

hominum vel lucra; et hoc non convenit servis Dei. II Tim. II, 4: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*. Alio modo assistit aliquis negotiis alienis ex pietate, puta in auxilium indigentium et miserorum: et hoc est religiosum, secundum illud Jacob. I, 27: *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum*. Et hoc modo Apostolus hic loquitur.

Ultimo autem ostendit Apostolus meritum ejus, quare hoc sibi debeatur, dicens: *Etenim ipsa quoque multis astitit, et mihi ipsi*. Isa. III, 10: *Dicite justo, quoniam bene... Retributio enim manuum ejus fiet ei*. Matth. v, 7: *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur*.

Deinde mandat salutari quasdam alias personas sibi conjunctas, dicens: *Salutate Priscam; et Aquilam*, qui erat vir Priscæ; sed mulierem præponit, forte propter majorem fidei devotionem; *adjutores meos in Christo Jesu*, idest in fide Christi prædicanda: apud eos enim Corinthi hospitabatur, ut habetur Act. XVIII, *Qui pro anima mea suas services supposuerunt*; idest, seipsos mortis periculo exposuerunt pro vita mea conservanda, quod est indicium maximæ caritatis. Joan. XV, 13: *Majorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Hoc autem videtur factum fuisse Corinthi, ubi Paulus persecutionem est passus, sicut habetur Actor. XVIII. Vel forte melius dicendum est, quod alibi se periculo pro Apostolo exposuerunt: nam illud quod legitur Actor. XVIII, factum fuit, quando Prisca et Aquila de Roma recedentes Corinthum venerunt, ut ibidem dicitur. Sed hoc scribebat Apostolus, quando adhuc æstimabat eos esse Romæ. Vita autem Apostoli non tam sibi quam aliis necessaria erat, secundum illud Philip. I, 24, *Permanere autem in carne necessarium propter vos*. Et ideo subdit: *Quibus non solum ego gratias ago, sed et cunctæ Ecclesiæ Gentium*: quarum sum Apostolus et doctor. I Tim. II, 7: *Doctor Gentium in fide et veritate. Et* etiam salutate *domesticam Ecclesiam eorum*: habebant enim in domo sua multos fideles congregatos. Deinde vult alium salutari sibi dilectione conjunctum, dicens: *Salutate Ephenetum dilectum mihi, qui est primitivus Asiæ in Christo*: primus enim in tota Asia fuit ad fidem Christi conversus, quod erat ei ad magnam dignitatem. Heb. XII, 23: *Accessistis ad Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis*. Tunc autem erat Romæ. Deinde cum dicit: *Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis*, ad hoc ut eos ad concordiam revocaret; quæ cum hoc facere non posset, significavit Apostolo. Sap. III, 15: *Bonorum laborum gloriosus est fructus*. Deinde dicit: *Salutate Andronicum, et Juliam*: quos primo describit ex genere, cum dicit, *Cognatos meos*: in quo ostendit eos fuisse Judæos, de quibus supra IX, 3: *Qui sunt cognati mei secundum carnem*. Secundo ex passione pro Christo suscepta, dicens, *Et concaptivos meos;* fuerant enim aliquando cum Apostolo Christi incarcerati. II Corinth. XI, 23: *In carceribus abundantius*. Tertio ex auctoritate, cum dicit: *Qui sunt nobiles in Apostolis*, idest nobiles inter prædicatores, secundum illud Proverb. ult. 23: *Nobiles in portis vir ejus*. Quarto ex tempore, cum dicit: *Et ante me fuerunt in Christo Jesu*: prius enim fuerunt conversi quam ipse Apostolus; et ex hoc eis major reverentia debebatur. I Tim. v, 1: *Seniorem te ne increpaveris, sed obsecra ut patrem*. Deinde dicit: *Salutate Ampliatum dilectum meum in Domino*, scilicet dilectione caritatis quæ est in Christo. Phil. I, 8: *Testis est mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos esse in visceribus Christi*. Deinde dicit: *Salutate Urbanum adjutorem nostrum in Christo*, scilicet in prædicatione fidei. Prov. XIX: 10: *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma. Et Stachyn dilectum meum*: quos conjungit, quia forte simul habitabant, vel aliqua alia necessitudine erant conjuncti. Deinde dicit: *Salutate Apellem probum in Christo*, idest approbatum in Christo, forte per aliquas tribulationes. Job. XXIII, 10: *Probavit me quasi aurum, quod per ignem transiit*. Deinde dicit: *Salutate omnes qui sunt ex domo*, idest ex familia *Aristobuli*, in cujus domo multi fideles erant congregati; quem non salutat, quia forte ex aliqua causa erat absens. Deinde dicit: *Salutate Herodionem cognatum meum*, qui ex hoc ipso dicitur fuisse Judæus. Deinde dicit: *Salutate omnes qui sunt ex domo Narcissi*, qui dicitur fuisse presbyter et peregrinabatur per deserta loca, ut fideles Christi confortaret: unde quia tunc eum absentem noverat esse Apostolus, non mandat eum salutari, sed familiam ejus.

Erant tamen in ejus familia aliqui infideles : et ideo ad discretionem subdit : *Qui sunt in Domino* : quia solos fideles salutari mandat. II Joan. I, 10 : *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave dixeritis ei.* Deinde dicit : *Salutate Tryphænam et Tryphosam, quæ laboraverunt in Domino*, idest in ministerio sanctorum, quod Dominus sibi reputat fieri, secundum illud Matth. xxv, 40 : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Deinde dicit : *Salutate Persidam carissimam meam*, quam scilicet Apostolus propter ejus devotionem specialiter diligebat : unde subdit : *Quæ multum laboravit in Domino*, scilicet exhortando alios, et ministrando sanctis, et etiam in paupertate, et aliis spiritualibus laboribus. II, Corinth. XI, 27 : *In laboribus, in jejuniis, in vigiliis* etc. Deinde dicit : *Salutate Rufum electum in Domino*, idest in gratia Christi : Eph. I, 4 : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ; et matrem ejus*, scilicet carne, *et meam*, quia fuit ejus mater beneficio : aliquando enim servierat Apostolo, licet tunc Romæ non esset. I Tim. V, 2 : *Anus ut matres, juvenculas ut sorores in omni castitate.* Deinde dicit : *Salutate Asineretum, et Phlegontem, Hermen, Patrobam, Hermam, et qui cum eis sunt fratres* : quos simul salutat, quia simul concorditer habitabant. Psalm. LXVII, 7 : *Qui habitare facit unius moris in domo.* Deinde dicit : *Salutate Philologum et Juliam, Nereum et sororem ejus, et Olimpiadem, et omnes qui cum eis sunt sanctos*, idest in fide Christi sanctificatos. I Corinth. VI, 11 ; *Abluti estis, et sanctificati estis.*

Deinde ostendit modum quo se generaliter salutent, dicens : *Salutate invicem in osculo sancto*, quod dicitur ad differentiam osculi libidinosi, de quo dicitur Proverb. VII, 13 : *Apprehensum deosculatur juvenem* : et etiam dolosi, de quo dicitur Proverb. XXVII, 6 : *Meliora sunt vulnera diligentis, quam frudulenta oscula inimici.* Osculum autem sanctum est quod in signum sanctæ Trinitatis datur. Cant. I, 1 : *Osculetur me osculo oris sui.* Exinde autem mos in Ecclesia inolevit ut fideles inter missarum solemnia invicem dent oscula pacis. Deinde salutat eos ex parte aliarum Ecclesiarum, dicens : *Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi*, idest in nomine et fide Christi congregatæ, quia omnes vestram salutem optant, et pro vobis orant. Jacob. ult. 16 : *Orate pro invicem, ut salvemini.*

LECTIO II.

Rogo autem vos fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis. Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium. Vestra enim obedientia in omni loco divulgata est. Gaudeo igitur in vobis, sed volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo. Deus autem pacis conterat satanam sub pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Salutat vos Timotheus adjutor meus, et Lucius, et Jason, et Sosipater, cognati mei. Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam in Domino Salutat vos Cajus hospes meus, et universa Ecclesia. Salutat vos Erastus arcarius civitatis, et Quartus frater, Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen. Ei autem qui potens est vos confirmare juxta Evangelium meum, et prædicationem Jesu Christi, secundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti, quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum secundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei, in cunctis gentibus, cogniti soli sapienti Deo per Jesum Christum, cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Postquam Apostolus mandavit quos salutarent, hic ostendit eis quos debeant vitare ; et circa hoc tria facit. Primo docet quos debeant vitare ; secundo rationem assignat, ibi, *Hujusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt* ; tertio promittit eis divinum auxilium, ad hoc implendum, ibi, *Deus autem pacis conterat satanam sub pedibus vestris.* Et quia illi quos vitari volebat, fraudulenter incedebant, decipientes sub specie pietatis, secundum illud Matth. VII, 15 : *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces :* ideo primo inducit eos ad cautelam habendam, dicens : *Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt.* Ubi primo considerandum est, quod observare nihil aliud est quam diligenter considerare : quod dictum quandoque in bono sumitur, quandoque in malo. In malo quidem sumitur, quando aliquis diligenter considerat conditionem et processum alicujus ad nocendum, secundum illud Psal. XXXVI, 12, *Observabit peccator justum, et stridebit super eum dentibus suis* : et Luc. XIV, 10, dicitur : *Et ipsi observabant eum.* In bono autem accipitur uno modo quando quis considerat præcepta Dei ad faciendum.

Exod. xxiii, 21 : *Observa igitur eum* [1], *et audi vocem ejus.* Alio modo quando diligenter considerat bonos ad imitandum, secundum illud Phil. iii, 17 : *Imitatores mei estote, fratres, et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Tertio observantur mali ad cavendum ; et ita accipitur hic. Erant enim quidam ad fidem conversi ex Judæis [2] qui prædicabant legalia esse observanda; et ex hoc, primo quidem in Ecclesia sequebantur dissensiones et sectæ, dum quidam eorum errori adhærerent, alii vero in vera fide persisterent : Galat. v, 20 : *Dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia* etc. : secundo sequebantur offendicula et scandala, de quibus supra xiv, actum est, dum quidam alios judicarent, et alii alios spernerent, qui dissensiones et offendicula faciunt. Isa. lvii, 14 : *Auferte offendicula de medio populi mei.* Dicit autem, *Præter doctrinam quam vos didicistis* a veris Christi Apostolis, ut ostendat quod hujusmodi dissensiones et scandala ex falsitate doctrinæ proveniebant. Gal. i, 9 : *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis anathema sit.* Secundo monet ut cogniti vitentur, dicens : *Et declinate ab illis*; idest, eorum doctrinam et consortia fugiatis. Psal. cxviii, 115 : *Declinate a me maligni, et scrutabor mandata Dei mei.*

Deinde cum dicit, *hujusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt*, assignat ejus quod dixerat, duas rationes; quarum prima sumitur ex parte eorum quos vult vitari. Et primo describit eorum intentionem, dicens :*Hujuscemodi enim* homines *non serviunt Christo Domino, sed suo ventri* : non enim prædicabant propter gloriam Christi, sed propter quæstum, ut suum ventrem implerent. Phil. iii, 18 : *Multi ambulant quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Cristi, quorum deus venter est.* Secundo describit eorum deceptionem, dicens : *Et per dulces sermones seducunt corda innocentium*, idest simplicium et imperitorum : Proverb. xiv, 15 : *Innocens credit omni verbo. Per dulces sermones*, in quibus sanctitatem prætendunt, secundum illud Psal. xxvii, 3 : *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum* : *et benedictiones*, quibus scilicet benedicunt et adulantur illis qui eos sequuntur. Isa. iii, 12 : *Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt.* Malach. ii, 2 : *Maledicam benedictionibus vestris.* Secundam rationem assignat ex conditione Romanorum, qui faciles se exhibebant ad sequendum bonum et malum. Unde primo commendat eos de facilitate ad bonum, dicens : *Vestra enim obedientia*, qua de facili fidei [3] obedistis, *in omni loco divulgata est*, propter dominium quod tunc Romani obtinebant super alias nationes : unde quod a Romanis fiebat, de facili divulgabatur ad alios. Supra i, 8 : *Fides vestra in universo mundo annuntiatur. Gaudeo igitur in vobis*, quia scilicet fidei obedistis, et hoc in caritate, de qua dicitur I Corinth. xiii, 6, quod *non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Secundo reddit eos cautos contra malum, dicens : *Sed volo vos eese sapientes in bono*, ut scilicet ei quod bonum est inhæreatis : I Thess. ult. 21 : *Quod bonum est tenete* : *et simplices in malo*, ne scilicet per aliquam simplicitatem declinetis ad malum; ut talis sit vobis simplicitas quod nullum decipiatis in malum. Matth. x, 16 : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.* E converso de quibusdam dicitur Hierem. iv, 22 : *Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nesciunt.*

Deinde cum dicit, *Deus autem pacis, conterat satanam sub pedibus vestris*, promittit eis divinum auxilium contra hujusmodi deceptores. Et primo ponitur promissio, cum dicit : *Deus autem pacis*, scilicet auctor, qui dissensiones odit, quas isti faciunt, *conteret satanam*, idest diadolum, qui per istos pseudoapostolos vos decipere conatur, *sub pedibus vestris*, quia scilicet per vestram sapientiam eum vincetis; et hoc fiet *velociter*, scilicet in adventu meo. Luc. x, 19 : *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones et omnem virtutem inimici.* Malach. ult. 3 : *Calcabitis impios, cum fuerint sicut cinis sub planta pedum vestrorum.* Secundo ponitur oratio ad hoc obtinendum, cum dicit : *Gratia Domini nostri Jesu Christi sit vobiscum*, quæ scilicet sufficit ad vos tuendos. II Corinth. xii, 9 : *Sufficit tibi gratia mea.*

Deinde cum dicit, *Salutat vos*, etc., salutat eos ex parte aliorum, dicens : *Salutat vos Timotheus adjutor meus*, scilicet in prædicatione Evangelii. I Cor. iv, 17 : *Misi ad vos Timotheum, qui est filius meus*

[1] Al. omittitur : « cum. » — [2] Al. deest : « ex Judæis. » — [3] Al. desideratur : « fidei. »

carissimus, *et fidelis in Domino*. Addit autem : *Et Lucius*, *et Jason et Sosipater*, *cognati mei*, qui Judæi erant, scilicet vos salutant. Erat autem quidam notarius Pauli nomine Tertius, cui Paulus concessit ut ex sua persona Romanos salutaret : unde subditur : *Ego Tertius*, *qui scripsi hanc Epistolam saluto vos in Domino*. Deinde dicit : *Salutat vos Cajus hospes*, cui scribitur Joannis tertia canonica, in qua commendatur de caritate quam exhibebat sanctis : *et universa Ecclesia*, scilicet quæ erat in domo ejus congregata, vel quæ erat in illa provincia. Deinde dicit : *Salutat vos Erastus arcarius civitatis*, qui scilicet custodiebat arcam communem, idest communes redditus civitatis, *et* quidam *frater*, idest fidelis, nomine *Quartus*. Deinde salutat eos ex parte sua, dicens : *Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum omnibus vobis. Amen* : et finit Epistolam cum gratiarum actione, dicens : *Ei autem*, scilicet Deo, qui est Trinitas, *qui potens est vos confirmare*. I Pet. ult. 10 : *Modicum passos ipse perficiet*, *confirmabit*, *solidabitque*. Et hoc in fide, quæ est *juxta Evangelium meum* [1], idest secundum Evangelium quod ego prædico. I Corinth. xv, 11 ; *Sive ego*, *sive illi*, *sic prædicavimus*, *et sic credidistis*. Et etiam secundum *prædicationem Jesu Christi*, qui primo Evangelium prædicavit, secundum illlud Hebr, ii, 3 : *Quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum*. Unde Matth. iv, dicitur, quod circuibat Jesus prædicans Evangelium regni. Subditur autem, *In revelationem mysterii*, idest secreti : quod quidem potest referri ad id quod dixerat, *Juxta Evangelium meum*, vel quia in ipso Evangelio revelatur secretum incarnationis divinæ, secundum illud supra i, 17 : *Justitia Dei revelatur in eo* : vel quia ipsi Apostolo est Evangelium revelatum. I Corinth. ii, 10 : *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum*. De hoc autem secreto dicitur Isa. xxiv, 16 : *Secretum meum mihi*. Vel potest melius hoc referri ad hoc quod dixerat, *Confirmare*; quasi dicat : Deus potest vos confirmare in Evangelio meo et prædicatione ; et hoc *secundum revelationem mysterii*, idest secreti, scilicet de conversione Gentium, sicut habetur Ephes. iii, 8 : *Mihi autem omnium sanctorum minimo data est gratia hæc in Gentibus..... illuminare omnes*, *quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo*. Unde et hic subdit [2], *Temporibus æternis*, quia videlicet occultum erat apud homines quod Gentes esset convertendæ ad fidem. Vocat autem hæc tempora æterna, quasi diu durantia, quia a principio mundi hoc fuit occultum, sicut et in Psal. lxxv, 5, dicitur : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis*. Et potest dici, quod tempora æterna dicuntur ipsa æternitas, de qua dicitur Isa. lvii, 15 : *Excelsus et sublimis*, *habitans æternitatem* : ut sicut simplex Dei essentia per quamdam similitudinem dimensionibus corporalibus describitur, secundum illud Job. xi, 9 : *Longior terra mensura ejus*, *et latior mari* : ita et simplex ejus æternitas per tempora æterna [3] designetur, inquantum omnia tempora continet. Subdit autem : *Quod*, scilicet mysterium, *nunc patefactum est*, de conversione Gentium, *per Scripturas Prophetarum*, idest secundum quod Prophetæ prædixerunt, ut patuit supra xv ; unde ad Eph. iii, dicitur : *Aliis generationibus non est agnitum filiis hominum*, *sicut nunc manifestum est sanctis Apostolis ejus et Prophetis in spiritu*, *esse Gentes coheredes et concorporales et comparticipes promissionis ejus in Christo Jesu per Evangelium*. Est autem patefactum per operis impletionem ex præcepto Dei : unde *Secundum præceptum æterni Dei*, qui scilicet æterno proposito ea quæ vult temporaliter facit : quod quidem præceptum Dei *ad obeditionem fidei* est *in cunctis gentibus*; idest, ut omnes gentes obediant fidei. Supra i, 5 [4]. *Ad obediendum fidei in omnibus gentibus*. Si autem loquamur de mysterio incarnationis, sic construenda est littera: *Mysterii*, inquam, *temporibus æternis taciti*, quia antea non erat ita manifestum; *quod*, inquam, mysterium, *nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum* qui hoc prædixerunt *secundum præceptum æterni Dei* ; qui voluit mysterium incarnationis patefieri : et hoc *ad obedientiam fidei in cunctis gentibus*. *Mysterii*, inquam, licet *taciti* apud homines, tamen *cogniti soli Deo sapienti*, quia ipse solus hoc cognovit, et quibus hoc voluit revelare : quia, ut dicitur I Corinth. ii, 11, *quæ sunt Dei*, *nemo novit nisi Spiritus Dei*. Vel potest intelligi de eo qui solus est sapiens, scilicet per essentiam, sicut

[1] Al. deest: *meum*. — [2] Al. : « et ipse subdit. » — [3] Al. omittitur : « æterna. » — [4] Al. *ad obediendum*.

dicitur Matth. xix; et Marc. x, 18 : *Nemo bonus nisi solus Deus*. Nec excluditur per hoc Filius, quia eadem est perfectio totius Trinitatis; sicut e converso cum [1] dicitur Matth. xi, 27 : *Nemo novit Patrem nisi Filius*, non excluditur Pater a notitia sui ipsius. Subdit autem, *Per Jesum Christum* : quod non sic est intelligendum quod Deus Pater sit sapiens per Jesum Christum : quia cum Deo sit idem sapere quod esse, sequeretur quod Pater esset per Filium, quod est inconveniens; sed hoc referendum est ad hoc quod supra dixerat, *Nunc patefactum est*, scilicet per Jesum Christum : cui Jesu Christo *est honor* [2] per reverentiam totius creaturæ, secundum illud per reverentiam totius creaturæ, secundum illud Philip. ii, 10 : *In nomine Jesu omne genu flectatur* : *et gloria*, scilicet quantum ad plenam divinitatem, sicut ibi subditur : *Et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*. Et hoc non ad tempus, sed *in sæcula sæculorum*. Hebr. ult. 8 : *Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula*. Addit autem ad confirmationem veritatis, *Amen*. Vel potest sic construi. *Cogniti soli sapienti Deo, cui per Jesum Christum est gloria*, qui Deum glorificavit, secundum illud Joan. xvii, 4 : *Ego clarificavi te super terram*. Est autem advertendum, quod hæc constructio est defectiva, et est sic supplenda. *Ei qui potens est vos confirmare juxta Evangelium meum*..... honor et gloria *per Jesum Christum cui est honor et gloria*. Si autem non sit ibi ly *cui*, erit constructio plana.

[1] Al. deest : « cum. »

[2] Al. additur : *et gloria*.

EPISTOLA AD CORINTHIOS

PRIMA

PROLOGUS

> Non abscondam a vobis sacramenta Dei,
> sed ab initio nativitatis investigabo,
> et ponam in lucem scientiam illius,
> et non præteribo veritatem.
> Sap. 6, 24.

Sacramenti nomen dupliciter accipi consuevit : nam quandoque sacramentum dicitur quodcumque secretum, et præcipue de rebus sacris : quandoque sacramentum dicitur sacræ rei signum, ita quod et ejus imaginem gerat et causa existat : secundum quod nos dicimus septem sacramenta Ecclesiæ, scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo et Matrimonium. In qua quidem significatione sacramenti etiam [1] prima significatio continetur. Nam in his Ecclesiæ sacramentis divina virtus secretius operatur salutem, ut Augustinus dicit. Hæc igitur sacramenta Dei, prælatus seu doctor Ecclesiæ fidelibus Christi non debet abscondere, sed manifestare, propter tria. Primo quidem quidem quia hoc pertinet ad honorem Dei, secundum illud Tob. xii, 7 : *Sacramentum regis abscondere bonum est ; opera autem Dei revelare et confiteri, honorificum est.* Secundo, quia hoc pertinet ad salutem hominum ; qui per horum ignorantiam in desperationem labi possent sicut de quibusdam dicitur Sap. ii, 22, quod *nescierunt sacramenta Dei, nec speraverunt mercedem justitiæ* : quia per sacramenta homines purificantur ut sint præparati ad recipiendum mercedem justitiæ. Tertio quia hoc pertinet ad debitum officium prælati vel doctoris, secundum illud Ephes. iii, 8 : *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc.... illuminare omnes* [2] *quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo.* Sic ergo prædicta verba demonstrant nobis materiam hujus Epistolæ, in qua Apostolus agit de sacramentis Ecclesiæ. Cum enim in Epistola ad Romanos gratiam Dei commendasset, quæ in sacramentis Ecclesiæ operatur, hic, scilicet in prima Epistola ad Corinthios, de ipsis Ecclesiæ sacramentis agit : in secunda vero de ministris Sacramentorum. Videamus ergo primo textum.

[1] Al. deest : « etiam. »

[2] Al. omittitur : « omnes. »

CAPUT PRIMUM

LECTIO I.

Paulus vocatus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Sosthenes frater, Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi in omni loco ipsorum et nostro. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei quæ data est vobis in Christo Jesu : quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis: ita ut nihil vobis desit in ulla gratia, expectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi, qui et confirmabit vos usque in finem sine crimine in die adventus Domini nostri Jesu Christi. Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus Domini nostri Jesu Christi.

Dividitur ergo hæc Epistola in partes duas. In prima parte ponit epistolarem salutationem ; in secunda prosequitur suam intentionem, ibi, *Gratias ago Deo meo*. Circa primum tria facit. Primo ponit personas salutantes ; secundo personas salutatas, ibi, *Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi;* tertio bona salutifera optat, ibi, *Gratia vobis et pax*. Circa primum duo facit. Primo ponit personam principalem, quam describit ex nomine, dicens, *Paulus* ; de quo quidem nomine satis dictum est in Epistola ad Romanos hic autem sufficiat dicere, quod hoc nomen præmittit in signum humilitatis [1] : nam Paulus idem est quod modicus ; quod ad humilitatem pertinet. I Reg. xv, 17 : *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es*. Matth. xi, 25 : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis*. Consequenter describit eam a dignitate : et primo ponit modum adipiscendæ dignitatis, cum dicit, *Vocatus*, secundum illud Hebr. v, 4 : *Nemo sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron*. Secundo ponit ipsam dignitatem, dicens, *Apostolus Jesu Christi* : quæ quidem est prima dignitas in Ecclesia, et interpretatur Missus : quia fuerunt missi a Deo, ut vice ejus fungerentur in terris : unde dicit Luc. vi, quod elegit duodecim, quos et Apostolos nominavit : et infra xii, 28 : *Deus posuit in Ecclesia quosdam, primum quidem Apostolos*, etc. Tertio ponit originem sive causam hujus dignitatis, cum dicit, *Per voluntatem Dei* : quod est intelligendum de voluntate beneplaciti, ex qua præficiuntur illi qui multipliciter præsunt Ecclesiis. Eccli. x, 4 : *In manibus Dei potestas terræ : utilem rectorem in tempore suscitabit super illam*. Et de prædicta voluntate sub figura nubium [2] dicitur Job xxxvii, 12 : *Quæ lustrant cuncta per circuitum, quocumque voluntas gubernantis perduxerit*. Dimittit autem Deus aliquos præfici propter subditorum peccata, secundum illud Job liv, 30 : *Regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*. Talis autem rector non dicitur esse secundum voluntatem Dei, sed secundum ejus ingnationem, secundum illud Oseæ xiii, 2 : *Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea*. Secundo ponit personam adjunctam, cum dicit, *Et Sosthenes frater :* quem sibi in [3] salutando adjungit, quia ad Apostolum detulerat contentiones et alios Corinthiorum defectus, ne hoc videretur ex odio fecisse ; et ideo nominat eum fratrem, ut ostendat quod ex zelo caritatis hoc fecerat. Prov. ix, 8 : *Argue sapientem et diliget te*.

Deinde ponit personas salutatas, cum dicit : *Ecclesia Dei quæ est Corinthi* ; et primo ponit principales personas quas describit tripliciter. Primo quidem ex loco, cum dicit ; *Ecclesia Dei quæ est Corinthi*, idest fidelibus Christi Corinthi congregatis. Psal. xxxiv, 18 : *Confitebor tibi in Ecclesia magna*. Secundo ex munere gratiæ, cum dicit : *Sanctificatis in Christo Jesu*, idest in fide, passione, et sacramento Christi Jesu. Infra vi, 2 :

[1] Al. : « promittit signum humilitatis. » — [2] Al. : « nobis. » — [3] In editis omittitur præpositio : « in. »

Sed abluti estis, sed sanctificati estis. Heb. ult. 12 : *Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum extra portam passus est.* Tertio ponit originem gratiæ, cum dicit, *Vocatis sanctis* ; quia scilicet ad sanctitatem per gratiam vocationis pervenerunt. Rom. VIII, 30 : *Quos prædestinavit, hos et vocavit.* I Pet. II, 9 : *De tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Secundo ponit personas secundarias ; fideles scilicet qui non erant in ipsa civitate, sed habitabant in dioecesi civitatis, vel districtu : unde subdit : *Vobis,* inquam, qui estis Corinthi scribo, *cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi,* scilicet per veram fidei confessionem. Joel. II, 32, *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Et hoc *in omni loco ipsorum,* idest eorum jurisdictioni subjecto *et nostro,* quia per hoc quod subjiciebantur Episcopo civitatis, non eximebantur a potestate Apostoli ; quinimmo magis erant ipsi Apostolo subjecti quam his quibus ipse eos subjecerat. Ps. CII, 22 : *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino.* Ultimo autem in salutatione ponit bona salutifera quæ eis optat ; quorum primum est *gratia,* per quam justificamur a peccatis. Rom. III, 24 : *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Ultimum autem est *pax,* quæ perficitur in felicitate æterna, Ps. CXLVII, 14 : *Qui posuit fines tuos pacem.* Isa. XXXII, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* Per hæc autem duo omnia alia includit : unde dicit, *Gratia et pax.* Causam eorum ostendit, subdens, *A Deo Patre nostro,* secundum illud Jac. I, 17 : *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Addit autem, *Et Domino Jesu Christo,* per quem ut dicitur, II Pet, I, 4, *maxima et pretiosa promissa donavit nobis Deus.* Joan, I, 17 : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Quod autem dicit, *A Deo Patre nostro,* potest intelligi de tota Trinitate, a qua creati sumus, et in filios adoptati. Additur autem, *Et Domino Jesu Christo,* non quia sit persona alia vel hypostasis præter tres personas, sed propter aliam naturam. Vel quod dicitur, *A Deo Patre nostro* ; per quamdam appropriationem accipitur pro persona Patris, sicut Joan. XX, 17 : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* In hoc autem quod subdit, *Et Domino Jesu Christo,* manifestatur persona Filii. Tacetur autem de Spiritu sancto, quia est nexus Patris et Filii et intellectus ex ambobus : vel quia est domum utriusque, intelligitur in donis de quibus dicit, *Gratia et pax,* quæ per Spiritum sanctum dantur. Infra XII, 11 : *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus.*

Deinde cum dicit, *Gratias ago Deo meo,* incipit epistolarem tractatum : et primo gratias agit de bonis eorum, ut correctionem suorum defectum tolerabilius ferant ; secundo ponit eorum instructionem, ibi, *Obsecro vos autem fratres.* Circa primum duo facit. Primo gratiaagit de bonis quæ jam acceperant ; secundo de bonis quæ in futurum expectas bant, ibi, *Expectantibus revelationem.* Circa primum duo facit, Primo ponit gratiarum actionem, cum dicit : *Gratias ago Deo meo* : qui scilicet etsi sit Deus omnium per creationem et gubernationem ; tamen est ejus et cujuslibet justi per fidem et devotionem. Ps. CXVII, 28 : *Deus meus es tu, et confitebor tibi,* Ostendit etiam quando gratias agit, cum dicit, *Semper* : quia hæc gratiarum actio ex caritatis affectu procedit, qui in ejus corde assiduus erat. Prov. XVII, 17 : *Omni tempore diligit qui amicus est.* Et quamvis omni tempore eos diligeret, et pro eorum bonis gratias ageret actualiter ; tamen etiam pro eis gratias agebat omnibus horis quas habebat orationi deputatas. Ostendit etiam pro quibus gratias agit, cum dicit, *Pro vobis,* de quorum scilicet bonis propter caritatis unionem gaudebat sicut de suis. III Joan. IV, 4 : *Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.* Secundo ostendit materiam gratiarum actionis, et primo in generali, cum dicit : *In gratia Dei,* idest per gratiam Dei, *quæ data est vobis in Christo Jesu,* idest per Christum Jesum. Joan. I, 16 : *De plenitudine ejus omnes nos accepimus, gratiam pro gratia.* Secundo in speciali : ubi primo ostendit gratiæ abundantiam, cum dicit : *Quia in omnibus,* scilicet quæ pertinent ad salutem, *divites,* idest abundantes, *facti estis in illo,* idest per Christum, secundum illud II Cor. VIII, 9 : *Propter vos egenus factus est, ut illius inopia divites essetis.* Et exponit in quibus sint divites facti, cum dicit, *In omni verbo* : vel quia omnibus generibus linguarum loquebantur ; vel quia in verbo doctrinæ abundabant. Verbum autem non proferretur ordinate nisi ex scientia

procederet; et ideo subdit, *In omni scientia*, idest intelligentia omnium Scripturarum, et universaliter omnium quæ pertinent ad salutem. Sap. x, 10 : *Dedit illi scientiam sanctorum*. Hoc autem quod dicit Apostolus, referendum est ad eos qui erant in Ecclesia perfectiores, in quibus etiam alii minores has divitias possidebant sicut Augustinus dicit *Super Joan.* « Si amas unitatem cui hæres [1], habes quidquid in illa alter habet. Tolle invidiam, et tuum est quod alius habet : quos enim cupiditas et invidia separat, caritas jungit. » Secundo ostendit rectitudinem, dicens : *Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis*. Non esset rectum verbum doctrinæ, neque recta scientia, si a testimonio Christi discordaret, vel si etiam Christi testimonium non firmiter per fidem cordibus inhæreret : quia, ut dicitur Jacob. I, 6 : *Qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur*. Testimonium autem Christi dicit, vel quia de ipso Prophetæ prænuntiaverunt, secundum illud Act. x, 43 : *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent* : vel quia ipse Christus testimonium perhibuit, secundum illud Joan. VIII, 14 : *Si ego testimonium perhibeo de meipso, verum testimonium meum* : vel etiam quia Apostolus in sua prædicatione Christo testimonium dedit : Act. XXII, 18 : *Non recipient testimonium tuum de me*. Tertio tangit gratiæ perfectionem, cum dicit : *Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia* : quia scilicet in diversis personis omnes gratias gratis datas habebant. Ad divinam enim providentiam pertinet ut absque defectu necessaria largiatur. Ps. XXXIII, 10 : *Nihil deest timentibus eum* : *et iterum* 2 : *Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*. Deinde ponit bona [2] in futurum expectanda : et circa hoc tria facit. Primo ponit futuri boni expectationem, dicens : *Vobis*, inquam, non solum habentibus gratiam in præsenti, sed etiam *expectantibus* in futurum *revelationem Domini nostri Jesu Christi*, quia scilicet sanctis suis revelabitur, non solum per gloriam humanitatis, secundum illud Isa. XXXIII, 17 : *Regem in decore suo videbunt;* sed etiam per gloriam divinitatis, secundum illud Isa. XL, 5 : *Revelabitur gloria Domini* : quæ quidem revelatio homines beatos facit. I Joan. III, 2 : *Cum autem apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est*. Et in hoc vita æterna consistit, secundum illud Joan. XVII, 3 : *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum*. Sicut autem illi quibus Christus revelatur, sunt beati in re : ita illi qui hoc expectant, sunt beati in spe : Isa. XXX, 18 : *Beati omnes qui expectant eum*. Et ideo de ipsa expectatione gratias agit. Secundo ostendit quod hæc expectatio non est vana, ex auxilio divinæ gratiæ : unde subdit : *Qui*, scilicet Christus, qui spem dedit vobis hujusmodi revelationis, etiam *confirmavit vos*, in gratia accepta : I Petr. ult. 10 : *Modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque* : et hoc *usque in finem*, scilicet vitæ vestræ. Matth. x, 22 : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Non autem ut sitis sine peccato : quia *si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est*, ut dicitur I Joan. I, 8. Sed ut sitis *sine crimine*, idest sine peccato mortali. I Tim. III, 10 : *Ministrent nullum crimen habentes*. Et hoc inquam, erit *in die adventus Domini nostri Jesu Christi* : quia scilicet qui sine crimine invenitur in die mortis, sine crimine perveniet ad diem judicii, secundum illud Eccle. XI, 3 : *Si ceciderit lignum ad austrum, sive ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*. Nisi autem sine crimine nunc inveniatur, frustra illam revelationem expectaret. Tertio rationem suæ promissionis assignat, dicens, quod Deus vos confirmabit; quod debetis sperare, quia *Deus* est *fidelis*. Deut. XXXII, 4 : *Deus fidelis, et absque ulla iniquitate. Per quem vocati estis in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri*, ut scilicet habeatis societatem ad Christum, et in præsenti per similitudinem gratiæ, secundum illud I Joan. I : *Si in luce ambulamus, sicut et ipse in luce est, societatem habemus cum eo ad invicem* ; et in futuro per participationem gloriæ : Rom. VIII, 17 : *Si compatimur, ut et simul glorificemur*. Non autem videretur esse fidelis Deus, si nos vocaret ad societatem Filii, et nobis denegaret, quantum in ipso est, ea per quæ pervenire ad eum possemus ; unde Josue I, 5, dicit : *Non te deseram neque derelinquam*.

[1] Al. omittitur : « cui hæres. » — [2] Al. deest : « bona. »

LECTIO II.

Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem scientia. Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab his qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli; Ego autem Apollo; Ego vero Cephæ; Ego autem Christi. Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? Gratias ago Deo meo, quod neminem vestrum baptizavi nisi Crispum, et Cajum, ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis Baptizavi autem et Stephanæ domum: ceterum nescio si quem alium vestrum baptizaverim. Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare.

Præmissa salutatione et gratiarum actione, hic incipit eos instruere : et primo ponitur instructio de his quæ ad omnes communiter pertinent, scilicet de his quæ pertinent ad ecclesiastica sacramenta; secundo instruit eos de his quæ ad quosdam pertinebant, cap. XVI : *De collectis autem quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite.* In sacramentis autem tria sunt consideranda. Primo quidem ipsum sacramentum, sicut baptismus ; secundo id quod est res significata et contenta, scilicet gratia ; tertio id quod est res significata et non contenta, scilicet gloria resurrectionis. Primo ergo agit de ipsis sacramentis; secundo de ipsis gratiis, XII cap., *De spiritualibus autem nolo vos ignorare ;* tertio de gloria resurrectionis, infra XV, ibi, *Notum autem vobis facio.* Circa primum tria facit. Primo determinat ea quæ pertinent ad sacramentum baptismi ; secundo ea quæ pertinent ad sacramentum matrimonii, V cap., ibi, *Omnino auditur inter vos fornicatio ;* tertio ea quæ pertinent ad sacramentum eucharistiæ, VIII cap., ibi, *De his autem quæ idolis sacrificantur.* Dominus autem Matth. ult. 19, discipulis præceptum dedit de doctrina simul et baptismo, dicens : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Et ideo Apostolus in prima parte simul cum baptismo agit de doctrina.

Est autem sciendum, quod inter Corinthios fideles erat quædam dissensio propter baptistas et doctores. Illi enim qui erant instructi, contemnebant alios, quasi qui meliorem doctrinam acceperint, et meliorem baptismum. Unde circa primum duo facit. Primo removet contentionem : secundo contentionis causam, quæ erat in hoc quod gloriabantur de quibusdam, et alios Christi ministros contemnebant. Infra III cap., *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus.* Circa primum tria facit. Primo proponit admonitionem ; secundo admonitionis necessitatem ostendit, ibi, *Significatum est enim mihi* etc. ; tertio rationem admonitionis assignat, ibi, *Divisus est Christus ?* Circa primum duo consideranda sunt. Primum quidem quod eos inducit ad admonitionem servandam uno modo per propriam humilitatem, cum dicit : *Obsecro autem vos.* Prov. XVIII, 23 : *Cum obsecrationibus loquitur pauper.* Alio modo per fraternam caritatem, cum dicit, *Fratres* : quia scilicet ex affectu fraternæ caritatis hoc dicebat. Prov. XVIII, 19 : *Frater qui juvatur a fratre, quasi civitas firma.* Tertio per reverentiam Christi, cum dicit : *Per nomen Domini nostri Jesu Christi* : quod est ab omnibus honorandum, et cui oportet omnes esse subjectos. Phil. II, 10 : *In nomine Jesu omne genu flectatur.* Secundo considerandum est, quod inducit eos ad tria. Primo quidem ad concordiam, cum dicit : *Ut idipsum dicatis omnes*, idest, omnes eamdem fidem confiteamini, et eamdem sententiam proferatis de his quæ sunt communiter agenda. Rom. XV, 6 : *Ut unanimes uno ore honorificetis Deum.* Secundo prohibet vitium contrarium virtuti, cum dicit : *Et non sint in vobis schismata* : quia unitas ecclesiastica dividi non debet : in cujus signum milites de tunica inconsutili, Joan. XIX, 24, dixerunt : *Non scindamus eam, sed sortiamur de ea cujus sit.* Sunt autem proprie schismata quando vel propter diversam fidei confessionem, vel propter diversas sententias de agendis, homines unius collegii in diversas separantur partes. Isa. XXII, 9 : *Scissuras civitatis David videbitis, quia multiplicatæ sunt.* Tertio inducit eos ad id per quod possunt schismata vitare, scilicet ad perfectionem. Est enim divisionis causa dum unusquisque naturale bonum quærit, prætermisso perfecto bono, quod est bonum totius. Et ideo dicit : *Sitis autem perfecti in eodem sensu*, scilicet quo judicatur de agendis, *et in eadem*

scientia, qua judicatur de cognoscendis:: quasi dicat : Per hæc perfecti esse poteritis, si in unitate persistatis. Coloss. III, 14 : *Super omnia caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Matth, V, 48 : *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Deinde cum dicit, *Significatum est mihi*, ostendit necessitatem prædictæ admonitionis, quia scilicet contentionis vitio laborabant : quasi dicat : ideo necesse est vos ad hoc inducere, *quia significatum est mihi, fratres mei, ab his qui sunt Chloes*, idest quadam villa Corinthiorum jurisdictioni subjecta: vel Chloes potest esse nomen matronæ, in cujus domo erant multi fideles congregati : *quia contentiones sunt inter vos*; contra id quod dicitur Prov. XX, 3 : *Honor est homini qui separat se a contentionibus* : et modum contentionis exponit, subdens: *Hoc autem dico*, idest contentionem nomino, *quod unusquisque vestrum* nominat se ab eo a quo est baptizatus et instructus, et *dicit*, *Ego quidem sum Pauli* quia erat a Paulo baptizatus et instructus : alius, *Ego autem Apollo*, qui scilicet Corinthiis prædicaverat, ut habetur Act. XIX ; alius, *Ego vero Cephæ*, idest Petri, cui dictum est Joan. I, 42 : *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Quod quidem ideo dicebant, quod putabant a meliori baptista meliorem baptismum dari, quasi virtus baptistæ in baptizatis operaretur. Et de hoc pseudoapostoli gloriabantur, secundum illud Psalm. XLVIII, 12 : *Vocaverunt nomina sua in terris suis.* Alius autem dicit, *Ego autem sum Christi*, qui solus benedicit, quia solius Christi virtus operatur in baptismo Christi : Joan. I, 33 : *Super quem videris Spiritum descendere et manere, ipse est qui baptizat.* Et ideo baptizati, a solo Christo denominantur Christiani, non autem a Paulo Paulini. Isa. IV, 1 : *Tantummodo invocetur nomen tuum super nos.*

Ad hujus autem erroris vitationem, dicuntur Græci hac forma in baptizando uti : Baptizetur servus Christi Nicolaus in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti : ut detur intelligi quod homo non baptizat interius, sed baptizatur a Christo. Quia tamen etiam homo baptizat ministerio, ut membrum et minister Christi, ideo Ecclesia utitur hac forma in batizando : Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti : quod quidem est expressius secundum formam a Christo traditam, qui dixit discipulis, Matth. ult. 19 : *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* : ubi ipsos Apostolos dicit baptizantes, secundum quem modum, sacramenti minister dicit, Ego te baptizo.

Deinde cum dicit, *Divisus est Christus*? ponit rationem prædictæ admonitionis, quare inter eos scissuræ et contentiones esse non debebant : et primo ex parte baptismi ; secundo ex parte doctrinæ, ibi, *Non in sapientia verbi.* Circa primum tria facit. Primo ponit inconveniens quod ex prædicta contentione sequitur ; secundo manifestat quare illud inconveniens sequatur, ibi, *Numquid Paulus crucifixus est*? tertio excludit quamdam falsam suspicionem, ibi, *Gratias ago Deo meo.* Dicit ergo primo : Dixi, quod unusquisque vestrum dicit, *Ego sum, Pauli, Ego Apollo;* et ex hoc sequitur quod Christus est divisus. Nec refert utrum interrogative vel remissive legatur. Hoc autem potest intelligi uno modo, quasi diceret : Per hoc quod inter vos contenditur, Christus est divisus a vobis, qui non nisi in pace habitat, secundum illud Psalm. LXXV, 3 : *In pace factus est locus ejus.* Isa. LIX, 2 : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum.* Sed melius aliter hoc potest intelligi, ut sit sensus : Per hoc quod creditis baptismum esse meliorem qui a meliori baptista datur, sequitur quod Christus, qui principaliter et interius baptizat, sit divisus, idest differens, in sua virtute, et effectu, secundum differentiam ministrorum : quod patet esse falsum per id quod dicitur Ephes. IV, 5 : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Sed adhuc melius hoc intelligitur quod Apostolus dicit. Ex hoc quod ea quæ sunt propria Christi, aliis attribuitis, quodammodo Christum dividitis, plures Christos facientes, contra id quod dicitur Matth. XXIII, 10 : *Magister vester unus est Christus.* Isa. XLV, 22 : *Convertimini ad me et salvi eritis omnes fines terræ : quia Ego Dominus, et non est alius.* Est autem sciendum, quod Christus in sacramento baptismi, duplicem habet virtutem sibi propriam. Unam quidem divinam, qua simul cum Patre et Spiritu sancto interius mundat a peccato ; et hoc nulli creaturæ potuit communicari. Alia autem est propria virtus secundum humanam naturam, quæ est

potestas excellentiæ in sacramentis, et consistit in quatuor : quorum unum est quod ipse sacramenta instituit ; secundum est quod potuit effectum sacramentorum sine sacramento conferre ; tertium est quod meritum passionis ejus operatur in baptismo et aliis sacramentis ; quartum est quod ad invocationem nominis ejus sacramenta conferuntur. Hanc autem potestatem excellentiæ, et maxime quantum ad hoc ultimum, conferre potuit ministris baptismi, ut scilicet eorum nominibus consecraretur baptismus : sed noluit [1], ne schisma ex hoc in Ecclesia fieret, dum tot reputarentur baptismi, quot essent baptistæ. Et hoc est quod secundum expositionem Augustini, Joannes Baptista de Christo nescisse fatetur, Joan. III, utrum scilicet hanc potestatem sibi retineret.

Deinde cum dicit, *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis?* ostendit prædictum inconveniens sequi ex eorum errore, quo diversum baptisma esse æstimabant, secundum differentiam baptistarum : hoc enim esset, si a baptistis baptismus efficaciam haberet : quod quidem solius est Christi. Hoc autem ostendit dupliciter. Primo quidem ex parte passionis Christi, in cujus virtute baptismus operatur, secundum illud Rom. VI, 3 : *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Et ideo dicit : *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis?* quasi dicat : Numquid passio Pauli causa est nostræ salutis, ut secundum ipsum baptismus habeat virtutem salvandi? quasi dicat, non. Hoc enim proprium est Christo ut sua passione et morte nostram salutem operatus fuerit, Joan. XI, 50 : *Expedit ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat.* II Cor. V, 14 : *Unus pro omnibus mortuus est.*

Sed contra videtur esse quod Apostolus dicit Col. I, 24, *Gaudeo in passionibus meis pro vobis, et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.*

Sed dicendum, quod passio Christi fuit nobis salutifera, non solum per modum exempli, secundum illud I Petr. XI, 21 : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus;* sed etiam per modum meriti et per modum efficaciæ, inquantum ejus sanguine redempti et justificati sumus, secundum illud, Heb. ult. 12, *Ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Sed passio aliorum nobis est salutifera solum per modum exempli, secundum illud II Corinth. I, 6 : *Sive tribulamur, pro vestra exhortatione et salute.*

Secundo ostendit idem ex virtute nominis Christi, qui in baptismo invocatur ; unde subdit : *Aut in nomine Pauli baptizati estis?* quasi dicat, non. Ut enim dicitur Act. IV, 12, *non est aliud nomen datum hominibus per quod oporteat nos salvos fieri.* Unde et Isa. XXVI, 8, dicitur : *Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ.*

Sed videtur quod in nomine Christi homines non baptizentur : dicit enim Matth. ult. 19 : *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.*

Dicendum est autem, quod in primitiva Ecclesia, quia nomen Christi multum erat odiosum ; ut venerabile redderetur, Apostoli in nomine Christi baptizabant ex speciali ordinatione Spiritus sancti : unde dicitur Act. VIII, quod in nomine Christi baptizati sunt viri et mulieres. Et tamen, ut Ambrosius dicit lib. I *De Spiritu sancto*, cap. XIV, in nomine Christi tota Trinitas intelligitur. Christus enim interpretatur unctus, in quo intelligitur, non solum ille qui ungitur, qui est Filius Dei, sed etiam ipsa unctio, quæ est Spiritus sanctus, et ipse ungens, qui est Pater, secundum illud Psalm. XLIV, 8 : *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Nunc autem quia nomen Christi jam est magnum in gentibus ab ortu solis usque ad occasum, ut dicitur Malach. I, Ecclesia utitur forma prius instituta a Christo, baptizans in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Et tamen quicumque in hac forma baptizantur, in nomine ejus qui est vere Filius Dei baptizantur, secundum illud [2] I Joan. ult. 20 : *Ut simus in vero Filio ejus Jesu Christo.* Baptizantur etiam omnes fideles in nomine Christi, idest fide et confessione nominis Christi, secundum illud Joan. II, 32 : *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Unde baptizati, a Christo Christiani nominantur : quia ut dicitur Gal. III, 27 *quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Sic ergo si so-

[1] Al. : « sed nolunt. »

[2] Al. : « dicunt illud. »

lius Christi passio, si solius Christi nomen virtutem confert baptismo ad salvandum; verum est proprium esse Christo ut ex eo baptismus habeat sanctificandi virtutem. Unde qui hoc aliis attribuit, dividit Christum in plures.

Deinde cum dicit, *Gratias ago Deo meo*, excludit quamdam suspicionem. Quia ibi dixerat : *Numquid enim Paulus crucifixus est pro vobis?* posset aliquis credere quod etsi non auctoritate, ministerio tamen plures baptizaverit. Et circa hoc tria facit. Primo gratias agit de hoc quod paucos baptizavit; secundo quibusdam paucis nominatis, quosdam alios addit, ibi, *Baptizavi autem et Stephanæ domum;* tertio assignat rationem quare non multos baptizaverit, ibi, *Non enim misit me Deus baptizare, sed evangelizare.* Dicit ergo primo : *Gratias ago Deo meo, quod neminem vestrum baptizavi nisi Crispum* : de quo Act. XVIII, 8 : *Crispus archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua et Cajum* ad quem scribitur tertia Canonica Joannis. Et quia gratiarum actio locum non habet nisi in beneficiis perceptis, consequenter Apostolus ostendit qualiter de hoc gratias agat, cum subdit : *Ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis.* Est enim optabile sanctis viris ne ex bonis quæ ipsi faciunt, alii sumant occasionem erroris sui, sive peccati. Et quia Corinthii in eum errorem devenerant, ut se a suis baptistis nominarent, dicentes, *Ego sum Pauli et Apollo*, ac si in eorum nominibus essent baptizati; ideo gratias agit de hoc quod de suo ministerio talis error consecutus non fuerit : et ideo signanter dicit se baptizasse illos qui ab hoc errore immunes erant. Deinde cum dicit, *Baptizavi autem et Stephanæ domum*, ponit quosdam alios a se baptizatos, ne in ejus verbis aliquid veritatis minus appareret : unde dicit : *Baptizavi et domum*, idest familiam, *Stephanæ*, scilicet cujusdam matronæ. Et quia circa particularia facta, memoria labilis est, subdit : *Ceterum nescio*, idest in memoriam non habeo, *si quem alium baptizaverim*, in propria persona. Deinde cum dicit, *Non enim misit me Deus baptizare*, assignat rationem quare paucos baptizaverit, dicens : *Non enim misit me Deus baptizare, sed evangelizare.*

Contra quod videtur esse quod dicit Matth. ult. 19 : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.*

Sed dicendum est, quod Christus Apostolos misit ad utrumque : ita tamen quod ipsi per seipsos prædicarent, secundum quod ipsi dicebant Act. VI, 6 : *Non est æquum relinquere nos verbum Dei, et ministrare mensis* : baptizarent autem per inferiores ministros; et hoc ideo quia in baptismo nihil operatur industria vel virtus baptizantis : nam [1] indifferens est utrum per majorem vel minorem ministrum detur baptismus; sed in prædicatione Evangelii multum operatur sapientia et virtus prædicantis; et ideo prædicationis officium per seipsos Apostoli tamquam majores ministri exercebant : sicut et de ipso Christo dicitur Joan. IV, quod *ipse non baptizabat, sed discipuli ejus;* qui tamen de seipso dicit Luc. IV, 43 : *Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum.* Isa. LXI, 1 : *Ad annuntiandum mansuetis misit me.*

LECTIO III.

Non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi. Verbum enim crucis, pereuntibus quidem stultitia est; his autem qui salvi fiunt, idest nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim : Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens, ubi scriba, ubi inquisitor hujus sæculi! Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quoniam et Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt : nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam : quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.

Postquam Apostolus improbavit Corinthiorum contentionem ratione sumpta ex parte baptismi, hic excludit eorum contentionem ratione sumpta ex parte doctrinæ. Quidam enim eorum gloriabantur de doctrina pseudoapostolorum, qui ornatis verbis et humanæ sapientiæ rationibus veritatem fidei corrumpebant : et ideo Apostolus primo ostendit hunc modum convenientem non esse doctrinæ fidei; secundo ostendit hoc modo docendi se usum apud eos non fuisse, II cap., ibi,

[1] Al. : « unde. »

Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Ut non evacuetur crux Christi.* Dicit ergo primo : Dixi, quod misit me Christus evangelizare, non tamen ita quod ego *in sapientia verbi* evangelizem, idest in sapientia mundana, quæ verbosos facit, inquantum per eam multis vanis rationibus homines utuntur. Eccles. VI, 11 : *Ubi verba sunt plurima, multam in disputando habent vanitatem* [1]. Prov. XIV, 23 : *Ubi verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.* Vel sapientiam verbi nominat rhetoricam, quæ docet ornate loqui, ex quo alliciuntur interdum homines ad assentiendum erroribus et falsitatibus. Unde Rom. XVI, 18 : *Per dulces sermones seducunt corda innocentium* : et de meretrice dicitur Prov. II, 16, in figura hæreticæ doctrinæ : *Ut eruaris a muliere aliena et extranea, quæ mollit sermones suos.* Sed contra dicitur Isai. XXXIII, 19 : *Populum imprudentem non videbis*, scilicet in catholica Ecclesia, *et populum alti sermonis, ita ut non possis intelligere disertitudinem linguæ ejus, in quo nulla est sapientia.* Sed quia in græco ponitur logos, quod rationem et sermonem significat, posset convenientius intelligi sapientia verbi, id est humanæ rationis, quia illa quæ sunt fidei humanam rationem excedunt, secundum illud Eccli. III, 25 : *Plurima supra sensum hominis ostensa sunt tibi.*

Sed contra hoc videtur esse, quod multi doctores Ecclesiæ in doctrina fidei, sapientia et rationibus humanis et ornatu verborum sunt usi. Dicit enim Hieronymus *In epist. ad Magnum oratorem urbis Romæ,* quod omnes doctores [2] in ornatu Philosophiæ doctrinis atque scientiis suos refarserunt libros, ut nescias quid in illis primum admirari debeas, eruditionem sæculi, an scientiam Scripturarum. Et Augustinus dicit in IV *De doctrina christiana* cap. V : « Sunt viri Ecclesiastici, qui divina eloquia, non solum sapienter, sed etiam suaviter tractaverunt.

Dicendum est ergo, quod aliud est docere in sapientia verbi, quocumque modo intelligatur, et aliud uti sapientia verbi in docendo. Ille in sapientia verbi docet qui sapientiam verbi accipit pro principali radice suæ doctrinæ, ita scilicet quod ea solum approbet quæ verbi sapientiam continent, reprobet autem ea quæ sapientiam verbi non habent; et hoc fidei est corruptivum. Utitur autem sapientia verbi qui suppositis veræ fidei fundamentis, si qua vera in doctrinis Philosophorum inveniat, in obsequium fidei assumat : unde Augustinus dicit in II *De doctrina christiana*, cap. XL, quod si qua Philosophi dixerunt fidei nostræ accommoda, non solum formidanda non sunt, sed ab eis tamquam ab injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda : et in IV *De doctrina christiana*, cap. II, dicit : « Cum posita sit in medio facultas eloquii, quæ ad persuadendum seu prava seu recta valeat plurimum [3] : cur non bonorum studio comparetur ut militet veritati, si eam mali in usum iniquitatis et erroris usurpant [4] ?

Deinde cum dicit, *Ut non evacuetur crux Christi*, probat quod dixerat : et primo quidem ex parte materiæ; secundo ex parte ipsorum docentium, ibi, *Videte enim vocationem vestram.* Circa primum tria facit. Primo ostendit modum docendi, qui est in sapientia verbi, non esse congruum fidei christianæ; secundo probat quod supposuerat, ibi, *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est*; tertio probationem manifestat, ibi, *Quoniam Judæi signa petunt.*

Circa primum considerandum est, quod etiam in philosophicis doctrinis non est idem modus conveniens cuilibet doctrinæ : unde sermones secundum materiam sunt accipiendi [5], ut dicitur in I *Ethic.* lect. III. Tunc autem maxime modus aliquis docendi est materiæ incongruus, quando per talem modum destruitur id quod est principale in materia illa; puta si quis in rebus intellectualibus velit metaphoricis demonstrationibus uti, quæ non transcendunt res imaginatas, ad quæ non oportet intelligentem adduci, ut Boetius ostendit in libro *De Trin.* Principale autem in doctrina fidei christianæ est salus per crucem Christi facta : unde in II cap., vers. 2, dicit : *Non judicavi me scire aliquid inter vos nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.* Qui autem principaliter

[1] Al. : « Verba sunt plurima, multam in disputando habentia vanitatem. » — [2] Al. : « fidei Dei. »

[3] Al. : « facultas eloqui quæ ad persuadendum seu prava seu recta valent pluribus » — [4] In editione Monachorum S. Mauri : « Si ea mali ad obtinenda perversas vanasque causas in usus iniquitatis, etc. » — [5] Al. : « expetendi »

innititur in docendo sapientiæ verbis, quantum in se est, evacuat crucem Christi. Ergo docere in sapientia verbi, non est modus conveniens fidei Christianæ : hoc est ergo quod dicit : *Ut non evacuetur crux Christi*, idest, ne si in sapientia verbi prædicare voluero, tollatur fides de virtute crucis Christi. Gal. v, 11 : *Ergo evacuatum est scandalum crucis*, Psal. cxxxvi, 7 : *Qui dicunt* : *Exinanite usque ad fundamentum in ea.*

Deinde cum dicit, *Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est*, probat quod per doctrinam, quæ est in sapientia verbi, crux Christi evacuetur : et circa hoc duo facit : Primo inducit probationem; secundo assignat causam dictorum, ibi, *Scriptum est enim*, etc. Dicit ergo primo : Ideo dixi, quod si per sapientiam verbi doctrina fidei proponeretur, evacuaretur crux Christi : *verbum* enim *crucis*, idest annuntiatio crucis Christi, *stultitia est*, idest stultum aliquod videtur *pereuntibus quidem*, idest infidelibus, qui se secundum mundum existimant sapientes : eo quod prædicatio crucis Christi aliquid continet quod secundum humanam sapientiam impossibile videtur, puta quod Deus moriatur, quod Omnipotens violentorum manibus subjiciatur. Continet etiam quædam quæ prudentiæ hujus mundi contraria videntur; puta quod aliquis non refugiat confusiones cum possit, et alia hujusmodi. Et ideo Paulo hujusmodi annuntianti dixit Festus, ut legitur Act. xxvi, 24 : *Insanis*, *Paule*; *multæ litteræ ad insaniam te adducunt.* Et ipse Paulus dicit inf. iv, 10 : *Nos stulti propter Christum.* Et ne credatur revera verbum crucis stultitiam continere, subdit : *His autem qui salvi fiunt*, *idest nobis*, scilicet Christi fidelibus, qui ab eo salvamur, secundum illud Matth. i, 21 : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*, *virtus Dei est* : quia ipsi in cruce Christi virtutem[1] Dei cognoscunt, qua diabolum vicit et mundum : Apoc. v, 5 : *Ecce vicit leo de tribu Juda* : item virtutem quam in seipsis experiuntur, dum simul cum Christo vitiis et concupiscentiis moriuntur, secundum illud Gal. v, 24 : *Qui Christi sunt*, *carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis*. Unde in Psalm. cix, 2, dicitur : *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Luc. vi, 19 : *Virtus de illo exibat*, *et sanabat omnes.*

Deinde cum dicit, *Scriptum est enim*, ostendit prædictorum causam; et ponit primo quare verbum crucis sit hominibus stultitia : secundo ostendit quare ista stultitia sit virtus Dei his qui salvantur, ibi, *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum*, *placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Circa primum duo facit. Primo inducit auctoritatem prænuntiantem quod quæritur; secundo ostendit hoc esse impletum, ibi, *Ubi sapiens?* Circa primum considerandum, quod id quod est in se bonum, non potest alicui stultum videri, nisi propter defectum sapientiæ. Hæc est ergo causa quare verbum crucis, quod est salutiferum credentibus, quibusdam videtur stultitia, quia sunt ipsi sapientia privati; et hoc est quod dicit : *Scriptum est enim* : *Perdam sapientiam sapientium*, *et prudentiam prudentium reprobabo.* Potest autem hoc sumi ex duobus locis : nam in Abdia dicitur vers. 8 : *Perdam sapientiam de Idumea*, *et prudentiam de monte Esau* : expressius autem habetur Isa. xxix, 14 : *Peribit sapientia a sapientibus*, *et intellectus prudentium ejus abscondetur.* Differunt autem sapientia et prudentia : nam sapientia est cognitio divinarum rerum : unde pertinet ad contemplationem. Job xxviii, 28 : *Timor Dei ipsa est sapientia* : prudentia vero proprie est cognitio rerum humanarum : unde dicitur Prov. x, 23 : *Sapientia est viro prudentia* : quia scilicet scientia humanarum rerum prudentia[2] dicitur. Unde et Philosophus VI *Eth.* dicit, quod prudentia est recta ratio agibilium; et sic prudentia ad rationem pertinet. Est autem considerandum, quod homines quantumcumque mali, non totaliter donis Dei privantur; nec in eis dona Dei reprobantur, et perditur quod ex eorum malitia procedit. Et ideo non dicit simpliciter, *Perdam sapientiam* : quia *omnis sapientia a Domino Deo est*, ut dicitur Eccl. i, 1, sed, *Perdam sapientiam sapientium*, idest quam sapientes hujus mundi adinvenerunt sibi contra veram sapientiam Dei : quia, ut dicitur Jacob. iii, 15, *non est ista sapientia desursum descendens*, *sed terrena*, *animalis*, *diabolica.* Similiter non dicit, *Reprobabo prudentiam*, nam veram prudentiam, sa-

[1] Al. : « mortem. » — [2] Al. omittitur : « prudentia. »

pientia Dei docet; sed dicit, *Prudentiam prudentium*, id est quam illi qui se prudentes æstimant in rebus mundanis, prudentiam reputant, ut scilicet bonis hujus mundi inhæreant; vel quia, ut dicitur Rom. VIII, 6, *prudentia carnis mors est*. Et sic propter defectum sapientiæ reputant impossibile Deum hominem fieri, mortem pati secundum humanam naturam : propter defectum autem prudentiæ reputant inconveniens fuisse quod homo sustineret crucem confusione contempta, ut dicitur Hebr. XII.

Deinde cum dicit, *Ubi sapiens*? ostendit esse impletum quod de reprobatione humanæ sapientiæ et prudentiæ fuerat probatum; et primo ponit medium sub interrogatione; secundo conclusionem infert, ibi, *Nonne stultam Deus fecit sapientiam hujus mundi*? Dicit ergo primo, *Ubi sapiens ?* quasi dicat : Non invenitur in congregatione fidelium qui salvantur. Per sapientem intelligit illum qui secretas naturæ causas scrutatur. Isa. XIX, 11 : *Quomodo dicetis Pharaoni : Filius sapientium ego?* Et hoc refertur ad Gentiles, qui hujus mundi sapientiæ studebant. *Ubi scriba?* idest peritus in lege; et hoc refertur ad Judæos; quasi diceret : Non est in cœtu fidelium. Joan. VII, 48 : *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum ? Ubi inquisitor* [1] *hujus sæculi?* qui scilicet per prudentiam exquirit quæ sit convenientia vitæ humanæ in rebus hujus sæculi; quasi dicat : Non invenitur inter fideles : et hoc refertur ad utrosque, scilicet Judæos et Gentiles. Baruch III, 23 : *Filii Agar, qui exquisierunt prudentiam quæ de terra est*. Videtur autem Apostolus hanc interrogationem sumere ab eo quod dicitur Isa. XXXIII, 18 : *Ubi est litteratus*? pro quo ponit sapientem. *Ubi est verba legis ponderans?* pro quo ponit scribam, *Ubi est doctor parvulorum ?* pro quo ponit inquisitorem hujus sæculi : quia parvuli maxime solent instrui de his quæ pertinent ad disciplinam moralis vitæ.

Deinde cum dicit, *Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi*? infert conclusionem sub interrogatione; quasi dicat: Cum illi qui, sapientes mundi reputantur, a via salutis defecerint, *nonne Deus sapientiam hujus mundi fecit stultam* ? idest demonstravit esse stultam, dum illi qui in hac sapientia pollebant, tam stulti inventi sunt ut viam salutis non acciperent. Hier. X, et LI, 17 : *Stultus factus est omnis homo a scientia sua*. Isa. XLVII, 10 : *Sapientia tua et scientia tua hæc decepit* [2] *te*. Potest autem et aliter intelligi quod dictum est : ac si diceret : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo;* idest, eligam eam in primis meis prædicatoribus, secundum illud Prov. XXX, 1 : *Visio quam locutus est vir cum quo est Deus* : et infra 2 : *Stultissimus sum virorum, et sapientia hominum non est mecum. Ubi sapiens*? quasi dicat : Inter prædicatores fidei non invenitur. Matth. XI, 25 : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Nonne Deus stultam fecit*, idest demonstravit, *sapientiam hujus mundi*? faciendo quod ipsi impossibile reputabatur, scilicet dictum esse, hominem mortuum resurgere, et alia hujusmodi.

Deinde cum dicit, *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum*, etc., assignat rationem quare per prædicationis stultitiam salventur fideles; et hoc est quod dictum est, quod verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est, virtus vero salvationis credentibus : *nam placuit Deo per stultitiam prædicationis*, idest per prædicationem quam humana sapientia stultam reputat, *salvos facere credentes*; et hoc ideo *quia mundus* idest mundani, *non cognoverunt Deum per sapientiam* ex rebus mundi acceptam; et hoc *in Dei sapientia* : divina enim sapientia faciens mundum, sua indicia in rebus mundi instituit [3] secundum illud Eccl. I, 10 : *Effudit illam super omnia opera sua*; ita quod ipsæ creaturæ per sapientiam Dei factæ, se habent ad Dei sapientiam, cujus indicia gerunt, sicut verba hominis ad sapientiam ejus, quam significant. Et sicut discipulus pervenit ad cognoscendum magistri sapientiam per verba quæ ab ipso audit; ita homo poterat ad cognoscendum Dei sapientiam per creaturas ab ipso factas inspiciendo pervenire, secundum illud Rom. I, 20 : *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Sed homo propter sui cordis vanitatem a rectitudine divinæ cognitionis deviavit : unde dicitur Joan. I, 10 : *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit*. Et ideo Deus per quædam alia ad sui cognitionem salutiferam fideles adduxit, quæ in ipsis rationibus creaturarum non

[1] Al. *conquisitor*. — [2] Al. : « decipit. » — [3] Al. : « sua judicio in rebus mundi instruit. »

inveniuntur; propter quod a mundanis hominibus, qui solas humanarum rerum considerant rationes, reputantur stulta : et hujusmodi sunt fidei documenta. Et est simile sicut si aliquis magister considerans sensum suum ab auditoribus non accipi per verba quæ protulit, studeat aliis verbis uti, per quæ possit manifestare quæ habet in corde.

Deinde cum dicit, *Quoniam Judæi signa petunt*, manifestat probationem præmissorum : et primo quantum ad id quod dixerat, *Verbum crucis pereuntibus stultitia est;* secundo quantum ad id quod dixerat, *His qui salvi fiunt, virtus Dei est...* [1] *Ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis*. Circa primum duo facit. Primo ponit pereuntium differens studium et intentionem; secundo ex hoc rationem assignat ejus quod dixerat, ibi, *Nos autem prædicamus Christum*. Pereuntium autem, idest infidelium, quidam erant Judæi, quidam Gentiles. Dicit ergo : Dictum est, quod *verbum crucis pereuntibus est stultitia;* et hoc ideo quoniam *Judæi signa petunt* : erant enim Judæi consueti divinitus instrui, secundum illud Deuter. XXXII, 10 *Erudivit eum, et docuit*. Quæ quidem doctrina cum esset a Deo per multa mirabilia manifestata, secundum illud Psalm. LXXVII, 12 : *Fecit mirabilia in terra Ægypti* : ideo [2] ab asserentibus quamcumque doctrinam, signa quærebant, secundum illud Matth. XII, 38 : *Magister volumus a te signum aliquod videre* : et in Psal. LXXIII, 9, dicitur : *Signa nostra non vidimus*. Sed *Græci sapientiam quærunt*, utpote in studio sapientiæ exercitati : sapientiam, dico, quæ per rationes rerum mundanarum accipitur, de qua dicit Hierem. IX, 23 : *Non glorietur sapiens in sapientia*. Per Græcos autem, omnes Gentiles dat intelligere, qui a Græcis mundanam sapientiam acceperunt. Quærebant igitur sapientiam, volentes omnem doctrinam eis propositam, secundum regulam humanæ sapientiæ judicare. Deinde concludit, quare verbum crucis sit eis stultitia, dicens : *Nos autem prædicamus Christum crucifixum* : secundum illud infra XI, 26 : *Mortem Domini annuntiabitis donec veniat* : *Judæis scandalum*, quia scilicet desiderabant virtutem miracula facientem, et videbant infirmitatem crucem patientem : nam, ut dicitur II Corinth. ultim. 4 : *Crucifixus est ex infirmitate* : *Gentibus autem stultitiam* : quia contra rationem humanæ sapientiæ videtur quod Deus moriatur, et quod homo justus et sapiens se voluntarie turpissime morti exponat.

Deinde cum dicit, *Ipsis autem vocatis*, manifestat quod dixerat, *His autem qui salvi fiunt, virtus Dei* : et primo manifestat hoc; secundo rationem assignat, ibi, *Quia quod stultum est hominibus*. Dicit ergo primo. Dictum est, quod *prædicamus Christum crucifixum*, *Judæis scandalum, et Gentibus stultitiam;* sed prædicamus *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam ipis vocatis Judæis et Græcis*, idest his qui ex Judæis et Gentibus ad fidem Christi vocati sunt, qui in cruce Christi recognoscunt Dei virtutem, per quam et dæmones superantur, et peccata remittuntur, et homines salvantur : Psal. XX, 14 : *Exaltare Domine in virtute tua* : et hoc dicit contra scandalum Judæorum, qui de infirmitate Christi scandalizabantur, et recognoscunt in cruce Dei sapientiam, inquantum per crucem convenientissimo modo humanum genus liberat. Sap. IX, 19 : *Per sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi a principio*. Dicitur autem Dei virtus et Dei sapientia per quamdam appropriationem. Virtus quidem inquantum per eum Pater omnia operatur : Jean. I, 3 : *Omnia per ipsum facta sunt* : sapientia vero inquantum ipsum Verbum, quod est Filius, nihil est aliud quam sapientia genita vel concepta : Eccli. XXIV, 5 : *Ego ex ore Altissimi prodii primogenita ante omnem creaturam*. Non autem sic est intelligendum quod Deus Pater sit fortis et sapiens virtute aut sapientia genita : quia, ut Augustinus probat, IV *De Trin.* cap. I, sequeretur quod Pater haberet esse a Filio, quia hoc est Deo esse quod fortem et sapientem esse. Deinde cum dicit, *Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus*, assignat rationem ejus quod dixerat, dicens, quomodo id quod est infirmum et stultum, possit esse virtus vel sapientia Dei : quia *quod stultum est Dei, sapientius est hominibus*; quasi dicat : Jam aliquod divinum videtur esse stultum, non quia deficiat a sapientia, sed quia superexcedit sapientiam humanam. Homines enim quidam consueverunt stultum reputare quod eorum sensum excedit. Eccli. III, 25 : *Plurima super sen-*

[1] Supple, « ibi, *ut mos est*. »

[2] Al. post punctum affirmationis. « Et ideo. »

sum hominis ostensa sunt tibi. Et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus : quia scilicet non dicitur aliquid infirmum in Deo per defectum virtutis, sed per excessum humanæ virtutis : sicut etiam dicitur invisibilis, inquantum excedit sensum humanum. Sap. XII, 17 : *Virtutem ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus.* Quamvis hoc possit referri ad Incarnationis, mysterium : quia id quod reputatur stultum et infirmum in Deo ex parte naturæ assumptæ, transcendit omnem sapientiam et virtutem. Exod. XV, 11 : *Quis similis tui in fortibus, Domine?*

LECTIO IV.

Videte enim vocationem vestram, fratres : quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles ; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat sapientes ; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia ; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret ; ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christi Jesu qui factus est nobis sapientia Deo, et jusiitia et sanctificatio et redemptio ; ut quemadmodum scriptum est, qui gloriatur, in Domino glorietur.

Supra ostendit Apostolus quod modus docendi qui est in sapientia verbi, non convenit doctrinæ christianæ, ratione materiæ, quæ est ipsa crux Christi ; hic ostendit quod prædictus docendi modus non convenit doctrinæ christianæ, ratione doctorum, secundum illud Prov. XXVI, 7 : *In derisum est in ore stulti parabola?* et Eccli. XX, 22 : *Ex ore fatui reprobabitur parabola.* Quia igitur primi doctores fidei non fuerunt sapientes sapientia carnali, non erat eis conveniens ut in sapientia verbi docerent. Circa hoc ergo duo facit. Primo ostendit quomodo primi doctores fidei non fuerunt sapientes sapientia carnali [1], et in rebus humanis defectum patiebantur; secundo ostendit quomodo talis defectus est in eis per Christum suppletus, ibi, *Ex ipso autem vos estis.* Circa primum tria facit. Primo excludit a fidei primis doctoribus excellentiam sæcularem ; secundo astruit eorum abjectionem [2] quantum ad sæculum, ibi, *Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus ;* tertio rationem assignat, ibi, *Ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* Dicit ergo primo : Dictum est : *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus ;* et hoc considerare potestis in ipsa vestra conversione : *videte enim* : idest diligenter [3] considerate, *vocationem vestram,* quomodo scilicet vocati estis : non enim per vos ipsos accessistis, sed ab eo vocati estis [4]. Rom. VIII, 30 : *Quos prædestinavit, hos et vocavit.* I Petr. XI, 9 : *De tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Inducit autem eos ut considerent modum suæ vocationis quantum ad eos per quos vocati sunt; sicut Isa. LI, 2, dicitur : *Attendite ad Abraham patrem vestrum et ad Saram quæ genuit vos.* A quibus vocationis ministris primo excludit sapientiam, cum dicit : *Quia non multi* eorum, per quos vocati estis, *sapientes secundum carnem*, idest in carnali sapientia et terrena. Jacob. III, 15 : *Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis diabolica.* Baruch. III, 23 : *Filii Agar exquisierunt sapientiam quæ de terra est.* Dicit, *Non multi* : quia aliqui pauci erant etiam in sapientia mundana instructi, sicut ipse et Barnabas, vel Moyses [5] in veteri testamento, de quo dicitur Act. IV quod *eruditus erat Moyses in omni sapientia Ægyptiorum.* Secundo excludit sæcularem potentiam, cum dicit : *Non multi potentes*, scilicet secundum sæculum : unde et Joan. VII, 48 : dicitur : *Numquid aliquis ex principalibus credidit in eum?* et Baruch III, 16 : dicitur : *Ubi sunt principes gentium? Exterminati sunt et ad inferos descenderunt.* Tertio excludit excellentiam generis, cum dicit : *Non multi nobiles.* Et aliqui inter eos nobiles fuerunt, sicut ipse Paulus, qui in civitate Romana se natum dicit Act. XXII, et Rom. ult. 7, de quibusdam dicit : *Qui sunt nobiles in Apostolis.* Deinde cum dicit, *Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus*, ponit e converso eorum abjectionem quantum ad mundum : et primo defectum contrarium sapientiæ, cum dicit : *Quæ stulta sunt mundi*, idest eos qui secundum mundum stulti videbantur, *elegit Deus* ad prædicationis officium, scilicet piscatores

[1] Al. : « quomodo primi doctores fidei in rebus humanis defectum patiebantur. » intermediis omissis. — [2] Al. : « subjectionem. » — [3] Al. omittitur : « diligenter. » — [4] Al. desideratur : « estis. »

[5] Al. : « et ut Barnabas vel Moyses. »

illiteratos, secundum illud Act. iv, 13 : *Comperto quod homines essent sine litteris et idiotæ, admirabantur.* Isa. xxxiii, 18 : *Ubi est litteratus, ubi verba legis ponderans?* Et hoc *ut confundat sapientes*, idest eos qui de sapientia mundi confidunt, dum ipsi non cognoverunt quæ sunt simplicibus revelata. Matth. xi, 25 : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Isa. xix, 12 : *Ubi sunt nunc sapientes tui? Annuntient tibi.* Secundo ponit defectum contrarium potentiæ, dicens : *Et infirma mundi*, idest homines impotentes secundum mundum, puta rusticos et plebejos, *elegit Deus* ad prædicationis officium in cujus figura dicitur III Reg. xx, 13 : *Ego tradens eos in manu tua, per pedissequos principum provinciarum.* et Prov. ix, 3, dicitur, quod *sapientia misit ancillas, ut vocarent ad arcem.* In utrisque autem primorum prædicatorum infirmitas designatur. Et hoc ideo *ut confundat fortia*, idest potentes hujus mundi. Isa. ii, 17 : *Incurvabitur omnis sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum.* Tertio ponit defectum contrarium nobilitati ; in quo possunt tria considerari. Primo quidem claritas generis, quam ipsum nomen nobilitatis designat ; et contra hoc dicit, *Et ignobilia mundi*, idest qui secundum mundum sunt ignobiles. Infra iv, 10, *Vos nobiles, nos autem ignobiles.* Secundo circa nobilitatem considerantur honor et reverentia, quæ talibus exhibentur; et contra hoc dicit, *Et contemptibilia*, idest homines contemptibiles in hoc mundo, *elegit Deus* ad prædicationis officium, secundum illud Psal. lxxviii, 4 : *Facti sumus opprobrium vicinis nostris, et his qui in circuitu nostro sunt.* Tertio in nobilitate consideratur magna opinio quam homines de eis habent : et contra hoc dicit : *Et ea quæ non sunt*, idest quæ videntur esse in sæculo, *elegit Deus* ad prædicationis officium. Job xxx, 2 : *Quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo, et vita ipsa putabantur indigni.* Et hoc ideo *ut destrueret ea quæ sunt*, idest eos qui in hoc mundo aliquid esse videntur. Isa. xxiii, 9 : *Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ, et ad ignominiam deduceret universos inclytos terræ.* Deinde assignat causam dictorum, dicens : Ideo non elegit in sæculo excellentes, sed abjectos, *ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus*; idest, ut nullus pro quacumque carnis excellentia glorietur per comparationem ad Dominum. Hierem. ix, 23 : *Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis.* Ex hoc enim quod Deus mundum suæ fidei subjecit non per sublimes in mundo, sive in sæculo, sed per abjectos, non potest gloriari homo, quod per aliquam carnalem excellentiam salvatus sit mundus. Videretur autem non esse a Deo excellentia mundana, si Deus ea non uteretur ad suum obsequium ; et ideo in principio quidem paucos, postremo vero plures sæculariter excellentes Deus elegit ad prædicationis officium : unde in *Glossa* dicitur, quod nisi fideliter præcederet piscator, non humiliter sequeretur orator. Et etiam ad gloriam Dei pertinet, dum per abjectos, sublimes in sæculo ad se trahit.

Deinde cum dicit, *Ex ipso ipso autem vos estis*, ne prædicatores fidei tamquam non excellentes, sed abjecti in sæculo, contemnerentur, ostendit quomodo Deus prædictum defectum in eis supplet. Et circa hoc tria facit. Primo ostendit cui sit attribuenda salus mundi, quæ prædicatorum ministerio facta est, dicens : Dictum est quod vocati estis non per excellentes, sed per abjectos in sæculo : ex quo patet quod vestra conversio non est homini attribuenda, sed Deo : et hoc est quod dicit : *Ex ipso autem*, idest ex virtute Dei, *vocati estis in Christo Jesu*, idest ei juncti et incorporati per gratiam. Eph. ii, 10 : *Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Jesu, in operibus bonis.* Deinde ostendit quomodo Deus prædictos defectus in prædicatoribus suis supplet per Christum : et primo quantum ad defectum sapientiæ, cum dicit : *Qui*, scilicet Christus, *factus est nobis* prædicantibus fidem, et per nos omnibus fidelibus, *sapientia* : quia ei inhærendo qui est Dei sapientia, et participando ipsum per gratiam, sapientes facti sumus ; et hoc *a Deo*, qui nobis Christum dedit, et nos ad ipsum traxit, secundum illud Joan. vi, 44 : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui me misit, traxerit eum.* Deut. iv, 6 : *Hæc est vera sapientia et intellectus coram populis.* Secundo quantum ad defectum potentiæ dicit, *Et justitia*, quæ propter sui fortitudinem thoraci comparatur Sapient. v, 19 : *Induet pro thorace justitiam.* Dicitur autem Christus nobis factus justitia, inquantum per ejus fidem justi-

ficamur, secundum illud Rom. III, 22 : *Justitia autem Dei per fidem Christi Jesu.* Tertio quantum ad defectum nobilitatis subdit : *Et sanctificatio et redemptio* : sanctificamur enim per Christum, inquantum per eum Deo conjungimur, in quo consistit vera nobilitas, secundum illud I Reg. II, 20 : *Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum* ; *qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Unde dicitur Hebr. ult. 12 : *Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Factus est autem nobis redemptio, inquantum per ipsum redempti sumus de servitute peccati, in quo vere ignobilitas consistit : unde in Psal. XXX, 6, dicitur : *Redemisti me Deus veritatis.* Tertio assignat dictorum causam, cum dicit : *Ut quemadmodum scriptum est.* Hierem. IX, 24 : *Qui autem gloriatur, in Domino glorietur* : ubi nostra littera habet ; *In hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me.* Dicit enim : Si salus hominis non provenit ex aliqua excellentia humana, sed ex sola virtute divina, non debetur homini gloria, sed Deo, secundum illud Psal. CXIII, 1 : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Eccli. ultim. 23 : *Danti mihi sapientiam, dabo gloriam.*

CAPUT SECUNDUM

LECTIO I.

Et ego, cum venissem ad vos, fratres, non veni in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi : non enim judicavi me scire aliquid inter vos nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Et ego in infirmitate et timore et tremore multo fui apud vos ; et sermo meus et prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis ; ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos ; sapientiam vero non hujus sæculi, neque principium hujus sæculi, qui destruuntur ; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram.

Postquam Apostolus ostendit quis sit conveniens modus doctrinæ christianæ, hic ostendit se illum modum observasse : et circa hoc tria facit. Primo ostendit se non fuisse usum apud eos aliqua excellentia sæculari ; secundo ostendit apud quos excellentia spirituali utatur, ibi, *Sapientiam autem loquimur inter perfectos ;* tertio rationem assignat, ibi, *Quæ etiam loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus.* Circa primum tria facit. Primo dicit, quod non ostendit apud eos excellentiam sæcularis sapientiæ ; secundo quod non prætendit excellentiam potentiæ sæcularis, ibi, *Et ego in infirmitate.... fui apud vos* ; tertio non prætendit excellentiam eloquentiæ, ibi, *Et sermo meus.* Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit ; secundo rationem assignat, ibi, *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos nisi Jesum Christum.* Dicit ergo primo : Quia dictum est quod Christus misit me evangelizare non in sapientia verbi, et quod non sunt multi sapientes, *et ego, fratres,* quamvis sapientiam sæcularem habeam, secundum illud II Corinth. xii, 6 : *Et si imperitus sermone, sed non scientia* : *cum venissem ad vos,* convertendos ad Christum, ut habetur Act. xviii, *veni annuntians vobis testimonium Christi,* secundum illud Act. iv, 33 : *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Domini nostri Jesu Christi* : et hoc *non in sublimitate sermonis aut sapientiæ.* Attenditur autem sublimitas sapientiæ in consideratione aliquorum sublimium et elevatorum supra rationem et sensum hominum. Eccli. xxiv, 7 : *Ego in altissimis habitavi.* Sublimitas autem sermonis potest referri vel ad verba significantia sapientiæ conceptiones, secundum illud Eccli. ult. 2 : *Verba sapientum quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi* : vel ad modum ratiocinandi per aliquas subtiles vias : nam in græco habetur logos, quod et verbum et rationem significat, ut Hieronymus dicit. Hoc autem dicit Apostolus, quia fidem Christi per hujusmodi sublimitates sermonis aut sapientiæ confirmare nolebat. I Reg. ii, 3 : *Nolite multiplicare sublimia.* Deinde hujus rationem assignat, dicens : *Non enim judicavi me scire aliquid nisi Christum Jesum* : non enim ad hoc opus erat ut sapientiam ostentaret, sed ut demonstraret ejus virtutem, secundum illud II Cor. iv, 5 : *Non enim prædicamus nosmetipsos, sed Jesum Christum.* Et ideo solum utebatur his quæ ad demonstrandam virtutem Christi pertinebant, existimans se ac si nihil sciret quam Jesum Christum. Hierem. ix, 24 : *In hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me.* In Christo autem Jesu, ut dicitur Coloss. ii, sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi, et quantum ad plenitudinem deitatis, et quantum ad plenitudinem sapientiæ et gratiæ, et etiam quantum ad profundas incarnationis rationes ; quæ tamen Apostolus eis non annuntiavit, sed solum ea quæ erant manifestiora et inferiora in Christo Jesu : et ideo subdit, *Et hunc crucifixum* ; quasi dicat : Sic vobis me exhibui, ac si nihil aliud scirem quam crucem Christi. Unde Gal. ultim. 14, dicit : *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Quia igitur per sapientiam verbi evacuatur crux Christi, ut dictum est ; ideo ipse Apostolus non venerat in sublimitate

sermonis aut sapientiæ. Deinde cum dicit, *Et ego in infirmitate* etc., ostendit quod non prætenderit apud eos potentiam, sed potius contrarium, et foris et intus. Unde quantum ad id quod foris est, dicit : *Et ego fui apud vos in infirmitate*, idest tribulationes apud vos patiens. Gal. IV, 13 : *Scitis quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jampridem.* Psalm. XV, 4 : *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum* [1]. Quantum vero ad id quod intus est, dicit : *Et timore*, scilicet de malis imminentibus, *Et tremore*, inquantum scilicet timor interior redundat ad corpus. II Cor. VII, 5 : *Foris pugnæ, intus timores.* Deinde cum dicit, *Et sermo meus*, ostendit quod non prætenderit apud eos excellentiam eloquentiæ : et circa hoc tria facit. Primo excludit indebitum modum prædicandi, dicens : *Et sermo meus*, quo scilicet privatim et singulariter aliquos instruebam : Ephes. IV, 29 : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus est ad ædificationem fidei* : *et prædicatio mea*, qua scilicet publice docebam, *non fuit in verbis persuasibilibus humanæ sapientiæ,* idest per rhetoricam, quæ componit ad persuadendum : ut scilicet supra dixit, quod non fuit intentionis quod sua prædicatio niteretur philosophicis rationibus; ita nunc dicit non fuisse suæ intentionis niti rhetoricis persuasionibus. Isa. XXXIII, 19 : *Populum imprudentem non videbis, populum alti sermonis, ita ut non possis intelligere disertitudinem linguæ ejus, in quo nulla est sapientia.* Secundo ostendit debitum modum, quo usus fuit in prædicando, dicens : Sermo meus fuit *in ostensione spiritus et virtutis* : quod quidem potest intelligi dupliciter. Uno modo quantum ad hoc quod credentibus prædicationi ejus dabatur Spiritus sanctus, secundum illud Act. X, 44 : *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum.* Similiter etiam suam prædicationem confirmabat faciendo virtutes, idest miracula, secundum illud Marc. ult. 20 : *Sermonem confirmante sequentibus signis.* Unde Galat. III, 5 : *Qui tribuit vobis spiritum, et operatur in vobis.* Alio modo potest intelligi quantum ad hoc quod ipse per Spiritum loquebatur [2] ; quod sublimitas et affluentia doctrinæ ostendit. II Reg. XXIII, 2 : *Spiritus Domini locutus est per me* : et II Cor. IV, 13 : *Habentes eumdem spiritum fidei credimus, propter quod et loquimur.* Confirmat etiam suam prædicationem ostendendo in sua conversatione multa opera virtuosa. I Thess. II, 10 : *Vos enim testes estis et Deus, quam sancte et juste sine querela vobis qui credidistis, affuimus.* Tertio assignat rationem dictorum, dicens : *Ut fides vestra non sit in sapientia hominum;* id est, non innitatur sapientiæ humanæ, quæ plerumque decipit homines, secundum illud Isa. XLVII, 10 : *Sapientia tua et scientia tua hæc decepit* [3] *te. Sed in virtute Dei*, ut scilicet virtuti divinæ fides innitatur, et sic non possit deficere. Rom. I, 16 : *Non erubesco Evangelium : virtus enim Dei est in salutem omni credenti.*

Deinde cum dicit, *Sapientiam loquimur inter perfectos*, ostendit apud quos excellentia spiritualis sapientiæ utatur : et primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Sapientiam vero non hujus sæculi.* Dicit ergo : Apud vos solum Christum crucifixum prædicavi. *Sapientiam autem*, idest profundam doctrinam, *loquimur inter perfectos.* Dicuntur autem aliqui perfecti dupliciter. Uno modo secundum intellectum; alio modo secundum voluntatem : hæ enim inter potentias animæ sunt propriæ hominis; et ideo secundum eas oportet hominis perfectionem considerari. Dicuntur autem perfecti intellectu illi quorum mens elevata est super omnia carnalia et sensibilia, qui spiritualia et intelligibilia capere possunt, de quibus dicitur Hebr. V, 14 : *Perfectorum est solidus cibus, eorum qui per consuetudinem exercitatos habent sensus ad discretionem mali et boni.* Perfecti autem secundum voluntatem sunt quorum voluntas super omnia temporalia elevata, soli Deo inhæret et ejus præceptis. Unde Matth. V, 48, propositis dilectionis mandatis, subditur : *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* Quia igitur doctrina fidei ad hoc ordinatur ut fides per dilectionem operetur, ut habetur Galat. V; necesse est eum qui in doctrina fidei instruitur, non solum secundum intellectum bene disponi ad capiendum et credendum,

[1] Al. : « infirmitates meæ : » quod forte melius D. Thomæ sententiæ congruit; sed cum nullibi sub his verbis reperiatur, Romanæ editionis lectionem sequimur.

[2] Al. : « sequebatur. » — [3] Al. « decipit. »

sed etiam secundum voluntatem et affectum bene disponi ad diligendum et operandum.

Deinde cum dicit, *Sapientiam vero non hujus sæculi*, exponit qualis sit sapientia de qua mentionem fecit : et primo ponit expositionem; secundo ratione expositionem confirmat, ibi, *Quam nemo principium hujus sæculi cognovit*. Circa primum duo facit. Primo exponit qualis sit ista sapientia per comparationem ad infideles; secundo per comparationem ad fideles, ibi, *Sed loquimur Dei sapientiam*. Dicit ergo primo : Dictum est, quod *sapientiam loquimur inter perfectos* : *sapientiam vero*, dico, *non hujus sæculi*, idest de rebus sæcularibus, vel quæ est per rationes humanas, *neque* etiam *principum hujus sæculi;* et sic separat eam a sapientia mundana et quantum ad modum et materiam inquirendi, et quantum ad auctores, qui sunt principes hujus sæculi : quod potest intelligi de triplici genere principum, secundum triplicem sapientiam humanam. Primo possunt dici principes hujus sæculi reges et potentes sæculares, secundum illud Psalm. II, 2 : *Principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus* : a quibus principibus venit sapientia humanarum legum, per quas res hujus mundi in vita humana dispensantur. Secundo possunt dici principes, dæmones : Joan. XIV, 30 : *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* : et ab his principibus venit sapientia culturæ dæmonum, scilicet necromantia, et magicæ artes, et hujusmodi. Tertio possunt intelligi principes hujus sæculi, Philosophi, qui quasi principes se exhibuerunt hominibus in docendo, de quibus dicitur Isa. XIX, 11 : *Stulti principes Taneos, sapientes consiliarii Pharaonis* : et ab his principibus processit tota humana philosophia. Horum autem principum, homines destruuntur per mortem et per amissionem potestatis et auctoritatis; dæmones vero non per mortem, sed per amissionem potestatis et auctoritatis, secundum illud Joan. XII, 31 : *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* : de hominibus autem dicitur Baruch III, 16 : *Ubi sunt principes gentium?* et postea subdit 19 : *Exterminati sunt et ad inferos descenderunt*. Sicut autem ipsi non sunt stabiles; ita et eorum sapientia non potest esse firma, et ideo non ei innitendum est.

Deinde cum dicit, *Sed loquimur Dei sapientiam*, exponit qualis sit sapientia per comparationem ad fideles : et primo describit eam quantum ad materiam vel auctoritatem, cum dicit : *Sed loquimur Dei sapientiam*, idest quæ est Deus et a Deo : quamvis enim omnis sapientia a Deo sit, ut dicitur Eccli. I, tamen speciali quodam modo hæc sapientia quæ est de Deo, est etiam a Deo per revelationem secundum illud Sap. IX, 17 : *Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum tuum de altissimis?* Secundo ostendit qualitatem ejus, dicens : *In mysterio, quæ abscondita est* : hæc enim sapientia abscondita est ab hominibus, inquantum hominis intellectum excedit, secundum illud Eccli. III, 25 : *Plurima supra sensum hominis ostensa sunt tibi*. Unde dicitur Job XXVIII, 21 : *Abscondita est ab oculis omnium viventium*. Et quia modus docendi doctrinæ debet esse conveniens, ideo dicitur, quod loquitur eam in *mysterio*, idest in aliquo occulto vel verbo vel signo. Infra XIV, 2 : *Spiritus loquitur mysteria*. Tertio ostendit fructum hujus sapientiæ, dicens : *Quam Deus prædestinavit*, idest præparavit, *in gloriam nostram*, idest prædicatorum fidei, quibus ex prædicatione tam altæ sapientiæ gloria magna debetur et apud Deum et apud homines. Prover. III, 35 : *Gloriam sapientes possidebunt*. Et quod dicit, *In gloriam nostram*, exponendum est, Omnium fidelium; quorum gloria hæc est, ut in plena luce cognoscant ea quæ nunc in mysterio prædicantur, secundum illud Joan. XVII, 3 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum*.

LECTIO II.

Quam nemo principum hujus sæculi cognovit : si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed sicut scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt illum; nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt nemo cognovit nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.

Posita expositione de sapientia quam Apostolus loquitur inter perfectos, hic rationem assignat expositionis prædictæ : et primo quantum ad hoc quod eam descripserat per comparationem ad infideles: secundo quantum ad hoc quod eam descripserat per comparationem ad fideles, ibi, *Nobis autem revelavit Deus.* Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit ; secundo probat propositum, ibi, *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Dicit ergo primo : Dictum est quod sapientia quam loquimur, non est *principium hujus sæculi* : hæc enim sapientia est, *quam nemo principium hujus sæculi cognovit* : quod verum est de quibuscumque principibus intelligatur : sæculares enim principes hanc sapientiam non cognoverunt, quia excedit rationem humani regiminis. Job xii, 24 : *Qui immutat cor principum populi terræ, et decipit eos, ut frustra incedant per invium.* Philosophi etiam eam non cognoverunt quia excedit rationem humanam : unde dicitur Bar. iii, 23 : *Exquisitores prudentiæ et scientiæ viam sapientiæ nescierunt.* Dæmones etiam eam non cognoscunt, quia excedit omnem creatam sapientiam : unde dicitur Job xxviii, 21 : *Volucres cœli quoque latet. Perditio et mors dixerunt : Auribus nostris audivimus famam ejus.* Deinde cum dicit, *Si enim cognovissent* etc., probat quod dixerat : et primo quidem probat per signum, quod non cognoverunt principes Dei sapientiam, secundum quod est in se abscondita ; secundo probat per auctoritatem quod non cognoverunt eam, secundum quod præparata est in gloriam nostram, ibi, *Sicut scriptum est.* Dicit ergo primo : Recte dico, quod principes hujus sæculi Dei sapientiam non cognoverunt : *si enim cognovissent* Dei sapientiam, cognovissent utique Christum esse Deum, qui in hac sapientia continetur ; quo cognito, *nunquam crucifixissent Dominum gloriæ*, idest ipsum Christum Dominum dantem gloriam suis, secundum illud Ps. xxiii, 10 : *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ* : et Hebr. ii, 10 : *Qui multos filios in gloriam adduxerat.* Cum enim creaturæ rationali sit naturaliter appetibilis gloria, non potest in voluntatem humanam cadere quod auctorem gloriæ interimat. Quod autem principes crucifixerint Jesum Christum, certum est si intelligatur de principibus qui potestatem habent inter homines : dicitur enim in Psal. ii, 2 : *Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus : Dominum et adversus Christum ejus* quod Act. iv, exponitur de Herode et Pilato et principibus Judæorum, qui consenserunt in mortem Christi. Sed etiam dæmones operati sunt in mortem Christi, persuadendo, secundum illud Joan. xiii, 2 : *Cum diabolus jam misisset in cor ut eum traderet Judas Simonis Iscariotæ.* Sed et pharisæi et scribæ in lege periti, qui studium sapientiæ dabant, operati sunt ad mortem Christi instigando et approbando.

Sed circa hoc duplex oritur dubitatio : quarum prima est de hoc quod dicit Deum gloriæ crucifixum. Non enim divinitas Christi, aliquid pati potuit, secundum quod dicitur Christus Dominus gloriæ.

Sed dicendum, quod Christus est una persona et hypostasis in utraque natura consistens, divina scilicet et humana : unde potest utriusque naturæ nomine designari ; et quocumque nomine significetur, potest prædicari de eo id quod est utriusque naturæ, quia utrique non supponitur [1] nisi una hypostasis : et per hunc modum possumus dicere, quod homo creavit stellas, et quod Dominus gloriæ est crucifixus ; et tamen non creavit stellas secundum quod homo, sed secundum quod Deus ; nec est crucifixus secundum quod est Deus, sed inquantum homo. Unde ex hoc verbo destruitur error Nestorii, qui dixerat unam naturam esse in Christo, Dei et hominis : quia secundum hoc nullo modo posset verificari quod Dominus gloriæ sit crucifixus.

Secunda dubitatio est de hoc quod videtur supponere, quod principes Judæorum vel dæmones non cognoverunt Christum esse Deum. Et quidem quantum ad principes Judæorum videtur hoc astrui per hoc quod dicit Petrus Act. iii, 17 : *Scio quia per ignorantiam hoc feceritis, sicut et principes vestri.* Videtur autem esse contrarium quod dicitur Matth. xxi, 38 : *Agricolæ videntes filium, dixerunt intra se : Hic est heres : venite, occidamus eum* : quod exponens Chrysostomus dicit : Manifeste Dominus probat his verbis, Judæorum principes non per igno-

[1] Al. : « idest nec supponitur. »

rantiam, sed per invidiam, Dei Filium crucifixisse.

Solvitur in *Glossa*, in II *expos.*, quæ attribuitur Chrysostomo, *hom.* XL, ibid. quod sciebant principes Judæorum eum esse qui promissus erat in lege; non tamen mysterium ejus, quod Filius Dei erat; neque sciebant sacramentum incarnationis et redemptionis. Sed contra hoc esse videtur quod Chrysostomus dicit, quod cognoverunt eum esse Filium Dei. Dicendum est ergo, quod principes Judæorum pro certo sciebant eum esse Christum promissum in lege, quod populus ignorabat: ipsum autem esse verum Filium Dei, non pro certo sciebant, sed aliqualiter conjecturabant; sed hæc conjecturalis cognitio obscurabatur in eis ex invidia, et ex cupiditate propriæ gloriæ, quam per excellentiam Christi minui videbant.

Similiter etiam videtur essse de dæmonibus dubitatio: dicitur enim Marc. I, et Luc. IV, 34, quod dæmonium clamavit, dicens: *Scio quod sis Sanctus Dei*. Et ne hoc præsumptioni dæmonum ascribatur qui se jactant scire quod nesciunt[1], eorum notitia quam habebant de Christo, per ipsos, Evangelistas asseritur. In Marc. I, 34, quidem sic scribitur: Non sinebat ea loqui, scilicet dæmonia, *quoniam sciebant eum Christum esse*: et Luc. XV, 41, dicit: *Increpans non sinebat ea loqui quia sciebant eum esse Christum.*

Et ad hoc respondetur in libro *De quæstionibus novi et veteris Testamenti*, quod dæmonia sciebant ipsum esse qui per legem fuit repromissus, quia omnia signa videbant in eo quæ dixerunt Prophetæ: mysterium autem divinitatis ejus ignorabant. Sed contra hoc videtur esse quod Athanasius dicit, quod dæmonia dicebant Christum esse Sanctum Dei, quasi singulariter sanctum: ipse enim naturaliter est sanctus, cujus participatione omnes alii sancti vocantur. Dicendum est autem, quod, sicut Chrysostomus dicit, non habebant adventus Dei firmam et certam notitiam, sed quasdam conjecturas: unde Augustinus dicit in IX *De Civit. Dei*, cap. XXI, quod innotuit dæmonibus non per id quod est vita æterna, sed per quædam temporalia sua virtute effecta.

Deinde cum dicit, *Sed sicut scriptum est*, probat per auctoritatem quod principes hujus sæculi Dei sapientiam non cognoverunt quantum ad hoc quod prædestinata est in gloriam fidelium, dicens: *Sed sicut scriptum est*, Isa. LXIV, 5: ubi littera nostra habet: *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparastihis qui diligunt te.* Ostenditur autem illa gloria visionis aperte ab hominibus ignorari, dupliciter. Primo quidem, quia non subjacet humanis sensibus, a quibus omnis humana cognitio initium sumit. Et ponit duos sensus. Primo visionis, quæ deservit inventioni, cum dicit, *Quod oculus non vidit*. Job XXVIII, 7: *Semitam ejus ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis*. Et hoc ideo quia non est aliquid coloratum et visibile. Secundo ponit sensum auditus, qui deservit disciplinæ, dicens: *Nec auris audivit*, scilicet ipsam gloriam, quia non est sonus, aut vox sensibilis. Joan. V, 37: *Neque speciem ejus vidistis, neque vocem ejus audistis*. Deinde excludit notitiam ejus intellectualem, cum dicit: *Neque in cor hominis ascendit*: quod quidem potest intelligi uno modo ut ascendere in cor hominis dicatur quidquid quocumque modo cognoscitur ab homine secundum illud Hier. LI, 50: *Hierusalem ascendat super cor vestrum*; et sic oportet quod cor hominis accipiatur pro corde hominis carnalis, secundum illud quod dicitur infra III, 3: *Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis*? Est ergo sensus, quod illa gloria non solum sensu non percipitur, sed nec corde hominis carnalis; sed secundum illud Joan. XIV, 17: *Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum nec scit eum.* Alio modo potest exponi, secundum quod proprie dicitur in cor hominis ascendere id quod ab inferiori pervenit ad hominis intellectum, puta a sensibilibus, de quibus prius fecerat mentionem. Res enim sunt in intellectu secundum modum ejus: res igitur inferiores sunt in intellectu altiori modo quam in seipsis; et ideo quando ab intellectu capiuntur, quodammodo in cor ascendunt: unde dicitur Isa. LXV, 17: *Non erunt in memoria priora, nec ascendent super cor*. Illa vero quæ sunt intellectu superiora, altiori modo sunt in seipsis quam in intellectu: et ideo, quando ab intellectu capiuntur, quodammodo descendunt. Jacob. I, 17: *Omne donum perfec-*

[1] Al.: « qui se jactabant scire quod nesciebant. »

tum desursum est, descendens a Patre luminum. Quia, igitur illius gloriæ notitia non accipitur a sensibilibus, sed ex revelatione divina ; ideo signanter dicit : *Nec in cor hominis ascendit*, sed descendit, id scilicet *quod præparavit Deus*, idest prædestinavit *diligentibus se* : quia essentiale præmium æternæ gloriæ caritati debetur, secundum illud Joan. XIV, *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum* : in quo perfectio æternæ gloriæ consistit : et Job XXXVI, 33 : *Annuntiat de ea*, idest de luce gloriæ, *amico suo*, *quod possessio ejus sit.*' Ceteræ autem virtutes accipiunt efficaciam merendi vitam æternam, inquantum informantur caritate.

Deinde cum dicit, *Nobis autem revelavit Deus*, probat prædictam expositionem de sapientia divina per comparationem ad fideles : et primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi, *Spiritus enim omnia scrutatur.* Dicit ergo primo, Dictum est, quod sapientiam Dei nemo principum hujus sæculi cognovit. *Nobis autem Deus revelavit per Spiritum suum*, quem scilicet nobis misit, secundum illud Joan. XIV, 26 : *Paraclytus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Job XXXIII, 8 : *Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.* Quia enim Spiritus sanctus est spiritus veritatis, utpote a Filio procedens, qui est veritas Patris, his quibus mittitur, inspirat veritatem ; sicut et Filius a Patre missus notificat Patrem, secundum illud Matth. XI, 27 : *Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.*

Deinde cum dicit, *Spiritus enim omnia scrutatur*, probat quod dixerat scilicet quod per Spiritum sanctum sit sapientia fidelibus revelata : et primo ostendit quod Spiritus sanctus ad hoc sit efficax ; secundo probat quod in discipulis Christi fecerat, ibi *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus.* Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Dicit ergo primo : Dictum est, quod per Spiritum sanctum revelavit nobis Deus sapientiam suam; et hoc fieri potuit : *Spiritus enim* sanctus *omnia scrutatur* : quod non est sic intelligendum, quasi inquirendo quomodo fiat; sed quia perfecte, et etiam intima quarumlibet rerum novit, sicut homo quod aliquando diligenter scrutatur. Unde dicitur Sap. VII, quod spiritus intelligentiæ sanctus est omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus intelligiles, mundos, subtiles; et non solum res creatas, sed etiam profunda Dei perfecte cognoscit. Dicuntur autem profunda ea quæ in ipso latent, et non ea quæ de ipso per creaturas cognoscuntur, quæ quasi superficie tenus videntur esse, secundum illud Sap. XIII, 5 : *A magnitudine speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Deinde cum dicit, *Quis enim scit hominum?* probat quod dixerat de Spiritu Dei per similitudinem humanis spiritus, dicens : *Quis enim scit hominum ea quæ sunt hominis*, idest ea quæ latent in corde, *nisi spiritus hominis*, *qui in eo est?* idest intellectus. Et ideo quæ interius latent, videri non possunt. Signanter autem dicit, *Quis hominum?* ne ab horum cognitione etiam Deus videatur excludi. Dicitur enim Hierem. XVII, 9 : *Pravum est cor hominis, et quis cognoscet illud? Ego Deo probans corda et scrutans renes* : quia scilicet secretorum cordis solus Deus est cognitor. Manifesta autem est ratio quare homo ea quæ in corde alterius latent, scire non potest : quia cognitio hominis a sensu accipitur; et ideo ea quæ sunt in corde alterius, homo cognoscere non potest nisi quatenus per signa sensibilia manifestantur, secundum illud I Reg. XVI, 7 : *Homo videt quæ foris patent, Deus autem intuetur cor.* Sed nec Angelus bonus nec malus ea quæ in corde hominis latent scire potest nisi inquantum per alios effectus manifestantur : cujus ratio accipi potest ex ipso verbo Apostoli, qui dicit ea ratione spiritum hominis cognoscere quæ in corde hominis latent, quia in ipso homine est. Angelus autem neque bonus neque malus illabitur menti humanæ, ut in ipso corde hominis sit, et intrinsecus operetur : sed hoc solius Dei proprium est : unde solus Deus est conscius secretorum cordis hominis, secundum illud Job XVI, 20 : *Ecce in cœlo testis meus, et in excelsis conscius meus.* Secundo similitudinem adaptat ad Spiritum Dei, dicens : *Ita et quæ Dei sunt*, idest quæ in ipso Deo latent, *nemo cognoscit nisi Spiritus Dei* : secundum illud Job XXXVI, 26 : *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram.* Sed sicut ea quæ sunt in corde unius hominis alteri manifestantur per sensibilia signa, ita ea quæ sunt Dei possunt esse nota homini

per sensibiles effectus, secundum illud Sap. xiii, 5 : *A magnitudine speciei et creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Sed Spiritus sanctus, qui est in ipso Deo, utpote Patri et Filio consubstantialis, secreta divinitatis per seipsum videt, secundum illud Sap. vii, 22 : *Est enim in illa*, scilicet Dei sapientia, *Spiritus intelligentiæ sanctus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens.* Deinde cum dicit, *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus*, ostendit quomodo cognitio Spiritus sancti percipiatur, dicens : Licet nullus hominum per se possit scire quæ sunt Dei; *nos autem*, Spiritu sancto scilicet repleti, *non accepimus spiritum hujus mundi, sed Spiritum qui a Deo est.* Nomine autem spiritus, vis quædam vitalis et cognitiva et motiva intelligitur. Spiritus ergo hujus mundi, potest dici sapientia hujus mundi, et amor mundi, quo impellitur homo ad agendum ea quæ mundi sunt. Hunc autem spiritum sancti Apostoli non receperunt, mundum abjicientes et contemnentes, sed receperunt Spiritum sanctum, quo corda eorum illuminata sunt et inflammata ad amorem Dei, secundum illud Joan. xiii, 26 : *Paraclytus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia* : et Numer. xiv, 24 : *Servum meum Caleb, qui plenus est alio spiritu, et secutus est me, introducam in terram hanc.* Spiritus autem hujus mundi errare facit, secundum illd Isa. xix, 3 : *Dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus, et consilium ejus præcipitabo.* Ex divino autem Spiritu ejus consecuti sumus *ut sciamus quæ a Deo data sunt nobis*, ut sciamus de rebus divinis quantum unicuique Deus donavit : quia, sicut dicitur Ephes. iv, 7, *unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Vel potest intelligi, Spiritum Dei donatum sanctis, ut dona spiritualia cognoscant, quæ non habentes eumdem Spiritum ignorant, secundum illud Apoc. ii, 17 : *Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo scit nisi qui accipit.* Ex hoc autem accipi potest quod sicut *nemo novit Patrem nisi Filius et cui voluerit Filius revelare*, ut dicitur Matth. xi; ita nemo novit quæ sunt Dei Patris et Filii, nisi Spiritus sanctus, et qui ipsum acceperunt; et hoc ideo quia sicut Filius consubstantialis est Patri, ita Spiritus sanctus Patri et Filio.

LECTIO III.

Quæ et loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei : stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia, et ipse a nemine judicatur : sicut scriptum est : Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis instruxit eum? Nos autem sensum Christi habemus.

Dixerat supra Apostolus : *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Postquam ergo manifestavit qualis sit hæc sapientia, quia mundanis hominibus incognita, cognita autem sanctis; hic manifestat qua ratione hanc sapientiam sancti inter perfectos loquuntur. Et primo proponit quod intendit; secundo assignat rationem, ibi, *Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.* Circa primum primo proponit revelatorum manifestationem, dicens : Dictum est, quod Spiritum Dei accepimus, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis : *quæ* scilicet nobis per Spiritum revelata sunt, *loquimur;* sunt enim eis revelata ad utilitatem; unde et Act. ii, 4, dicitur : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui.* Secundo tangit modum enarrandi, excludens modum inconvenientem, dicens : *Non in doctis humanæ sapientiæ verbis;* idest, non nitimur ad probandam nostram doctrinam per verba composita ex humana sapientia, sive quantum ad ornatum verborum, sive quantum ad subtilitatem rationum. Isa. xxxiii, 19 : *Populum alti sermonis non videbis.* Astruit autem [1] modum convenientem cum dicit : *Sed in doctrina Spiritus;* idest, prout Spiritus sanctus nos loquentes interius docet, auditorum corda ad capiendum illustrat. Joan. xvi, 13 : *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Tertio determinat auditores, dicens : *Spiritualibus spiritualia comparantes* : quasi dicat : Recta comparatione spiritualia documenta tradimus spiritualibus viris, quibus sunt convenientia. II Tim. xi, 2 : *Hæc commenda fidelibus viris, qui*

[1] Al. : « enim. »

idonei erunt et alios docere. Eosdem autem hic nominat spirituales quos supra perfectos : quia per Spiritum sanctum homines perficiuntur in virtute, secundum illud Psalm. xxxii, 6 : *Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

Deinde cum dicit, *Animalis homo*, etc., assignat rationem dictorum : et primo ostendit quare spiritualia non sunt tradenda animalibus hominibus; secundo quare sunt tradenda spiritualibus, ibi, *Spiritualis autem judicat omnia.* Circa primum duo facit. Primo ponit rationem; secundo manifestat eam, ibi, *Stultitia enim est illi.* Ratio ergo talis est. Nulli sunt tradenda documenta quæ capere non potest. Sed homines animales non possunt capere spiritualia documenta : ergo non sunt eis tradenda. Hoc est ergo quod dicit : *Animalis homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei.* Et ideo recta ratione non possunt tradi eis.

Ubi primo considerandum est quis homo dicatur animalis. Est ergo considerandum, quod anima est forma corporis. Unde propriæ animæ intelliguntur illæ vires quæ sunt actus corporalium organorum, scilicet vires sensitivæ. Dicuntur ergo homines animales qui hujusmodi vires sequuntur, inter quas est vis apprehensiva et appetitiva : et ideo potest dicit homo dupliciter animalis. Uno modo quantum ad vim apprehensivam : et hic dicitur animalis sensu, qui, sicut dicitur in *Glossa*, de Deo juxta corporum phantasiam vel legis litteram vel rationem philosophicam judicat, quæ secundum vires sensitivas accipiuntur. Alio modo dicitur quis animalis quantum ad vim appetitivam, quæ scilicet afficitur solum ad ea quæ sunt secundum appetitum sensitivum; et talis dicitur animalis vita, qui sicut dicitur in *Glossa*, sequitur dissolutam lasciviam animæ suæ, quam inter naturalis ordinis metas spiritus rector non continet. Unde dicitur in Canonica Judæ vers. xix, *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.*

Secundo autem videndum quare tales non possunt percipere ea quæ sunt Spiritus Dei : quod quidem manifestum est et quantum ad animalem sensum, et quantum ad animalem vitam. Ea enim de quibus Spiritus sanctus illustrat mentem sunt supra sensum, et rationem humanam, secundum illud Eccli. iii, 25 : *Plura supra sensum hominis ostensa sunt tibi* : et ideo ab eo capi non possunt qui soli cognitioni sensitivæ innititur. Spiritus etiam sanctus accendit affectum ad diligendum spiritualia bona, sensibilibus bonis contemptis; et ideo ille qui est animalis vitæ, non potest capere hujusmodi spiritualia bona : quia Philosophus dicit in IV *Ethic.* lect. xv, quod qualis unusquisque est, talis finis videtur ei. Prov. xviii, 2 : *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ei dixeris quæ versantur in corde ejus.* Eccli. xxii, 9 : *Cum dormiente loquitur qui narrat sapientiam stulto.*

Deinde cum dicit, *Stultitia enim est illi*, manifestat quod dixerat per signum : cum enim aliquis aliqua sapienter dicta reprobat quasi stulta, signum est quod ea non capiat. Quia igitur animalis homo ea quæ sunt Spiritus Dei reputat stulta, ex hoc manifestatur quod ea non capit : et hoc est quod dicit : *Stultitia enim est illi*, scilicet animali : judicat enim esse stulta quæ secundum Spiritum Dei aguntur. Eccle. x, 3 : *In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat.* Quod autem homini animali, quæ secundum spiritum sunt, videantur stulta, non procedit ex rectitudine sensus; sicut sapientes aliqua judicant esse stulta quæ stultis videntur sapientia; sed [1] propter defectum intellectus : quia homo sensui deditus non potest intelligere ea quæ supra sensum sunt; et homo carnalibus affectus non intelligit esse bonum nisi quod est delectabile secundum carnem : et hoc est quod sequitur : *Et non potest intelligere.* Psal. lxxxi, 5 : *Nescierunt neque intellexerunt : in tenebris ambulant.* Quare autem non possit intelligere, ostendit subdens : *Quia spiritualiter examinatur;* idest, spiritualium examinatio fit spiritualiter : nunquam enim inferior potest examinare et judicare ea quæ sunt superioris; sicut sensus non potest examinare ea quæ sunt intellectus : et similiter neque sensus : neque ratio humana potest judicare ea quæ sunt Spiritus Dei. Et ita relinquitur quod hujusmodi solo Spiritu sancto examinantur, secundum illud Psalm. xvii, 31, *Eloquia Domini igne examinata*, probata scilicet a Spiritu sancto. Quia ergo animalis homo caret

[1] In editis omittitur : « sed. » —

Spiritu sancto, non potest spiritualia examinare, et per consequens nec ea intelligere.

Deinde cum dicit, *Spiritualis autem judicat omnia*, assignat rationem quare spiritualibus spiritualia tradantur : et primo ponit rationem; secundo manifestat eam [1], ibi, *Quis enim novit sensum Domini*? Assignat autem talem rationem. Illi tradenda sunt spiritualia qui potest judicare : secundum illud Job. XII, 2 : *Auris verba dijudicat.* Sed spiritualis est hujusmodi; ergo ei spiritualia sunt tradenda. Et hoc est quod dicit : *Spiritualis autem judicat omnia, et ipse a nemine judicatur.*

Ubi primo videndum est quis homo dicatur spiritualis. Est autem notandum, quod spiritus nominare consuevimus substantias incorporeas. Quia igitur aliqua pars animæ est quæ non est alicujus organi corporei actus, scilicet pars intellectiva, comprehendens intellectum et voluntatem; hujusmodi pars animæ spiritus hominis dicitur : quæ tamen a Spiritu Dei et illuminatur secundum intellectum, et inflammatur secundum affectum et voluntatem. Dupliciter ergo dicitur homo spiritualis. Uno modo ex parte intellectus, Spiritu Dei illustrante : et secundum hoc in *Glossa* dicitur, quod homo spiritualis est qui Spiritui Dei subjectus certissime ac fideliter spiritualia cognoscit. Alio modo ex parte voluntatis, Spiritu Dei inflammante; et hoc modo dicitur in *Glossa*, quod spiritualis vita est quæ Spiritum Dei habens rectorem, animam regit, idest animales vires. Galat. ult. 1 : *Vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis.*

Secundo considerandum est quare spiritualis dijudicat omnia, et ipse a nemine judicatur. Ubi notandum est, quod in omnibus ille qui recte se habet, rectum judicium habet circa singula; ille autem qui in se rectitudinis defectum patitur, deficit etiam in judicando : vigilans enim recte judicat et se vigilare, et alium dormire : sed dormiens non habet rectum judicium de se nec de vigilante. Unde non sunt res tales quales videntur dormienti, sed quales videntur vigilanti. Et eadem ratio est de sano et infirmo circa judicium saporum; et de debili et forti circa judicium ponderum, et de virtuoso et vitioso circa agibilia. Unde et Philosophus dicit in V *Ethic.* lect. III, quod virtuosus est regula et mensura omnium humanorum; quia scilicet in rebus humanis talia sunt singularia, qualia virtuosos judicat ea esse : et secundum hunc modum Apostolus hic dicit *spiritualis judicat omnia*, quia scilicet homo habens intellectum illustratum et affectum ordinatum per Spiritum sanctum, de singulis quæ pertinent ad salutem rectum judicium habet. Ille autem qui non est spiritualis, habet etiam intellectum obscuratum, et affectum inordinatum circa spiritualia bona; et ideo ab homine non spirituali spiritualis homo judicari non potest, sicut nec vigilans a dormiente. Quantum ergo ad primum horum dicitur Sap. III, quod judicabunt justi nationes; quantum ad secundum dicitur infra IV, 3 : *Mihi pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die.*

Deinde cum dicit, *Quis enim novit sensum Domini*? manifestat rationem inductam : et primo inducit auctoritatem; secundo adaptat ad propositum, ibi, *Nos autem sensum Christum habemus.* Est autem considerandum, quod ad hoc quod aliquis possit de aliquo homine judicare, duo requiruntur. Primo ut judicans cognoscat ea quæ sunt judicati : quia, ut dicitur I *Ethic.* cap. III, unusquisque bene judicat quæ cognoscit, et horum est optimus judex. Ex quo patet quod sensum, idest sapientiam Dei omnia judicantem, nullus possit dijudicare : ideo dicit : *Quis enim novit sensum Domini*? quasi dicat, nullus : quia sapientia Dei excedit omnem capacitatem [2] hominis. Eccli I, 3 : *Sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigavit?* Sap. IX, 17 : *Sensum autem tuum quis scire poterit, nisi tu dederis sapientiam*? Secundo requiritur quod judicans sit superior judicato : unde dominus habet judicium de servo, magister de discipulo. Ex quo etiam patet quod nullus potest sensum Dei judicare : propter quod sequitur : *Aut quis instruxit eum?* quasi dicat, nullus. Non enim habet scientiam ab aliquo acceptam, sed potius fontem omnis scientiæ. Job XXVI, 3 : *Cui dedisti consilium? Forsitan ei qui non habet sapientiam*? Videntur autem verba hæc assumpta ex eo quod dicitur Isa. XL, 13 :

[1] Al. : « causam. »

[2] Al. : « cupiditatem. »

Quis adjuvit spiritum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit; et ostendit illi cum quo iniit consilium, et instruxit eum? Deinde adaptat quod dixerat ad propositum, dicens : *Nos autem*, scilicet spirituales viri, *sensum Christi habemus*, idest, recipimus in nobis sapientiam Christi ad judicandum. Eccli. XVI, 6 : *Creavit illis scientiam spiritus; sensu adimplevit corda illorum*. Luc. ultim. 45, dicitur quod *aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas*. Et ita, quia sensus [1] Christi dijudicari non potest, conveniens est quod spiritualis, qui sensum Christi habet, a nemine judicetur.

[1] Al. : « et ita quia sicut sensus. »

CAPUT TERTIUM

LECTIO I.

Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus : tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis ; sed nec nunc quidem potestas : adhuc enim carnales estis. Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis ? Cum enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli ; alius autem, Ego Apollo ; nonne homines estis ? Quid igitur est Apollo ? Quid vero Paulus ? Ministri ejus cui credidistis ; et unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit ; sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat sed qui incrementum dat Deus. Qui autem plantat et qui rigat, unum sunt.

Supra Apostolus ostenderat contentionem et divisionem Corinthiorum [1], qui propter ministros Christi, a quibus baptizati et docti erant, ad invicem disceptabant; hic incipit eorum judicium, quod habebant de ministris, improbare; ex quo judicio contentiones in eis procedebant : et circa hoc duo facit. Primo improbat eorum judicium, quantum ad hoc quod quibusdam ministrorum, de quibus gloriabantur, plus attribuebant quam deberent; secundo quantum ad hoc quod alios Christi ministros contemnebant, IV cap., ibi, *Sic nos existimet homo*. Circa primum duo facit. Primo ostendit detrimentum quod patiebantur propter contentiones ex perverso judicio provenientes; secundo improbat eorum perversum judicium, ibi, *Quid igitur est Apollo* ? Circa primum duo facit. Primo ponit detrimentum quod hactenus passi erant propter eorum defectum ; secundo ostendit quod adhuc idem patiuntur, ibi, *Sed nec nunc quidem potestis*. Circa primum tria facit. Primo ponit detrimentum quod hactenus passi erant propter eorum defectum. Dixerat enim supra, quod Apostoli quidem spiritualia documenta spiritualibus tradebant, quæ animales homines percipere non poterant; quod eis adaptat dicens : *Et ego fratres*, qui scilicet inter alios Apostolos spiritualibus spiritualia loquor, *non potuit*, scilicet convenienter, *vobis loqui quasi spiritualibus*, ut scilicet traderem vobis spiritualia documenta, *sed quasi carnalibus*, scilicet locutus sum vobis : eosdem enim carnales dicit quos supra animales, quibus oportet tradi ea quæ sunt infirmitati eorum accommodata. Isa. XXVIII, 9 : *Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum* ? *Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus*, idest a carnali conversatione et sensu. Secundo adhibet similitudinem, dicens : *Tamquam parvulis in Christo*, idest parum adhuc introductis in perfectam doctrinam fidei, quæ spiritualibus debetur. Hebr. V, 13 : *Omnis qui lactis est particeps, expers est sermonum justitiæ, parvulus enim est*; *perfectorum autem est solidus cibus*. Tertio rationem assignat, ne credatur ex invidia eis spiritualem doctrinam subtraxisse ; contra quod dicitur Sap. VII, 13 : *Quam sine fictione didici, et sine invidia communico*. Unde subditur : *Nondum enim poteratis;* quasi dicat : Non subtraxi vobis escam propter meam invidiam [2], sed propter vestram impotentiam : quia verba spiritualia *nondum* bene *poteratis* capere, secundum illud Joan. XVI, 12 : *Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo*. Deinde cum dicit, *Sed nec nunc quidem potestis*, ostendit quod adhuc idem detrimentum patiuntur : et primo quidem ponit impotentiam cui adhuc subjacebant, dicens : *Sed nec nunc quidem potestis*; quasi dicat : Quod a principio perfectam doctrinam capere non poteratis, non mirum fuit : quia hoc vestræ [3] novitati competebat, secundum illud I Petr. II, 2 : *Sicut modo geniti infantes lac concupiscite*. Sed hoc videtur esse culpabile quod post tantum tempus in quo proficere debuistis, eamdem impo-

[1] Al. : « ostenderat errorem Corinthiorum »

[2] Al. deest : « invidiam. » — [3] Al. : « quia hoc nescire. »

tentiam retinetis, secundum illud Hebr. v, 12 : *Cum deberetis magistri esse propter tempus, rursus indigetis doceri quæ sunt elementa sermonum Dei.* Secundo assignat prædictæ impotentiæ rationem, dicens : *Adhuc enim carnales estis*, scilicet vita et sensu ; et ideo ea quæ sunt spiritus, capere non potestis; sed sapitis ea quæ sunt carnis, secundum illud Rom. xviii, 5 : *Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt.* Tertio ponit rationem probationis inductæ, dicens : *Cum enim inter vos sit zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?*

Ubi considerandum est, quod recte conjungit zelum et contentionem : quia zelus, idest invidia, est contentionis materia : invidus enim tristatur de bono alterius quod ille nititur promovere, et ex hoc sequitur contentio. Unde Jacob, iii, 16 : *Ubi zelus et contentio, ibi inconstantia, et omne opus pravum.* Et similiter e converso caritas, per quam quis diligit bonum alterius, est materia pacis. Secundo considerandum est, quod zelus et contentio non habent locum nisi in carnalibus hominibus : quia ipsi ad bona [1] corporalia afficiuntur, quæ simul a pluribus integre possideri non possunt : et ideo propter hoc quod aliquis aliquod bonum corporale possidet, alius impeditur a plena possessione illius; et ex hoc sequitur invidia, et per consequens contentio. Sed spiritualia bona quibus [2] spirituales afficiuntur, simul a pluribus possideri possunt : et ideo bonum unius non est alterius impedimentum : et propter hoc in talibus nec invidia nec contentio locum habet. Unde Sap. vii, 13 : *Sine invidia communico.* Tertio considerandum est, quare homines carnales [3] dicit secundum hominem ambulare, cum tamen homo ex spiritu et carne componatur. Quia naturæ humanæ consonum est ut spiritus cognitionem a sensibus carnis accipiat : unde consequenter affectus rationis humanæ secundum ea quæ sunt carnis, movetur, nisi spiritus hominis per Spiritum Dei supra hominem elevetur. Unde dicitur Eccli. xxxiv, 6 : *Sicut parturientis cor tuum phantasias patitur, nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio.* Est ergo sensus. *Secundum hominem*, idest secundum naturam humanam sibi a Dei Spiritu derelictam ; sicut et in Psalm. iv, 3, dicitur : *Filii hominum usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Quarto manifestat probationem inductam, dicens : *Cum enim quis*, idest aliquis vestrum, *dicit, Ego quidem sum Pauli*, quia a Paulo baptizatus et doctus ; *alius autem, Ego Apollo*, genitivi casus; per quod denotatur in vobis esse zelus et contentio ; *nonne homines estis*, scilicet carnales et non spirituales, utpote zelum et contentionem habentes pro rebus humanis? Qualis enim homo est, talibus rebus afficitur et per affectum inhæret, secundum illud Oseæ ix, 10 : *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.*

Deinde cum dicit, *Quid igitur est Apollo?* improbat eorum judicium, quantum ad hoc quod plus ministris attribuebant quam deberent : et primo ostendit veritatem; secundo excludit errorem, ibi, *Nemo vos seducat*; tertio infert conclusionem intentam, ibi, *Itaque nemo glorietur in hominibus.* Circa primum duo facit. Primo ostendit conditionem ministrorum; secundo agit de eorum mercede, ibi, *Unusquisque propriam mercedem accipiet.* Circa primum tria facit. Primo ponit ministrorum conditionem; secundo ponit similitudinem, ibi, *Ego plantavi, Apollo rigavit*; tertio ostendit intentum, ibi, *Itaque neque qui plantat.* Circa conditionem autem ministrorum duo tangit. Primo quod non sunt domini, sed ministri, dicens : Vos de Paulo et de Apollo gloriamini. Igitur quæro a vobis : *Quid est Apollo, et quid Paulus*, idest cujus dignitatis vel potestatis, ut digne de eis gloriari possitis? Et respondet : *Ministri ejus*, scilicet Dei, sunt; quasi dicat : Quod agunt in baptismo et in doctrina, non principaliter agunt sicut domini, sed sicut ministri ejus, secundum illud Isa. lxi, 6 : *Ministri Dei, dicetur vobis.* Posset autem alicui videri magnum esse, ministrum Dei esse, et gloriandum esse in hominibus de ministerio Dei. Et vere esset, si sine hominibus non pateret accessus ad Deum : sicut illi qui solent gloriari de ministris regis, sine quibus non patet aditus ad regem. Sed hoc hic locum non habet, quia fideles Christi per fidem habent acessum ad Deum, secundum illud Rom. v, 2 : *Per quem accessum habemus ad Deum per fidem et gratiam istam in qua stamus, et gloriamur in spe*

[1] Al. : « circa bona. » — [2] Al. : « ad quæ. » — [3] Al. omittitur : « carnales. »

gloriæ filiorum Dei. Ideo signanter addit, *Cui credidistis*; quasi dicat : Per fidem jam istis conjuncti Deo, non hominibus. Unde supra II, 5, dictum est : *Ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*. Et ideo primo de Deo est vobis gaudendum quam de hominibus. Contingit autem quod ministri hominum, vel dominorum vel artificum, primo habeant a seipsis aliquam dignitatem vel virtutem, ex qua idonei ad ministerium fiunt; sed hoc non est de ministris Dei : et ideo secundo ostendit quod tota dignitas et virtus ministrorum est a Deo, dicens : *Et unicuique sicut Deus divisit*; quasi dicat : Intantum aliquis, et unusquisque nostrum habet de virtute ministrandi, inquantum ei Deus dedit : unde nec sic nobis est gloriandum. II Corinth. III, 5 : *Sufficientia nostra a Deo est, qui idoneos nos fecit ministros novi testamenti*.

Deinde cum dicit, *Ego plantavi*, ponit similitudinem ministrorum ex similitudine agricolarum : ubi duplex differentia operationum intelligitur. Una operationis unius ministri ad operationem alterius; et quantum ad hoc dicit : *Ego plantavi*; idest, in prædicatione ad modum plantantis me habui, quia scilicet primo vobis prædicavi fidem. Isa. LI, 16 : *Posui verba mea in ore tuo, ut plantes cælos*. *Apollo rigavit*; idest, ad modum rigantis se habuit, qui aquam plantis exhibet ad hoc ut nutriantur et crescant. Et similiter legitur Actor. XVIII, quod cum Paulus multos Corinthiorum convertisset, supervenit Apollo, qui multum contulit his qui crediderunt, publice ostendens per Scripturam esse Jesum Christum. Eccli. XXIV, 42, dicitur : *Rigabo hortum meum plantationum*. Secunda differentia est operationis ministrorum, qui exterius operantur plantando et rigando, ad operationem Dei, qui interius operatur : unde subdit : *Sed Deus incrementum dedit*, interius scilicet operando. II Corinth. IX, 10 : *Augebit incrementa frugum justitiæ vestræ*. Sic etiam in rebus corporalibus plantantes et rigantes exterius operantur; sed Deus operatur interius per operationem naturæ ad incrementa plantarum.

Deinde cum dicit, *Itaque neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid*, infert de præmissis duas conclusiones : quarum primam infert secundum comparationem ministrorum ad Deum, dicens : Ex quo Paulus plantavit et Apollo rigavit, non sunt nisi ministri Dei, et non habent aliquid nisi a Deo, et non operantur nisi exterius, Deo interius operante. *Itaque neque qui plantat est aliquid*, scilicet principaliter et magnum, de quo sit gloriandum; *neque qui rigat*; *sed qui incrementum dat Deus* : ipse enim per se est aliquid principale et magnum, de quo est gloriandum : actio enim non attribuitur instrumento, cui comparatur minister, sed principali agenti. Unde Isa. XL, 17, dicitur : *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo*. Secundam conclusionem infert pertinentem ad comparationem ministrorum ad invicem, dicens : *Qui plantat autem et qui rigat*, cum sint ministri Dei, et nihil nisi a Deo habentes, et solum exterius operantes, *unum sunt*, ex conditione naturæ et ministerii ratione, quia scilicet non potest unus alteri præferri nisi secundum donum Dei; et ita, quantum in se ipsis est, unum sunt. Et quia consequenter in intentione ministrandi Deo unum sunt per concordiam voluntatis, ideo stultum est de his qui unum sunt dissentire. Psal. CXXXII, 1 : *Ecce quam bonum et quam jucundum*[1] *habitare fratres in unum*. Rom. XI, 5 : *Multi unum corpus sumus in Christo*.

LECTIO II.

Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem : Dei enim sumus adjutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. Secundum gratiam Dei quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui; alius autem superædificat. Unusquisque autem videat quomodo superædificet : fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam; uniuscujusque opus manifestum erit : dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur; et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet : si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.

Supra Apostolus ostendit qualis sit conditio ministrorum; hic agit de remu-

[1] Al. : « ecce quam jucundum, etc. »

neratione eorum : et primo agit [1] de mercede bonorum ministrorum ; secundo agit de punitione malorum, ibi, *Nescitis quia templum Dei estis?* Circa primum tria facit. Primo promittit ministris mercedem propriam ; secundo rationem assignat, ibi, *Dei enim sumus adjutores* ; tertio agit de diversitate mercedis, ibi, *Secundum gratiam Dei.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod neque qui plantat est aliquid neque qui rigat ; non tamen inutiliter plantat vel rigat ; sed *unusquisque propriam* [2] *mercedem accipiet secundum suum laborem.* Quamvis enim qui incrementum dat, sit Deus, et ipse solus interius operetur ; exterius tamen laborantibus mercedem tribuit ; secundum illud Hierem. XXXI, 16 : *Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis, quia merces est operi tuo.* Quæ quidem est ipse Deus, secundum illud Genes. XV, 1 : *Ego protector tuus sum, et merces tua multa nimis*, pro qua mercede laborantes mercenarii laudantur, secundum illud Luc. XV, 17 : *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus!* Alioquin si pro alia mercede in opere Dei aliquis laborat, laudandus non est, secundum illud Joan. X, 12 : *Mercenarius autem, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem et fugit.* Hæc autem merces et communis est omnibus, et propria singulorum : communis quidem, quia idem est quod omnes videbunt et quo omnes fruentur, scilicet Deus, secundum illud Job XXII, 26 : *Super Omnipotentem deliciis afflues, et levabis ad Deum faciem tuam* : Isa. XXVIII, 5 : *In illa die erit Dominus exercituum corona gloriæ et sertum exultationis populo suo* : et ideo Matth. XX, omnibus laborantibus in vinea datur unus denarius ; propria vero merces erit singulorum, quia unus alio clarius videbit et plenius fruetur, secundum determinatam sibi mensuram. Unde et Daniel. XII, 3, illi qui docti sunt, comparantur splendori firmamenti : *qui ad justitiam erudiunt plurimos, quasi stellæ.* Hinc est quod Joan. XIV, 2, dicitur : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* : propter quod etiam hic dicitur : *Unusquisque propriam mercedem accipiet.* Ostendit autem secundum quid attendatur mensura propriæ mercedis, cum subdit, *Secundum suum laborem.* Unde et in Psalm. CXXVII, 2, dicitur : *Labores manuum tuarum quia manducabis ; beatus es, et bene tibi erit.* Non tamen per hoc designatur æqualitas secundum quantitatem laboris ad mercedem [3] : quia, ut dicitur II Corinth. IV, 17, *quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in nobis.* Sed æqualitatem designat proportionis ; ut scilicet ubi est potior labor, ibi sit potior merces. Potest autem intelligi labor esse potior tripliciter. Primo quidem secundum formam caritatis, cui respondet merces essentialis præmii, scilicet fruitionis et visionis divinæ [4] : unde dicitur Joan. XIV, 21 : *Qui diligit me, diligetur a Patre meo ; et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Unde qui ex majori caritate laborat, licet minorem laborem patiatur, plus de præmio essentiali accipiet. Secundo ex specie operis : sicut enim in rebus humanis ille magis præmiatur qui in digniori opere laborat, sicut architector quam artifex manualis, licet minus laboret corporaliter ; ita etiam in rebus divinis ille qui in nobiliori opere occupatur, majus præmium accipiet quantum ad aliquam prærogativam præmii accidentalis, licet forte minus corporaliter laboret : unde aureola datur doctoris, virginibus et martyribus. Tertio ex quantitate laboris : quod quidem contingit dupliciter. Nam quandoque major labor majorem mercedem meretur, præcipue quantum ad remissionem pœnæ : puta quod diutius jejunat, vel longius peregrinatur ; et etiam quantum ad gaudium quod percipiet de majori labore : unde Sap. X, 17, dicitur : *Reddidit Deus* scilicet justis *mercedem laborum suorum.* Quandoque vero est major labor ex defectu voluntatis : in his enim quæ propria voluntate facimus, minorem laborem sentimus. Et talis magnitudo laboris non augebit, sed minuet mercedem : unde dicitur Isa. XL, 31 : *Assument pennas ut aquilæ ; current, et non laborabunt ; volabunt, et non deficient* : et ibi præmittitur : *Deficient pueri et laborabunt.*

Deinde cum dicit, *Dei enim sumus* ; assignat rationem ejus quod dixerat : et primo ponit rationem ; secundo adhibet similitudinem, ibi, *Dei agricultura estis.* Dicit ergo primo : Recte quilibet nostrum

[1] Al. : « ponit. » — [2] Al. *suam propriam.*
[3] Al. : « æqualitas laboris ad mercedem. » —
[4] Al. omittitur : « præmii, scilicet fruitionis, et visionis divinæ. »

mercedem accipiet : *Dei enim sumus adjutores*, scilicet secundum nostros labores.

Contra quod videtur esse quod Job. XXVI, 2 : *Cujus adjutores? Numquid imbecillis?* et Psalm. XL, 13 : *Quis adjuvit Spiritum Domini?*

Dicendum est autem, quod dupliciter aliquis alium adjuvat. Uno modo augendo ejus virtutem ; et sic nullus potest esse Dei adjutor : unde et post præmissa verba Job subditur : *Et sustentas brachium ejus qui non est fortis?* Alio modo obsequendo operationi alterius : sicut si minister dicatur domini adjutor, inquantum exequitur opus ejus, aut ministerium artificis ; et hoc modo ministri Dei sunt ejus adjutores, secundum illud II Corinth. VI, 1 : *Adjuvantes autem exhortamur*. Sicut ergo ministri hominum exequentes eorum opera, mercedem ab eis accipiunt secundum suum laborem, ita et minister Dei.

Secundo adhibet similitudinem simplicis operis, scilicet agriculturæ et ædificationis. Populus quidem fidelis ager est, a Deo cultus, inquantum per operationem divinam fructum boni operis Deo acceptum producit [1], secundum illud Rom. VII, 4 : *Sitis alterius, qui a mortuis resurrexit, ut fructificetis Deo* : et Joan. XV, 1, dicitur : *Pater meus agricola est*. Et hoc est quod primo dicitur : *Dei agricultura estis*, idest quasi ager a Deo cultus, et fructum ferens ejus opere ; et populus fidelis est quasi domus a Deo ædificata, inquantum scilicet Deus in eis habitat ; secundum illud Ephes. II, 22 : *Et vos coædificamini in habitaculum Dei*. Et ideo secundo dicitur : *Dei ædificatio estis*, idest ædificium a Deo constructum, secundum illud Psal. CXXVI, 1 : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam*. Sic igitur ministri Dei sunt adjutores, inquantum laborant in agricultura et ædificatione fidelis populi.

Deinde cum dicit, *Secundum gratiam Dei*, agit de diversitate mercedis : et quia merces distinguitur secundum distinctionem laboris, ut dictum est ; ideo primo agit de diversitate laboris ; secundo de diversitate mercedis, ibi, *Si quis superædificat*. Circa primum duo facit. Primo ponit distinctionem laborum ; secundo subjungit admonitionem, ibi, *Unusquisque autem videat quomodo superædificet*. Circa primum duo facit. Primo, relicta similitudine agriculturæ, quam supra prosecutus fuerat, sub similitudine ædificationis suum proprium laborem describit, dicens : *Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui*. Ubi considerandum est, quod architectus dicitur principalis artifex, et maxime ædificii, ad quem pertinet comprehendere summam dispositionem totius operis, quæ perficitur per operationem manualium artificum : et ideo dicitur sapiens in ædificio qui simpliciter sapiens est [2] quia summam causam cognoscit, scilicet Deum, et alios secundum Deum ordinat. Ita sapiens in ædificio dicitur qui principalem causam ædificii, scilicet finem considerat, et ordinat inferioribus artificibus quod si propter finem agendum. Manifestum est autem quod tota structura [3] ædificii ex fundamento dependet ; et ideo ad sapientem architectum pertinet idoneum fundamentum collocare. Ipse autem Paulus fundamentum spiritualis ædificii collocavit Corinthiis : unde supra dixit, *Ego plantavi* : sicut enim se habet fundamentum in ædificio, sic plantatio in plantis : per utrumque enim significatur spiritualiter prima prædicatio fidei : unde et ipse dicit Rom. XV, 20 : *Sic autem prædicavi Evangelium, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem* : et ideo se comparat sapienti architecto. Hoc autem non suæ virtuti attribuit, sed gratiæ Dei ; et hoc est quod dicit : *Secundum gratiam Dei quæ data est mihi*, qui scilicet me aptum et idoneum ad hoc ministerium fecit. Infra XV, 10 : *Abundantius omnibus laboravi ; non autem ego, sed gratia Dei mecum*. Secundo describit laborem aliorum, dicens : *Alius autem*, idest quicumque inter vos laborat, *superædificat* fundamento a me posito : quod quidem potest ad duo referri. Uno quidem modo inquantum aliquis superædificat fidei in seipso fundatæ profectum caritatis et bonorum operum. I Pet. II, 5 : *Et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini*. Alio modo ad doctrinam, qua quis fundatam fidem in aliis [4] perfectius manifestat : unde Hier. I, 10, dicitur : *Ut ædifices et plantes* :

[1] Al. : « Deo producunt. » — [2] Al. : « quia simpliciter sapiens est qui, etc. »

[3] Al. : « substantia. » — [4] Al. : « quam quis fundatam in aliis. »

et secundum hoc idem significat hæc superædificatio quod supra rigatio. Deinde cum dicit, *Unusquisque autem videat quomodo superædificet*, subjungit monitionem, dicens : Dictum est, quod ad alios pertinet superædificare : *unusquisque autem videat*, idest diligenter attendat, *quomodo superædificet*, idest qualem doctrinam fidei fundatam in aliis superaddat vel qualia opera fidei in se fundatæ habeat [1]. Prov. iv, 25 : *Oculi tui videant recta, et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Secundo respondet tacitæ quæstioni, quare scilicet admoneat de superædificatione, et non de fundatione; vel potius assignat rationem quare dixerit quod ad alios pertinet superædificare, dicens : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est*, scilicet a me, *quod est Jesus Christus*, qui habitat in cordibus vestris per fidem, ut dicitur Ephes. iii. Et de fundamento dicitur Isa. xxviii, 16 : *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem, probatum, pretiosum, in fundamento fundatum.*

Sed contra videtur esse quod dicitur Apoc. xxi, 14 : *Murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina Apostolorum.* Non ergo solus Christus est fundamentum.

Dicendum est autem, quod duplex est fundamentum. Unum quidem quod per se habet soliditatem, sicut rupes aliqua, supra quam ædificium construitur; et huic fundamento Christus comparatur : ipse enim est petra, dicitur Matth. vii, 25 : *Fundata enim erat supra firmam petram.* Aliud est fundamentum quod habet soliditatem non ex se, sed ex alio solido subjecto, sicut lapides qui primo superponuntur petræ solidæ; et hoc modo dicuntur Apostoli esse fundamentum Ecclesiæ, quia ipsi primo superædificati sunt Christo per fidem et caritatem : unde dicitur Eph. ii, 20 : *Superædificati supra fundamentum Apostolorum.*

Deinde cum dicit, *Si quis superædificat* etc., agit de mercedis differentia quantum ad hoc quod quidam eam accipiunt sine detrimento, quidam cum detrimento : et circa hoc tria facit. Primo docet quod diversitas operationum manifestatur ex retributione : secundo ostendit quando manifestatur, ibi, *Dies enim Domini declarabit*; tertio ostendit quomodo manifestatur, ibi, *Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet.*

Circa primum considerandum est, quod Apostolus intendens ostendere diversitatem superædificationis, sex ponit; videlicet tria contra tria : ex una quidem parte aurum, argentum et lapides pretiosos; et ex alia parte lignum, fenum et stipulam : quorum tria, scilicet aurum, argentum et lapides pretiosi, habent quamdam inclytam claritatem, simul et inconsumptibilitatem et pretiositatem; alia vero tria obscura sunt, et facile ab igne consumuntur et vilia sunt. Unde per aurum, argentum et lapides pretiosos intelligitur aliquid præclarum et stabile; per lignum vero, fenum et stipulam aliquid materiale et transitorium. Dictum est autem supra, quod superædificatio potest intelligi et quantum ad opera quæ unusquisque superædificat fidei fundamento, et quantum ad doctrinam quam aliquis doctor vel prædicator superædificat in fundamento fidei ab Apostolo fundatæ. Unde ista diversitas quam hic Apostolus tangit, ad utramque superædificationem referri potest. Quidam ergo referentes hæc ad superædificationem operum dixerunt, quod per aurum et argentum et lapides pretiosos intelliguntur bona quæ quis fidei superaddit; sed per lignum, fenum et stipulam debent intelligi peccata mortalia, quæ quis facit post fidem susceptam. Sed ista expositio penitus stare non potest. Primo quidem quia peccata mortalia sunt opera mortua, secundum illud Hebr. ix, 14 : *Mundabit conscientias nostras ab operibus mortuis.* In hoc autem ædificio nihil ædificatur nisi vivum secundum illud I Petr. ii, 5 : *Et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini.* Unde qui cum fide habet peccata mortalia non superædificat, sed magis destruit vel violat : contra quem dicitur infra eodem : *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Secundo, quia peccata mortalia magis comparantur ferro vel plumbo vel lapidi, tum propter gravitatem, tum quia etiam non renovantur per ignem, sed semper in eo manent in quo sunt; peccata vero venialia comparantur ligno, feno et stipulæ, tum propter levitatem, tum etiam quia ab eis aliquis de facili expurgatur per ignem. Tertio, quia secundum hanc expositio-

[1] Al. deest : « habeat. »

nem videtur sequi quod illi qui moritur in peccato mortali, dummodo fidem retineat, finaliter salutem consequatur, licet primo aliquas pœnas sustineat : sic enim sequitur : *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur ; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* : quod quidem contrariatur manifeste sententiæ Apostoli, qua dicitur infra VI, 9 : *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt* : et Galat. V, 21 : *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Non est autem alicui salus nisi in regno Dei : nam qui ab eo excluduntur, mittuntur in ignem æternum, ut dicitur Matth. XXV. Quarto, quia fides non potest dici fundamentum nisi quia per eam [1] Christus habitat in nobis, cum supra dictum sit, quod fundamentum est ipse Christus Jesus : non enim habitat Christus in nobis per fidem informem ; alioquin habitaret in dæmonibus, de quibus scriptum est Jacob. II, 19 : *Et dæmones credunt et contremiscunt.* Unde quod dicitur Ephes. III, 17, *Habitare Christum per fidem in cordibus nostris*, oportet intelligi de fide per caritatem formata, cum scriptum sit, I Joan. IV, 16 : *Qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo.* Hæc est fides quæ per dilectionem operatur, ut dicitur infra XIII, 4 : *Caritas non agit perperam.* Unde manifestum est quod illi qui operantur peccata mortalia, non habent fidem formatam, et ita non habent fundamentum. Oportet ergo intelligere quod tam ille qui superædificat fundamento aurum, argentum, lapides pretiosos quam etiam ille qui superædificat lignum, fenum, stipulam, vitet peccata mortalia.

Ad horum ergo distinctionem intelligendum est quod actus humani ex objectis speciem habent. Duplex est autem objectum humani actus : scilicet res spiritualis, et res corporalis : quæ quidem objecta differunt tripliciter. Primo quidem quantum ad hoc quod res spirituales sunt perpetuæ, res autem corporales sunt transitoriæ : unde II Corinth. IV, 18 : *Quæ videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna.* Secundo quantum ad hoc quod res spirituales in seipsis claritatem habent secundum illud Sap. VI, 13 : *Clara est et quæ nunquam marcescit, sapientia.* Res corporales obscuritatem habent ex materia : unde dicitur Sap. II, 25 : *Umbræ transitus est tempus nostrum.* Tertio quantum ad hoc quod res spirituales sunt pretiosiores et nobiliores rebus corporalibus : unde Prov. III, 15, dicitur de sapientia : *Pretiosior est cunctis opibus* : et Sap. VII, 9 : *Omne aurum in comparatione illius arena est exigua ; et tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* Et ideo opera quibus homo innititur rebus spiritualibus et divinis, comparantur auro, argento et lapidi pretioso, quæ sunt solida, clara et pretiosa ; ita tamen quod per aurum designentur ea quibus homo tendit in ipsum Deum per contemplationem et amorem : unde dicitur Cant. V, 11 : *Caput ejus aurum optimum* ; caput enim Christi est Deus, ut dicitur infra XI, de quo auro auro dicitur Apoc. III, 18 : *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum* ; idest sapientiam cum caritate. Per argentum significantur actus quibus homo adhæret spiritualibus credendis et amandis et contemplandis : unde in *Glossa* refertur argentum ad dilectionem proximi : propter quod et in Psalm, LXVII, pennæ columbæ describuntur deargentatæ, cujus superior pars, idest posteriora, describuntur esse in pallore auri. Sed per lapides pretiosos designantur opera diversarum virtutum, quibus anima humana ornatur : unde dicitur Eccle, L, 10 : *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Vel etiam mandata legis Dei secundum illud Psalm. CXVIII, 127 : *Dilexi mandata tua super aurum et topazion.* Opera vero humana quibus homo intendit rebus corporalibus procurandis, comparatur stipulis, quæ viles sunt, namque fulgent et facile comburuntur [2] ; habent tamen quosdam gradus, prout quædam sunt aliis stabiliora, quædam vero facilius consumptibilia. Nam ipsi homines inter creaturas carnales et digniores [3] sunt, et per successionem conservatur : unde comparatur lignis, secundum illud Judic. IX, 8 : *Ierunt ligna silvarum ut eligerent super se regem.* Caro autem hominis facilius corrumpitur per infirmitatem

[1] Al. : « nisi per quam Christus habitat, etc. » — [2] Al. : « opera vero humana quibus homo intendit rebus corporalibus, habent quosdam gradus, etc. » inermediis omissis. — [3] Al. : « et ad digniores.

et mortem : unde comparatur feno, secundum illud Isa. XLIX, 6 : *Omnis caro fenum.* Ea vero quæ pertinent ad gloriam hujus mundi, facillime transeunt, unde stipulæ comparantur : unde in Psalm. LXXXII, 14 : dicitur : *Pone illos ut rotam, et ut stipulam ante faciem venti.* Sic ergo superædificare aurum et argentum et lapides pretiosos, est superædificare fidei fundamento ea quæ pertinent ad contemplationem sapientiæ divinorum, et amorem Dei, et devotionem sanctorum, et obsequium proximorum et ad exercitium virtutum ; superædificare vero lignum, fenum et stipulam, est superaddere fidei fundamento ea quæ pertinent ad dispositionem humanarum rerum, et ad curam carnis [1] et ad exteriorem gloriam.

Sciendum tamen, quod contingit aliquem hominem id intendere tripliciter. Uno modo ita quod in his finem constituat : et cum hoc sit peccatum mortale, per hoc homo non superædificat, sed e converso, fundamento aliud fundamentum collocat : nam finis est fundamentum in rebus appetibilibus, quæ quæruntur propter finem. Alio modo aliquis intendit prædictis rebus, ut totaliter ordinans eas in Dei gloriam : et quia opera specificantur ex fine intento, hoc jam non erit ædificare lignum, fenum et stipulam ; sed aurum et argentum et lapides pretiosos. Tertio modo aliquis, licet in his finem non constituat, nec vellet propter ista contra Deum facere : afficitur tamen istis [2] magis quam deberet, ita quod per hæc retardetur ab his quæ Dei sunt : quod est peccare venialiter : et hoc proprie est superædificare lignum, fenum, stipulam ; non quia ipsa superædificentur proprie loquendo, sed quia opera ad temporalium curam pertinentia habent venialia adjuncta propter vehementiorem affectum ad ipsa : quæ quidem affectio secundum quod magis et minus inhæret, ligno, feno et stipulæ comparatur. Et dupliciter potest distingui. Uno modo secundum permanentiam rerum spiritualium, ut prius dictum est ; alio modo secundum vehementiam adhæsionis. Sciendum tamen, quod et illi qui spiritualibus rebus intendunt, non omnino possunt absolvi a cura rerum temporalium, nec etiam qui in caritate rebus temporalibus intendunt [3] sunt omnino a rebus spiritualibus vacui : sed studio diversificantur : nam quidam studium vitæ suæ ordinant ad spiritualia : temporalibus vero non intendunt, nisi inquantum requirit necessitas corporalis vitæ ; quidam vero studium vitæ suæ applicant ad temporalia procuranda, utuntur tamen spiritualibus rebus ad directionem vitæ suæ. Primi igitur superædificant aurum, argentum, et lapides pretiosos ; secundi vero superædificant fenum, lignum, et stipulam. Ex quo patet quod illi qui superædificant aurum, argentum et lapides pretiosos, habent aliquid de peccatis venialibus, sed non in quantitate notabili, propter hoc quod modicum attingunt de cura temporalium rerum ; illi etiam qui superædificant lignum, fenum, stipulam, habent aliquid stabile pretiosum et præclarum, sed in minori quantitate, scilicet quantum diriguntur per bona spiritualia. Potest autem et hæc diversitas referri ad superædificationem doctrinæ. Nam illi qui fidei ab Apostolis fundatæ, per suam doctrinam superædificant solidam veritatem et claram, sive manifestam et ad ornamentum Ecclesiæ pertinentem, superædificant aurum, argentum lapides pretiosos : unde Pro. x, 20 : *Argentum electum labia justi* : illi vero qui fidei ab Apostolis fundatæ superaddunt in doctrina sua aliqua inutilia [4], et quæ non sunt manifesta, nec veritatis ratione firmantur, sed sunt vana et inania ; superædificant lignum, fenum, stipulam : unde dicitur Hier. XXIII, 28 : *Qui habet somnium, narret somnium ; et qui habet sermonem meum loquatur sermonem meum vere. Quid paleis ad triticum* ? Qui vero falsitatem doceret, non superædificaret, sed magis subverteret fundamentum.

Dicit ergo : *Si quis superædificat*, vel operando vel docendo, *super fundamentum hoc*, idest super fidem formatam in corde, vel super fidem fundatam ab Apostolis et prædicatam, *aurum, argentum, aut lapides pretiosos*, id est spiritualia opera, vel præclaram doctrinam, vel *lignum, fenum, stipulam* ; idest corporalia opera, vel frivolam doctrinam ; *uniuscujusque opus manifestum erit*, scilicet in divino judicio, quale sit : non enim latet per humanam ignorantiam. Nam quidam videntur superædificare aurum, argentum, lapidem pretiosum : qui tamen su

[1] Al. : « et ad onera carnis. » — [2] Al. : « ad ista. » — [3] Al. : « qui in caritate rerum temporalium intendunt. » — [4] Al. : « utilia. »

peraedificant lignum, fenum, stipulam, in rebus spiritualibus corporalia meditantes, puta lucrum vel favorem humanum. Quidam vero videntur superædificare lignum, fenum, stipulam; qui tamen ædificant aurum, argentum et lapidem pretiosum, quia in administratione temporalium nihil nisi spiritualia cogitant. Unde et Sophon. I, 12, dicitur : *Scrutabor Hierusalem in lucernis.* et Luc. XII, 2 : *Nihil opertum quod non reveletur.*

Deinde cum dicit, *Dies enim Domini declarabit*, ostendit quando hæc manifestantur : et primo ponit tempus manifestationis, cum dicit : *Dies enim Domini declarabit.* Circa quod sciendum est, quod tunc dicitur esse tempus et dies alicujus rei quando est in optimo statu, et maximo sui posse; unde Eccle. III, 1; dicitur : *Omnia tempus habent.* Quando ergo homo suam voluntatem implet, etiam contra Deum, tunc est dies hominis : unde dicitur Hier. XVII, 16 : *Diem hominis non desideravi, tu scis.* Dies vero Domini dicitur quando voluntas Domini completur de hominibus qui per ejus justitiam vel præmiabuntur vel damnabuntur, secundum illud Psal. LXXIV, 3 : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Unde secundum triplex Dei judicium tripliciter potest intelligi dies Domini. Erit enim quoddam judicium generale omnium, secundum illud Matth. XII, 41 : *Viri Ninivitæ surgent in judicio* : et secundum hoc dies Domini dicitur novissimus dies judicii, de quo II Thess. II, 2 : *Non terreamini, quasi instet dies Domini.* Et secundum hoc intelligitur, *Dies Domini declarabit* : quia in die judicii manifestabitur differentia humanorum meritorum. Rom. II, 16 : *In die quando judicabit Dominus occulta hominum.* Aliud autem est particulare judicium quod fit de unoquoque in morte ipsius, de quo habetur Luc. XVI, 22 : *Mortuus est dives et sepultus est in inferno; mortuus est autem mendicus, et portatus est ab Angelis in sinum Abrahæ.* Et secundum hoc dies Domini potest intelligi dies mortis, secundum illud I Thess. V, 2 : *Dies Domini sicut fur in nocte ita* [1] *veniet.* Sic ergo dies Domini declarabit, quia in morte uniuscujusque, ejus merita patent : unde dicitur Prov. XI, 7 : *Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes.* et ibidem XIV, 7 : *Sperat autem justus in morte sua.* Tertium autem est judicium in hac vita, inquantum Deus per tribulationes hujus vitæ interdum homines probat; unde dicitur infra XI, 32 : *Cum judicamur a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Et secundum hoc dicitur dies Domini, dies temporalis tribulationis; de quo dicitur Sophon. I 14 : *Vox diei Domini amara : tribulabitur ibi fortis.* Dies ergo Domini declarabit, quia in tempore tribulationis affectus hominis probatur. Eccl. XXVII, 6 : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.* Secundo ostendit per quod fiet ista declaratio, quia per ignem : unde sequitur : *Quia in igne revelabitur*, scilicet dies Domini : nam dies judicii revelabitur in igne, qui præcedet faciem judicis, exurens faciem mundi, et involvens reprobos, et justos purgans : de quo dicitur in Psal. XCVI, 3 : *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Dies autem Domini, qui est dies mortis, revelabitur in igne purgatorii, per quem purgabitur, si quid in electis [2] invenietur purgandum; de quo potest intelligi quod dicitur Job XXIII, 10 : *Probabit me quasi aurum quod per ignem transit.* Dies vero qui est dies tribulationis divino judicio permissæ, revelabitur [3] in igne tribulationis : de quo dicitur Eccl. II, 5 : *In igne probatur aurum et argentum; homines vero acceptabiles, in camino tribulationis.* Tertio ponit effectum manifestationis, cum subdit : *Et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit* : quia scilicet per quemlibet ignium prædictorum probantur merita hominis vel demerita : unde in Psalm. XVI, 3 : dicitur : *Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.* In his tribus quæ hic Apostolus ponit, primum est conclusio duorum sequentium. Si enim dies Domini revelatur in igne, et ignis probat quale sit uniuscujusque opus ; consequens est quod dies Domini declaret differentiam operum humanorum.

Deinde cum dicit, *Si cujus opus manserit*, ostendit modum prædictæ manifestationis : et primo quantum ad bona opera. cum dicit : *Si cujus,* idest alicujus, *opus*, quod ipse superædificavit, *manserit*, scilicet in igne, ille scilicet *qui superædificavit, mercedem accipiet.* Hierem. XXXI, 15 : *Est merces operi tuo*, et Isa. XL, 10 : *Ecce merces ejus cum eo.*

[1] Al. omittitur : « ita. » — [2] Al. : « in elementis. » — [3] Al. : « revelatur. »

Dicitur autem aliquod opus in igne permanere illæsum dupliciter. Uno modo ex parte ipsius operantis : quia scilicet ille qui hoc facit opus, scilicet bonæ doctrinæ, vel quodcumque bonorum operum, propter hujusmodi opus non punitur, inquantum scilicet nec torquebitur igne purgatorii, nec igne qui præcedet faciem judicis, nec etiam æstuat igne tribulationis. Qui enim non immoderate temporalia dilexit, consequens est quod non nimis doleat de eorum amissione : dolor enim causatur ex amore rei quæ amittitur : unde superfluus amor superfluum generat dolorem. Alio modo potest intelligi ex parte ipsius operis : quolibet enim prædictorum ignium [1] superveniente homini, permanet opus bonæ doctrinæ, vel quodcumque aliud bonum opus : nam igne tribulationis superveniente, non cessat homo neque a vera doctrina, neque a bono opere virtutis ; utrumque autem horum permanet homini quantum ad meritum et in igne purgatorii, et in igne qui præcedit faciem judicis. Secundo ostendit idem quantum ad mala opera, dicens : *Si cujus*, idest alicujus, *opus arserit*, scilicet per aliquem ignium prædictorum, *detrimentum patietur*, scilicet qui hoc operatus est, non tamen usque ad damnationem : unde subdit : *Ipse autem salvus erit*, scilicet salute æterna, secundum illud Isa. XLV, 17 : *Salvatus est Israel in Domino salute æterna* ; *sic tamen quasi per ignem*, quem scilicet prius sustinuit vel in hac vita, vel in fine hujus vitæ, vel in fine mundi : unde dicitur in Psalm. LXV, 12 : *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium* : et Isa. XLIII, 2 : *Cum transieris per ignem, non combureris, et flammâ non comburet te, quia ego Dominus Deus salvator tuus.* Dicitur autem opus alicujus ardere dupliciter. Uno modo ex parte operantis, inquantum scilicet aliquis affligitur igne tribulationis propter immoderatum affectum quo superflue terrena diligit, et punitur igne purgatorii, vel igne qui præcedet faciem judicis, propter peccata venialia, quæ circa curam temporalium commisit, sive etiam per frivola et vana quod docuit. Alio modo ardet opus in igne ex parte ipsius operis; quia scilicet tribulatione superveniente, homo non potest vacare nec doctrinæ vanæ, nec terrenis operibus, secundum illud Psal. CXLV, 4 : *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Nec etiam igne purgatorii, vel præcedente faciem judicis, remanebit ei aliquid prædictorum vel ad remedium vel ad meritum. Et similiter dupliciter patitur detrimentum : vel inquantum ipse punitur, vel [2] inquantum perdit id quod fecit : et quantum ad hoc dicitur Eccl. XIV, 20 : *Omne opus corruptibile in fine deficiet ; et qui operatur illud, ibit cum illo* ; *et omne opus electum in fine justificabitur, et qui operatur illud, honorificabitur in illo* : quorum primum pertinet ad eum qui superædificat lignum, fenum et stipulam, quod est opus in igne ardens ; secundum autem pertinet ad eum qui superædificat aurum, argentum, et lapides pretiosos, quod est opus manens in igne absque detrimento.

LECTIO III.

Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Nemo se seducat. Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum : scriptum est enim : Comprehendam sapientes in astutia eorum : et iterum : Dominus novit cogitationes sapientium quoniam vanæ sunt. Nemo itaque glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura : omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.

Supra ostendit Apostolus quæ sit merces bene laborantium ; hic agit de pœna male laborantium, sive destruentium : et circa hoc duo facit. Primo demonstrat pœnam ; secundo excludit errorem contrarium, ibi, *Nemo vos seducat.* Ostendit autem pœnam operantium ad destructionem, prosequens similitudinem ædificii spiritualis : et circa hoc tria facit. Primo ostendit dignitatem spiritualis ædificii ; secundo determinat pœnam destruentium, ibi, *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus* ; tertio assignat rationem pœnæ, ibi, *Templum enim Dei sanctum est.* Dicit ergo primo : Dictum est, quod ille qui superædificat, mercedem salutis accipiet vel sine detrimento,

[1] Al : « judiciorum. »

[2] Al. omittur : « vel. »

vel cum detrimento. Sed ut possitis agnoscere quæ sit pœna male in vobis laborantium, oportet vos vestram dignitatem agnoscere : quam primo ponit dicens : *An vos nescitis quia* vos fideles Christi *estis templum Dei?* Eph. II, 21 : *In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei.* Secundo probat quod fideles sint templum Dei. Est enim de ratione templi quod sit habitaculum Dei, secundum illud Psal. X, 5 : *Deus in templo sancto suo* : unde omne illud in quo Deus habitat, potest dici templum. Habitat autem Deus principaliter in seipso, quia ipse solus se comprehendit : unde et ipse Deus templum Dei dicitur Apoc. XXI, 22 : *Dominus Deus omnipotens templum illius est.* Habitat etiam Deus in domo sacrata [1] per specialem cultum qui in ea sibi exhibetur ; et ideo domus sacrata dicitur templum, secundum illud Psalm. V, 8 : *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* Habitat etiam Deus in hominibus per fidem, quæ per dilectionem operatur, secundum illud Ephes. III, 17 : *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Unde et ad probandum quod fideles sint templum Dei, subjungit quod inhabitantur a Deo, cum dicit : *Et Spiritus Dei habitat in vobis.* Et Rom. VIII, 11, dictum est, *Spiritus qui suscitavit Jesum Christum, habitabit in vobis.* Ezech. XXXVI, 27 : *Spiritum meum ponam in medio vestri.* Ex quo patet quod Spiritus sanctus est Deus, per cujus inhabitationem fideles dicuntur templum Dei : sola enim inhabitatio Dei, templum Dei facit, ut dictum est.

Est autem considerandum, quod Deus est in omnibus creaturis, in quibus est per essentiam potentiam et præsentiam, implens omnia bonitatibus suis, secundum illud Hier. XXIII, 24 : *Cœlum et terram ego impleo.* Sed spiritualiter dicitur Deus inhabitare, tamquam in familiari domo, in sanctis, quorum mens capax est Dei per cognitionem et amorem, etiamsi ipsi in actu non cognoscant et diligant, dummodo habeant per gratiam habitum fidei et caritatis ; sicut patet de pueris baptizatis : et cognitio sine dilectione non sufficit ad inhabitationem Dei, secundum illud I Joan. IV, 16 : *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.* Inde est quod multi cognoscunt Deum vel per naturalem cognitionem, vel per fidem informem ; quos tamen non inhabitat Spiritus Dei.

Deinde cum dicit, *Si quis autem templum Dei violaverit*, subjungit pœnam male operantium secundum convenientiam prædictorum, dicens : *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Violatur autem templum Dei dupliciter. Uno modo per falsam doctrinam, qua non superædificatur fundamento, sed magis subruit fundamentum, et destruit ædificium : unde dicitur Ezech. XIII, 19, de falsis prophetis : *Violabant me ad populum meum* [2] *propter pugillum hordei et fragmentum panis.* Alio modo violat aliquis templum Dei per peccatum mortale, per quod aliquis vel seipsum corrumpit vel alium opere vel exemplo : unde dicitur Malach. II, 11 : *Contaminavit Judas sanctificationem Domini, quam dilexit.* Sic autem dignum est ut disperdatur ille a Deo per damnationem æternam qui violat spirituale templum Dei, vel qualitercumque polluit : unde dicitur Malach. II, 12 : *Disperdet Dominns virum qui fecerit hoc, magistrum et discipulum* : et in Psalm. XI, 4 : *Disperdet Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.*

Deinde cum dicit, *Templum enim Dei sanctum est*, assignat rationem ejus quod dixerat de sanctitate templi. Qui enim aliquam rem sacram violat, sacrilegium committit : unde dignum est ut disperdatur. *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*, sicut supra dictum est : et in Psalm. LXIV, 6, dicitur : *Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate* : et alibi, Psalm. XCII, 5 : *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.* Et quidem in materiali templo est quædam sacramentalis sanctitas, prout templum divino cultui dedicatur ; sed in fidelibus Christi est sanctitas gratiæ, quam consecuti sunt per baptismum, secundum illud infra VI, 11 : *Abluti estis, sanctificati estis.*

Deinde cum dicit, *Nemo vos seducat*, excludit errorem contrarium : et primo monet fideles ut sibi caveant a seductione errorum ; secundo docet modum [3] cavendi, ibi, *Si quis inter vos videtur sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ;* tertio rationem assignat, ibi, *Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum.* Circa primum sciendum, quod quidam dixe-

[1] Al. : « secreta. » — [2] Al. : « violabant me ac populum meum. » — [3] Al. : « medium. »

runt, quod Deus neque punit neque remunerat hominum facta : ex quorum persona dicitur Soph. I, 12 : *Qui dicunt in cordibus suis : Non faciet bene Dominus, et non faciet male* : et Thren. III, 37 : *Qui est iste qui dixit ut fieret Domino non jubente? Ex ore Altissimi non egredietur bonum neque malum.* Ad hunc ergo errorem excludendum dicit : *Nemo vos seducat,* asserens scilicet, quod ille qui templum Dei violat, non disperdatur a Deo : sicut Ephes. v, 7, dicitur : *Nemo vos seducat inanibus verbis : propter hoc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.*

Deinde cum dicit, *Si quis inter vos videtur sapiens esse in hoc sæculo*, *stultus fiat*, docet modum cavendi hujusmodi seductionem. Ubi sciendum est, quod quidam dixerunt Deum non punire peccata hominum, innitentes rationibus humanæ sapientiæ; puta, quod Deus non cognoscat singularia quæ fiunt hic : ex quorum persona dicitur Job. XXII, 14 : *Circa cardines cœli perambulat, nec nostra considerat.* Ad hoc ergo vitandum dicit : *Si quis inter vos videtur esse sapiens in hoc sæculo*, idest sapientia sæculari, quæ in eo quod contrariatur veritati fidei, non est sapientia, licet videatur esse; *stultus fiat*, abjiciendo istam sapientiam apparentem, *ut sit sapiens*, scilicet secundum sapientiam divinam, quæ est vera sapientia. Et hoc etiam observandum est non solum in his in quibus sæcularis sapientia contrariatur veritati fidei, sed etiam in omnibus in quibus contrariatur honestati morum : unde Prov. XXX, 1, dicitur : *Deo secum morante confortatus est.*

Deinde cum dicit, *Sapientia hujus mundi*, *stultitia est apud Deum*, assignat rationem ejus quod dixerat : et primo ponit rationem. Videbatur enim ineptam monitionem fecisse, ut aliquis fieret stultus : et vere inepta esset, si stultitia illa de qua loquebatur, esset per abnegationem veræ sapientiæ : sed non est ita; *sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum.* Dicitur sapientia hujus mundi quæ principaliter mundo innititur : nam illa quæ per res hujus mundi ad Deum attingit, non est sapientia mundi, sed sapientia Dei, secundum illud Rom. I, 19, *Deus enim illis revelavit : invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sapientia* ergo *mundi*, quæ sic rebus mundi [1] intendit ut ad divinam veritatem non pertingat, *stultitia est apud Deum;* idest, stultitia reputatur secundum divinum judicium. Isa. XIX, 2 : *Stulti principes Taneos, sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens.* Secundo probat quod dixerat, per duas auctoritates : quarum prima scribitur Job VI, 13 : unde dicit : *Scriptum est* : *Comprehendam sapientes in astutia eorum.* Comprehendit autem sapientes Dominus in astutia eorum, quia per hoc ipsum quod astute cogitant contra Deum, impedit Deus eorum conatum, et implet suum propositum; sicut per malitiam fratrum Joseph, volentium impedire ejus principatum, impletum est per divinam ordinationem quod Joseph in Ægypto venditus principaretur. Unde et ante præmissa verba dicit Job : *Qui dissipat cogitationes eorum*, scilicet malignorum, *ne possint* [2] *implere manus eorum quod cœperant* : quia, ut dicitur Proverb. XXI, 30, *non est sapientia, non est scientia, non est consilium contra Dominum.* Secunda auctoritas sumitur ex Psalmis : unde dicit : *Et iterum scriptum est* : *Dominus novit cogitationes sapientium*, idest secundum sapientiam mundi, *quoniam vanæ sunt*, quia scilicet non pertingunt ad finem cognitionis humanæ, quæ est cognitio veritatis divinæ. Unde dicitur Sap. XIII, 1 : *Vani sunt homines in quibus non subest sapientia Dei.*

Deinde cum dicit, *Itaque nemo glorietur in hominibus*, infert conclusionem principaliter intentam, scilicet quod non debeant gloriari de ministris Dei : et primo concludit propositum ex prædictis, dicens : *Itaque*, ex quo ministri nihil sunt, sed laborant pro mercede, *nemo glorietur in hominibus;* sicut et in Psalm. CXLV, 3, dicitur : *Nolite confidere in principibus, neque in filiis hominum, in quibus non est salus* : et Hier. XVII, 5 : *Maledictus vir qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum.* Secundo rationem assignat ex dignitate fidelium Christi : assignans ordinem fidelium in rebus : et primo ponit ordinem rerum ad fideles Christi, dicens : *Omnia vestra sunt;* quasi dicat : Sicut homo non glorietur de rebus sibi subjectis, ita et vos gloriari non debetis de rebus hujus mundi, quæ omnia sunt vobis data a Deo, secundum illud Psalm. VIII, 8 : *Omnia*

[1] Al. deest : « mundi. » — [2] Al. : « cogitationes malignorum, ne possint. »

subjecisti sub pedibus ejus. Exponit autem quæ omnia; inter quæ primo ponit ministros Christi, qui sunt divinitus ordinati ad ministerium fidelium, secundum illud II Corinth. IV, 5 : *Nos autem servos vestros per Jesum* : et hoc est quod dicit : *sive Paulus*, qui plantavit, *sive Apollo*, qui rigavit, *sive Cephas*, idest Petrus, qui est universalis pastor ovium Christi, ut dicitur Joan. ult. Post hæc ponit res exteriores, cum dicit, *Sive mundus*, qui est continentia omnium creaturarum : qui quidem est fidelium Christi, eo quod homo per res hujus mundi juvatur vel quantum ad necessitatem corporalem, vel quantum ad cognitionem Dei, secundum illud Sap. XIII, 5 : *A magnitudine speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Consequenter ponit ea quæ pertinent ad ipsam hominis dispositionem, dicens : *Sive vita, sive mors* : quia scilicet fidelibus Christi et vita est utilis, in qua merentur, et mors, per quam ad præmia perveniunt : secundum illud Rom. XIV, 8 : *Sive vivimus sive morimur, Domini sumus* : et Philipp. I, 21 : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.* Ad hæc autem duo reducuntur omnia bona vel mala hujus mundi : quia per bona conservatur vita, per mala pervenitur ad mortem. Ultimo ponit quæ pertinent ad statum hominis præsentem vel futurum, dicens : *Sive præsentia*, idest res hujus vitæ, quibus juvamur ad merendum, *sive futura;* quæ nobis reservantur ad præmium. *Non enim habemus hic civitatem permanentem, sed futuram inquirimus* : ut dicitur Heb. ult. 14 : *Omnia,* inquit, *vestra sunt,* idest vestræ utilitati deservientia, secundum illud Rom. VIII, 28 : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Sic ergo primus ordo est rerum [1] Christi ad fideles ; secundus vero fidelium Christi ad Christum ; quos ponit subdens; *Vos autem Christi* estis, quia scilicet sua morte vos redemit : Rom. XIV, 8 : *Sive vivimus sive morimur, Domini sumus* : tertius ordo est Christi, secundum quod homo, ad Deum ; ideo addit : *Christus autem*, secundum quod homo, *Dei est.* Unde eum Deum et Dominum in Psalm. VII, 1, nominat dicens : *Domine Deus meus, in te speravi* : ut nomine Dei tota Trinitas intelligatur. Quia ergo nullus debet gloriari de eo quod infra ipsum est, fideles Christi gloriari de ministris, sed de eo quod est supra ipsum ; ideo non debent fideles Christi gloriari de ministris, sed magis ministri de ipsis. II Corinth. VII, 4 : *Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis.* Sed fideles Christi debent gloriari de Christo, secundum illud Galat. ult. 14 : *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi;* sicut Christus de Patre, secundum illud Sap. II, 16 : *Gloriatur se Patrem habere Deum.*

[1] Al. deest : « rerum. »

CAPUT QUARTUM

LECTIO I.

Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur. Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die : sed neque meipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum : sed non in hoc justificatus sum. Qui autem judicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium; et tunc laus erit unicuique a Deo.

Superius redarguit Apostolus Corinthios de hoc quod de quibusdam ministris gloriabantur : hic autem arguit eos quod alios ministros contemnebant : et circa hoc duo facit. Primo arguit eorum culpam; secundo instat ad eorum correctionem, ibi, *Non ut confundam vos, hæc scribo*. Circa primum duo facit. Primo arguit eorum temeritatem, qua male de ministris judicabant; secundo arguit eorum elationem, qua Christi ministros contemnebant, ibi, *Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo propter vos*. Circa primum duo facit. Primo ostendit quid sit de ministris Christi firmiter sentiendum; secundo quod non sit de eis temere judicandum, ibi, *Hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur*. Dicit ergo primo : Dixi ergo primo : Dixi quod nullus vestrum debet gloriari de hominibus; tamen quilibet vestrum debet cognoscere auctoritatem officii nostri, ad quod pertinet quod sumus mediatores inter Christum cui servimus ad quos [1] pertinet quod dicit : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi*. Isa. LXI, 6 : *Sacerdotes Dei vocabimini; Ministri Dei nostri, dicetur vobis :* et inter membra ejus, quæ sunt fideles Ecclesiæ, quibus bona Christi dispensat; ad quos [2] pertinet quod subditur : *Et dispensatores mysteriorum Dei*, idest secretorum ejus : quæ quidem sunt spiritualia ejus documenta, secundum illud infra XIV, 2 : *Spiritus est qui loquitur mysteria :* vel etiam ecclesiastica sacramenta, in quibus divina virtus secretius operatur salutem : unde et in forma consecrationis eucharistiæ dicitur, *Mysterium fidei*. Pertinet ergo ad officium prælatorum Ecclesiæ, quod in gubernatione subditorum soli Christo servire desiderent, cujus amore oves ejus pascunt, secundum illud Joan. ult. 17 : *Si diligis me, pasce oves meas*. Pertinet etiam ad eos ut divina populo dispensent, secundum illud infra IX, 17 : *Dispensatio mihi credita est* : et secundum hoc sunt mediatores inter Christum et populum, secundum illud Deut. V, 5 : *Ego sequester fui et medius illo tempore inter Deum et vos*. Hæc autem æstimatio de prælatis Ecclesiæ necessaria est ad salutem fidelium : nisi enim eos recognoscerent ministros Christi, non eis obedirent tamquam Christo, secundum illud Galat. IV, 14 : *Sicut Angelum Dei excepistis me sicut Jesum Christum*. Rursum si eos non cognoscerent dispensatores, recusarent ab eis dona recipere, contra illud quod idem Apostolus dicit II Cor. V, 10 : *Quod donavi si quid donavi propter vos in persona Christi donavi* [3].

Deinde cum dicit, *Hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur*, ostendit circa ministros Christi temere judicari non debere : et circa hoc tria facit. Primo ponit quoddam per quod judicare satagunt de fidelitate ministrorum; secundo ostendit de hoc judicio se non curare, sed Deo reservare, ibi, *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer*; tertio concludit prohibitionem temerarii judicii, *Itaque nolite ante tempus judicare*. Circa primum considerandum est, quod ministrorum et dispensatorum Christi quidam sunt fideles, quidam fideles, quidam infideles. Infideles dispensatores sunt qui in dispensandis divinis mysteriis [4] non intendunt utilitatem po-

[1] Al. : « ad quod. — » — [2] Al. iterum : « ad quod. »

[3] Al. omittitur : « donavi. » — [4] Al. : « ministeriis. »

puli et honorem Christi et utilitatem membrorum ejus, secundum illud Luc. XVI, 2, *In iniquo mammona fideles non fuistis*. Fideles autem qui in omnibus intendunt honorem Dei et utilitatem membrorum ejus, secundum illud Luc. XII, 42 : *Quis putas est fidelis servus et prudens quem constituit dominus super familiam suam?* Qui autem sunt fideles divino judicio manifestabuntur in futuro. Sed Corinthii temere volebant discutere qui dispensatores essent fideles vel infideles; et hoc est quod dicit : *Hic*, hoc est inter vos, *jam*, idest præsenti tempore, *quæritur*, idest discutitur, *ut quis*, idest aliquis, *inter dispensatores fidelis inveniatur*. Judicabant enim plures esse infideles, vix aliquem virum putantes esse fidelem, secundum illud Prov. XX, 6 : *Multi viri misericordes vocantur*; *virum autem fidelem quis inveniet?* Deinde cum dicit, *Mihi autem pro minimo est*, ostendit se hoc judicium reputare nihil : et circa hoc tria facit. Primo ponit quod non curat circa hoc ab aliis judicari, dicens : *Mihi autem*, qui sum minimus inter dispensatores, *pro minimo est*, idest minima bona reputo, *ut a vobis judicer*, scilicet esse fidelis vel infidelis. Et ne putarent ab Apostolo hæc dici in eorum contemptum, ac si eorum judicium despiceret, quasi vilium personarum, subjungit : *Aut ab humano* intellectu, qui est dies hominis, secundum illud Joan. XI, 9 : *Qui ambulat in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt* : vel ad litteram, *aut ab humano die*, idest ab intellectu in hoc tempore judicantium [1]; quasi dicat : Vestrum, vel quorumcumque hominum judicium parum curo. Hierem. XVIII, 16 : *Diem hominis non desideravi, tu scis*.

Est autem sciendum, quod de judicio hominum dupliciter debet curari. Uno modo quantum ad alios, qui ex eorum bono vel ædificantur vel scandalizantur; et sic sancti non pro minimo sed pro magno habent ab hominibus judicari, cum Dominus dicat Matth. V, 16 : *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est*. Alio modo quantum ad seipsos ; et sic non curant multum, quia nec gloriam humanam concupiscunt, secundum illud I Thess. II, 6 : *Neque gloriam ab hominibus quærentes, neque aliquid a vobis neque ab aliis* : neque opprobrium hominis timent, secundum illud Isa. LI, 7 : *Nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne timeatis*. Unde Apostolus signanter dicit, *Mihi autem*, idest quantum ad me pertinet. Non autem id pro nullo est, sed pro minimo : quia bona temporalia, inter quæ bona fama computatur, non sunt nulla bona, sed minima, ut Augustinus dicit in lib. I, cap. XV et XVI *De libero arbitrio*. Unde et Sap. VII, 9 : *Omne aurum in comparatione illius arena est exigua*.

Secundo ostendit quod neque seipsum judicare præsumit, dicens : *Sed neque meipsum judico*.

Videtur autem hoc esse contra id quod infra XI, 31, dicitur : *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*. Debet ergo quilibet judicare seipsum.

Sed sciendum est, quod judicio discussionis, de quo Apostolus hic loquitur, quilibet debet judicare seipsum, secundum illud Psalm. LXXVII, 7 : *Exercitabar, et scopebam spiritum meum* : et similiter judicio condemnationis et reprehensionis in manifestis malis, secundum illud Job. XIII, 15 : *Arguam coram eo vias meas*. Sed judicio absolutionis non debet aliquis præsumere se judicare ut innocentem : unde dicitur Job IX, 20 : *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me : si innocentem ostendero* [2], *pravum me comprobabit*. Cujus rationem assignat, dicens : *Nihil mihi conscius sum*; idest, non habeo alicujus peccati mortalis conscientiam, secundum illud Job XXVII, 6 : *Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea*; *sed non in hoc justificatus sum*; idest, non sufficit ad hoc quod me justum pronuntiem, quia possunt aliqua peccata in me latere, quæ ignoro, secundum illud Psal. XVIII, 13 : *Delicta quis intelligit?* et Job IX, 21, dicitur : *Et si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea*.

Tertio concludit cui hoc judicium reservetur, dicens : *Qui autem judicat me, Dominus est*; idest, ad solum Deum pertinet judicare utrum sim fidelis minister, an non : hoc enim pertinet ad intentionem cordis, quam solus Deus ponderare potest, secundum illud Prov. XVI, 2 : *Spirituum ponderator est Dominus* ; et Hierem. XVII, 9 : *Pravum est cor hominis et inscrutabile : quis cognoscet illud? Ego Dominus probans renes et scrutans corda*.

Deinde cum dicit, *Itaque nolite ante*

[1] Al. : « judicantibus. »

[2] Al. : « considero. »

tempus judicare, concludit prohibitionem temerarii judicii : et circa hoc tria facit. Primo prohibet prævenire divinum judicium, dicens : *Itaque* exemplo meo, qui neque meipsum judico, neque ab aliis judicari curo, sed judicium meum Deo reservo, *nolite ante tempus judicare* : quia, ut dicitur Eccle. VIII, 6, *Omni negotio tempus est et opportunitas* : *quoad usque veniat Dominus,* scilicet ad judicandum, secundum illud Isa. III, 14 : *Dominus ad judicium veniet cum senatoribus populi sui.* Unde et Dominus dixit Matth. VII, 1 : *Nolite judicare.* Sed hoc intelligendum est de occultis ; de manifestis autem judicare commissum est a Deo hominibus, secundum illud Deut. I, 16 : *Audite illos, et quod justum est judicate.* Sunt enim aliqua manifesta non solum per evidentiam facti, sicut notoria, sed etiam propter confessionem, aut testium probationem. Occulta vero Deus suo reservat judicio. Sunt autem occulta nobis quæ latent in corde, vel etiam in abscondito fiunt ; et de his dicitur in Psalm. IV, 5 : *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* Unde homo quidem de his est temerarius judex, sicut judex delegatus, qui excedit formam mandati judicii [1], de causa non sibi commissa. Est ergo temerarium judicium, quando aliquis de dubiis judicat ; perversum autem, quando falsum judicium profert : et quamvis non sit judicandum circa personas, puta ut aliquis judicet malum hominem qui bonus est ; tamen multo gravius est ut judicium pervertatur de rebus ipsis ; puta, si quis diceret virginitatem esse malam et fornicationem bonam ; contra quod dicitur Isa. V, 20 : *Væ qui dicitis, bonum malum, et malum bonum.* Secundo describit perfectionem futuri divini judicii, dicens : *Qui*, scilicet Dominus ad judicandum veniens, *illuminabit abscondita tenebrarum* ; idest, faciet esse lucida et manifesta ea quæ occulte in tenebris facta sunt ; *et manifestabit consilia cordium*, idest omnia cordis [2] occulta, secundum illud Job XII, 22 : *Qui revelat occulta de tenebris, et producit in lucem umbram mortis* : et Sophon. I, 12 : *Scrutabor Hierusalem in lucernis.* Quod quidem est intelligendum tam de bonis quam de malis quæ non sunt per pœnitentiam tecta, secundum illud Psal. XXXI, 1 : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Tertio ponit fructum quem boni reportabunt de divino judicio, dicens : *Et tunc laus erit unicuique*, scilicet bonorum, *a Deo* : quæ quidem laus vera erit, quia Deus nec decipi nec decipere potest. Rom. II, 29 : *Cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est* : et II Corinth. X, 18 : *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.*

LECTIO II.

Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo propter vos, ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio. Quis enim te discernit ? Quid autem habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis ? Jam saturati estis, jam divites facti estis : sine nobis regnatis : et utinam regnetis, ut et nos vobiscum regnemus. Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos ; quia spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo ; nos infirmi, vos autem fortes ; vos nobiles, nos autem ignobiles. Usque in hanc horam et esurimus et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, et benedicimus ; persecutionem patimur, et sustinemus : blasphemamur, et obsecramus. Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.

Postquam Apostolus reprehendit in Corinthiis temeritatem qua ministros Christi judicabant, hic arguit eorum elationem, qua ministros Christi contemnebant : et circa hoc tria facit. Primo proponit quod intendit ; secundo rationem assignat, ibi, *Quis enim te discernit?* tertio eorum contemptum ironice loquens irridet, ibi, *Jam saturati estis.* Circa primum considerandum est, quod Apostolus supra volens reprimere contentiones Corinthiorum, quas habebant ratione ministrorum, usus fuerat nominibus bonorum ministrorum Christi ; sicut supra I, 12, dixit : *Unusquisque vestrum dicit, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ* : et supra III, 22, ubi dixit : *Sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas* : et tamen non gloriabantur de bonis ministris Christi, nec propter eos dissidebant, sed propter pseudoapostolos : quos nominare noluit, ne videretur ex odio vel invidia contra eos loqui ; sed loco eorum

[1] Al. : « judicis. »

[2] Al. : « idest omnia corde. »

posuerat nomen suum et aliorum bonorum prædicatorum; et hoc est quod dicit : *Hæc autem, fratres*, scilicet quæ dixi de ministris de quibus gloriamini, et pro quibus contenditis, *transfiguravi*, idest figuraliter loquens transtuli, *in me et Apollo*. Dicitur enim Proverb. I, 6 : *Animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientum et ænigmata eorum*. Et hoc *propter vos*, idest vestram utilitatem: II Corinth. IV, 15 : « Omnia propter vos : *ut in nobis discatis, ne unus vestrum infletur*, idest, superbia adversus alium proximum suum, *pro alio*, scilicet pro quocumque ministro Christi, *supra quam scriptum est*, idest ultra formam vobis in præmissis descriptam. Dicitur enim Sap. IV, 19 : *Disrumpet illos inflatos sine voce*.

Deinde cum dicit, *Qui enim te discernit*? assignat rationem quare unus non debeat contra alium inflari : et primo ponit rationem, dicens : *Quis enim discernit?* Quod potest intelligi dupliciter. Uno modo sic : *Quis enim te discernit* a massa perditorum? Tu teipsum discernere non potes : unde non habes in te unde contra alium superbias. Et de hac discretione dicitur in Psalm. XLII, 1 : *Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta*. Alio modo potest intelligi : *Quis te discernit*? scilicet superiorem faciens proximo tuo : hoc quod tu facere non potes : unde contra eum superbire non debes. Et de hac discretione dicitur Eccl. XXXIII, 2 : *In multitudine disciplinæ Dominus*[1] *separavit eos, et immutavit vias illorum*. Sed inter homines, inquantum sunt fideles Christi, non est discretio : quia, ut dicitur Rom. XII, 5, *Multi unum corpus sumus in Christo* : et Act. XV, 9, dicit Petrus : *Nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum*. Secundo excludit quamdam rationem. Posset enim aliquis discerni a bonis vel a malis, melior eis existens propter bona quæ habet, puta fidem, sapientiam et hujusmodi. Sed hoc excludit Apostolus, dicens : *Quid autem habes quod non accepisti?* quasi dicat, nihil : omnia enim bona sunt a Deo, secundum illud Psal. CIII, 28 : *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate* : et I Paralip. XXIX, 14 : *Tua sunt omnia, et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*. Et ex hoc concludit propositum, dicens : *Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ille igitur gloriatur quasi non accipiens qui de seipso gloriatur et non de Deo, sicut de quibusdam dicitur in Psal. XLVIII, 7 : *Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur*. Et ad hoc pertinet prima species superbiæ, qua scilicet aliquis superbiendo, quod habet, dicit a seipso habere, juxta illud Psalm. XI, 5 : *Labia nostra a nobis sunt : quis noster dominus est?* Ille autem gloriatur quasi accipiens, qui omnia Deo ascribens gloriatur de ipso, sicut supra I, 31, dictum est : *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. Sic autem gloriari non est superbire, sed humiliari sub Deo, cui homo dat gloriam, secundum illud Eccl. ult. 23 : *Danti mihi sapientiam, dabo gloriam*.

Deinde cum dicit, *Jam saturati estis*, irridet eorum superbiam, qui Apostolos Christi contemnebant : et primo in generali; secundo in speciali, ibi, *Nos stulti sumus propter Christum*. Circa primum duo facit. Primo irridet in eis quod de se nimis præsumebant; secundo deridet in eis quod Apostolos contemnebant, ibi, *Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit tamquam morti destinatos*. Circa primum duo facit. Primo irridet eos de præsumptione qua sibi attribuebant quod non habebant; secundo irridet eos de hoc quod sibi singulariter non habebant, ibi, *Sine nobis regnatis*. Attribuebant autem sibi abundantiam bonorum : quorum quædam sunt interiora; et quantum ad hoc dicit : *Jam saturati estis;* idest, vobis videtur quod saturati estis, idest abundanter refecti spirituali dulcedine, de qua dicitur in Psal. XVI, 15 : *Satiabor dum manifestabitur gloria tua*. Poterat autem eis secundum veritatem dici, quod *jam saturati estis*, non plenitudine, sed fastidio, secundum illud Proverb. XXVII, 7 : *Anima satiata calcabit favum*. Quædam vero sunt bona exteriora; et quantum ad hoc dicit : *Jam divites facti estis*, sicut vobis videtur, scilicet divitiis spiritualibus, de quibus dicitur Isa. XXXIII, 6: *Divitiæ salutis, sapientia et scientia*. Simile est quod dicitur Apoc. III, 17 : *Dicis, quia dives sum et locuples valde, et nullius egeo*.

Sed contra hoc videtur illud quod supra dixit in principio dicens cap. I, 5 : *Quia in omnibus divites facti estis in illo in omni verbo et in omni scientia*.

[1] Al. : « Domini. »

Sed dicendum est, quod supra dixit quantum ad bonos qui inter eos erant; hic autem dicit quantum ad præsumptuosos qui superbiebant de eo quod non habebant. Potest et aliter distingui satietas et divitiæ, ut saturitas referatur ad usum gratiæ, quo quis spiritualibus fruitur; divitiæ autem ad ipsos habitus gratiarum.

Secundo, cum dicit, *Sine nobis regnatis*, irridet eos, quod sibi singulariter attribuebant quod non habebant : unde dicit : *Sine nobis regnatis;* idest, ita vobis videtur quod regnum ad vos pertineat, non ad nos. Sic enim erant decepti a pseudoapostolis ut crederent se solos habere fidei veritatem, quæ in regno Dei consistit; Apostolum autem et sequaces ejus errare : contra quos dicitur Isa. v, 8 : *Numquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Et ne videatur Apostolus ex invidia hoc dicere, subjungit : *Utimam regnetis*[1]. Optat enim ut veram fidem habeant, secundum illud Act. xxvi, 29 : *Opto omnes qui audiunt, tales fieri qualis et ego sum, exceptis vinculis his.* Et ut eis exempla humilitatis præbeat, subjungit : *Ut et nos regnemus vobiscum*; quasi dicat : Si aliquam excellentiam habetis, non dedignamur vos sequi, sicut vos dedignamini sequi nos, contra illud quod dicitur Gal. iv, 18 : *Quod bonum est æmulamini in bono semper.*

Et est advertendum, quod Apostolus hic quatuor species superbiæ tangit : quarum prima est quando aliquis reputat se non habere a Deo quod habet; quam tangit dicens : *Quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et hoc etiam potest reduci ad secundam speciem; qua aliquis existimat propriis meritis accepisse. Tertia species est qua quis jactat se habere quod non habet : et quantum ad hoc dicit : *Jam saturati estis, jam divites facti estis.* Quarta species, quando aliquis, despectis ceteris, singulariter vult videri; et ad hoc pertinet quod dicit : *Sine nobis regnatis.*

Deinde cum dicit, *Puto quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit*, irridet eos de hoc quod Apostolos Christi contemnebant : et primo irrisorie ponit contemptum; secundo causam contemptus, ibi, *Quia spectaculum facti sumus.* Dicit ergo primo : Prius dixi, quod sine nobis regnatis : *puto enim,* idest vos putare videmini, *quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit,* cum tamen infra xii, dicatur quod Deus in Ecclesia posuit primum Apostolos. Sic enim impletur quod dicitur Matth. xx, 26 : *Erunt primi novissimi, et novissimi primi.* Et ponit exemplum : *Tamquam morti destinatos* : illi enim qui sunt condemnati ad mortem, novissimi habentur inter homines, utpote quos indignum sit vivere; et tales, Apostoli reputantur a mundanis hominibus, secundum illud Psal. xliii, 22 : *Æstimati sumus sicut oves occisionis.*

Deinde cum dicit, *Quia spectaculum facti sumus*, assignat causam contemptus. Circa quod considerandum est, quod quando aliqui sunt condemnati ad mortem, convocantur homines ad eorum occisionem, quasi ad spectaculum; et hoc maxime fiebat circa eos qui damnabantur ad bestias : et quia Apostoli erant quasi morti destinati, subjungit : *Quia spectaculum facti sumus mundo;* quasi totus mundus concurrat ad spectandum nostram occisionem, secundum illud Ps. xliii, 14 : *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris.* Exponit autem quid nomine mundi intelligat, cum subdit : *Et Angelis et hominibus*, scilicet bonis et malis. Concurrebant enim ad eorum spectaculum boni homines ad compatiendum, et exemplum patientiæ sumendum; mali homines ad persequendum et irridendum.

Deinde cum dicit, *Nos stulti propter Christum*, irridet eos in speciali, quod Apostolos contemnebant : et circa hoc duo facit. Primo ponit contemptum; secundo causam contemptus, ibi, *Usque in hanc horam et esurimus et sitimus* etc. Circa primum irridet eorum contemptum quantum ad hoc quod sibi excellentiam, Apostolis defectum attribuebant : et primo quantum ad perfectionem intellectus : et quantum ad hoc dicit : *Nos stulti sumus propter Christum;* idest, stulti reputamur, quia crucem Christi prædicamus : supra. i, 18 : *Verbum crucis pereuntibus stultitia est*; et etiam quia propter Christum opprobria et contentiones sustinemus, secundum illud Sap. v, 4 : *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam* : item ut legitur Act. xxvi, 24, *Festus dixit Paulo : Insanis Paule : multæ te litteræ ad insaniam adducunt. Vos*, secundum vestram reputationem, estis

[1] Al. *regnaretis.*

prudentes in Christo : quia scilicet nec crucem ejus publice confiteri audetis, nec persecutionem pro eo[1] sustinetis. Prover. xxvi, 16 : *Sapientior sibi videtur piger septem viris loquentibus sententias.* Secundo quantum ad potestatem actionis, cum dicit : *Nos infirmi* reputamur, scilicet in exterioribus, propter afflictiones quam sustinemus. II Corinth. ii, 9 : *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis. Vos autem*, scilicet secundum vestram reputationem, estis *fortes*, scilicet in rebus corporalibus, quia secure vivitis sine tribulatione. Isa. v, 22 : *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. Vos nobiles*, scilicet estis secundum vestram æstimationem, idest honore digni, qui exterius contumeliis non patimini. Isa. xix, 11 : *Filius sapientium ego, filius regum antiquorum* : *nos autem ignobiles* sumus, secundum vestram et aliorum reputationem, quia contemptibiles habemur : supra i, 28 : *Quæ comtemptibilia sunt mundi et ignobilia elegit Deus.* Et tamen secundum rei veritatem est e converso : soli enim contemptibiles illi sunt qui Deum contemnunt, secundum illud I Reg. ii, 30 : *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

Deinde cum dicit, *Usque in hanc horam esurimus*, assignat causam contemptus : et primo ponit pro causa defectum bonorum temporalium : secundo mala quæ in eis intelligebantur, ibi, *Maledicimur et benedicimus* ; tertio concludit intentum, ibi, *Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus.* Circa primum duo facit. Primo ponit defectum quem patiebantur in rebus necessariis : unde quantum ad ea quæ pertinent ad victum dicit, *Usque in hanc horam*, idest continue a conversione nostra usque in præsens tempus, *esurimus et sitimus.* II Cor. x, 17 : *In fame et siti.* Quantum vero ad vestitum subdit : *Et nudi sumus*, idest propter vestimentorum inopiam, quia etiam interdum expoliabantur. Job xxiv, 7 : *Nudos dimittunt homines vestimenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore.*

Sed contra est quod dicitur in Psal. xxvi, 24 : *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.*

Sed dicendum est, quod ita patiebantur Apostoli quod non derelinquebantur, quia divina providentia moderabatur in eis et abundantiam et inopiam quantum eis expediebat ad virtutis exercitium : unde et Apostolus Philipp. iv, 12 : *Ubique et in omnibus institutus sum, et saturari, et esurire, et abundare, et penuriam pati* : *omnia possum in eo qui me confortat.*

Secundo ponit defectum eorum quæ pertinent ad bene esse humanæ vitæ : quorum primum est reverentia ab hominibus exhibita ; contra quod dicit : *Et colaphis cædimur* : quod quidem fit magis ad opprobrium, quam ad pœnam : unde de Christo legimus Matth. xxvi, quod expuerunt in faciem suam et colaphis eum ceciderunt. Secundo requiritur quies in loco ; contra quod dicitur : *Et instabiles sumus* : tum quia expellebantur a persecutoribus de loco in locum ; secundum illud Matth. x, 23 : *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* : tum etiam quia pro executione sui officii discurrebant ubique, secundum illud Joan. xv, 16 : *Posui vos ut eatis.* Tertio requiritur ministrantium auxilium ; contra quod dicitur : *Et laboramus operantes manibus nostris* : tum quia aliquando nullus dabat eis unde possent sustentari ; tum etiam quia labore manuum suarum victum acquirebant, vel ad vitandum fidelium gravamen, vel ad repellendum pseudoapostolos, qui propter quæstum prædicabant, ut habetur II Corinth. xii ; tum etiam ut darent otiosis laborandi exemplum, ut habetur II Thess. iii ; unde dicit Paulus Act. xx, 24 : *Ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.*

Deinde cum dicit *Maledicimur* etc., ponit mala quæ Apostoli patiebantur : et primo in verbis, cum dicit, *Maledicimur*, idest, mala de nobis dicunt homines, vel ad detrahendum, vel ad contumelias inferendum, vel etiam mala imprecando : Hier. xv, 10 : *Omnes maledicunt mihi* : *et benedicimus* : idest, reddimus bonum pro malo, secundum illud I Pet. iii, 9 : *Non reddentes maledictum pro maledicto, sed e contra benedicentes.* Secundo in factis ; et quantum ad hoc dicit : *Persecutionem patimur*, non solum quantum ad hoc quod fugamur de loco ad locum, quod proprie persecutio dicitur, sed quantum ad hoc quod multipliciter tribulamur, secundum illud Psalm. cxviii, 157 : *Multi qui persequuntur me et tribu-*

[1] Al. omittitur : « pro eo. »

lant me : *et sustinemus*, in Christo scilicet omnia patienter. Eccli. I, 29 : *Usque ad tempus sustinebit patiens.* Tertio tangit causam utriusque, cum dicit : *Blasphemamur;* idest, blasphemiæ imponuntur nobis, dum dicimus magi vel malefici, et reputamur Dei inimici, secundum illud Joan. XVI, 2 : *Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* et Rom. III, 8 : *Sicut blasphemamur, et ajunt quidam nos dicere* : *Faciamus mala, ut veniant bona,* tamen *obsecramus* Deum pro his qui nos persequuntur et blasphemant : secundum illud Matth. V, 44 : *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos.*

Deinde cum dicit, *Tamquam purgamenta facti sumus*, concludit ex omnibus præmissis eorum contemptum dicens : Et propter omnia prædicta *facti sumus tamquam purgamenta hujus mundi*, idest, reputati sumus et a Judæis et a Gentilibus, ut per nos mundus inquinetur ; et propter nostram occisionem mundus purgetur, et tamquam simus *peripsema* omnium. Dicitur autem peripsema, quodcumque purgamentum, puta vel pomi, vel ferri, vel cujuscumque alterius rei. Et hoc *usque adhuc*, quia scilicet continue hoc patimur. Sed quandoque deficiet, secundum illud Sap. V, 4 : ubi ex ore impiorum dicitur : *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii* : et postea V, subditur : *Quomodo ergo computati sunt inter filios Dei?*

LECTIO III.

Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos carissimos moneo. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut et ego Christi. Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus carissimus, et fidelis in Domino, qui vos commonefaciat vias meas, quæ sunt in Christo Jesu; sicut ubique in omni Ecclesia doceo. Tamquam non venturus sim ad vos, inflati sunt quidam. Veniam ad vos cito, si Dominus voluerit, et cognoscam, non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem : non enim in sermone est regnum Dei sed in virtute. Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in caritate et in spiritu mansuetudinis?

Postquam Apostolus reprehendit Corinthios de hoc quod Apostolos temere judicabant, et præsumptuose contemnebant ; hic instat ad eorum correctionem : et primo admonitionis verbo; secundo, exemplo, ibi, *Rogo ergo vos* fratres *imitatores mei estote*; tertio correctionis flagello, ibi, *Tamquam non venturus sim ad vos, inflati sunt quidam.* Circa primum tria facit. Primo ponit admonitionis modum, dicens *Hæc*, scilicet quæ in serie Epistolæ hucusque vobis dixi, *scribo*, *non ut confundam vos*, scilicet mala confusione, quæ in desperationem mittit; quamvis velim vos confundi confusione quæ peccatum vitat, secundum illud Eccli. IV, 25 : *Est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gratiam et gloriam. Sed* prædicta *moneo* vos, *ut filios*. Eccli. VII, 25 : *Filii tibi sunt? Erudi illos et curva* [1] *illos a pueritia eorum.* Secundo ostendit debitum admonendi modum [2] dicens : *Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres.* Ubi considerandum est, quod pater est qui primo generat; pædogogus autem est qui jam natum nutrit et erudit. Galat. III, 24 : *Lex prædogogus noster fuit in Christo.* Dicit ergo Apostolus se patrem eorum in Christo : quia eis primo Evangelium prædicavit. Unde assignant rationem ejus quod dixerat, subdit : *Nam in Christo Jesu per Evangelium vos genui.* Est autem generatio processus ad vitam : homo autem vivit in Christo per fidem : Galat. XI, 20 : *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei*, fides autem ut dicitur Rom. X, 17 est *ex auditu, auditus autem per verbum.* Unde verbum Dei est semen quo Apostolus eos genuit in Christo : unde Jac. I, 18 : *Voluntarie nos genuit verbo veritatis.* Alios autem dicit pædagogos : quia postquam fidem receperant, eos adjuvarunt : ut intelligatur esse eadem comparatio quantum ad prædicationem Evangelii, pædagogi ad patrem, et quæ supra III, posita est rigatoris ad plantatorem, et superædificatoris ad fundatorem.

Deinde cum dicit, *Rogo ergo vos*, fratres, instat ad corrigendum eos suo exemplo : et primo hortatur eos ad imitandum suum exemplum, dicens : *Ergo* ex quo estis filii, cum bonorum filiorum sit imitari patres, *rogo vos, imitatores mei estote*, scilicet ut non temere judicetis, sicut nec

[1] Al. : « et cura. » — [2] Al. omittitur : « modum. »

ego, quia neque meipsum judicare præsumo; et de vobis humilia sentiatis, et de aliis majora. Unde non sine causa tali modo loquendi usus est : *Nos infirmi, vos fortes.* II Thes. III, 9 : *Ut formam nosmetipsos daremus vobis ad imitandum.* Advertendum est autem, quod eosdem quos supra filios nominavit, nunc nominat fratres. Dixerat autem suos filios in Christo, quia eos non sibi, sed Christo genuerat : et quia ipse genitus erat Christo, ex consequenti eos habebat ut fratres et filios. Intantum ergo debebant eum imitari ut patrem, inquantum et ipse Christum imitabatur qui est omnium principalis pater. Et per hoc subtrahitur subditis occasio de adhærendo malis exemplis prælatorum. Unde in hoc subditi solum prælatos imitari debent in quo ipsi Christum imitantur, qui est infallibilis regula veritatis : unde seipsum Apostolis in exemplum posuit Joan. XIII, 15 : *Exemplum dedi vobis ut, quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* Quod quidem exemplum Paulus sequebatur, secundum illud Job. XXIII, 2 : *Vestigia ejus secutus est pes meus; viam ejus custodivi, et non declinavi ab ea.* Secundo removet excusationem ignorantiæ, dicens : *Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus carissimus, et fidelis in Domino* : secundum illud Philip. II, 20, de Timotheo loquens*: Neminem habeo ita unanimem, qui sincera affectione pro vobis solicitus sit. Qui vos commonefaciat vias meas*; idest, qui vos doceat meos processus, idest omnia opera, et moneat vos ad ea sequendum, secundum illud Hier. VI, 16 : *Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea. Quæ* quidem viæ *sunt in Christo*; et ideo non debetis dedignari eas sequi, secundum illud Psalm. XXIV, 4 : *Vias tuas, Domine, demonstra mihi.* Et non videatur vobis hoc onerosum, quia hoc communiter omnibus impono. Unde subdit; *Sicut ubique in Ecclesia doceo.* Coloss. I, 5 : *Audistis veritatis Evangelium, quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo.* Vel hoc quod dicit, *Vias meas*, referendum est ad opera : quod vero dicit, *Sicut* et *ubique*, ad documenta. Ad hoc enim missus erat Timotheus, ut induceret eos ad imitanda opera, et tenenda Apostoli documenta.

Deinde cum dicit, *Tamquam non venturus sim ad vos*, comminatur eis correctionis flagellum : et primo ostendit eos esse dignos correctionis flagello, dicens : *Tamquam non venturus sim ad vos, inflati sunt quidam;* scilicet vestrum, quasi non timentes per me de sua superbia convinci : et tamen digni sunt flagellis : nam humiles solis verbis corriguntur, superbi flagellis indigent, secundum illud Job. XL, 7 : *Respice cunctos superbos, et confunde eos.* Secundo prænuntiat eis suum adventum, quo veniet ad judicandum : ubi primo prænuntiat adventum, dicens : *Veniam autem cito ad vos.* Et quia dicitur Proverb. XVI, 9 : *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus.* ideo subdit : *Si Dominus voluerit.* Jac. IV, 15 : *Si Dominus voluerit, et si vixerimus, faciemus hoc aut illud.* Secundo prænuntiat eis suam judiciariam cognitionem, cum dicit : *Et cognoscam*, scilicet ordine judiciario, secundum illud Job XXIX, 16 : *Causam quam nesciebam, diligentissime investigabam : non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem ;* quasi dicat : Non propter hæc ex mea examinatione approbabuntur qui abundant in verbis, sed si abundarent in virtute; quia, ut dicitur Prov. XIV, 23, *ubi verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.* Tertio rationem assignat, dicens : *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute;* idest, non ideo aliqui pertinent ad regnum Dei, quia abundant in sermone, secundum illud Matth. VII, 21 : *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.* Ultimo comminatur eis correctionem, reservans tamen correctionem arbitrio eorum, dicens : *Quid vultis? In virga*, scilicet disciplinæ, *veniam ad vos*, scilicet castigandos, *an in caritate*, idest ostensione amoris, *et in spiritu mansuetudinis?* ut scilicet nihil durius vobiscum agam : hoc enim pendet ex vobis [1]. Nam si vos in via stultitiæ permanetis, oportet me ad vos cum virga venire, secundum illud Proverb. XXII, 15 : *Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit eam.* Si vero nos correxeritis, ostendam vobis caritatem et mansuetudinem. Galat. ult. 1, *Vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu leni-*

[1] Al : « in vobis. »

tatis. Hoc autem non dicit, quin si in virga veniens, non cum caritate veniret, cum scriptum sit Proverb. XIII, 24 : *Qui parcit virgæ, odit filium suum; qui autem diligit illum, instanter erudit :* sed quia ille qui castigatur virga, non sentit interdum dulcedinem caritatis, sicut illi quos blande consolatur.

CAPUT QUINTUM

LECTIO I.

Omnino auditur inter vos fornicatio: et talis fornicatio qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis, et meo spiritu cum virtute Domini Jesu, tradere hujusmodi hominem satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.

Postquam Apostolus prosecutus est ea quæ pertinent ad baptismi sacramentum, hic incipit prosequi ea quæ pertinent ad matrimonium : et primo arguit peccatum contrarium matrimonio, scilicet fornicationem; secundo agit de ipso matrimonio, capit. VII, ibi, *De quibus autem scripsistis mihi*, etc. Circa primum duo facit. Primo ponit culpam; secundo redarguit eam, ibi, *Non est bona gloriatio vestra.* Circa primum duo facit. Primo ponit culpam cujusdam fornicarii; secundo culpam aliorum qui peccatum fornicarii tolerabant, ibi, *Et vos inflati estis*, etc. Circa primum primo ponit tria, quæ pertinent ad culpæ gravitatem. Primo namque ostendit peccatum esse notorium, dicens : Non sine causa quæsivi an velitis quod in virga veniam ad vos : est enim in vobis aliquid dignum virga disciplinæ : quia *fornicatio auditur inter vos omnino*, secundum publicam famam [1]; contra quod dicitur Ephes. V, 3 : *Fornicatio autem nec nominetur in vobis.* Isa. III, 9 : *Peccatum suum, quasi Sodoma, prædicaverunt nec absconderunt.* Secundo aggravat peccatum ex comparatione, cum dicit : *Et talis fornicatio qualis nec inter Gentes*, licita reputatur, vel invenitur. Apud Gentiles enim simplex fornicatio non reputabantur peccatum : unde Apostoli Act. XV, ad hunc errorem excludendum, Gentibus ad fidem conversis imposuerant quod abstineant se a fornicatione. Erat tamen quædam fornicationis species quæ et apud Gentiles illicita habebatur; et ideo dicit : *Ita ut uxorem patris sui aliquis habeat*, sicut dicitur Gen. XLIX, 4 : *Effusus es sicut aqua : non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus.* Hoc autem erat horribile etiam apud Gentiles, utpote contrarium naturali rationi existens. Per naturalem enim reverentiam filii ad parentes, secundum omnem statum et legem, pater et mater a matrimonio excluditur, ut sic etiam possit intelligi quod habetur Genes. II, 24 : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem*, scilicet in contractu matrimonii, *et adhærebit uxori suæ.* Sicut autem ibi subditur, vir et mulier *erunt duo in carne una.* Et ideo uxor patris repellitur a matrimonio, sicut persona patris vel matris, secundum illud Levit. XVIII, 8 : *Turpitudinem uxoris patris tui est.*

Deinde cum dicit : *Vos inflati estis*, ponit culpam eorum qui hoc peccatum tolerabant : et primo reprehendit eorum tolerantiam; secundo supplet quod illi negligebant, ibi, *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi.* Circa primum notat in eis tria vitia. Primo superbiam, cum dicit : *Et vos inflati estis*, scilicet vento superbiæ, reputantes vos innocentes ex comparatione peccatoris : sicut Luc. XVIII, 11, pharisæus dicebat : *Non sum sicut ceteri hominum... velut etiam hic publicanus.* Sap. IV, 19 : *Disrumpet illos inflatos sine voce.* Secundo tangit eorum injustitiam, cum dicit : *Et non magis luctum habuistis*, scilicet patiendo causa peccatoris, sicut Hier. IX, 1, dicitur : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem die ac nocte interfectos filiæ populi mei?* Vera enim justitia, ut dicit Gregorius, hom. XXXIV *Super Evang.*, compassionem habet, non dedignationem. Tertio tangit eorum judicii negligentiam :

[1] Al : « formam. »

Ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Talis enim compassio viri justi ad peccatorem vulnerat et liberat, secundum illud Proverb. XXIII, 14 : *Tu virga percuties*[1] *eum, et animam ejus de inferno liberabis.* Per hoc etiam alii corriguntur, secundum illud Proverb. XIX, 25 : *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Unde Eccl. VIII, 11 : *Quia non profertur cito contra malos sententia; absque ullo timore filii hominum perpetrant mala.* Debet autem ad correctionem aliorum interdum peccator separari, ubi de contagione timetur, secundum illud Proverb. X, 22 : *Ejice derisorem, et exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ et contumeliæ.*

Deinde cum dicit, *Ego quidem absque corpore, jam judicavi*, supplet eorum negligentiam, sententiam proferens contra peccatorem : et circa hoc tria facit. Primo ponit auctoritatem judicantis ; secundo modum judicandi, ibi, *Congregatis vobis, et meo spiritu cum virtute Domini Jesu;* tertio sententiam judicis, ibi, *Tradere hujusmodi hominem satanæ.* Circa primum duo facit. Primo ponit auctoritatem ministri, scilicet sui ipsius.

Videbantur autem contra judiciarium ordinem, ut condemnaret absentem, secundum illud Act. XXV, 16 : *Non est consuetudo Romanis condemnare aliquem, priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores.* Sed hoc Apostolus excusat, dicens : *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu*, idest affectu et solicitudine mentis, secundum illud Coloss. II, 5 : *Et si corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens et videns ordinem vestrum.* Vel *præsens spiritu*, quia per spiritum cognoscebat ea quæ apud ipsos agebantur, ac si præsens esset, sicut et Eliseus dixit IV Reg. V, 26 : *Nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo?* Et quia sum spiritu præsens, *jam judicavi;* idest, sententiam condemnationis ordinavi in eum qui sic operatus est.

Secundo ponit auctoritatem principalis Domini, dicens : *In nomine Domini nostri Jesu Christi*, idest vice et auctoritate, seu cum virtute et invocatione nominis ejus, secundum illud Coloss. III, 17 : *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, in nomine Domini nostri Jesu Christi facite.* Deinde cum dicit, *Congregatis vobis in unum*, ostendit modum judicandi : ubi tria tangit. Primo fidelium congregationem, cum dicit : *Congregatis vobis*[2]. Ea enim quæ gravia sunt, multorum concordi deliberatione punienda sunt : unde et antiquitus judices sedebant in portis, ubi populus congregabatur, secundum illud Deut. XVI, 18 : *Judices constitues in omnibus portis tuis.* Unde dicitur in Psalm. CXI, 1 : *In consilio justorum et congregatione, magna opera Domini.* et Matth. XVIII, 20 : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio.* Secundo adhibet suum assensum, cum dicit, *Et meo spiritu*, idest mea voluntate et auctoritate, secundum illud quod dixerat, *Præsens autem spiritu.* Tertio adhibet auctoritatem principalis Domini scilicet Christi, dicens : *Cum virtute Domini nostri Jesu Christi*: ex qua judicium Ecclesiæ habet robur firmitatis, sdcundum illud Matth. XVIII, 18 : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis.* Deinde cum dicit, *Tradere hujusmodi hominem satanæ*, ponit condemnationis sententiam : circa quam tria ponit. Primo pœnam, cum dicit : *Tradere hujusmodi satanæ* : supple, judicavi : quod potest dupliciter intelligi. Primo quod sicut[3] Matth. X, Dominus dedit Apostolis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos; per eamdem potestatem poterant imperare spiritibus immundis ut vexarent corporaliter quos hac pœna judicabant dignos. Mandavit ergo Apostolus Corinthiis in ejus auctoritate tradere prædictum fornicarium satanæ corporaliter vexandum. Unde ponit secundo hujus sententiæ effectum : cum dicit, *In interitum carnis*, idest ad vexationem carnis et afflictionem, in qua peccavit, secundum illud Sap. XI, 17 ; *Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur.* Tertio ponit fructum, cum dicit, *Ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi*; idest, ut salutem consequatur in die mortis, vel in die judicii, sicut supra III, expositum est : et sic impletur quod ibi XV, subditur : *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, pœnæ scilicet temporalis. Non enim Apostolus satanæ tradidit peccatorem ut ejus potestati perpetuo

[1] Al. : « percutis. » — [2] Al. : « ostendit modum judicandi ; ea enim quæ gravia sunt, etc. » intermediis omissis.

[3] Al. : « sicut dicitur. »

subjaceret, sed ut carnis vexatione ad pœnitentiam converteretur, secundum illud Isa. xxviii, 19 : *Sola vexatio intellectum dat auditui.* Est autem hæc sententia Apostoli, quam Dominus servavit Job. ii, 6, ubi satanæ dixit : *Ecce in manu tua est*, scilicet caro ejus : *verumtamen animam illius serva*, scilicet illæsam. Alio modo intelligi potest quod dicitur, *Tradere hujusmodi satanæ*, scilicet per excommunicationis sententiam, per quam aliquis separatur a communione fidelium et a participatione sacramentorum, et privatur Ecclesiæ suffragiis, quibus homo munitur contra impugnationem satanæ : propter quod de Ecclesia dicitur Cant. vi, 9, *Terribilis ut castrorum acies ordinata*, scilicet dæmonibus. Quod autem subditur, *In interitum carnis,* intelligitur, ut scilicet ab Ecclesia separatus, et tentationibus satanæ expositus, liberius ruat in peccatum, secundum illud Apoc. ult. 2 : *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Vocat autem peccata mortalia carnis interitum : quia, ut dicitur Galat. ult. 8, *Qui seminat in carne, de carne et metet corruptionem.* Subdit autem : *Ut spiritus salvus sit :* ut scilicet peccatorum turpitudinem cognoscens, confundatur et pœniteat, et sic sanetur, secundum illud Hier. xxxi, 19 : *Confusus sum, et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* Potest etiam intelligi, *ut spiritus ejus*, scilicet Ecclesiæ, idest Spiritus sanctus Ecclesiæ, *Salvus sit*, fidelibus, in die judicii, ne scilicet perdant eum per contagium peccatoris : quia, ut dicitur Sap. i, 5, *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu.*

LECTIO II.

Non est bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.

Supra Apostolus memoravit duplicem culpam, scilicet Corinthii fornicatoris, et aliorum qui ejus peccatum tolerabant; hic utramque culpam redarguit. Primo culpam tolerantium ejus peccatum; secundo culpam fornicatoris, ibi, *Corpus autem non fornicationi, sed Domino.* Circa primum duo facit. Primo redarguit in Corinthiis negligentiam judicii; secundo redarguit in eis quædam alia vitia circa judicium, vi cap., *Audet aliquis vestrum... judicari apud iniquos, et non apud sanctos?* Circa primum duo facit. Primo redarguit eos qui fornicatorem a se non separaverant : secundo reprobat falsum intellectum quem ex verbis suis conceperant, ibi, *Scripsi vobis in Epistola* etc. Circa primum duo facit. Primo reprehendit quod fecerant; secundo ostendit quid faciendum sit, ibi, *Expurgate vetus fermentum.* Circa primum duo facit. Primo reprehendit culpam præteritam quantum ad suam radicem : dixerat enim supra, quod ex inflatione sequitur in eis incompassio, et ex incompassione correctionis negligentia. Arguit ergo primo Corinthiorum elationem, dicens : *Non est bona gloriatio vestra,* qua scilicet de defectibus aliorum gloriamini, quasi vos sitis innocentes. Debet enim [1] unusquisque in Domino gloriari de bonis sibi divinitus datis, non de aliis, secundum illud Galat. vi, 4 : *Opus autem suum unusquisque probet; et sic in semetipso gloriam habebit, et non in alio.* Præcipue autem malum est de malis aliorum gloriari : dicitur enim in Psalm. li, 3 : *Quid gloriaris in malitia?* Secundo assignat rationem ejus quod dixerat, dicens : *An nescitis quod modicum fermentum totam massam corrumpit?* quasi dicat : Hoc ignorare non potestis.

Est autem sciendum, quod in fermento duo possunt considerari. Primo sapor quem tribuit pani; et secundum hoc per fermentum significatur sapientia Dei, per quam omnia quæ sunt hominis, sapida redduntur; et secundum hoc dicitur Matth. xiii, 33 : *Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.* Secundo in fermento potest considerari corruptio; et secundum hoc per fermentum potest intelligi uno modo peccatum, quia scilicet per unum hominis peccatum omnia opera ejus corrupta redduntur, puta per peccatum simulationis, quod comparatur

[1] Al. : « autem. »

fermento Luc. xii, 1 : *Attendite a fermento pharisæorum quod est hypocrisis.* Alio modo per fermentum potest intelligi homo peccator; et ad hoc inducitur hæc similitudo : sicut enim per modicum fermentum tota massa pastæ corrumpitur, ita per unum peccatorem tota societas inquinatur : unde Eccli. xi, 34 : *Ab una scintilla augetur ignis, et ab uno doloso augetur sanguis.* Et hoc quidem contingit dum per peccatum unius alii provocantur aliqualiter ad peccandum : vel etiam dum peccanti consentiunt, saltem non corrigendo dum possunt corrigere, secundum illud Rom. i, 32 : *Digni sunt morte non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Et ideo Corinthiis non erat gloriandum de peccato unius, sed magis cavendum ne peccato unius omnes inquinarentur ex ejus consortio, secundum illud Cant. ii, 2 : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* : ubi dicit *Glossa* : *Non fuit bonus qui malos tolerare non potuit.*

Deinde cum dicit, *Expurgate vetus fermentum,* ostendit quid de cetero sit faciendum : et primo ponit documentum; secundo rationem assignat, ibi, *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Dicit ergo primo : Quia *modicum fermentum totam massam corrumpit,* ideo *expurgate vetus fermentum;* idest, expurgate vos, abjiciendo a vobis vetus fermentum, idest fornicarium, qui peccando rediit in vetustatem corruptionis antiquæ, secundum illud Baruch iii, 11 : *Inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis.* Quod quidem dicit, quia per separationem unius peccatoris tota societas expurgatur : unde et egresso Juda Dominus dixit, Joan. xiii, 31 : *Nunc clarificatus est Filius hominis.* Potest etiam per vetus fermentum intelligi antiquus error, secundum illud Isa. xxvi, 3 : *Vetus error abiit* : vel etiam corruptio originalis peccati, secundum illud Rom. vi, 6 : *Vetus homo noster simul crucifixus est* : vel etiam quodcumque peccatum actuale, secundum illud Coloss. iii, 9 : *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis* : horum enim amotione [1] homo expurgatur. Ponit autem consequenter purgationis effectum, dicens : *Ut sitis nova conspersio.* Dicitur autem conspersio commixtio aquæ et farinæ novæ, antequam admisceatur fermentum. Remoto ergo fermento fidelibus, idest peccatore, vel peccato, remanent sicut nova conspersio, idest in puritate suæ novitatis, secundum illud Psalm. cii, 5 : *Renovabitur ut aquilæ juventus tua.* Ephes. iv 23 : *Renovamini spiritu mentis vestræ.* Deinde ponit modum debitum expurgationis, cum dicit : *Sicut estis azymi,* idest sine fermento peccati; dicitur enim ab *a* quod est sine, et *zima,* quod est fermentum. Unde Dominus Matth. xvi, 11, dixit discipulis : *Cavete a fermento pharisæorum et sadducæorum.*

Deinde cum dicit, *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus,* assignat rationem ejus quod dixerat, scilicet quare fideles debent esse azymi : quæ quidem ratio sumitur ex mysterio passionis Christi : unde primo proponit ipsum mysterium; secundo concludit propositum, ibi, *Itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.* Circa primum considerandum est, quod inter cetera sacramenta legalia celeberrimum erat agnus paschalis, qui, ut præcipitur Exod. xii, immolabatur ab universa multitudine filiorum Israel, in memoriam illius beneficii quo Angelus percutiens primogenita Ægypti pertransivit domos Judæorum, quorum fores linitæ essent sanguine agni : unde nomen paschæ sumitur, secundum quod ibi dicitur vers. 2 : *Est enim phase, idest transitus Domini* : et ultimo virtute hujus beneficii transivit populus mare rubrum, ut dicitur Exod. xxiv. Ille enim agnus figura fuit Christi innocentis, de quo dicitur Joan. i, 3 : *Ecce agnus Dei.* Sicut ergo ille agnus figuralis immolabatur a filiis Israel, ut populus Dei liberaretur ab Angelo percutiente, et ut transirent mare rubrum liberati de servitute Ægypti; ita Christus est occisus a filiis Israel, per cujus sanguinem populus Dei liberatur a diaboli impugnatione et servitute peccati per baptismum, quasi per mare rubrum. Ille autem agnus figuralis pascha Judæorum dicebatur, quia in signum transitus immolabatur : unde dicitur Matth. xxvi, 17 : *Ubi vis paremus tibi comedere pascha?* idest agnum paschalem. Dicit ergo Apostolus : Ideo debetis esse azymi : *etenim,* idest quia, sicut figurale pascha veteris populi est agnus immolatus, ita *pascha nostrum,* idest novi populi, *est Christus immolatus* : cujus etiam immo-

[1] Al. : « admonitione. »

lationi convenit nomen paschæ, tum significatione linguæ hebrææ, quod significat transitum : Exod. xii, 11 : *Est enim phase, idest transitus:* tum significatione linguæ græcæ, prout nomen paschæ significat passionem : Christus enim per passionem, qua fuit immolatus, transivit de hoc mundo ad Patrem, ut dicitur Joan. xiii.

Deinde cum dicit, *Itaque epulemur*, concludit propositum. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod, sicut legitur Exod. xii, agnus paschalis post immolationem manducabatur cum azymis panibus. Sicut ergo agnus figuralis fuit figura nostri paschæ immolati, ita figuralis observantia paschalis debet conformari observantiæ novi paschæ. Ergo quia Christus immolatus est pascha nostrum, *itaque epulemur*, scilicet manducantes Christum, non solum sacramentaliter, secundum illud Joan. vi, 54 : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis ;* sed spiritualiter, fruendo sapientia ejus, secundum illud Eccl. xxiv, 29 : *Qui edunt me, adhuc esurient ; et qui bibunt me, adhuc sitient* : et sic cum gaudio spirituali. secundum illud Psalm. xli, 5 : *In voce exultationis et confessionis, sonus epulantis.* Deinde determinat modum epulandi, secundum conformitatem veritatis ad figuram, dicens : *Non fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ.* Mandabatur enim Exod. xii, quod omne fermentum non inveniretur in domibus manducantium agnum paschalem. Fermentum autem habet et vetustatem et corruptionem : unde per remotionem fermenti primo quidem potest intelligi amotio observantiæ præceptorum [1] veteris legis, quæ per passionem Christi est mortificata, secundum illud Levit. xxvi, 10 : *Vetera, novis supervenientibus, projicietis.* Secundo per remotionem fermenti potest intelligi remotio corruptionis peccati, sicut supra dictum est, quod modicum fermentum totam corrumpit massam ; et quantum ad hoc subdit : *Neque in fermento malitiæ et nequitiæ* : ut malitia referatur ad perversitatem operis, secundum illud Jac. i, 21 : *Abjicientes omnem immunditiam, et abundantiam malitiæ.* Per nequitiam vero intelligitur fraudulenta machinatio : Proverb. xxvi, 25 : *Quando sumpserit vocem suam, non credideris ei, quoniam septem nequitiæ sunt in corde ejus.* Vel secundum *Glossam*, cum dicit, *Non in fermento veteri*, removet vetustatem peccati in communi ; quod autem subdit, *Neque in fermento malitiæ et nequitiæ*, explicat [2] peccatum per partes ; ut malitia dicatur peccatum quod committitur in seipsum, nequitia peccatum quod committitur in alium. Excluso ergo modo indebito epulandi, determinat modum convenientem, subdens : *Sed in azymis sinceritatis et veritatis* ; idest, in sinceritate et veritate, quæ significantur per azyma. Ponitur autem sinceritas contra corruptionem peccati ; quod significavit cum dixit : *Non in fermento malitiæ et nequitiæ* : nam sincerum dicitur quod est sine corruptione : unde II Corinth. ii, 17, dicitur : *Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate in Christo loquimur.* Veritas vero ponitur contra figuras veteris legis ; sicut Joan. i, 17, dicitur : *Veritas et gratia per Jesum facta est* : quia scilicet verum pascha cum veritate, et non cum figuris, celebrare debemus. Unde secundum *Glossam*, per sinceritatem intelligitur innocentia a vitiis, seu novitas vitæ ; per veritatem autem justitia bonorum operum, vel rectitudo, quæ fraudem excludit.

LECTIO III.

Scripsi vobis in Epistola, ne commisceamini fornicariis : non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus ; alioquin debueratis de hoc mundo exisse. Nunc autem scripsi vobis non commisceri. Si is qui frater nominatur inter vos ; est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax ; cum hujusmodi nec cibum sumere. Quid enim mihi de his qui foris sunt judicare ? Nonne de his qui foris sunt judicare ? Nonne de his qui intus sunt, vos judicatis ? Nam eos qui foris sunt, Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipsis.

Induxerat supra Apostolus Corinthios ad hoc quod a seipsis peccatorem separarent ; quod quidem prætermiserant propter falsum intellectum cujusdam verbi quod continebatur in Epistola qua-

[1] Al. : « potest intelligi observantia præceptorum, etc. » — [2] Al. : « applicat. »

dam quam eis prius miserat : et ideo pravum sensum quem ex verbis conceperant, nunc excludit : unde circa hoc tria facit. Primo resumit verbum prioris Epistolæ ; secundo excludit falsum intellectum, ibi, *Non utique fornicariis* ; tertio exponit verum intellectum, ibi, *Nunc autem scripsi vobis*. Dicit ergo primo : Dixi *vobis in Epistola* quadam alia, quæ in canone non habetur, *ne commisceamini fornicariis* ; idest, non habeatis cum eis societatem vel communionem, secundum illud Prover. I 15 : *Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum*, Eccli. IX, 6 : *Non des fornicariis animam tuam in ullo*.

Deinde cum dicit, *Non utique fornicariis*, excludit falsum intellectum prædicti verbi ; et primo proponit quod intendit ; secundo concludit propositum, ibi, *Alioquin debueratis de hoc mundo exisse*. Circa primum considerandum est, quod in prædicto verbo Apostoli dupliciter falsum intellectum conceperant Corinthii. Primo quantum ad hoc quod intelligebant illud esse dictum de fornicariis infidelibus : sed illud excludit Apostolus, dicens : *Non utique* intendo dicere, quod non commisceamini *fornicariis hujus mundi*. Vocat autem infideles nomine mundi, secundum quod dicitur Joan. I, 10, *Mundus eum non cognovit* : supra I, 21. *Non cognovit mundus per sapientiam Deum*. Secundo conceperant falsum intellectum quantum ad hoc quod putabant prohibuisse Apostolum solum de fornicariis, non autem de aliis peccatoribus : et ideo ad hoc excludendum subdit, *Aut avaris*, qui scilicet injuste detinent aliena : Ephes. III, 5 : *Avaritia, quæ est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi et Dei*. *Aut rapacibus*, qui scilicet violenter diripiunt aliena : infra eodem : *Neque rapaces regnum Dei possidebunt* ; *aut idolis servientibus* ; contra quos dicitur Sap. XVI, 17 : *Nefandorum enim idolorum cultura omnis malitiæ causa est, et initium, et finis*. Et est sensus. Non solum vobis prohibui societatem fornicatorum, sed etiam omnium aliorum peccatorum. Et est advertendum, quod per fornicationem quis peccat contra seipsum ; per avaritiam autem et rapacitatem contra proximum ; per idolorum autem culturam contra Deum ; et in his quæ ponit, omne peccati genus intelligitur. Deinde cum dicit, *Alioquin* etc. assignat rationem propositi, dicens : *Alioquin*, si scilicet sit intelligendum verbum prædictum de fornicariis hujus mundi, *debueratis de hoc mundo exisse* : quia scilicet totus mundus talibus plenus est ; unde non possetis tales fornicarios vitare, nisi de hoc mundo exeundo : dicitur enim I Joan. V, 19 : *Totus mundus in maligno positus est*. Vel aliter, *Debueratis de hoc mundo exisse* ; quasi dicat : A tempore conversionis vestræ debueratis ab infidelibus mundi separari : unde non oportet vos super hoc moneri : dicitur enim Joan. XV, 19 : *Ego elegi vos de mundo*. Vel aliter. *Debueratis de hoc mundo exisse*, scilicet per mortem : melius est enim hominibus mori, quam peccatoribus in peccatis consentire : unde dicitur infra IX, 15 : *Melius est enim mihi mori quam ut gloriam meam quis evacuet*.

Deinde cum dicit. *Nunc autem scripsi vobis*, exponit eis verum intellectum : et primo proponit quod intendit ; secundo rationem assignat, ibi, *Quid enim mihi de his qui foris sunt* ? tertio infert conclusionem intentam, ibi, *Auferte malum ex vobis ipsis*. Dicit ergo primo : Nunc autem sic expono quod olim scripsi vobis, *Non commisceamini*, scilicet fornicariis et aliis peccatoribus. *Si is qui inter vos frater nominatur*, eo modo quo Dominus dicit Matth. XXIII, 8 : *Omnes vos fratres estis*. Non tamen dicit, Si is qui frater est ; sed *si is qui frater nominatur* : quia per peccatum mortale aliquis a caritate recedit, quæ est spiritualis fraternitatis causa : unde Heb. ult., 1, dicitur, *Caritas fraternitatis maneat in vobis*. Nominatur ergo frater propter fidei veritatem, non autem est vere frater propter caritatis defectum, qui est ex peccato. Unde subditur : *Aut fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut rapax, aut ebriosus* : *cum hujusmodi nec cibum sumere*, scilicet debetis, secundum illud Joan. II Canon. vers. 10, *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domo vestra, nec Ave dixeritis ei*. quasi dicat : Per hoc quod dixi, non debere vos misceri peccatoribus, intellexi de fidelibus, qui nominantur fratres, et sunt inter vos. Non autem per hoc intelligendum est, sicut dicit Augustinus in lib. III, cap. I *Contra Parmenianum*, et habetur in *Glossa* hic, quod aliquis extraordinario judicio debeat a communione aliorum separari : quia frequenter

posset errare : sed potius hoc debet fieri secundum ordinem Ecclesiæ, quando aliquis a communione repellitur, ut convictus, vel sponte confessus : et ideo signanter dicit : *Si is qui nominatur*, ut eam nominationem intelligamus quæ fit per sententiam Ecclesiæ [1] ordine judiciario contra aliquem prolatam. Ille autem qui sic a communione pelluntur, sunt vitandi quantum ad mensam, sicut hic dicitur, et quantum ad salutationem, ut dicitur in prædicta auctoritate Joannis, et ulterius quantum ad sacram communionem : unde in versu dicitur :

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

scilicet excommunicato.

Sed notandum, quod Apostolus supra non numeravit nisi peccata mortalia, in signum quod pro solo peccato mortali debet aliquis excommunicari. Et de aliis quidem quæ ponit manifestum est : sed de ebrietate potest esse dubium, quæ non semper videtur esse peccatum mortale : dicit enim Augustinus in sermone *De Purgatorio*, inter serm. de Sanct., serm. XLI, quod ebrietas nisi sit frequens, non est peccatum mortale. Quod credo ideo esse, quia ebrietas ex suo genere est peccatum mortale. Quod enim aliquis propter delectationem vini velit perdere usum rationis, exponens se periculo multa alia peccata perpetrandi, videtur esse contrarium caritati. Contingit tamen per accidens, ebrietatem non esse peccatum mortale, propter ignorantiam vini fortitudinis, vel debilitatis proprii capitis, quæ tamen excusatio tollitur per frequentem experientiam : et ideo Apostolus signanter non dicit, ebrius, sed *ebriosus*.

Addit autem duo peccata his quæ supra posuerat ebriosum et maledictum. Refertur autem ebrietas ad genus peccati quod committitur contra seipsum, sub quo continetur, non solum luxuria, sed etiam gula ; maledicus autem refertur ad genus peccati quod committitur contra proximum, cui nocet aliquis non solum facto, sed etiam verbo, mala imprecando, vel male diffamando, quod pertinet ad detractionem ; vel mala in faciem dicendo, quod pertinet ad contumeliam : et hoc totum pertinet ad rationem maledici, ut supra dictum est.

Deinde cum dicit, *Quid enim mihi est?* assignat rationem ejus quod dixerat : et circa hoc tria facit. Primo assignat rationem, dicens : Dixi hoc esse intelligendum de fratribus, et non de infidelibus : *quid enim mihi est*, idest quid ad me pertinet, *judicare*, idest sententiam condemnationis ferre *de his qui foris sunt*, idest de infidelibus, qui sunt omnino extra Ecclesiam ? Prælati enim Ecclesiarum accipiunt spiritualem potestatem super eos tantum qui se fidei subdiderunt, secundum illud II Corinth. x, 7 : *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia.* Indirecte tamen prælati Ecclesiarum habent potestatem super eos qui foris sunt, inquantum propter eorum culpam [2] prohibent fideles ne illis communicent. Secundo adhibet similitudinem, dicens : *Nonne de his qui intus sunt, vos judicatis ?* quasi dicat : Eadem auctoritate vos judicatis qua et ego : unde sicut vos [3] non judicatis nisi de vestris ; ita et ego. Dicitur Eccl. x, 1 : *Judex sapiens judicabit populum suum.* Tertio respondet tacitæ dubitationi. Posset enim videri quod infideles essent meliores, qui propter peccata prædicta non condemnantur. Sed hoc excludit, dicens : Ideo nihil mihi de his qui foris sunt, judicare : *nam eos qui foris sunt*, idest infideles, *judicabit Deus*, scilicet judicio condemnationis, non examinationis : quia, ut Gregorius dicit in *Moralibus*, infideles damnabuntur sine judicio discussionis, et examinationis ; et quantum ad hoc dicitur Joan. III, 18 ; *Qui non credit, jam judicatus est* ; idest, manifestam in se habet causam condemnationis. Et hoc gravius reservatur Dei judicio secundum illud x, 31 : *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

Deinde cum dicit : *Auferte malum ex vobis ipsis*, infert conclusionem principaliter intentam, dicens : Ex quo hoc quod dixi, *Non commisceamini fornicariis*, intelligendum est de fidelibus, non de his qui foris sunt : ergo *auferte malum*, scilicet hominem, *ex vobis ipsis ;* idest, de vestra societate ejicite, secundum illud Deut. XIII, 5 : *Auferes malum de medio tui.*

Est ergo considerandum ex præmissis Apostoli verbis, quod non prohibemur

[1] Al. omittitur : « Ecclesiæ. » — [2] Al. deest : « propter eorum culpam. »

[3] Al. : « unde nec vos. »

communicare infidelibus qui nunquam fidem receperunt, propter eorum pœnam. Est tamen hoc cavendum aliquibus, scilicet infirmis, propter eorum cautelam [1], ne seducantur. Illi vero qui sunt firmi in fide, possunt eis licite communicare, et dare operam conversioni eorum, ut dicitur infra x, 27 : *Si quis infidelium vocat vos ad cœnam, et vultis ire ; omne quod appositum fuerit manducate.* Infidelibus autem qui aliquando fideles fuerunt, vel sacramentum fidei receperunt, sicut hæreticis et apostatantibus a fide, subtrahitur omnino communio fidelium ; et hoc in eorum pœnam, sicut et ceteris peccatoribus, qui adhuc subduntur potestati Ecclesiæ.

[1] Al. : « in cautelam. »

CAPUT SEXTUM

LECTIO I.

Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum judicari apud iniquos, et non apud sanctos? An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt; et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis? Nescitis quoniam angelos judicabimus? quanto magis sæcularia? Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. Ad verecundiam vestram dico. Si non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum? Sed frater cum fratre judicio contendit, et hoc apud infideles.

Supra Apostolus reprehenderat Corinthios de negligentia judicii : hic reprehendit in eis quædam alia peccata circa judicia : et primo quantum ad judicia eorum coram quibus litigabant; secundo quantum ad ipsa judicia, ibi, *Jam quidem omnino delictum est in vobis.* Circa primum tria facit. Primo arguit eos de inordinatione; secundo rationem reprehensionis assignat, ibi, *An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt?* tertio remedium adhibet, ibi, *Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia illos constituite ad judicandum.* Dicit ergo primo : Ita negligitis in judicando vestros, sed tamen præsumptuosi estis subire infidelium judicia; et hoc est quod dicit : *Audet*, idest præsumit, *aliquis vestrum habens negotium*, scilicet sæculare, *adversus alium, judicari apud iniquos*, idest subire judicium infidelium, *et non apud sanctos*, idest apud fideles, qui sunt sacramentis fidei sanctificati. Hoc enim est inordinatum multipliciter. Primo quidem quia per hoc derogatur auctoritati fidelium. Secundo, quia derogatur dignitati fidelium quantum ad hoc quod infidelium judicia subeunt. Tertio quia per hoc datur occasio infidelibus judicibus contemnendi fideles, quos dissentire vident. Quarto, quia per hoc datur occasio infidelibus judicibus calumniandi et opprimendi fideles, quos odio habent propter fidem et ritus diversitatem. Et ideo dicitur Deut. I, 15 : *Tuli de tribubus vestris viros sapientes et nobiles... præcepique eis, dicens : Audite illos, et quod justum est judicate* : et ibid. XVII, 15 : *Non poteris alterius gentis facere regem qui non sit frater tuus.*

Sed videtur esse contra id quod dicitur I Pet. II, 13 : *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi tamquam præcellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis* : pertinet enim ad auctoritatem principis judicare de subditis. Est ergo contra jus divinum prohibere quod ejus judicio non stetur, si sit infidelis.

Sed dicendum quod Apostolus non prohibet quin fideles sub infidelibus principibus constituti, eorum judicio compareant, si vocentur : hoc enim esset contra subjectionem quæ debetur principibus : sed prohibet quod fideles non eligant voluntarie infidelium judicium.

Deinde cum dicit, *An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt?* assignat rationem contra id quod illi faciebant, sumptam ex hoc quod derogabant auctoritati sanctorum : et primo quantum ad auctoritatem quam habent super res mundanas ; secundo quantum ad auctoritatem quam habent ad res supermundanas, idest super angelos, ibi, *An nescitis quoniam angelos judicabimus?* Dicit ergo primo : Inordinatum est judicium apud infideles, quia fideles habent auctoritatem judicandi : *An nescitis quia sancti de hoc mundo judicabunt?* idest de hominibus mundanis hujus mundi : quod quidem impletur tripliciter. Primo quidem secundum comparationem, scilicet secundum quod non solum boni judicabunt malos, et sancti mundanos, sed etiam secundum quod boni judicabuntur a melioribus, et mali judicabunt pejores, secundum illud Matth. XII, 41 : *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam.* Secundo judicabunt approbando sententiam judicis, scilicet Christi ; et hoc erit proprie justorum, secundum illud Psal. LVII, 11:

Lætabitur justus cum viderit vindictam. Unde Sap. III, 8, dicitur, *judicabunt sancti nationes.* Tertio modo per sententiæ prolationem : et hoc erit Apostolorum et similium, qui contemptis rebus mundi, solis spiritualibus inhæserunt : *Spiritualis enim judicat omnia*, ut dictum est supra II, 15 : unde et Matth. XIX, 28, dicitur : *Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israel* : et in Psalm. CXLIX, 6, dicitur : *Gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus.* Intelligitur autem ista prolatio sententiæ non vocalis, sed spiritualis, inquantum per superiores sanctos, inferiores, vel etiam peccatores, spirituali quadam illuminatione illuminabuntur, quales pœnæ et qualia præmia eis debeantur ; sicut etiam nunc homines illuminantur ab Angelis, vel etiam inferiores Angeli a superioribus. Secundo ex hoc quod dictum est, argumentatur ad propositum, dicens : *Et si in vobis*, idest per vos, *judicabitur mundus*, idest mundani homines, *numquid indigni estis qui judicetis de minimis*? scilicet de negotiis sæcularibus. Luc. XVI, 10 : *Qui in modico iniquus est, et in majori iniquus erit.* Deinde cum dicit, *Nescitis quoniam angelos judicabimus*? argumentatur ad idem ex auctoritate sanctorum super angelos ; et primo ponit eam, dicens : *An nescitis quoniam* nos, scilicet fideles Christi, *judicabimus angelos*? quod quidem potest intelligi de malis angelis, qui condemnabuntur a sanctis, quorum virtute sunt victi. Unde Luc. X, 19, Dominus dicit : *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, et super omnem virtutem inimici* : et Psal. XC, 13 : *Super aspidem et basiliscum ambulabis.* Potest etiam hoc intelligi de bonis Angelis, quorum plurimi in comparatione quadam invenientur Paulo, et similibus sibi, inferiores. Unde signanter non dicit, Judicabitis, sed *judicabimus.* Quamvis etiam [1] dici posset, quod ex consequenti, si sancti judicabunt homines bonos et malos, erit judicium de bonis Angelis, quorum accidentale præmium augetur ex præmio sanctorum per Angelos illuminatorum ; et etiam de malis angelis, quorum pœna augetur ex pœna hominum per eos seductorum. Secundo argumentatur ad propositum, dicens : *Quanto magis sæcularia*, scilicet judicia, idonei erimus judicare? Qui enim est idoneus ad majora, multo magis est idoneus ad minora. Unde et Dominus, cui commiserat quinque talenta, postmodum commisit unum, ut habetur Matth. XXV.

Deinde cum dicit, *Sæcularia igitur judicia*, adhibet remedium contra culpam eorum : et primo ponit remedium ; secundo exponit, ibi, *Ad verecundiam vestram dico.* Dicit ergo primo : *Ergo* ex quo sancti de hoc mundo judicabunt, *si habueritis inter vos sæcularia judicia*, quæ tamen habere non debetis, *illos qui sunt contemptibiles in Ecclesia, constituite ad judicandum*, potius scilicet quam judicemini apud infideles. Unde et in Psal. CXL, 5, dicitur : *Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me* ; *oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* : et Eccl. IX, 4, dicitur : *Melius est canis vivus leone mortuo.* Deinde cum dicit, *Ad verecundiam vestram dico*, exponit quo sensu prædicta dixit. Posset enim aliquis credere, quod ad litteram essent eligendi contemptibiliores ad judicandum ; sed hoc excludit, dicens : *Ad verecundiam vestram dico* ; quasi dicat : Non hoc dixi ut ita fiat, sed ut vos faciam verecundari illa scilicet confusione quæ adducit gratiam et gloriam, ut dicitur Eccl. IV. Contemptibiles enim in Ecclesia essent eligendi ad judicandum, si non invenirentur inter vos sapientes : quod esset vobis verecundum : unde subdit : *Si non est inter vos sapiens quisquam qui possit judicare inter fratrem et fratrem? Sed frater cum fratre in judicio contendit, et hoc apud infideles*? Potius autem quam hoc faceretis, deberetis constituere contemptibiles qui sunt in Ecclesia, ad judicandum, et supplendum defectum sapientium : qui tamen non est apud vos, secundum illud supra I, 5, dixerat : *Divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia.* Vel aliter ab illo loco, *Sæcularia* etc. Dixerat enim, quod sancti idonei sunt ad judicandum sæcularia ; et ideo vult ostendere per quos judicia sæcularia debeant exerceri, scilicet per contemptibiles qui sunt in Ecclesia. Vocat autem contemptibiles illos qui sunt sapientes in rebus mundanis, per comparationem ad illos qui sunt sapientes in rebus divinis ; quibus est reverentia exhibenda : quia in rebus temporalibus non occu-

[1] Al. : « enim. »

pantur, ut solis spiritualibus vacent; et hoc est quod subditur: *Ad verecundiam vestram dico*: secundum aliam litteram, *Ad reverentiam vestram*. Unde et Apostoli dixerunt Act. VI, 2: *Non est æquum relinquere nos verbum Dei, et ministrare mensis*. Postmodum autem redit ad id quod supra reprehenderat, scilicet quod Corinthii sub infidelibus judicibus litigabant, dicens: *Sic non est inter vos sapiens quisquam?* scilicet in rebus temporalibus, quem supra contemptibilem dixit. Unde alia non mutantur a prima expositione, quæ tamen videtur esse magis litteralis.

LECTIO II.

Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis, et fraudatis. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare. Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et hæc aliquando quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri, et venter escis: Deus autem et hunc et has destruet.

Postquam Apostolus reprehendit Corinthios de hoc quod coram infidelibus judicibus litigabant, hic reprehendit eos quantum ad ipsa judicia: et circa hoc duo facit. Primo ponit in quo peccabant circa judicia: secundo manifestat quod dixerat, ibi, *An nescitis quoniam iniqui regnum Dei non possidebunt?* Circa primum duo facit. Primo reprehendit in eis circa judicia id quod est licitum, sed non expediens; secundo id quod est penitus illicitum, ibi, *Sed vos injuriam facitis et fraudatis.* Circa primum duo facit. Primo ponit reprehensionem; secundo removet excusationem, ibi, *Quare non magis fraudem patimini?* Dicit ergo primo: Dictum est, quod frater cum fratre in judicio contendit; quod non solum malum est, quod apud infideles contenditis, sed *jam quidem* post conversionem vestram *omnino delictum est in vobis;* id est, ad delictum vobis reputatur quod *judicia habetis inter vos*, inter quos scilicet debet esse pax: quia, ut dicitur XLIX Timoth. II, 24: *Servus Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.*

Apparet autem ex hoc, ut dicit hic *Glossa* Augustini *De serm. Domini in mon.*, *lib.* II, cap. XIII, et *in Ench.* cap. LXXVIII, quod peccatum est judicium habere contra aliquem. Sed hoc videtur esse falsum: quia si peccatum est judicium habere, videtur sequi quod etiam peccatum sit judices constituere, cum hoc sit occasionem dare judicium habentibus; cum tamen dicatur Deuter. I, 16: *Audite illos, et quod justum est judicate*: et postea subditur: *quia Dei judicium est.* Solvitur autem[1] in *Glossa*, quod infirmis permittitur in judicio sua repetere, non autem perfectibus; quibus licet sua repetere, sed non in judicio.

Est autem sciendum hic, quod aliquid est perfectis illicitum, aliquid autem omnibus. Perfecti quidem proprium non habent, secundum illud Matth. XIX, 21: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me*: et ideo non licet eis in judicio repetere quasi propria, cum eis non liceat habere proprium; licet tamen eis in judicio repetere ea quæ sunt communia: non enim hoc faciendo peccant, sed magis merentur: est enim opus caritatis, defendere vel recuperare res pauperum, secundum illud Psal. LXXXI, 4: *Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate.* Sed judicium adversus aliquem est illicitum omnibus quantum ad quatuor. Primo quidem quantum ad causam ex qua aliquis judicium habet, puta ex cupiditate et avaritia. Unde Luc. XII, 13: cum quidam de turba Domino dixisset: *Dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem*: Dominus dixit: *Quis me constituit judicem ad dividendum inter vos?* postea subdit: Videte et cavete ab omni avaritia. Secundo quantum ad modum judicii, quia scilicet cum contentione et detrimento pacis, judicium prosequuntur: ut enim dicitur Jac. III, 16, *ubi zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum.* Et hoc videtur Apostolus in eis reprehendere, ut patet ex hoc quod supra dixit: *Frater cum fratre in judicio contendit.* Tertio ex perversitate judicii, puta cum aliquis injuste et fraudulenter in judicio procedit, secundum illud Isa.

[1] Al.: « enim. »

x, 2 : *Ut opprimerent pauperem, et vim facerent causæ humilium populi mei.* Et hoc etiam Apostolus in eis reprehendit, ut patet per id quod subdit : *Sed vos injuriam facitis.* Quarto propter scandalum quod sequitur : unde et Dominus mandat Matth. v, 40 : *Qui vult tecum judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium.* Ex caritate vero, sua in judicio repetere licitum est : unde Gregorius dicit in *Moralibus* : « Cum curam rerum nobis necessitas imponit, quidam dum ea rapiunt [1], solummodo sunt tolerandi ; quidam vero servata caritate sunt prohibendi, scilicet ne rapientes non sua, semetipsos perdant. »

Deinde cum dicit, *Quare non magis fraudem patimini?* tollit excusationem. Possent enim dicere : Necessitas nos inducit ad judicia habenda, ut scilicet resistamus injuriis et fraudibus aliorum. Sed hoc excludit subdens quantum ad primum : *Quare non magis injuriam*, scilicet manifestam, *accipitis?* scilicet patienter sustinendo, secundum illud quos Dominus dicit Matth. v, 39 : *Si quis te percusserit in maxillam, præbe ei et alteram.* Quantum vero ad secundum subdit : *Quare non magis fraudem patimini?* idest dolosam seductionem, secundum illud Matth. v, 41 : *Si quis te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo.* Sed, sicut Augustinus dicit in libro *De sermone Domini in monte*, hæc præcepta Domini non sunt semper observanda in executione operis, sed semper sunt habenda in præparatione animi, ut scilicet simus parati hoc facere, vel sustinere potius quam aliquid agere contra caritatem fraternam.

Deinde cum dicit, *Sed vos injuriam facitis*, reprehendit in eis id quod est omnino illicitum : et primo arguit in eis manifestam injustitiam, cum dicit : *Sed vos injuriam facitis*, scilicet manifeste loquendo contra justitiam aliorum vel in judicio vel extra judicium : Eccli. iv, 17 : *Non placeat tibi injuria injustorum* ; secundo dolosam deceptionem, cum subdit, *Et fraudatis* : Proverb. xii, 5 : *Consilia impiorum fraudulenta* ; tertio aggravat utrumque, cum subdit, *Et hoc fratribus*, idest fidelibus, ad quos debemus bonum maxime operari, secundum illud Gal. ult. 10 : *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Et ideo contra quosdam dicitur Hier. xi, 4 : *Omnis frater supplantans supplantabit ; et omnis amicus fraudulenter incedet.*

Deinde cum dicit, *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt?* manifestat quod dixerat. Et primo quantum ad id quod est omnino illicitum ; secundo quantum ad id quod est licitum : sed non expediens, ibi, *Omnia mihi licent.* Circa primum duo facit. Primo movet quæstionem ; secundo determinat eam, ibi, *Nolite errare.* Dicit ergo primo : Dixi, quod vos injuriam facitis, et defraudatis ; quod est iniquitatem committere ; sed *an nescitis quod iniqui regnum Dei non possidebunt?* quasi dicat : Videmini hæc nescire, dum ab iniquitate non receditis : cum tamen in Psalm. vi, 9, et Matth. vii, dicitur : *Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem.* Deinde cum dicit, *Nolite errare*, determinat veritatem : et primo ostendit periculum quod imminet iniquis ; secundo ostendit quomodo ipsi hoc periculum evaserunt, ut timeant iterum in ipsum incidere, ibi, *Et hæc quidem aliquando fuistis.* Dicit ergo primo : *Nolite errare :* quad signanter dicit, quia circa impunitatem peccatorum aliqui multipliciter errabant, secundum illud Sapient. ii, 21 : *Et cogitaverunt et erraverunt.* Quidam enim Philosophi erraverunt credentes Deum non habere curam rerum humanarum, secundum illud Sophon. i, 12 : *Non faciet Dominus bene, et non faciet Dominus male.* Quidam vero credentes solam fidem sufficientem esse ad salutem, secundum illud Joan. xi, 26 : *Qui credit in me, non morietur in æternum.* Quidam vero credentes per sola Christi sacramenta salvari, propter id quod dicitur Matth. ult. 16 : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* : et Joan. v, 55 : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Quidam vero propter sola opera misericordiæ se impune peccare arbitrantur, propter illud quod dicitur Luc. xi, 41 : *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Nec intelligunt quod hæc omnia sine caritate non prosunt, secundum illud quod dicitur infra xiii, 2 : *Si habuero omnem fidem, et distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest* : et ideo subdit, quod peccata

[1] Al. : « repetunt. »

contraria caritati a regno Dei excludunt, in quod sola caritas introducit: dicens: *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri*, de quibus dicitur Hebr. ultim. 4: *Fornicatores et adulteros judicabit Deus*: *neque molles*: idest mares muliebria patientes [1], *neque masculorum concubitores*, quantum ad agentes in illo vitio, de quibus dicitur Genes. XIII, 13: *Homines Sodomitæ pessimi erant, et peccatores coram Domino nimis*: *neque avari neque fures*, de quibus dicitur Zach. V, 3: *Omnis fur, sicut scriptum est, judicabitur*: *neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces Dei possidebunt*: enim Isai. XXXV, 8: *Via sancta vocabitur*: *non transibit per eam pollutus*: et Apocal. XXI, 27: *Non intrabit in illam aliquid coinquinatum, faciens abominationem.*

Et est advertendum, quod hic enumerat eadem vitia quæ in præcedendi capitulo posuerat, addit autem quædam in genere luxuriæ, scilicet adulterium et vitium contra naturam; in genere autem injustitiæ, furtum.

Deinde cum dicit, *Et hæc quidem aliquando fuistis*, ostendit quomodo prædictum periculum evaserunt: et primo commemorat statum præteritum, dicens: *Et hæc quidem aliquando fuistis*, scilicet fornicarii, et idolis servientes etc. Et ideo specialiter hæc vitia commemorat, quia in eis abundaverant, secundum illud Ephes. V, 8: *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Secundo ostendit quomodo ab his vitiis fuerunt liberati [2], dicens: *Sed abluti estis*: scilicet virtute sanguinis Christi in baptismo, secundum illud Apoc. I, 5: *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*: *sed sanctificati estis*, virtute sanguinis Christi per gratiam consecrati, secundum illud Heb. ult. 12: *Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum* [3], *extra portam passus est, sed justificati estis*, ad statum justitiæ et virtutis, secundum illud Rom. VIII, 30: *Quos vocavit, hos et justificavit.* Subditur autem horum beneficiorum causa; et primo ex parte humanitatis Christi: cum dicit: *In nomine Domini nostri Jesu Christi*, idest in fide et invocatione nominis Christi, secundum illud Act. IV, 12: *Non est aliud nomen datum sub cœlo hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Secundo ex parte divinitatis, cum subdit: *Et in spiritu Dei nostri*, secundum illud Ezech. XXXVII, 5: *Ecce ego mittam in vos spiritum et vivetis.* Quia igitur tam potenti virtute liberati estis, ad eadem redire nos debetis.

Deinde cum dicit, *Omnia mihi licent* etc., manifestat id quod dixerat de prohibitione judicii, ostendens quo sensu id reprehenderit, quia scilicet non reprehendit illud quasi omnino illicitum, sed quasi non expediens et nocivum: et circa hoc duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo rationem assignat, ibi, *Esca ventri, et venter escis.* Circa primum duo facit. Primo proponit, quod reprehenderat, esse licitum sed non expediens, dicens: *Omnia mihi licent.* Dicuntur autem illa licita quæ homo facere non prohibetur. Est autem duplex prohibitio: una coactionis, alia præcepti: et secundum hoc quidam intellexerunt illa licere a quibus non prohibentur aliqua necessitate cogente: et ideo quia arbitrium hominis naturaliter liberum est a coactione; intellexerunt Apostolum eo sensu dicere: *Omnia mihi licent*: quia scilicet libero arbitrio hominis subjacent, sive sint bona, sive sint mala, secundum illud Eccli. XV, 18: *Ante hominem bonum et malum, vita et mors; quodcumque voluerit, dabitur ei:* Sed hic modus loquendi alienus est a Scriptura sacra, in qua dicitur, non licere ea quæ divina lege prohibentur, secundum illud Matth. XIV, 4: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Et ideo quod hic Apostolus dicit, *Omnia mihi licent*, non potest absolute intelligi, sed ut sit accommoda distributio, sub hoc sensu: Omnia mihi licent quæ scilicet divina lege non prohibentur. Et potest hoc ad tria referri. Primo quidem ad id quod dixerat de judiciis, quia scilicet unicuique licet omnis sua judicio repetere, cum non sit lege divina prohibitum. Alio modo potest referri ad id quod infra VIII, dicturus est de indifferenti usu ciborum; ut sit sensus: Licitum est mihi omnes cibos comedere, secundum illud Tit. I, 15: *Omnia munda mundis.* Tertio potest referri ad id quod dicturus est infra XIV, de smptibus accipiendis, ut sit sensus: *Omnia mihi licent*, scilicet accipere ad necessitatem vitæ, sicut coapostolis meis. Subdit autem: *Sed non omnia expediunt.* Dicitur autem

[1] Al.: « facientes. »
[2] Al.: « ab his intus fuerunt liberati. » —
[3] Al.: « ut sanctificaret suum populum. »

illud expedire quod est sine impedimento finem consequendi. Contingit autem quod aliquid non totaliter excludit finem, sed impedimentum aliquod affert; sicut matrimonium non excludit hominem a regno Dei, impedimentum tamen affert, quia scilicet, ut infra VII. 34, dicit, *quæ sub viro est mulier, cogitat quomodo placeat viro*. Unde Matth. XIX, 10, discipuli dicunt : *Si ita est causa hominis cum uxore sua, non expedit nubere*. Sic ergo fornicari nec licet, nec expedit, quia totaliter excludit finem, qui est vita æterna; matrimonium autem est licitum, sed non expediens. Secundum igitur hunc modum sua in judicio repetere, indifferenter omnibus cibis uti, sumptus accipere ab his quibus prædicatur, est quidem licitum, quia non est contra justitiam, nec aliqua prohibetur lege; non tamen est expediens : quia vel impeditur pax ad proximum, vel infirmis scandalum aliquod generatur, vel aliqua maledicendi occasio præbetur : unde Eccli. XXXVII, 31 : *Non omnia omnibus expediunt*. Alio modo potest intelligi non absolute, sed sub conditione; ut sit sensus : Dixi, quod neque fornicarii, neque idolis servientes, etc., regnum Dei possidebunt : et ideo hæc non licent, quia finem excludunt. Sed si omnia licerent mihi, *non omnia expediunt :* quia per ea præstatur impedimentum vitæ humanæ. Unde in persona impiorum dicitur Sap. V, 7 : *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles*. Secundo ostendit esse nocivum id quod supra reprehendit, dicens : *Omnia mihi licent*, ut supra expositum est ; *sed* tamen *ego sub nullius redigar potestate*, scilicet hominis. Ille enim qui utitur eo quod non expedit, sive licitum sive illicitum, quodammodo redigitur sub potestate rei alicujus vel hominis. Rei quidem, quia qui nimis rem aliquam amat, quodammodo servus illius rei efficitur, secundum illud Rom. ult. 18 : *Hujusmodi non Christo Domino serviunt, sed suo ventri*: hominis autem; quia dum aliquis facit quod non expedit, quodammodo subjicitur judicio aliorum, et specialiter ille qui in judicio repetit, subjicitur potestati judicis. Infra X, 29 : *Ut quid enim libertas non judicatur ab aliena conscientia?*

Deinde cum dicit, *Esca ventri* etc., assignat rationem ejus quod dixerat ; et primo quare omnia licent, dicens : *Esca ventri*, scilicet debetur, ut scilicet in ventre decocta in nutrimentum totius corporis cedat; *et venter escis*, scilicet recipiendis et decoquendis deservit. Quia igitur ex Dei ordinatione venter est solicitus ad escas recipiendas et escæ ad hoc deputatæ sunt quod in ventre ponantur, secundum illud Genes. I, 29 : *Ecce dedi vobis omnem escam ex cunctis animantibus, ut habeant ad vescendum* : non est illicitum quod homo res suas repetat, vel prædicator stipendia accipiat propter necessitatem escarum, vel ut etiam homo omnibus escis utatur. Secundo ibi, *Deus autem et hunc et has destruet*, assignat rationem quare omnia non expediunt. Non enim expedit quod homo patiatur aliquod detrimentum in eo quod nunquam corrumpitur, scilicet in regno cœlesti, propter id quod corrumpitur. Et hoc accidit de esca, et de ventre. Cessabit enim post hanc vitam escarum usus et ventris, quia corpora resurgentium conservabuntur absque cibo, Deo id faciente : et hoc est quod dicit : *Deus autem destruet*, id est cessare faciet, *hunc*, scilicet ventrem, non quidem quantum ad essentiam, sed quantum ad effectum quem nunc habet ; *et has*, scilicet escas, quantum pertinent ad usum hominis : quia in resurrectione homines erunt sicut Angeli in cœlo, ut dicitur Matth. XXII.

LECTIO III.

Corpus autem non fornicationi, sed Domino ; et Dominus corpori. Deus vero et Dominum suscitavit et nos suscitabit per virtutem suam. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi ? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis ? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur ? Erunt enim, inquit, duo in carne una. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne enim peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est ; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri ? Empti enim estis pretio magno : glorificate et portate Deum in corpore vestro.

Supra Apostolus tripliciter reprehendit Corinthios circa judicia : nunc autem redit ad reprehendendum peccatum fornicarii, cujus supra V mentionem fecerat, et in cujus judicio Corinthii negligentes erant. Improbat autem fornicationem quatuor rationibus : quarum prima su-

mitur ex divina ordinatione; secunda ex unione ad Christum, ibi, *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* tertia ex corporis inquinatione, ibi, *Fugite fornicationem;* quarta ex gratiæ? dignitate, ibi, *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti?* Circa primum duo facit. Primo ponit divinam ordinationem; secundo ordinationis finem, ibi, *Deus vero* [1] *et Dominum suscitavit, et nos suscitabit.* Circa primum considerandum est, quod aliqui argumentum suæ lasciviæ sumunt ex ordinatione Dei. Qui enim fornicantur, utuntur suo corpore ad usum a Deo institutum. Sed hoc excludit, dicens, quod esca est ordinata ad ventrem, et venter ad escas; *corpus autem* hominis, *non fornicationi;* idest, non est ordinatum ad fornicandum, *sed Domino*; id est, ad hoc ordinatum, ut sit Domini nostri Jesu Christi; *et Dominus corpori*; id est, Dominus Jesus Christus ad hoc datus est hominibus, ut humana corpora suæ gloriæ conformet, secundum illud Philip. III, 21 : *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.*

Sed contra hoc videtur esse quod, sicut venter ordinatus est a Deo ad usum ciborum; ita quædam membra humani corporis sunt ordinata a Deo ad usum generationis, quibus fornicatio exercetur.

Sed attendenda est differentia quantum ad duo. Primo quidem quod Apostolus supra locutus est de uno corporis membro, scilicet de ventre: hic autem loquitur de toto corpore, quod sicut non est ordinatum ad fornicandum, ita nec ad escas sumendum; sed potius usus escarum est propter corpus, corpus autem propter animam, a qua percipit vitam, secundum ejus conditionem : et quia omnia ordinantur in Deum sicut in finem, ideo corpus debet esse subjectum Domino, et ei dedicatum. Et quia supra locutus est de usu escarum in communi absque inordinatione; fornicatio autem est usus inordinatus ex membro fornicatoris [2]. Unde nec ipsa membra sunt propter fornicationem, sed propter usum generationis ordinata ratione, cui omnia membra corporis deservire debent : sicut etiam venter non propter crapulam et ebrietatem, sed propter convenientem usum ciborum.

Deinde cum dicit, *Deus vero et Christum suscitavit, et nos suscitabit*, ponit finem ordinationis prædictæ : et primo ponit quid Deus circa Dominum fecerit, dicens : *Deus ergo et Dominum*, scilicet Dominum Jesum Christum, *suscitavit*, a quo ipse Christus petit in Psal. XL, 11 : *Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me*; Deus autem est et Pater et Filius et Spiritus sanctus. Unde et ipse Christus, qui est Filius Dei, se suscitavit, et sua virtute resurrexit, secundum illud Psalm. III, 6 : *Ego dormivi, et soporatus sum, et exsurrexi, quia Dominus suscepit me* : et II Corinth. ult. 4 : *Si crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Secundo ponit quid circa nos facturus sit, dicens, quod *nos suscitabit* Deus, *per virtutem suam*, per quam scilicet Christum suscitavit, secundum illud Rom. VIII, 11 : *Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra.* Et est advertendum, quod supra de escis et ventre loquens, quæ pertinent ad usum animalis vitæ, dixit eas a Deo destruendas; nunc autem loquens de corpore et Domino, facit mentionem de resurrectione, quia scilicet animali vita cessante, natura corporis in melius reformabitur. Unde patet quod non est utendum corpore ad fornicationem, quæ impedit futuram incorruptionem, secundum illud Galat. ult. 8 : *Qui seminat in carne, de carne et metet corruptionem.*

Deinde cum dicit, *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* ponit secundam rationem quæ sumitur ex affinitate humani corporis ad Christum, quæ talis est. Membra hominis fornicantis sunt membra meretricis; sed membra hominis sunt membra Christi : ergo per fornicationem fiunt membra Christi membra meretricis; quod est inconveniens. Circa quod quatuor facit. Primo ponit majorem, dicens : *An nescitis quoniam corpora vestra sunt membra Christi?* quasi dicat : Hoc non debetis nescire, quia quicumque estis regenerati in Christo, membra Christi estis effecti, secundum illud infra XII, 27 : *Vos estis corpus Christi, et membra de membro*: et hoc non solum quantum ad animas, quæ ab eo justificantur, sed etiam quantum ad corpora, quæ

[1] Al. *enim.*

[2] Al. : « fornicationis. »

ab eo resuscitabuntur, ut dictum est. Secundo ponit conclusionem dicens : *Tollens ergo membra Christi*, idest injuste subtrahens servitio Christi, cui debent deputari, secundum illud Rom. VI, 13 : *Exhibeatis membra vestra arma justitiæ Deo* : *faciam*, scilicet eadem, *membra meretricis* esse fornicando? *Absit* : hoc enim est horrendum sacrilegium : unde dicitur Malach. II, 11 : *Contaminavit Judas sanctificationem Domini quam dilexit, et habuit filiam dei alieni.* Tertio ponit minorem, dicens : *An nescitis quia qui adhæret meretrici*, scilicet fornicando, *unum corpus efficitur?* scilicet per immundam commixtionem. Et ad hoc probandum inducit auctoritatem Genesis, dicens : *Inquit enim Scriptura*, scilicet Genes. II : *Erunt duo*, scilicet vir et mulier, *in carne una* ; idest, per mixtionem carnalem una caro efficiuntur ; et sic membra unius fiunt membra alterius. Sunt enim hæc verba Adæ de viro et uxore loquentis, quæ Apostolus hic etiam ad fornicationem refert, quia secundum speciem naturæ non differunt utriusque actus. Est autem intelligendum, quod, sicut dicit Philosophus in lib. *De generatione animalium*, in masculo est principium activum generationis, in femina est passivum. Et sicut in planta, cujus vita principaliter ordinatur ad generationem, semper est unum corpus, in quo utrumque principium unitur ; ita in animalibus, quæ ordinantur ad altiores actus vitæ, non semper est unum corpus habens hæc duo principia, sed ex duobus fit unum in actu generationis : quod quidem non est tantum viri : quia sicut infra XII, 4, dicitur, *vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier.* Secundo probat minorem, dicens : *Qui autem adhæret Domino*, scilicet per fidem et caritatem, *est unus spiritus* cum illo, quia scilicet unitur ei unitate spirituali, non corporali. Unde et Rom. VIII, 9, dicitur : *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* : et Joan. XVII, 22 : *Ut sint unum in nobis, sicut nos unum sumus*, scilicet per connexionem Spiritus : et quia corpus deservit spiritui, consequens est ut etiam corpora nostra membra ejus sint cui per spiritum unimur, non quidem carnali conjunctione, sed spirituali. Potest autem ex præmissis duabus rationibus una ratio conflari, ut scilicet quia corpus nostrum non est deputatum fornicationi, sed Domino, hoc scilicet modo quod membra nostra sunt membra Christi, ut postmodum exponit, non faciamus ea membra meretricis fornicando.

Deinde cum dicit, *Fugite fornicationem*, ponit tertiam rationem, quæ sumitur ex corporis inquinatione. Primo ponit conclusionem intentam, dicens : *Fugite fornicationem.* Ubi notandum, quod cetera vitia vincuntur resistendo : quia quanto magis homo particularia considerat et tractat, tanto minus in eis invenit unde delectetur, sed magis anxietur : sed vitium fornicationis non vincitur resistendo : quia quanto magis ibi homo cogitat particulare, magis incenditur ; sed vincitur fugiendo, id est totaliter vitando cogitationes immundas, et quaslibet occasiones, ut dicitur Zach. II, 6, *Fugite de terra aquilonis, dicit Dominus.* Secundo assignat rationem, dicens : *Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est.* Ad cujus evidentiam sciendum, quod quædam peccata non consummantur in carnali delectatione, sed in sola spirituali ; ideo spiritualia vitia dicuntur, sicut superbia, avaritia, accidia : fornicatio autem completur maxime in carnali delectatione ; et secundum hoc posset intelligi quod hic dicitur : *Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est*, quia scilicet completur præter sui corporis delectationem ; *qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*, quia scilicet ejus peccatum in carne consummatur.

Sed huic expositioni contrarium videtur esse quod etiam peccatum gulæ consummatur in delectatione corporis.

Ad quod posset dici, quod peccatum gulæ sub luxuria continetur, inquantum ad ipsam ordinatur, secundum illud Ephes. V, 18 : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Sed melius potest dici, quod Apostolus non dicit *Qui fornicatur*, corpore suo peccat, quod congrueret primæ expositioni ; sed *peccat in corpus suum*, idest contra corpus suum, corrumpendo et inquinando illud præter usum rationis. Unde et Apoc. III, 4 : *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua*, idest corpus : et ibid. XIV, 4 : *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati.* Vel aliter secundum Augustinum hic in *Glossa. Qui fornicatur, in corpus suum peccat*, quia anima ejus totaliter totaliter carni in illo actu subjicitur, ita quod nan possit aliud ibi cogitare : unde in Psalm. XXI, 9, dici-

tur : *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* Vel aliter : *In corpus suum peccat*, idest contra uxorem suam, quæ dicitur corpus viri, contra quam non ita directe sunt alia peccata, sicut viri fornicatio : unde et I Thessal. IV, 4, dicitur : *Ut sciat unusquisque vestrum possidere vas suum in sanctificatione*, idest uxorem suam. Vel secundum Augustinum lib. I *Retract.* cap. XIX potest intelligi de fornicatione spirituali, per quam anima adhæret per amorem mundo, et recedit a Deo, secundum illud Psalm. LXXII, 26 : *Perdes omnes qui fornicantur abs te.* Est ergo sensus, *Qui fornicatur*, recedens a Deo propter amorem mundi, *in corpus suum peccat*, idest per corporalem concupiscentiam. Omne autem aliud peccatum, puta quod homo committit ex oblivione, vel ex ignorantia, seu negligentia, *est extra corpus*, idest corporalem concupiscentiam.

Deinde cum dicit, *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti* ? ponit quartam rationem, quæ sumitur ex dignitate gratiæ : quæ quidem ex duobus consurgit ; scilicet ex gratia Spiritus sancti, et ex redemptione sanguinis Christi. Circa hoc igitur tria facit. Primo proponit dignitatem corporis nostri, quam habet ex gratia Spiritus sancti, dicens : *An nescitis*, quasi dicat, ignorare non debetis, *quoniam membra vestra*, scilicet corporalia, *templum sunt Spiritus sancti*? sicut supra III, 16, dictum est : *Nescitis quia templum Dei estis* ? Et hujus rationem assignat, subdens, *Qui in vobis est.* Dicitur autem templum, domus Dei. Quia igitur Spiritus sanctus Deus est, conveniens est quod in quocumque est Spiritus sanctus, templum Dei dicatur. Est autem Spiritus sanctus principaliter quidem in cordibus hominum in quibus caritas Dei diffunditur per Spiritum sanctum, ut dicitur Rom. V ; sed secundario etiam est in membris corporalibus, inquantum exequuntur opera caritatis. Unde in Psalm. LXXXIII, 3, dicitur : *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Et ne hanc dignitatem sibi ascriberent, subdit : *Quem habetis a Deo, non ex vobis.* Unde Joel. II, 28 : *Effundam de Spiritu super omnem carnem* : et Actor V, 32 : *Spiritum suum dedit obedientibus sibi.* Secundo ponit dignitatem quam habent corpora nostra ex redemptione sanguinis Christi, dicens : *Et non estis vestri*, sed Jesu Christi, secundum illud Roman. XIV, 8 : *Sive vivimus sive morimur, Domini sumus.* I Corinth. V, 15 : *Qui vivit, jam non sibi vivat.* Rationem hujus assignat, dicens : *Empti estis pretio magno* ; et ideo servi estis ejus qui vos redemit de servitute peccati : unde infra VIII, 22, dicitur : *Qui liber vocatus est, servus est Christi* : *pretio enim empti estis* : et in Psalm. XXX, 6 : *Redemisti me Domine Deus veritatis.* Dicitur autem pretium redemptionis magnum, quia non est corruptibile, sed æternam habens virtutem. cum sit sanguis ipsius Dei æterni : unde I Petr. I, 18 : *Redempti estis de vana vestra conversatione, non corruptibilibus auro vel argento, sed sanguine agni immaculati et incontaminati, Jesu Christi.* Tertio infert conclusionem intentam, dicens : *Glorificate ergo et portate Deum in corpore vestro.* Quia enim membra vestra sunt templum Dei, in corpore vestro nihil debet apparere nisi quod ad gloriam Dei pertinet ; et hoc est glorificare Deum in corpore vestro : quia in Psal. XXVIII, 9, dicitur : *In templo ejus omnes dicent gloriam.* Exod. ult. 22, dicitur : *Operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud.* Quia vero non estis vestri, sed estis servi Dei, debet corpus vestrum portare Deum, sicut equus vel aliud animal portat dominum suum. Unde in Psal. LXXII, 22, dicitur : *Ut jumentum factus sum apud te.* Portat autem corpus nostrum Dominum, inquantum divino ministerio deputatur. Sic ergo homo debet vitare ne in corpus suum peccet fornicando, quod est contra gloriam Dei et contra ministerium quod corpus nostrum debet Deo.

CAPUT SEPTIMUM

LECTIO I.

De quibus autem scripsistis mihi : bonum est homini mulierem non tangere ; propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque virum suum habeat. Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. Mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi ; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, et non secundum imperium. Volo autem omnes homines esse sicut meipsum [1]. Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo ; alius quidem sic, alius vero sic. Dico autem non nuptis et viduis : Bonum est illis, si sic permanserint, sicut et ego. Quod si non se continent, nubant : melius est enim nubere quam uri.

Postquam Apostolus reprehendit fornicarium et sustinentes eum, hic accedit ad tractandum de matrimonio : et circa hoc tria facit. Primo determinat de conjugatis et matrimonio junctis ; secundo de virginibus, ibi, *De virginibus autem præceptum Domini non habeo* ; tertio de viduis, ibi, *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit.* Circa primum duo facit. Primo instruit eos qui non sunt matrimonio juncti, utrum scilicet debeant matrimonium contrahere ; secundo manifestat quod dixerat, ibi, *Hoc autem dico secundum indulgentiam.* Circa primum duo facit. Primo manifestat quid circa hoc sit per se bonum ; secundo quid necessarium, ibi, *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorum habeat.* Circa primum considerandum est, quod in detestationem fornicationis, contra quam locutus jam fuerat, aliqui non habentes zelum Dei secundum scientiam, in tantum procedebant quod etiam matrimonium condemnabant, secundum illud I Timoth. IV, 2 : *In hypocrisi loquentium mendacium prohibentium nubere* : et quia hoc durum Corinthiis videbatur fidelibus, super hoc Apostolo scripserunt, ejus sententiam requirentes ; et ideo Apostolus eis respondet : Ita reprehendi ea quæ facitis ; *de quibus autem scripsistis mihi*, respondeo quantum ad matrimonium : *Bonum est homini mulierem non tangere.*

Circa quod notandum, quod mulier data est viro ad adjutorium generationis : et in hoc differt vis generativa a nutritiva : quia vis nutritiva deservit homini ad conservationem individui : unde bonum est homini nutrimento uti, quia per hoc ejus vita conservatur : generativa autem non deservit homini ad conservationem individui, sed ad conservationem speciei : unde non potest dici quod *bonum est homini*, ad suum individuum, *mulierem tangere.* Primo quidem quantum ad animam, quia, ut Augustinus dicit in *Soliloquiis* lib. I, cap. I : Nihil sic dejicit animam ab arce virtutis suæ, sicut contactus ille corporum, sine quo uxor haberi non potest. Et ideo Exod. XIX, 15, dicitur populo accepturo legem Dei : *Estote parati in diem tertium, et ne appropinquetis uxoribus vestris.* I Reg. XXI, 4, dixit Abimelech ad David : Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus, manducent panem sanctum. Secundo quantum ad corpus, quod vir subjicit per matrimonium potestati uxoris, se ex libero servum constituens. Servitus autem hæc præ omnibus aliis est amara : unde et Eccles. VII, 27, dicitur : *Inveni amariorem morte mulierem.* Tertio quantum ad res exteriores, quarum occupatione necesse est hominem implicari, qui habet uxorem et filios nutriendos ; cum tamen dicatur II Timoth. II, 4 : *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit.*

Deinde cum dicit, *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat*, ostendit quid circa hoc sit necessarium : primo quantum ad contractum matrimonii ; secundo quantum ad actum matrimonii jam contracti, ibi, *Uxori vir debitum reddat.* Circa primum

[1] Al. *omnes vos homines esse sicut meipsum*, in Vulgata versione omittitur *homines*.

considerandum est, quod actus generativæ virtutis ordinatur ad conservationem speciei per generationem filiorum : et quia mulier data est viro in adjutorium generationis, prima necessitas tangendi mulierem est propter procreationem filiorum : unde Genes. I, 27, dicitur : *Masculum et feminam creavit eos ; et benedixit eis Deus, et ait : Crescite, et multiplicamini, et replete terram.* Sed hæc necessitas fuit circa institutionem humani generis, quamdiu oportuit multiplicari populum Dei per successionem carnis. Sed Apostolus considerans humanum genus jam multiplicatum, et populum Dei jam esse augmentatum, non propagatione carnis, sed generatione quæ est ex aqua et Spiritu sancto ut dicitur Joan. III, prætermisit hanc necessitatem, qua scilicet primitus institutum fuerat matrimonium in officium naturæ, et proponit necessitatem, secundum quam institutum est in remedium culpæ. Quia enim carnalis concupiscentia adhuc post baptismum infidelibus remanet, licet non dominetur, instigat homines maxime ad actus venereos, propter vehementiam delectationis. Et quia majoris virtutis est totaliter hanc concupiscentiam superare quam possit hominibus convenire, secundum illud Matth. XIX, 11 : *Non omnes capiunt verbum hoc* ; necessarium est quod in parte concupiscentiæ cedatur, et in parte superetur : quod quidem fit dum actus generationis ratione ordinatur, et non totaliter homo concupiscentia ducitur, sed magis concupiscentia subditur rationi. Habet autem hoc ratio naturalis quod homo utatur generationis actu secundum quod convenit generationi et educationi filiorum. Hoc autem in brutis animalibus invenitur, quod in quibuscumque speciebus animalium, sola femina non sufficit ad educationem prolis, masculus simul nutrit prolem cum femina ; et ad hoc exigitur quad masculus cognoscat propriam prolem : et ideo in omnibus talibus animalibus, ut patet in columbis, turturibus et hujusmodi, naturaliter indita est solicitudo de educatione prolis ; et propter hoc in hujusmodi non sunt vagi et indifferentes concubitus, ex quibus sequeretur incertitudo prolis ; sed masculus determinatus determinatæ feminæ conjungitur, non indifferenter quælibet cuilibet ; sicut accidit in canibus, et aliis hujusmodi animalibus' in quibus sola femina nutrit prolem. Maxime autem in specie humana masculus requiritur ad prolis educationem, quæ non solum attenditur secundum corporis nutrimentum, sed magis secundum nutrimentum animæ, secundum illud Hebr. XII, 9 : *Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, et reverebamur eos.* Et ideo ratio naturalis dictat quod in specie humana non sint vagi et incerti concubitus, quales sunt concubitus fornicarii ; sed sint determinati viri ad determinatam feminam : quæ quidem determinatio fit per legem matrimonii. Sic igitur triplex bonum habet matrimonium. Primum quidem quod est in officium naturæ, prout scilicet ordinatur ad generationem et educationem prolis ; et hoc bonum est bonum prolis. Secundum bonum habet, prout est in remedium concupiscentiæ, quæ scilicet coarctatur ad determinatam personam ; et hoc bonum dicitur fides, quam scilicet vis servat uxori suæ, non accedens ad aliam, et similiter uxor viro. Tertium bonum habet, prout in fide contrahitur Christi ; quod quidem bonum dicitur sacramentum, inquantum significat conjunctionem Christi et Ecclesiæ, secundum illud Ephes. V, 32 : *Sacramentum hoc magnum est ; ego autem dico in Christo et Ecclesia.* Hoc est ergo quod dicit : Dictum est, quod *bonum est homini mulierem non tangere ;* sed quia ad hoc bonum non sunt omnes homines idonei, unusquisque vir, *propter fornicationem*, scilicet vitandam, *suam uxorem habeat*, idest sibi determinatam, ut tollantur vagi et incerti concubitus, quod pertinet ad fornicationem. Unde et Proverb. V, 18 : *Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ.* Et postea subditur vers. 20 : *Quare seduceris, fili mi, ab aliena?*

Deinde cum dicit, *Uxori vir debitum reddat*, agit de usu matrimonii contracti : et primo agit de debito reddendo ; secundo de debiti intermissione, ibi, *Nolite fraudare invicem.* Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit, dicens : Dictum est, quod *vir habeat uxorem*, et uxor virum : habendi autem hæc est ratio, ut vir *reddat debitum uxori,* scilicet de suo corpore per carnalem commixtionem ; similiter autem *et uxor viro*, quia quantum ad hoc pares [1] judicantur.

[1] Al. : « ad paria. »

Unde mulier non est formata de pedibus viri tamquam ancilla, nec de capite tamquam domina, sed de latere tamquam socia, ut legitur Genes. II. Unde et mutuo debent sibi debitum reddere, secundum illud Rom. XII, 7 : *Reddite omnibus debita.* Secundo assignat debiti rationem, dicens : *Mulier non habet potestatem sui corporis*, scilicet ad actum generationis, ut scilicet possit proprio arbitrio vel continere se, vel alteri tradere *; sed vir*, scilicet habet potestatem sui corporis, quantum scilicet ad usum carnalis copulæ : et ideo uxor debet viro proprii corporis officium offerre. *Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* : unde et ipse debet sui corporis officium offerre uxori, legitimo impedimento cessante. Unde et Genes. II, 24, dicitur : *Adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.*

Deinde cum dicit, *Nolite fraudare invicem*, agit de intermissione debiti reddendi : et primo ostendit qualiter intermitti debeat actus conjugalis : circa quod docet unum esse cavendum, ne scilicet hoc per fraudem fiat, dicens : *Nolite fraudare invicem*, ut scilicet velit vir continere invita uxore, aut etiam e converso : quod Apostolos fraudem nominat, quia unus subtrahit alteri quod ei debetur ; quod ad fraudem pertinet, non minus in actu matrimonii quam in aliis rebus. Unde et Prover. XII, 17, dicitur : *Non inveniet fraudulentus lucrum* : quia scilicet ille qui tali fraude continentiam Deo offert [1], non lucratur meritum vitæ æternæ. Sicut enim dicit Augustinus, *ep.* CXCIX, non vult Deus tale lucrum tali damno compensari, ut dum unus conjugum continet altero invito, ille incidat in damnabiles corruptelas. Tria autem docet observanda in tali intermissione : quorum primum est ut fiat ex communi consensu : unde dicit : *Nisi forte ex consensu.* Unde dicitur Eccli. XXV, 1 : *In tribus beneplacitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus : concordia fratrum, amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes.* Secundum est ut sit ad certum tempus : unde subdit : *Nisi forte ad tempus* : secundum illud Eccle. III, V. *Templus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus.* Tertium est ut hoc fiat propter debitum finem, scilicet causa spiritualium actuum, ad quos continentia reddit magis aptos ; unde subdit : *Ut vacetis orationi*, secundum illud Joel. II, 14 : *Sacrificium et libamen Domino Deo nostro* : et postea subdit XVI, *Egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo.* Secundo agit de reiteratione conjugalis actus : et primo ponit documentum, dicens : *Iterum revertimini in idipsum*, ut scilicet vobis invicem debitum reddatis, finito tempore orationis : unde et Reg. VIII, dicitur, quod celebratis dedicationis solemniis, profecti sunt in tabernacula sua lætantes. Secundo assignat rationem documenti : non enim hoc dicit quasi sit necessarium ad salutem, sed ad periculum vitandum : unde subdit : *Ne tentet vos satanas ;* id est ne sua tentatione vos prosternat, sicut etiam dicitur I Thessal. III, 5 : *Ne forte vos tentaverit is qui tentat, et inanis sit labor noster.* Tentatio autem satanæ non est fortibus timenda, de quibus dicitur I Joan. II, 24 : *Scribo vobis, juvenes, quoniam fortes estis, et verbum Dei manet in vobis, et vicistis malignum.* Est autem timenda debilibus : unde subdit : *Propter incontinentiam vestram*, idest propter pronitatem ad incontinentiam, ex quo contingit quod diabolus hominem tentando prosternit et provocatur ad tentandum, secundum illud I Pet. ult. 8 : *Circuit quærens quem devoret.*

Deinde cum dicit, *Hoc autem dico* etc., manifestat quo sensu prædicta sunt accipienda : et primo facit quod dictum est ; secundo rationem assignat, ibi, *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum* ; tertio exponit quod dixerat, ibi, *Dico autem non nuptis et viduis.* Dicit ergo primo : Dixi, quod unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque mulier virum suum : et iterum quod post continentiam determinati temporis, iterum revertamini in idipsum, *hoc autem dico secundum indulgentiam*, idest parcens infirmitati vestræ, *non secundum imperium*, quasi scilicet vobis necessarium ad salutem. Subditis enim sunt quædam eorum infirmitati indulgenda et non ad bona imperio cogendi. Unde contra quosdam prælatos dicitur Ezech. XXXIV, 4 : *Cum austeritate imperabatis eis et cum potentia, et dispersi sunt greges mei.*

Sed videtur Apostolus inconvenienter loqui. Indulgentia enim non est nisi de

[1] Al. : « confert. »

peccato. Per hoc ergo quod Apostolus secundum indulgentiam se dicit matrimonium concessisse, videtur exprimere quod matrimonium sit peccatum.

Sed ad hoc potest responderi dupliciter. Uno modo ut indulgentia sumatur hic pro permissione. Est autem duplex permissio. Una quidem de minus malo, sicut dicitur Matth. XIX, quod Moyses permisit Judæis dare libellum repudii propter duritiam cordis eorum, scilicet ad vitandum uxoricidium, ad quod erant proni. Talis autem permissio non fit in novo testamento propter sui perfectionem, secundum illud Heb. VI, 1 : *Ad perfectum feramur*. Alia autem est permissio de minus bono, cum scilicet homo præcepto non cogitur ad majus bonum; et hoc modo Apostolus indulget, idest permittit, matrimonium, quod est minus bonum quam virginitas, quæ non præcipitur, et quæ est majus bonum. Alio modo potest accipi indulgentia prout respicit culpam, secundum illud Isa. XXVI, 15 : *Indulsisti, Domine, indulsisti genti* : et secundum hoc indulgentia refertur ad actum conjugalem secundum quod habet annexam culpam venialem, tamen propter bona matrimonii, sine quibus esset mortalis. Unde considerandum est, quod actus conjugalis quandoque quidem est meritorius, et absque omni culpa mortali vel veniali : puta cum ordinatur ad bonum prolis procreandæ, et educandæ ad cultum Dei : sic enim est actus religionis : vel cum fit causa reddendi debitum, sic enim est actus justitiæ. Omnis autem actus virtutis est meritorius, si sit cum caritate. Quandoque vero est cum culpa veniali, scilicet cum quis ad actum matrimonialem ex concupiscentia excitatur, quæ tamen infra limites matrimonii sistit; ut scilicet cum sola uxore sit contentus. Quandoque vero est culpa mortalis, puta cum concupiscentia fertur extra limites matrimonii, scilicet cum aliquis accedit ad uxorem, æque libenter vel libentius ad aliam accessurus. Primo ergo modo actus matrimonii non requirit indulgentiam; secundo modo habet indulgentiam, inquantum aliquis consentiens concupiscentiæ in uxorem, non fit reus peccati mortalis; tertio modo omnino indulgentiam non habet.

Deinde cum dicit, *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum*, assignat rationem ejus quod dixerat : et primo quare non loquatur secundum imperium; secundo quare loquatur secundum indulgentiam, ibi, *Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo*. Circa primum considerandum est, quod nullus sapiens præcipit illud cujus contrarium magis vult fieri. Ideo Apostolus non præcipit quod homines matrimonium contrahant vel matrimonio contracto utantur, quia magis vult quod homines contineant; et hoc est quod dicit : *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum*, ut scilicet contineant, sicut ego contineo : et similiter dicit Act. XXVI, 29 : *Opto apud Deum omnes qui audiunt, fieri tales qualis ego sum*.

Sed contra hoc videtur esse, quia si omnes homines continerent, sicut Apostolus continebat, cessasset generatio ; et sic non fuisset impletus numerus electorum; quod erat contra dispositionem divinam.

Dicunt quidam, quod Apostolo revelatum erat, quod si omnes homines salvarentur in continentia viventes, sicut ipse vivebat, sufficiebat ad implendum numerum electorum. Sed hoc nulla auctoritate fulcitur : et ideo potest dici, quod Apostolus volebat omnes homines esse continentes, quia scilicet volebat hoc de singulis, non tamen volebat quod omnes simul continerent. Vel potest dici, et melius, quod volebat omnes homines esse continentes voluntate antecedente, sicut ipse dicit II Timoth. II quod Deus vult omnes homines salvos fieri, non autem voluntate consequente, qua Deus vult quosdam salvare, scilicet prædestinatos, et quosdam damnare, scilicet reprobatos, secundum illud Malach. I, 2 : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*. Est autem voluntas antecedens de eo quod absolute consideratum, est melius ; sicut omnes homines salvos vel continentes. Voluntas autem consequens est de eo quod est melius, consideratis circumstantiis personarum et negotiorum; et secundum hoc Deus vult quosdam damnari, et Apostolus quosdam matrimonio jungi.

Deinde cum dicit, *Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo*, assignat rationem quare secundum indulgentiam matrimonium permiserit : quia scilicet non quilibet tantæ virtutis donum accepit a Deo, ut scilicet possit totaliter continere : sicut et Dominus dixit Matth. XIX, 2 : *Non omnes capiunt verbum hoc; sed qui capere potest, capiat* : et hoc est quod dicit : Vellem quidem omnes esse conti-

nentes : *sed unusquisque proprium*, idest, secundum certam mensuram, *habet donum ex Deo ; alius quidem sic*, puta ut in virginitate Deo serviat, *alius vero sic*, idest ut Deo serviat in matrimonio, secundum illud Matth. xxv, 15 : *Uni dedit quinque talenta, alii vero duo, alii vero unum : unicuique secundum propriam virtutem* : et Sapient. viii, 21 : *Scivi quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det : et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum.*

Deinde cum dicit, *Dico autem non nuptis et viduis*, exponit quod obscure dixerat : et primo quantum ad hoc quod dixerat, *Volo omnes homines esse sicut meipsum*, quia scilicet hoc est absolute melius : unde dicit : *Dico autem*, scilicet exponendo, *non nuptis*, idest virginibus, *et viduis* : *Bonum est illis, si sic permanserint*, scilicet continentes, *sicut ego :* secundum illud Sapient. iv, 1 : *Quam pulchra est casta generatio cum claritate* ! Secundo quantum ad hoc quod dixerat, *Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo* ; quasi dicat : Quia non quilibet hoc donum accepit a Deo ut contineat. Unde dicit : *Quod si non continent*, idest, si donum continendi non acceperunt, *nubant*, idest matrimonio jungantur, secundum illud I Timoth. v, 14 : *Volo juvenes nubere* : et assignat rationem subdens : *Melius est enim nubere quam uri*, idest concupiscentia superari. Concupiscentia enim est calor quidam noxius : qui ergo concupiscentia impugnatur, calescit quidem : sed non uritur, nisi humorem gratiæ perdat a concupiscentia superatus. Unde Job. xxxi, 11, dicitur : *Ignis est usque ad consummationem devorans, et universa eradicans germina.* Est autem hic attendendum, quod Apostolus utitur abusiva comparatione. Nam nubere bonum est, licet minus ; uri autem est malum. Melius est ergo, idest magis tolerandum quod homo minus bonum habeat, quam quod incurrat incontinentiæ malum ; et hoc est quod supra dixit : *Propter fornicationem*, scilicet vitandam, *unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat*: et postmodum : *Ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.*

LECTIO II.

His autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. Nam ceteris dico ego, non Dominus : Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam ; et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. Alioquin filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt.

Supra Apostolus posuit documenta de contractu matrimonii ; hic instruit eos qui jam matrimonium contraxerunt, de matrimonio non dissolvendo ; et primo docet eos qui sunt in matrimonio juncti, ut in matrimonio maneant ; secundo ponit utilem doctrinam quantum ad omnes status vel conditiones hominum, ibi *Unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet.* Circa primum duo facit. Primo agit de indissolubilitate matrimonii quantum ad eos qui sunt unius cultus ; secundo quantum ad eos qui sunt in dispari cultu, ibi, *Nam ceteris ego dico, non Dominus.* Circa primum duo facit. Primo ponit præceptum de indissolubilitate matrimonii ; secundo docet quid sit servandum quando matrimonium quodammodo separatur, ibi, *Quod si discesserit, manere innuptam.* Dicit ergo primo : Dixi non nuptis idest virginibus et viduis, quod melius est eis si sic permanserint ; *his autem qui matrimonio sunt juncti* non patet eadem conditio : his enim *præcipio non ego*, scilicet indicta mihi auctoritate, *sed Dominus* hoc præcepit dicens, Matth. xix, 6 : *Quos Deus conjunxit, homo non separet* : *præcipio*, inquam, *uxorem a viro non discedere*, et subintelligendum est, excepta causa fornicationis, quam Christus excepit, et hic tacetur, quia notissima est. Hanc solam excepit Dominus, ceteras omnes molestias jubet pro fide conjugii fortiter sustineri. Matth. xix, 9 : *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, excepta causa fornicationis, mœchatur.* Hoc autem quod dicitur hic, secundum *Glossam* Augustini intelligitur de conjunctis matrimonialiter, quorum uterque fidelis est. *Quod si discesserit*, scilicet propter causam fornicationis, *præcipio*, inquam, *manere innuptam*, vivente marito : quia si solvitur matrimonium quo ad torum, non tamen quo ad vinculum : *aut viro*

suo reconciliari, scilicet si vir non continet. *Et* similiter *vir uxorem non dimittat*, nisi ob causam fornicationis. Similis forma in viro et in muliere servatur : unde supplendum est quod de uxore præmisit, scilicet quod si omnino dimiserit, non ducat aliam, vel reconcilietur uxori.

Sed contrarium videtur dicere Ambrosius super hunc locum, ubi dicit : « Ideo non subdit de viro sicut de muliere, quia licet viro aliam ducere quia inferior non omnino hac lege utitur qua et superior. » Sed Magister dicit a falsariis esse appositum, et ideo nullatenus est tenendum.

Notandum est hic, quod septem sunt casus in quibus vir non potest ob causam fornicationis uxorem dimittere. Primus casus quando ipsemet eam prostituit ; secundus quando ipse cum alia fornicatus fuerit ; tertius quando ipse ei occasionem fornicandi dedit, ut quia non vult reddere debitum ; quartus quando ipsa credens probabiliter virum mortuum, alteri nupsit ; quintus quando violenter ab aliquo oppressa fuit ; sextus quando sub specie viri sui ab altero cognita fuit ; septimus quando fuit a viro post adulterium manifeste deprehensum nihilominus retenta.

Deinde cum dicit, *Nam ceteris dico ego, non Dominus*, agit de inseparabilitate matrimonii personarum disparis cultus, cum alter est fidelis alter non ; ubi primo dicit, quod fidelis non dimittat infidelem volentem sine contumelia Creatoris cohabitare ; secundo si non vult fidelis, non tenetur eum sequi, sed potest alteri nubere, ibi, *Quod si infidelis discedit, discedat* ; tertio, quod nisi infidelis prior recedat, fidelis debet patienter commanere, ibi, *Unde enim mulier scis si virum salvum facies?* In prima ponit admonitionem ; secundo admonitionis rationem, ibi, *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem*. In prima primo loquitur generaliter tam viris quam feminis ; secundo specialiter viris, ibi, *Si quis frater uxorem habet infidelem* etc. ; tertio specialiter, ibi *Et si qua mulier fidelis virum habet infidelem*. Dicit ergo : *Nam ceteris*, idest ubi non uterque fidelis est, sed alter fidelis, alter infidelis, *dico ego* consulendo, non præcipiendo, *non Dominus*, dixit hoc proprio ore : ac si dicat : Et hoc dico ex Deo, licet ipse non dicat hoc ore proprio : dico, inquam, hoc *Si quis frater fidelis*, conversus scilicet ad fidem in conjugio. Intelligitur enim hoc de his qui in infidelitate contraxerunt, non de his qui in dispari cultu : tunc enim nullum esset matrimonium, sed essent separandi, sicut fecit Esdras, x, *Si quis*, inquam, *habet* talem *uxorem infidelem, et hæc consentit habitare cum illa*, sine contumelia scilicet Creatoris, *non dimittat illam* : consilium est, non præceptum, ut qui contrarium agit, non sit trangressus, secundum *Glossam*. Deinde cum dicit, *Et si qua mulier* : hic loquitur specialiter feminis : ubi primo supponit fidem in aliquo, cum dixit, *Et si qua mulier* ; secundo infidelitatem in altero, cum addit, *Virum infidelem ;* tertio infidelis voluntatem cohabitandi, ibi, *Et hic consentit* ; quarto consulit fideli commanere illi, ibi, *Non dimittat*. Dicit ergo : *Et* similiter *si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et consentit habitare cum illa*, sine contumelia Creatoris : nam si nollet cohabitare sine contumelia nominis Christi, debet fidelis eum dimittere, quia contumelia Creatoris solvit matrimonium, secundum *Glossam*, et potest fidelis contrahere : si inquam, ita est, *non dimittat virum* : consilium est, non præceptum *:* licet enim infidelem fideli dimittere ; sed tunc non expediebat.

Deinde cum dicit, *Sanctificatus est vir*, posita admonitione, hic ponit admonitionis rationem : ubi primo [1] allegat exemplum ; secundo periculum, ibi, *Alioquin filii vestri immundi essent* ; tertio fructum, ibi, *Nunc autem sancti sunt*. In prima primo exemplificat de viro infideli ; secundo de muliere, ibi, *Et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem*. Dicit ergo : *Sanctificatus est* : quasi dicat : Fidelis infidelem volentem cohabitare, non dimittat ; hoc ideo dico : *sanctificatus est enim vir infidelis* aliquando *per mulierem fidelem* ; idest, aliquando contingit quod unus per alium convertitur ad fidem, et sic sanctificatur ; et hoc jam forte contigerat, sicut Sisinnius per Theodoram Romæ, tempore Clementis conversus est : et similiter *sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem*, scilicet per ipsius admonitionem et doctrinam. Alio modo legitur sic. Ita fidelis infidelem non dimittat : *sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem ;* idest,

[1] Al. omittitur : « primo. »

nullam immunditiam contrahit fidelis ex cohabitatione vel ex commixtione cum infideli, sed servat veram pudicitiam, secundum Augustinum. Deinde cum dicit, *Alioquin filii vestri immundi essent*, hoc legitur dupliciter: uno modo de filiis nascituris, alio modo de jam natis. Primo modo sic: *Alioquin*, scilicet si disceditis et vos aliis copulatis, *filii vestri*, qui de hac copula nascerentur, *immundi essent*, scilicet spurii, quia de non legitimo matrimonio. Nunc autem, si permanetis, *sancti sunt*, idest mundi, quia de legitimis conjugiis nati. Secundo modo legitur sic: *Alioquin*, scilicet si disceditis, *filii vestri*, jam nati, *immundi essent*, idest in infidelitate remanerent, sequentes scilicet majorem partem, quæ tunc erat infidelium. *Nunc autem*, si permanetis, *sancti sunt*, idest Christiani fiunt.

Deinde cum dicit, *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem* [1], thema in festo beatæ Cæciliæ, quæ convertit virum suum ad fidem. Inter omnia quæ regunt hominem in via salutis, præcipuum est sequi societatem sanctorum. Hoc ostendit Psalmista verbo, cum dicit Psal. XVII, 26 : *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris.* Hoc ostendit Cæcilia facto, secundum quod hic dicitur : *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem.* In quibus verbis tria commendant ipsam, scilicet natura, gratia, et doctrina. Natura humana, quæ notatur in muliere ; gratia, quæ notatur in viri sanctificatione, ut sibi sit nobilis per naturam, Deo humilis per fidem, proximo utilis per doctrinam. Doctrina autem [2] redditur commendabilior consideranti actum, objectum, et oppositum. Actus est sanctificare, objectum est vir, oppositum est infidelitas. Infidelitas est culpa tenacior, virilitas sexus robustior, sanctificare actus difficilior. Et tamen cum esset mulier; per doctrinam suam convertit incredulum, emollivit robustum, mundavit immundum ; et sic sanctificavit infidelem virum. Multæ vero sunt proprietates mulieris commendabiles, quæ huic conveniunt ; ut sint tres proprietates quo ad actum cordis ; tres quo ad actum oris ; et tres quo ad actum operis. Tres primæ sunt sapientia ex parte rationalis : Prov. XIX, *Sapiens mulier ædificat sibi domum.* Munditia ex parte concupiscibilis : Eccli. XL, 19 : *Ædificatio civitatis confirmabit nomen, et super eam mulier immaculata computabitur.* Constantia ex parte irascibilis : Ruth III, 2 : *Scit omnis... populus te esse mulierem virtutis.* Tres secundæ sunt modestia contra multiloquium : Eccli. XXV, 18 : *Mulier sensata et tacita, non est immutatio animæ eruditæ.* Veritas contra mendacium : Judith. VIII, 28 : *Omnia quæ locuta es, vera sunt.* Discretio contra stultiloquium : I Reg. XXVI, 3 : *Erat mulier prudentissima et speciosissima.* Judith. XI, 19 : *Non est talis mulier super terram in aspectu et in pulchritudine et in sensu verborum.* Tres ultimæ sunt sanctimonia in facto : Judith VIII, 29 : *Ora populo quia mulier sancta es.* Verecundia in signo : Eccli. XXVI, 19 : *Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata.* Gratia in conversando : Proverb. XI, 16 : *Mulier gratiosa inveniet gloriam.* Propter eminentiam horum dicitur de Beata Virgine Maria, *Benedicta tu in mulieribus*

LECTIO III.

Quod si infidelis discedit, discedat. Non enim servituti subjectus est frater vel soror in ejusmodi. In pace autem vocavit nos Deus. Unde enim scis mulier, si virum salvum facies ? Aut unde scis vir, si mulierem salvam facies ? Nisi unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet, sicut in omnibus Ecclesiis doceo. Circumcisis aliquis vocatus est ? Non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est ? Non circumcidatur. Circumcisio nihil est, et præputium nihil est ; sed observatio mandatorum Dei. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.

Superius ostendit quod fidelis non debet dimittere infidelem cohabitare vo-

[1] F. Remigius Florentinus in editione Veneta apud Juntas an. 1562, quam ipse curavit, huic loco sequentem notam apposuit « Advertas, candide Lector, quod in quodam manuscripto exemplari quod Venetiis in Divi Dominici (a Castello, ut aiunt) bibliotheca extat, habebantur hæc verba. — Nota quod hinc usque ad XI cap. exclusive non est expositum secundum Beatum Thomam, sed sumptum est de verbo ad verbum de expositione cujusdam Fratris Nicolai Gallici, ordinis Prædicatorum, qui tamen satis docte et lucide omnes Epistolas explanavit. — Quod verum esse, ex phrasi et modo exponendi patet Et ego nec labori nec sumptui parcam, ut fragmentum ipsum reponam » Vide primam Admonitionem num. II.

[2] Al. : « enim. »

lentem; hic autem dicit quod si non vult cohabitare, non tenetur fidelis eum sequi, sed potest alteri nubere: ubi primo ponitur ipsa concessio; secundo concessionis ratio duplex. Prima est libertas, ibi, *Non est enim servituti subjectus frater;* secunda est pacis tranquillitas, ibi, *In pace autem vocavit nos Deus.* Dicit ergo: *Quod si infidelis*, vir [1] vel mulier *discedit* a fideli, odio fidei, *discedat*: et potest fidelis, qui dimittitur, contrahere: primum enim matrimonium dissolubile erat, quia nunquam fuit ratum. *Non enim servituti*, scilicet conjugali, *subjectus est frater aut soror*, fidelis; idest, non cogitur sequi infidelem odio fidei discedentem, sicut dicit *Glossa* Joan. VII, 36: *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis. In pace autem;* quasi dicat: ideo discedat fidelis, quia *in pace vocavit nos Deus;* idest ideo non debemus litigare cum eo qui odio fidei [2] discedit. Vel sic. Quamvis ita sit quod fidelis non est subjectus servituti, nihilominus tamen non debet occasionem discordiæ et dissidii præbere, sed pacem servare: *In pace autem vocavit nos Deus*: *non est enim Deus dissensionis, sed pacis*: infra. XIV, 33.

Deinde cum dicit, *Unde enim scis, mulier, si virum salvum facies*? hic dicit, quod si infidelis non discedat, fidelis debet patienter commanere: ad quod allegat primo spem alienæ conversionis; secundo permanentiam in statu propriæ vocationis ibi, *Unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet*; tertio exemplum in ritu conversationis, ibi, *Circumcisus aliquis vocatus est? Non adducat præputium*: quarto exemplum in statu conditionis, ibi, *Servus vocatus es? Non sit tibi curæ.* In prima primo innuit quod mulier, fidelis commanendo, virum ad fidem potest convertere; secundo quod similiter vir fidelis mulierem infidelem potest salvare, ibi, *Aut unde scis, vir, si mulierem salvam facies*? tertio quod ideo debent patienter commanere, ibi, *Nisi unicuique sicut divisit Dominus* etc. Dicit ergo: *Unde enim scis*? quasi dicat: Vere debet manere fidelis cum infideli, quia *unde scis*, id est scire potes, o tu *mulier* fidelis, *si virum* infidelem *salvum facies*, cum scilicet commonendo, et convertendo ad fidem? quasi dicat: Hoc potest contingere. Ambrosius, super hunc locum. «Hoc ideo dicit, quia forsan potest credere qui horret nomen Christi.» *Aut unde scis*, id est scire potes, o tu *vir* fidelis, *si mulierem* infidelem *salvam facies*, eam ad fidem convertendo? quia hoc sperare debes: *Nisi unicuique*: hoc dupliciter legitur. Uno modo sic. Unde scis hoc, *nisi* ita habes te, supple ad tuum comparem, *sicut Dominus divisit unicuique*, scilicet viro præesse, et mulieri subesse. Secundo modo sic. Unde scis hoc, *nisi*, supple, patienter expectes fieri, *sicut divisit Dominus unicuique*, idest, ordinavit de unoquoque quando credat, et quando salvetur. Ergo tu debes expectare, et commanere. Rom. XII, 3: *Unicuique sicut divisit Dominus.*

Deinde cum dicit, *Unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet*, hic ostendit quod fidelis debet manere cum infideli conjuge, allegans permanentiam in statu propriæ vocationis. Primo ergo allegat divinam vocationem: secundo suam auctoritatem, ibi, *Sicut in omnibus Ecclesiis doceo.* Dicit ergo: *Unumquemque*; quasi dicat: Et quomodo scis hoc, o vir et mulier, nisi quilibet *ambulet* perseveranter, *ita sicut Deus vocavit unumquemque,* idest in eo statu in quo Deus vocavit unumquemque, non autem quomodo sunt; quasi dicat: Et hoc ita prædico in Ecclesia vestra, sicut in omnibus Ecclesiis. Turpis enim est pars quæ suo toti non convenit. Est ergo sua ratio talis. Unusquisque debet manere in eo statu in quem Deus vocavit; ergo si vocavit aliquos in conjugium, debent manere in ipso. Haymo: « Si habeas uxorem, maneas cum ea; et si non habeas, ducere non concupiscas. »

Deinde cum dicit, *Circumcisus aliquis vocatus est*; hic ponit exemplum: ubi primo ponit ipsum exemplum; secundo exempli rationem, ibi, *Circumcisio enim nihil est*; tertio regulam generalem, ibi, *Unusquisque in qua vocatione vocatus est.* Ponit autem exemplum in ritu vivendi, primo Judæorum, secundo Gentilium, ibi, *In præputio aliquis vocatus est? Non circumcidatur.* Dicit ergo: *Circumcisus aliquis vocatus est*? quasi dicat: Unusquisque ambulet in eo statu in quo vocatus est; verbi gratia, *circumcisus quis vocatus est*, idest in ritu Judaico? *Non adducat*, idest non cogatur adducere, *præputium* idest ritum Gentilium. *In præputio*, idest in ritu Gentili, *quis vocatus est? Non*

[1] In editis desideratur: « vir. » — [2] Al. omittitur: « fidei. »

circumcidatur; idest, non cogatur ad ritus Judaicos. Augustinus, *De adult. Conjug.*; lib. II, cap. XI : « Servat ubique Apostolus [1] quod congruit Ecclesiis, sive Judæorum sive Gentilium : nunquam enim aufert consuetudinem, quæ servata, non impedit salutem. » Ergo si conjugium non impediat, debent vocati in conjugio commanere.

Deinde cum dicit, *Circumcisio enim nihil est,* subdit rationem exempli, quæ talis est. Ritus non impediens salutem, non debet mutari propter vocationem ad fidem; sed ritus tam Judaicus quam Gentilis est hujusmodi : ergo etc. A simili ergo arguit in matrimonio. Primo ergo tangit quod est ad salutem indifferens; secundo quod est necessarium et expediens, ibi, *Sed observatio mandatorum Dei*. Dicit igitur : *Circumcisio nihil est;* idest nihil prodest, *et præputium nihil est*; idest nihil prodest vel obest; quasi dicat : Talis vel talis ritus vivendi, nihil proficit ad salutem. Galat. ultim. 15. *In Christo Jesu nec circumcisio aliquid valet, nec præputium, sed nova creatura*. Ambrosius, super hunc locum : « Ad salutem nec prodest nec obest Judaicus aut Gentilis ritus. » *Sed observatio mandatorum Dei*, aliquid prodest. Sapient. VI, 19 : *Custoditio legum, consummatio est incorruptionis.*

Deinde cum dicit, *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*, hic concludit regulam generalem, dicens, *Unusquisque*, quasi dicat : Ita Gentilis non inducatur ad circumcisionem, nec e converso; sed potius *unusquisque in qua conditione vocatus est*, *in ea*, scilicet conditione, vocationi non repugnante, *permaneat*, et *in qua*, non a qua. In *Glossa* Augustini *epist.* CXIX. « Hoc enim ad eas consuetudines vitæ retulit quæ nihil obsunt fidei bonisque moribus : sicut enim conjux, sic et latro ad fidem vocatur : sed ille in conjugio manet, non a conjugio revocatur : iste vero a latrocinio revocatur, et in latrocinio non manet. Non enim necesse est ut conjuges desinant esse conjuges propter Christi fidem, sicut necesse est ut latrones desinant esse latrones. »

Hic quæritur super illud. *Uxorem a viro non discedere*, quare solam causam fornicationis excipit, ceteras vero omnes molestias jubet fortiter sustineri. Contra Levit. XIII, præcipit lex leprosum extra castra ejicere : ergo pro lepra debet uxor a viro discedere. Respondeo. Licet possit ob lepram discedere a cohabitatione, non tamen a toro, quin aliquando teneatur reddere debitum, prope eum manendo.

Item, *Aut viro suo reconciliari*. Contra. Deuter. XXIV, dicitur, quod semel repudiata, non potest amplius reconciliari. Respondeo. Illud habebat locum in repudio legali, istud vero in divortio evangelico : lex enim erat severitatis, sed Evangelium pietatis.

Item, super illud, *Vir uxorem non dimittat, Glossa* notabilis : « Non subdit de viro sicut de muliere, quia licet viro aliam ducere. » Contra. Augustinus *De adult. Conjug.*, lib. II, cap. VIII, dicit, quod similis forma debet servari in viro et muliere. Respondeo. Illud primum in libris Ambrosii a falsariis creditur additum. Vel dicendum, quod illud Ambrosii intelligitur in repudio, hoc autem in divortio. Nam in repudio legali licebat viro contrahere, non uxori : quia licebat antiquitus uni viro habere plures uxores, non e converso : quia per repudium illud solvebatur matrimonium, non autem per divortium.

Item : *Nam ceteris ego dico, non Dominus*. Contra. Luc. X, 16 : « Qui vos audit, me audit. » Respondeo. Non Dominus dicit ore proprio, sed inspirando.

Item super illud, *Si quis frater habet uxorem*, *Glossa* : « Conjux fidelis licite potest dimittere infidelem. » Contra. Catholica non potest dimittere hæreticum. *Glossa* loquitur de infideli, qui caret sacramento fidei, non solum habitu.

Item ibidem *Glossa* : « Non est reputandum matrimonium quod extra decretum Dei factum est. » Contra. Ergo matrimonium contractum causa voluptatis non est matrimonium. Respondeo : Extra decretum Dei, matrimonium contrahi dicitur quando contrahitur inter personas lege prohibitas.

Item, *Si qua mulier habet virum infidelem... non dimittat virum*. Contra. Ergo Judæa conversa non debet dimittere virum Judæum, cohabitare volentem. Respondeo : Secus est hodie, quam tempore primitivæ Ecclesiæ; quia tunc erat

[1] Al. : « servat ibi Apostolus, etc. » item : « servat ubique Apostolus construere Ecclesias sive Judæorum, sive Gentilium, etc. »

spes conversionis, nunc autem potius est spes subversionis propter obstinationem infidelium.

Item super illud, *Quod si infidelis discedat*, *Glossa* : « Recte dimittitur mulier, si dicat viro, Non ero mulier tua, nisi de latrocinio divitias mihi augeas. » Contra. Matth. xix, excipitur sola causa fornicationis. Respondeo : Tunc debet dimitti, ne scandalum ad tempus exortum, sit in perpetuum.

Item super illud, *Non est enim servituti subjectus frater*, *Glossa* : « Contumelia Creatoris solvit jus matrimonii in eo qui relinquit [1]. » Contra. Matrimonium semper est inter duos : ergo in utroque solvitur vel in nullo. Respondeo : Matrimonium solvitur in utroque; sed impedimentum ex matrimonio resultans manet in discedente solum.

Item, *Circumcisio nihil est*. Contra. Rom. ii, 25 : *Circumcisio quidem prodest, si legem observes*. Respondeo : Ante Christum proderat, sed post non prodest.

Item super illud, *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*. *Glossa* : « Ad salutem nihil prodest vel obest Judaicus vel Gentilis ritus. » Contra. Gal. v, 2 : *Si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest*. Respondeo : *Glossa* loquitur de ritu conversandi inter homines, non de ritu Deum colendi.

LECTIO IV.

Servus vocatus es? Non sit tibi curæ; sed, et si potes fieri liber, magis utere : qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini. Similiter qui liber vocatus est, servus est Christi. Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. Unusquisque ergo in quo vocatus est frater, in hoc permaneat apud Deum.

Superius ostendit quod si infidelis conjux non discedat, fidelis debet patienter commanere, primo ad hoc allegando spem conversionis infidelis; secundo permanentiam in statu propriæ vocationis; tertio exemplum in ritu conversationis : hic quarto allegat exemplum in statu conditionis : ubi primo, ipsum exemplum ponit; secundo rationem exempli subdit, ibi, *Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini;* tertio ex hoc regulam generalem concludit, ibi, *Unusquisque ergo in quo vocatus est frater, in hoc permaneat*. In prima primo proponit in aliquo statum servilem ; secundo supponit libertatis possibilitatem, ibi, *Sed et si potes fieri liber;* tertio horum præeminentiam ad salutem, ibi, *Magis utere*. Dicit ergo : *Servus vocatus es? Non sit tibi curæ;* quasi dicat : Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Verbi gratia, *servus vocatus es*, ad fidem scilicet Christi? *Non sit tibi curæ*, ut scilicet velis servitutem effugere. Unde Onesymum servum Philemonis, qui ad eum confugerat, cum precibus remittit ad dominum, ut patet *In Epistola ad Philemonem*. *Sed* potius *si potes fieri liber*, maneas in servitute, quia causa est humilitatis : et, sicut ait Ambrosius *In Psal.* cxviii, « quanto quis despectior est in hoc sæculo propter Dominum, tanto magis evaltabitur in futuro. » Gregorius, *ser.* xiv : « Quanto quis Deo pretiosior est, tanto propter eum vilior. » Boetius : « Cum omnis fortuna timenda sit, magis tamen prospera quam adversa. »

Deinde cum dicit, *Qui enim in Domino vocatus est*, hic subdit rationem exempli : et primo ponit rationem exempli ex parte servorum; secundo ex parte liberorum, ibi, *Similiter qui liber est*. Et est ratio talis in generali. Servitus et libertas sunt in Domino ad salutem; sed solum debemus esse soliciti de pertinentibus ad salutem : ergo pro indifferenti debet esse nobis servitus et libertas. Dicit ergo : *Qui enim in Domino*; pro quia, *qui in Domino*, idest in fide Domini, *vocatus est servus*, servitute corporali, *libertus est Domini*, quia scilicet a Domino manumissus, liber est libertate spirituali. Est autem libertus a servitute liberatus, et talis a servitute peccati a Domino est liberatus; ideo Domini libertus. Joan. viii, 36 : *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis*.

Deinde cum dicit, *Similiter qui liber vocatus est servus est Christi*, hic ponit rationem ex parte liberorum : ubi primo tangit in liberis cum servis pro Christo [2] debitam servitutem; secundo servitutis rationem, ibi, *Pretio empti estis;* tertio servitutis obligationem, ibi, *Nolite fieri servi hominum*. Dicit ergo : *Similiter*

[1] Al. : « relinquitur. »

[2] Al. omittitur : « pro Christo. »

qui liber vocatus est, libertate corporali, *servus est Christi*, servitute spirituali : Rom. I, 1 : *Paulus servus Christi Jesu* etc., quia sive servus sive liber, omnes tamen servi; et hoc justum est, quia *pretio empti estis*. Hoc dicitur, quia pretio inæstimabili sanguine Christi. I Petr. I, 18 : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vestra vana conversatione, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati.* Et quia tanto *pretio empti estis*, *nolite fieri servi hominum*, postponendo servitium Dei, et vos humanis superstitionibus occupandor hoc enim faciebantisti. Supra I. 12 : *Ego sum Pauli, ego autem Apollo. Unusquisque ergo*, et circumcisus et præputiatus, servus et liber, *in quo* statu *vocatus est frater*, idest fidelis, *in hoc permaneat apud Deum*, scilicet observando divina mandata : *qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* : Matth. XXIV, 13. Ergo si conjugatus vocatus est ad fidem, maneat conjugatus servando fidem.

LECTIO V.

De virginibus autem præceptum Domini non habeo; consilium autem do tamquam misericordiam consecutus a Deo, ut sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem : quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori? Noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccavit : tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco.

A principio hujus capituli egit de matrimonio; hic incipit pars secunda, in qua agit de virginitate : ubi primo agit de virginibus; secundo de virginum custodibus, ibi : *Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua... quod vult faciat.* In prima primo proponit [1] virginibus permanendi in virginitate consilium; secundo nubentibus dat bene vivendi modum, ibi, *Hoc itaque dico, fratres;* tertio ostendit quod magis expedit servare continentiæ propositum, ibi, *Volo autem vos sine solicitudine esse.* In prima parte virginitatem consulit et laudat; secundo matrimonium jam contractum concedit et approbat, ibi, *Alligatus es uxori? Noli quærere solutionem?* tertio matrimonium contrahendum defendit, et a peccato excusat, ibi, *Si autem acceperis uxorem, non peccasti.* In prima dicit duo de virginitate : primo quod non est servanda ex præcepto; secundo quod est servanda ex consilio, ibi, *Consilium autem do.* Ubi ponit duplicem rationem, quare istud consilium est servandum. Prima est consiliarii auctoritas; secunda rei consultæ dignitas, ibi, *Existimo enim hoc bonum.* Dicit ergo : *De virginibus autem præceptum Domini non habeo;* quasi dicat : De conjugatis non separandis præceptum Dei est; *de virginibus autem præceptum Domini non habeo*, ut scilicet contineant, vel ut nubant. Quod enim de hoc dicit Dominus Matth. XIX, 12, dixit consulendo : *Qui potest*, inquit, *capere capiat.* Virginitas autem, secundum Augustinum, res est non præcepta : suaderi potest, imperari non potest. *Consilium autem do*, scilicet de continendo, consilium mihi a Spiritu sancto inspiratum. Tob. IV, 19 : *Consilium semper a sapiente perquire. Consilium*, inquam, *do*, et hoc *tamquam consecutus a Domino misericordiam*, idest Apostolatum mihi misericorditer concessum. *Consecutus*, inquam, ad hoc *ut sim fidelis*, in dispensatione mihi credita. Unde credendum est mihi in consiliis. Luc. XII, 42 : *Quis, putas est fidelis servus?* Haymo : « Quia ei mandatum fuit ut esset fidelis consiliator, non debuit consilium indigentibus abscondere. Et est argumentum quia est acquiescendum consilio prælati. »

Deinde cum dicit, *Existimo ergo hoc bonum esse*, hic tangitur dignitas ejus quod consulitur; et hæc duplex : una, quia expediens bonum; secunda, quia honestum, ibi, *Quoniam bonum est homini sic esse.* Dicit ergo : *Existimo enim hoc bonum esse*; quasi dicat. Quia fidelis consiliarius sum, *existimo hoc bonum esse*, scilicet manere in virginitate, et hoc *propter instantem necessitatem*, conjugum, scilicet vitandam, quia multæ necessitates instant : unde dicuntur esse in mola, Luc. XVII. Unde vulgariter dicitur, quod matrimonium habet magnum os. *Existimo*, inquam, et vere, *quia bonum est homini sic esse*, scilicet in virginitate. Bonum scilicet honestum propter puritatem, delectabile propter libertatem, utile propter mercedem : quia ei debetur aureola

[1] Al. : « ponit. »

et fructus centesimus, Luc. VIII. Augustinus in *Glossa* : « Supergreditur virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines Angelis assimilantur. Major tamen victoria virginum quam Angelorum : Angeli enim sine carne vivunt, virgines autem in carne triumphant. »

Deinde cum dicit, *Alligatus es uxori?* hic matrimonium contractum concedit et approbat : ubi primo dicit, quod conjugatus non debet quærere divortium ; secundo consulit quod solutus non quærat conjugium, ibi, *Solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem.* Dicit ergo : *Alligatus es uxori?* quasi dicat : Licet continere sit bonum, tamen *alligatus ex uxori? Noli quærere solutionem*; maxime si bona est. Eccli. VII, 21 : *Noli discedere a muliere sensata.* Et dicit, *Alligatus*, quasi duplici vinculo ligatus, scilicet consensu per matrimonium initiatum, et copula carnali per matrimonium consummatum. Si enim tantum uno vinculo, scilicet solo consensu, ligatus esset, posset quærere solutionem, scilicet intrando religionem. *Solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem*, si potes continere : quia, sicut dicunt Apostoli, Matth. XIX, 10 : *si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.*

Deinde cum dicit, *Si autem acceperis uxorem, non peccasti*, hic excusat matrimonium contrahendum, a peccato : ubi primo ostendit quod matrimonium potest contrahi sine peccato ; secundo quod levius est esse sine conjugio, ibi, *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.* In prima primo proponit veritatem de non virgine ; secundo de virgine, ibi, *Et si nupserit virgo, non peccavit.* Dicit ergo : Si autem solutus es, *noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem*, scilicet bono fine, non ad expletionem libidinis, *non peccasti.* Hic autem est argumentum evidens contra hæreticos, qui contemnunt matrimonium, de quibus I Timoth. IV, 3 : *Prohibentes nubere.* Et similiter *si nupserit virgo*; non virgo Deo dicata, quia, secundum Hieronymum, voventibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle nubere peccatum est; *non peccavit*, scilicet nubendo : alioquin peccasset Beata Virgo, cum desponsata esset Joseph. *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi*, scilicet conjugati, idest afflictionem pro rebus necessariis procurandis et sibi et filiis suis et aliis. Unde levius est esse sine conjugio. *Ego autem vobis parco ;* quasi dicat. Consulo evitare conjugium ; quod tamen concedo parcendo infirmitati vestræ. Vel sic. *Ego autem vobis parco* in hoc quod consulo cavere tribulationes carnis.

Notandum est hic, quod sancta virginitas magnum bonum est propter multa. Primo, quia carnis munditiam conservat. Apoc. XIV, 4 : *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt : hi sequuntur agnum, quocumque ierit :* sicut bonum est sal, quia conservat carnem a corruptione. Secundo, quia animam decorat et ornat : unde frequenter in Scriptura jungitur virgo pulchra. Sap. IV, 1 : *O quam pulchra est casta generatio cum claritate!* Cant. IV, 7 : *Tota pulchra es amica mea.* Tertio, quia Angelis cœli assimilatur, sicut dicit hic *Glossa :* et Matth. XXII, 30 : *In resurrectione neque nubent neque nubentur*; *sed erunt sicut Angeli Dei.* Hieronymus : « In carne præter carnem vivere, ultra homines est. » Quarto, quia Christo desponsat : II Corinth. XI, 2 : *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Quinto, quia jungit et approximat Deo : Psalm. XLIV, 15 : *Adducentur regi virgines post eam.* Sap. VI, 20 : *Incorruptio facit proximum Deo* : Hierem. III, 4 : *Dux virginitatis meæ tu es.* Sexto, quia ceteris statibus præponderat : Eccli. XXVI, 20 : *Non est digna ponderatio animæ continentis :* infra eodem : *Qui matrimonio jungit virginem, bene facit; et qui non jungit, melius facit.* Septimo, quia odorem bonæ famæ spirat : Luc. I, 27, dicitur : *Et nomen virginis Maria* : Cant. II, 2 : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Hierusalem.* Octavo, quia ad nuptias æternas invitat : Matth. XXV, 10 : *Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias.* Sed heu, quia ad conservandum difficilis : ideo Eccli. XLII, 9 : *Filia patris abscondita est vigilia, et solicitudo ejus aufert somnum.* Et hoc quia diabolus suggerit contrarium, corruptio inclinat ad actum, pulchritudo allicit ad consensum.

LECTIO VI.

Hoc itaque dico, fratres : tempus breve est : reliquum est, ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint ; et qui flent, tamquam non flentes ; et qui gaudent, tamquam non gaudentes ; et qui emunt

tamquam non possidentes ; et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur : præterit enim figura hujus mundi.

Hæc est secunda pars, ubi nubentibus sive nuptis ostendit bene vivendi modum : docens primo qualiter utantur uxoribus ; secundo qualiter fortunæ casibus sive eventibus, ibi, *Et qui flent, tamquam non flentes ;* tertio qualiter mundi rebus sive possessionibus, ibi, *Et qui emunt tamquam non possidentes*; quarto subdit rationem in his admonitionibus ibi, *Præterit enim figura hujus mundi.* In prima implicat tria : scilicet auctoritatem consiliarii, *Hoc itaque dico*; necessitatem consulendi, *Tempus breve est ;* formam consilii, *Reliquum est ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint.* Dicit ergo : *Hoc itaque dico ;* quasi dicat : Quia non est peccatum nubere, *hoc itaque dico, fratres* : si conjugii *tempus breve est,* quo scilicet non generatione carnali propagandus est populus Dei, sed generatione spirituali colligendus, secundum *Glossam* : et quia *tempus breve est*, *reliquum est*, idest hoc solum restat agendum, *ut qui habent uxores*, *sint tamquam non habentes*, studendo servitio Dei, non autem operi carnali, debitum scilicet exigendo : unde dicitur : *Sint tamquam non habentes* : non dicit, Tamquam non habenti, sicut erant antiqui patres : propter quod dicit Augustinus *De bono conjug.*, cap. xxi, quod cælibatus Joannis non præfertur conjugio Abrahæ. Sed hodie faciunt e converso : quia qui non habent, sunt tamquam habentes.

Est autem notandum, quod tamquam non habens uxorem est qui vel uxori debitum reddit, nec exigit : vel propter infirmitatem uxorem ducit, dolens quod sine ea esse nequit ; vel pari affectu continentiam custodit ; vel causa generandæ prolis ad cultum Dei uxorem propriam cognoscit.

Et qui flent, pro casibus conjugii, vel pro aliqua tristitia sæculi, sint *non flentes*, consolati scilicet spe appropinquantis boni futuri. Proverb. xii, 21 : *Non contristabit justum quidquid ei acciderit. Et qui gaudent*, pro aliqua prosperitate sæculi, *tamquam non gaudentes*, sed tamquam in timore existentes imminentis mali periculi. Eccli. xi, 27 : *In die bonorum ne immemor sis malorum.*

Deinde cum dicit, *Et qui emunt, tamquam non possidentes*, hoc ostendit qualiter utantur mundi rebus, sive possessionibus : et primo qualiter uti debeant acquirendis ; secundo qualiter acquisitis, ibi, *Et qui utuntur hoc mundo*, *tamquam non utantur.* Dicit ergo : *Qui emunt, tamquam non possidentes*, idest post hæc terrena non sedentes, scilicet supple non apponendo cor rebus perituris. Psalm. lxi, 11 : *Divitiæ si affluant*, *nolite cor apponere.* Ezech. vii, 12 : *Qui emit non lætetur*, *et qui vendit non lugeat. Et*, ut universaliter colligam, *qui utuntur hoc mando*, idest rebus mundanis, non dico fruuntur, ut mali, qui de eis malum faciunt finem, qui dicunt Sapient. ii, 6 : *Fruamur bonis quæ sunt*, idest præsentibus ; sed qui utuntur eis ad finem debitum referendo, sint *tamquam non utantur;* idest, non adhæreant eis nimia delectatione. I Timoth. vi, 8 : *Habentes alimenta et quibus tegamur*, *his contenti simus.* Præter actum ergo conjugalem ponit quatuor differentias actuum circa solicitudinem mundanorum, scilicet flere, gaudere, emere, uti. Duo primi pertinent ad affectum, duo alii ad effectum. Ex humana vero solicitudine generatur duplex effectus ; scilicet emendi respectu habendorum, et utendi respectu habitorum ; et secundum hoc ponit Apostolus consilium temperantiæ in his quatuor actibus.

Deinde cum dicit, *Præterit enim figura hujus mundi*, hic subdit rationem prædictarum admonitionum, quæ talis est. Transitoria sunt reputanda quasi non sint; sed talia sunt mundana peritura : ergo quasi non sint, sunt reputanda : et hoc est quod dicit, quod ideo mundana quasi non sint, existimanda sunt, quia *præterit figura*, idest exterior pulchritudo, vel quod est ibi fragile [1] conveniens statui fragilitatis. Transibunt enim qualitates mortales, et remanebunt immortales. Ideo transibit mundus et concupiscentia ejus. Omnia notanda, quia *figura*, non substantia, *mundi*, non paradisi, *præterit*, non sistit.

Hic quæritur super illo, *Si potes fieri liber. Glossa* : « Quanto quis propter Deum despectior est in hoc sæculo, tanto magis exaltabitur in futuro. » Contra. Ergo magis exaltabitur bonus subditus, quam bonus prælatus. Respondeo : Glossa intelligenda est ceteris paribus.

Item super illud, *Unusquisque in quo*

[1] Al. : « facile. »

vocatus est, *Glossa* : « statu. » Contra. Ergo qui vocatus est in statu sæculari, non debet intrare religionem. Respondeo : Apostolus loquitur de statibus promoventibus ad salutem, non de impedientibus.

Item super illud, *Existimo hoc bonum esse*, *Glossa* : « Major est victoria virginum quam Angelorum. » Contra. Ergo major corona : ergo homines erunt majores Angelis, non solum æquales. Respondeo : Major extensive, idest multiplicative, quia habent aureolam, non solum auream.

Item super illud, *Bonum est homini hic esse*, *Glossa*, « in virginitate. » Contra. Genes. I, 28 : « Crescite et multiplicamini. » Virginitas autem contraria est huic præcepto. Respondeo : Illud præceptum non est perpetuum, sed datum usque ad tempus sufficientis multiplicationis humani generis.

Item super illud, *Qui habent uxores*, *Glossa* : « Beatiora conjugia judicanda sunt, quæ, prole concepta, pari consensu continentiam servare potuerunt. » Contra. Unumquodque tanto beatius est, quanto magis convenit fini suo ; finis autem conjugii est generatio prolis. Respondeo : Expone conjugia, idest conjuges. Vel dicendum est, quod ille non est ultimus finis conjugii, sed adimpletio numeri electorum, qui citius impleretur, si omnes continerent.

Item super illud, *Præterit figura hujus mundi*, *Glossa* : « In judicio mundanorum ignium flagratione hujus mundi peribit non substantia sed figura. » Contra. II Petr. III, 10 : *Per quem cœli magno impetu transient*. Respondeo : Ille transitus et illa solutio accidentalis est, non substantialis ; idest secundum qualitatem, non secundum substantiam.

LECTIO VII.

Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo ; qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta, et virgo quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, et spiritu ; quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam : sed ad id quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.

Superius dedit primo virginibus consilium continendi ; secundo nubentibus documentum bene vivendi ; hic tertio ostendit quod magis expedit tempus continendi : et hoc ostendit primo ratione majoris tranquillitatis ; secundo ratione majoris sanctitatis, ibi, *Et mulier innupta, et virgo cogitat quæ Domini sunt* ; tertio ratione majoris utilitatis, ibi, *Porro hoc ad utilitatem vestram dico*. Prima ratio talis est. Tranquillitas in amore solius Dei præferenda est solicitudini mundanorum, sed continentes habent tranquillitatem, conjugati solicitudinem mundi : ergo status continentium præferendus est statui conjugatorum. Primo ergo dehortatur solicitudinem mundi ; secundo subdit quod continentes non sunt soliciti nisi in his quæ sunt Dei, ibi, *Quoniam qui sine uxore est, solicitus est quæ Domini sunt* ; tertio ostendit quod conjugatos oportet esse solicitos in his quæ sunt mundi, ibi, *Qui autem cum uxore, solicitus est quæ sunt mundi*. Dicit ergo : *Volo autem* ; quasi dicat : Si nubitis, prædicta facere consulo ; sed magis *volo vos esse sine solicitudine* rei uxoriæ. Ph. IV, 6 : *Nihil soliciti sitis*. Nota, quod dehortatur nos Scriptura a solicitudine triplici, scilicet circa mulierem ; ut hic, *Volo vos sine solicitudine esse* ; circa ventrem, Matth. IV, 23 : *Ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini circa* bursam : Proverb. XI, 7 : *Expectatio solicitorum peribit*. Et recte hoc volo, quia *qui sine uxore est, solicitus est quæ Domini sunt*, ut complaceat ei. Non enim habet excusationem illorum qui dicunt Luc. XIV, 20 : *Uxorem duxi : et non possum venire*. *Solicitus*, inquam, scilicet *quomodo placeat Deo*, interiori scilicet pulchritudine sua. Felix cujus votum est uxorem fugere, cujus solicitudo est Domino servire, cujus intentio est Deo placere.

Deinde cum dicit, *Qui autem cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi*, hic ostendit quomodo conjugatos oportet esse solicitos in his quæ sunt mundi ; ubi implicantur quatuor gravia. Primo vinculum conjugale, ibi, *Qui cum uxore est* : studium mundiale, ibi, *Solicitus est* ; subjectio uxoris, ibi, *Quomodo placeat uxori* ; operis divisio, ibi, *Et divisus est*. Dicit ergo : *Qui autem cum uxore est*

scilicet in matrimonio, *solicitus est quæ sunt mundi,* idest de regimine familiæ et hujusmodi; unde Jacob, acceptis uxoribus ait Genes. xxx, 30: *Justum est ut aliquando provideam domui meæ*; idest, solicitus sim quomodo placeam uxori. Et hoc fine potest se licite ornare, nam, secundum *Glossam*, magna amaritudo in domo est uxor tristis : *et* talis *divisus est*, non natura, sed actu, scilicet divisione officii, non intentionis principalis : unde *Glossa*: « partim servit Deo, partim mundo. »

Deinde cum dicit, *Et mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt*, hic ponitur secunda ratio probans quod magis expedit servare propositum continentiæ quam nubere, ratione majoris sanctitatis: et est ratio sua talis. Continens studet sanctitati et divinitati et amori Dei; nupta vero mundo : ergo illa præferenda est isti. Primo ergo tangit studium innuptæ, quia cogitat totaliter placere Deo : secundo studium nuptæ, quia cogitat partim placere mundo, ibi, *Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi.* In prima implicat tria; scilicet continentium statum, cogitatum, et fructum. Statum honestum, quia *innupta et virgo*; cogitatum rectum, quia *cogitat quæ Domini sunt*; multiplicatum fructum, quia *ut sit sancta* etc. Dicit ergo : *Et* similiter *mulier innupta* idest vidua, *et virgo cogitat*, idest majorem habet facultatem cogitandi, *quæ Domini sunt*, idest spiritualia et æterna. *Cogitat* inquam, *ut sit sancta* magis quam nupta. Multæ enim nuptæ sunt sanctæ. « Augustinus *De bono conjug.* cap. xi « Ampliorem non nuptarum et in corpore et in spiritu sanctificationem intelligi voluit; non tamen nuptas omnino sanctificatione privavit.» *Sancta*, inquam, *corpore*, idest corporalibus actionibus, *et spiritu*, idest spiritualibus actionibus. Vel *sancta corpore* contra vitia carnalia, *et spiritu* contra spiritualia.

Deinde cum dicit, *Quæ autem nupta est*, hic tangit solicitudinem nuptarum, ubi implicat tria. Primo conjugium; secundo solicitudinem, ibi, *Cogitat quæ sunt mundi;* tertio conjugii studium, ibi, *Quomodo placeat viro.* Dicit ergo : *Quæ autem nupta est, cogitat quæ mundi sunt*, scilicet de cura filiorum, de regimine domus, et hujusmodi. Unde parentes monuerunt Saram honorare socrum, diligere maritum, gubernare domum, regere familiam, et se ipsam irreprehensibilem exhibere. Tob. x *Cogitat* inquam, *quomodo placeat viro* : unde hoc fine ornantes se non peccant: verumtamen magis debent studere ei placere ornatu morum quam vestimentorum. I Timoth. ii, 9 : *Mulieres in habitu ornato ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro aut margaritis, vel veste pretiosa.*

Deinde cum dicit, *Porro hoc ad utilitatem vestram dico,* hic allegat tertiam rationem, scilicet majorem utilitatem; et est ratio talis. Illud quod est utilius, magis expedit. Sed continere est utilius quam nubere: ergo magis expedit eligere continentiam quam nuptias. Primo ergo ostendit quod utile est continere; secundo quod honestum est, ibi, *Sed id quod est honestum*; tertio quod facile, ibi, *Et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* Dicit ergo : *Porro hoc ad utilitatem vestram dico*; quasi dicat : Consulo non nubere. *Porro hoc ad utilitatem vestram*, majorem scilicet, *dico*, ut expeditius Deo serviatis- quia sic mortificatur caro, quæ est ini, mica spiritus. Augustinus *serm.* xliv: « Sicut inimicus occisus non facit tibi injuriam : sic caro mortificata non turbat animam. » *Dico*, inquam, *non ut laqueum* fornicationis, scilicet incontinentibus, *vobis injiciam*, aliquid difficile super hoc faciendo; immo potius laqueus poneretur, si consuleret nubere : quia de muliere dicitur Eccl. vii, quod laqueus venatorum est : sed potius intendens inducere omnes ad *id quod honestum est*, scilicet ad sanctitatem corporis et animæ: non quia conjugalis status non sit honestus, sed quia minus honestus. Augustinus, *De bono vid.* cap. v. « Non matrimonium turpe esse monstravit ; sed quod honestius erat generalis honesti nomine commendavit. » Et monens ad illud *quod facultatem præbeat* alicui observandi se in Domino, idest ad servitutem Domini; ei hoc *sine impedimento*, quod est conjugio. II Corinth. xi, 2 : *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Vere eligendus est status continentiæ; ubi majus commodum, quia *hoc ad utilitatem*; ubi minus periculum, quia *non ut laqueum*; major honestas, *id quod honestum*; liberior facultas serviendi Deo, quia *facultatem præbet sine impedimento Dominum obsecrandi*

Notandum est hic, quod multiplex solicitudo est bona. Prima prælationis, sicut

nauta solicitus est de regimine navis, pater de filiis : Rom. xii, 8 : *Qui præest, in solicitudine.* Secunda prædicationis, sicut pædagogus solicitus est de puero, doctor de discipulis : I Th. ii, 2 : *Fiduciam habuimus loqui ad vos verbum Dei in multa solicitudine.* Tertia dilectionis, sicut amicus verus solicitus est de conversatione amoris : Ephes. iv, 5 : *Soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Quarta compassionis, sicut vir misericors solicitus est de egenis et afflictis : II Timoth. i, 17 : *Cum venisset Romam, solicite me quæsivit, et invenit.* Quinta devotionis, sicut servus solicitus est de placendo domino, religiosus Deo : Mich. vi, 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum;* et post *solicite ambulare cum Deo tuo.* Sexta circumspectionis, sicut speculator solicitus est de castro custodiendo : Deut. iv, 15 : *Custodite animas vestras solicite.* Corpus enim cum organis, anima cum potentiis quoddam castrum est. Septima actionis, sicut agricola solicitus est de opere perficiendo : Luc. x, 41 : *Martha, Martha, solicita es.* II Timoth. xi, 15 : *Solicite cura teipsum probabilem exhibere Deo.* Octava provisionis, sicut dispensator de domo, mercator de computo, pauper de pane quærendo : Rom. xii, 11 : *Solicitudine non pigri.*

LECTIO VIII.

Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, et ita fieri oportet : quod vult faciat : non peccat, si nubat. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis ; et hoc judicavit in corde suo servare virginem suam, bene facit. Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit ; et qui non jungit, melius facit. Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est a lege. Cui autem vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit si sic permanserit, secundum meum consilium. Puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam.

Superius egit de virginibus ; hic agit de virginum custodibus : ostendens primo quod licet eis virgines suas conjugio copulare ; secundo quod non similiter nuptis licet nisi post mortem viri contrahere, ibi, *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit.* In prima primo ostendit quod custos potest dare virginem suam in conjugio ; secundo quod non peccat hoc faciendo, ibi, *Nec peccat, si nubat*, tertio quod etiam bene facit servando, ibi, *Nam qui statuit..... servare virginem suam, bene facit* ; quarto quod licet utrumque sit bonum, tamen hoc est melius illo, ibi, *Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit.* In primo supponit in virgine ætatem nubilem ; secundo voluntatem nubendi, ibi, *Et ita oportet fieri* ; tertio dat nubendi licentiam, ibi, *Quod vult faciat.* Dicit ergo : *Si quis autem turpem se videri existimat ;* quasi dicat : Esse sine conjugio, honestius est, et expeditius : sed tamen *si quis turpem se videri existimat,* apud judicium hominum, *super virgine sua*, timens ne corrumpatur, eo *quod sit superadulta*, idest ultra pubertatem, et jam in nubilibus annis, *et ita oportet fieri* ut nubat, quia non vult continere : *quod vult* virgo, *faciat* custos. Eccli. vii, 27 : *Trade filiam tuam, et grande opus fecisti*; *et homini sensato da illam.* Nec *peccat* custos, *si nubat* virgo. Hoc ideo dicit secundum *Glossam*, ne, etsi virgo non peccat, custos videatur peccare. Augustinus *De bono vid.* [1] cap. viii : « Quæ se non continet, nubat : quæ non cepit, deliberet ; quæ egressa est, perseveret. Nulla adversario detur occasio ; sed falsa retrahatur oblatio. »

Deinde cum dicit, *Nam qui statuit* etc., hic ostendit quod custos virginis bene facit, eam in statu virginali servando : ubi implicatur quadruplex conditio ad hoc expediens. Prima quod custos *firmus* sit in proposito eam virginem custodiendi ; secunda, quod non timeat de casu virginali, ibi, *Non habens necessitatem* ; tertia quod cognoscat in virgine propositum continendi, ibi, *Potestatem autem habens suæ voluntatis* ; quarta quod faciat ex deliberatione, ibi, *Et hoc judicabit.* Dicit ergo : *Nam qui statuit.... servare virginem suam, bene facit* : quasi dicat : Ideo autem dico quod non peccat qui tradit virginem : nam de alio qui servat eam, patet quod bene faciat : *nam qui statuit in corde servare virginem suam, firmus*, in proposito suo, non curans sobolem vel aliud hujusmodi, *non habens necessitatem* tradendi eam, cum virgo velit continere, *potestatem autem habens*,

[1] Al. : « conjug. »

secundum alumnæ continentiam, *voluntatis suæ* perficiendæ, *et hoc judicavit in corde suo*; idest, ex judicio rationis, non ex levitate mentis, discernit esse bonum. I Tim. v, 21 : « Sine præjudicio nihil facias. » *Judicavit*, inquam, *servare virginem suam*. Ambrosius super hunc locum : « Non ingerens ei fomitem nuptiarum. » Eccli. vii, 26 : *Filiæ tibi sunt? Serva corpus illarum*. Qui facit, inquam, sic, *bene facit*.

Deinde cum dicit, *Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam*, *bene facit*, hic ostendit quod licet utrumque sit bonum, tamen virginitas est melior matrimonio ; ubi primo approbat statum conjugalem; secundo præponit statum virginalem, ibi, *Qui non jungit*, *melius facit*. Dicit ergo : *Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit*; quasi dicat : Quia oportet fieri ut diximus : *igitur et qui matrimonio jungit virginem*, *bene facit*, quia licitum est quod facit ; *et qui non jungit*, cum virgo acquiescat continere, *melius facit*. *Glossa* : « Melius facit qui apud Deum meritum suum collocat, et a solicitudine liberat eam. » Melius est enim quod licet et expedit, quam quod licet et non expedit. Hic enim bene utitur malo, ibi vero bene utitur bono. Bene utitur quis bono continentiam dedicans Deo ; male utitur quis bono, continentiam dedicans idolo ; male utitur quis malo, concupiscentiam relaxans adulterio ; bene utitur malo, concupiscentiam restringens connubio. Bonum est pudicitia conjugalis, sed melius est continentia virginalis, vel vidualis, secundum *Glossam*.

Deinde cum dicit, *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit*, hic ostendit quod non similiter conjugata, nisi viro mortuo, potest contrahere : ubi primo ostendit quod conjugata non potest nubere viro vivente ; secundo, quod viro mortuo potest alii nubere, ibi, *Quod si dormierit vir ejus*, *liberata est a lege*; tertio, quod melius est illi continere, ibi, *Beatior autem erit*, *si sic permanserit*; quarto, quod debet consilio ejus credere, ibi, *Puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam*. Dicit ergo : *Mulier alligata est legi* etc., quasi dicat : Qui non jungit virginem suam, melius facit, et vere melius, quia *mulier alligata est legi* etc. Vel sic. Virgo quocumque tempore potest nubere ; sed uxorata non, quia *mulier alligata est legi*, ita ut non possit nubere alteri, *quanto tempore vir ejus vivit*. Rom. vii, 2 : *Quæ autem sub viro est mulier*, *vivente viro est affligata legi viri*. Deinde cum dicit, *Quod si dormierit*, somno mortis : de qua dormitione Joann. xi, 2 : *Lazarus amicus noster dormit* : *vir ejus*. Augustinus, *De bono vid.* cap. iv, et xii : « Non dicit primus, secundus, vel tertius, vel quartus, vel quousque licet. Nec nobis definiendum est quod non definit Apostolus. Unde nec ullas nuptias debeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis afferre. » *Si dormierit*, inquam, *liberata est a lege viri* ; unde permittitur ei nubere. Hinc patet quod resurgenti non tenetur copulari ; *sed cui vult nubat*. Invitæ enim nuptiæ solent habere malos proventus ; ideo dicitur Gen. iv, 57 : *Vocemus puellam, et quæramus voluntatem ejus*. *Nubat*, inquam, *tantum in Domino*, idest viro suæ religionis : nam in dispari cultu prohibitum est in lege matrimonium : Deuteron. vii. Per hanc licentiam Apostoli, revocatæ sunt omnes pœnæ, et infamiæ, quæ secundum leges infligebantur olim mulieri secundo nubenti infra tempus luctus, scilicet intra annum. Ergo in nuptis exigitur personarum legitimitas, unde dicitur. *Liberata est* : consensus libertas, unde addit, *Cui vult nubat* : cultus paritas, unde subdit : *Tantum in Domino*.

Deinde cum dicit, *Beatior autem erit si sic permanserit*, hic ostendit quod melius est illi continere quam nubere, dicens : Quamvis liceat ei nubere, *tamen beatior erit*, *si sic permanserit*, scilicet innupta : et hoc est consilium meum, supra eodem datum : habebit enim fructum sexagesimum, qui debetur viduis : Matth. xiii, Augustinus, *De bono vid.* cap. iv : « Satis ostendit beatam esse post mortem viri et secundo nubentem ; sed beatior est non nubens. » Deinde cum dicit, *Puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam*, hic ultimo ostendit quod debent consilio ejus credere, quia inspirante Spiritu sancto hoc consulit : et hoc est quod dicit : *Puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam;* quasi dicat : Faciendum est *secundum consilium meum*, quia *puto quod et ego* sicut ceteri Apostoli, *Spiritum Dei habeam*. Rom. viii, 23 : *Sed et nos ipsi primitias Spiritus habentes*. Hoc ergo consilium debet impleri et propter fructum sequentem, quia *beatior erit*, et propter consulentis auc-

toritatem, quia *secundum consilium meum*, et propter Spiritum Dei inspirantem, quia *puto quod et ego Spiritum Dei habeam*.

Hic quæritur super illo verbo, *Volo vos sine solicitudine esse*. Contra. Rom. XII, 2 : *Solicitudine non pigri*. Responsio. Ibi loquitur de solicitudine spirituali, hic de temporali.

Item super illo *Divisus est*. Contra. Oseæ X, 2 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt*. Responsio. Ibi loquitur de divisione intentionis principalis, hic de divisione actionis.

Item *Glossa* ibidem : « Partim servit Deo, partim mundo. » Contra. Matth. VI, 24 : *Nemo potest duobus dominis servire*. Responsio. Verum est, ita quod æqualiter serviat utrique in eo quod duo, idest contrarii, sunt.

Item super illud, *Mulier innupta cogitat quæ Domini sunt*, *Glossa*: « Non cogitat, ne damnetur a Deo. » Contra. Damnari potest, ut patet in parabola de fatuis virginibus. Responsio. Non cogitat hoc solum, sed cum hoc etiam ne offendat sponsum.

Item super illud, *Ut sit sancta corpore et spiritu, Glossa* : « Non potest fieri ut non sit sanctum corpus quo utitur sanctificator Spiritus. » Contra. Spiritus sanctus usus est lingua Caiphæ non sancta, Joan. VI. Responsio. Utebatur ea ut spiritus non ut sanctificator.

Item. *Sed ad id quod honestum est*. Contra. Ergo matrimonium turpe. Responsio, secundum *Glossam*. Positivum posuit pro comparativo.

Item super illud, *Qui non jungit, melius facit*. *Glossa* : « Hic, scilicet in conjugio, bene utitur homo malo. » Contra. Cujus usus bonus est, ipsum quoque bonum est. Responsio. Illud intelligitur de usu rei per se, scilicet ad quem ordinata est, non per accidens, scilicet ad quem ex prudentia utentis ordinatur.

Item *Glossa* ibidem : « Melius est bene uti bono, quam bene uti malo. » Contra. Hoc difficilius illo. Responsio. Loquitur hic de malo vitii, non supplicii.

Item super illo verba in *Glossa* : « Duæ permissæ. » Contra. Ergo duæ nuptiæ non sunt a Deo. Responsio. Non ex eo quod duæ, nisi ex consequenti.

Item. *Si dormierit vir* : quid dicendum est, si resuscitatur? Responsio. Requiritur consensus novus ad quod sit matrimonium.

Item super illud, *Puto quod Spiritum Dei habeam*. Contra. Rom. VIII, 38 : *Certus sum quod neque mors, neque vita.... poterunt nos separare a caritate Dei*. Responsio, secundum *Glossam*. Non dicit hoc dubitando, sed quasi increpando.

CAPUT OCTAVUM

LECTIO I.

De his autem quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus. Scientia inflat, caritas vero ædificat. Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire. Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo. De escis autem quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus Deus nisi unus. Nam et si sunt qui dicantur dii sive in cœlo, sive in terra (siquidem sunt dii multi : et domini multi). nobis tamen unus Deus pater, ex quo omnia et nos in illo : et unus Dominus Jesus Christus ; per quem omnia, et nos per ipsum. Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant, et conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur. Esca autem nos non commendat Deo : neque enim si manducaverimus, abundabimus,neque si non manducaverimus, deficiemus.

Excluso errore circa correctionem criminum, cap. v et vi, item circa virginitatem et matrimonium, cap. vii, hic excludit errorem circa esum, et abstinentiam ciborum cap. isto, et ix, et x : loquens de his quæ idolis immolabantur : a quibus quamvis in se licitis, abstinere monet, primo allegando eis scandalum infirmorum cap. isto ; secundo exemplum sui, qui propter alios abstinet a receptione sumptuum licitorum, cap. ix ; tertio exemplum pœnæ Judæorum post tanta beneficia Dei in deserto prostratorum, cap. x. Ergo propter scandalum proximi, exemplo Apostoli non [1] propter timorem supplicii, debemus abstinere a cibis aliquando licitis. In primo ostendit quod in se licita est commestio idolothytorum ; secundo monet nihilominus abstinere propter scandalum fratrum infirmorum, ibi, *Videte ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis*. In prima primo proponit quod majores eorum habent scientiam de idolothytis ; secundo ostendit qualem scientiam habent de eis, ibi, *De escis autem quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo* ; tertio quod quidam infirmi hac scientia carent : ibi, *Sed non in omnibus est scientia* ; quarto quod alii coram eis idolothyta edere non debent, ibi, *Esca autem no non commendat Deo*. In prima primo dicit, quod de idolothytis scientiam habent ; secundo quod eam sine caritate inutiliter habent, ibi, *Scientia inflat, caritas autem ædificat* ; tertio ostendit a quibus habeatur hæc scientia insufficienter, ibi, *Si quis autem existimat se scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire* ; quarto a quibus sufficienter, ibi, *Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo*. Dicit ergo : *De his autem quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus*, quasi dicat : De prædictis quæsivistis a me, scilicet de pertinentibus ad matrimonium : de aliis autem, ut de immolatis idolo non fuit necesse quærere : quia omnes scitis super hoc veritatem : et hoc est quod dicit : *De his autem quæ idolis sacrificantur* an liceat edere, vel non, *scimus*, ego et vos quod liceat ea comedere, secundum illud ad Titum i, 15 : *Omnia munda mundis* : *scimus quia omnes scientiam habemus*, ego scilicet, et vos perfecti inter alios, scilicet scientiam de Creatore, et creaturis : et ideo minus excusabiles, si male facimus.

Deinde cum dicit, *Scientia inflat*, hic ostendit quomodo sine caritate scientiam inutiliter habent ; quasi dicat : Habetis quidem scientiam ; sed non valet vobis, quia inde superbitis contra ignaros. *Scientia* autem, si sola est, *inflat*. Eccle. i, 18 : *In multa sapientia, multa est indignatio*. Act. xxvi, 24 : *Multæ litteræ te faciunt insanire*. Hæc enim fuit plaga Ægyptiorum, idest sapientium hujus mundi, vesicæ turgentes. Exod. ix. *Caritas vero ædificat*, infirmos ; quæ quod eis obesse potest, dimitti quia non quærit quæ sua sunt. Unde addenda est scientiæ caritas. Augustinus, *Epist.* cxix. « Addite ergo scientiæ caritatem, et

[1] Al. omittitur : « non. »

utilis erit scientia. » Per se quidem est inutilis, ex caritate vero utilis. Philosophus II *Ethic.*, cap. IV : « Scire aut nihil, aut parum prodest ad virtutem. »

Deinde cum dicit, *Si quis autem existimat se scire aliquid*, etc., hic ostendit a quibus hæc scientia habetur insufficienter, quia ab illis qui ea utuntur in nocumentum proximi : et est sua ratio talis. Quicumque habent scientiam, non modum utendi ea, habet scientiam insufficienter; sed qui habet scientiam sine caritate, est hujusmodi; ergo qui habet scientiam sine caritate, habet insufficienter scientiam. Primo ergo supponit scientiam sine caritate; secundo ostendit insufficientiam talis scientiæ, ibi, *Nondum cognovit*; tertio rationem insufficientiæ, ibi, *Quemadmodum oporteat eum scire*. Dicit ergo : *Si quis autem existimat se scire*; quasi dicat : Habetis scientiam, sed non sufficientem : quia *si quis* vestrum *existimat se scire*, habens scientiam sine caritate, aliquid scit, scilicet quod liceat comedere idolothyta, *nondum tamen cognovit* : quia non se cognoscere facto ostendit, *quomodo oporteat eum scire*; idest, qualiter debeat uti scientia, quia in ædificationem, non in nocumentum aliorum. Scire autem contingit dupliciter, scilicet habere scientiam, et uti scientia : sicut videre, habere visum, et uti visu. *Glossa* Bernardi : « Hic non approbat Apostolus multa scientem, si modum sciendi nescierit. Modus enim sciendi est ut scias quo ordine, quo studio, quo fine scire quæque oporteat : quo ordine, ut id prius quod maturius ad salutem; quo studio, ut id ardentius quod efficacius est ad amorem; quo fine ut non ad inanem gloriam vel curiositatem velle aliquid, sed ad ædificationem tui et proximi. Sunt namque qui scire volunt eo fine tantum ut sciant, et curiositas est; quidam ut sciantur, et vanitas est; quidam ut scientiam vendant, et turpis quæstus est; quidam ut ædificentur, et prudentia est; quidam ut ædificent, et caritas est. »

Deinde cum dicit : *Si quis autem diligit Deum, is cognitus est ab eo*, hic ostendit a quibus hæc scientia habetur sufficienter, quia ab illis qui utuntur ex ea caritate. Primo ergo supponit scientiam cum caritate : secundo ostendit sufficientiam talis scientiæ, ibi, *Hic cognitus est*. Dicit ergo : *Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo*, quasi dicat : Ille perfecte non scit qui nescit quemadmodum oporteat eum scire, *Si quis autem diligit Deum* et ita cum scientia habet caritatem, *hic cognitus*, idest approbatus, *est ab eo; novit enim Dominus qui sunt ejus* : II Timoth. II, 19. Unde talis vere scit Deo approbante, quia bene utitur scientia propter caritatem annexam.

Notandum est hic, quod ad hoc quod aliquis sciat quemadmodum oporteat scire, novem sunt necessaria. Primo humiliter sine inflatione : Philippens. IV, 12 : *Scio humiliari*. Psal. CXXX, 2 : *Si non humiliter sentiebam*. Secundo sobrie sine præsumptione : supra II, 2 : *Non judicavi me scire* : Rom. XII, 3 : *Non plus sapere quam oportet*. Tertio certitudinaliter sine hæsitatione : II Timoth. I, 12 : *Scio cui credidi, et certus sum*. Quarto veraciter, et sine errore : II Tim. III, 7 : *Semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes*. Quinto simpliciter sine deceptione : II Timoth. VI, 20 : *Oppositione falsi nominis scientiæ*. Sexto salubriter cum caritate et dilectione : infra III, 2 : *Si habuero omnem scientiam.... caritatem autem non habuero, nihil sum*. Septimo utiliter cum proximorum ædificatione : infra XII, 8 : *Alii datur sermo scientiæ in eodem Spiritu*. Octavo liberaliter cum gratuita communicatione : Sapient. VI, 24 : *Ponam in lucem sapientiam ejus*. Nono efficaciter cum bona operatione : *scienti enim bonum et non facienti, peccatum est illi* : Jac. IV, 17. Primum, scilicet humilitas scientiæ arguit sapientes superbos; sobrietas curiosos; certitudo dubiosos; veritas hæreticos; simplicitas advocatos; salubritas magos; utilitas iniquos; liberalitas avaros; efficacia otiosos.

Deinde cum dicit, *De escis autem quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum immundo*, hic ostendit qualem scientiam habent de idolothytis, ostendens primo quod sciunt idolum nihil esse, secundo quod sciunt omnia a Deo esse, ibi, *Nam etsi sunt qui dicantur dii... nobis tamen unus Deus*. In prima primo dicit idolum nihil esse; secundo juxta hoc ad declarationem ostendit Deum non nisi unum esse, ibi, *Et quod nullus Deus nisi unus*. Dicit ergo : *De escis autem quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo* : quasi dicat : Prædictis modis non valet scientia; sed tamen *de escis quæ immolantur idolis, scimus*, scientia vera, scilicet quod in se sunt li-

citæ, nec propter dolum sunt immundæ : et hoc quia *idolum nihil est in mundo*. Hoc tripliciter exponitur. Primo modo sic. *Idolum nihil est in mundo*, idest inter creaturas mundi, quantum ad formam idoli; licet enim materia idoli sit aliquid, scilicet aurum vel argentum vel hujusmodi, tamen nihil est forma, scilicet quæ creditur ibi esse ab idolatris, qui credunt idolum esse Deum. Isa. XLI, 24 : *Ecce vos estis ex nihilo, et opus vestrum ex eo quod non est*. Secundo modo sic. *Idolum nihil est*, scilicet persona subsistens ex simulacro et spiritu præsidente. Ex istis enim duobus nihil est, sicut ab idolatris putatur. Hier. X, 14 : *Confusus est omnis artifex in sculptili, quia falsum est quod conflavit, et non est spiritus in eo*. Tertio modo sic. *Idolum nihil est in mundo;* idest, nullius rei quæ sit in mundo habet [1] similitudinem. Est enim differentia inter idolum et simulacrum : quia simulacrum dicitur quod fit ad similitudinem rei alicujus naturalis; idolum autem ad nullius rei est similitudinem [2]; ut si corpori humano addatur caput equinum. Isa. XL, 18 : *Cui similem fecistis Deum? Aut quam imaginem ponetis ei*? Et scimus etiam *quod nullus Deus nisi unus*. Deuter. VI, 4 : *Audi Israel* : *Dominus Deus tuus, Deus unus est*.

Deinde cum dicit, *Nam etsi sunt qui dicantur dii... nobis tamen unus Deus*, hic ostendit quod sciunt omnia a Deo esse, non a diis nuncupativis vel adoptivis, ut sunt idola, vel sancti; sed ab uno summo. Primo ergo dicit quomodo potest intelligi deorum pluralitas; scilicet per adoptionem vel nuncupationem; secundo quomodo est divinitatis unitas, scilicet per essentiam, ibi, *Nobis tamen* [3] *unus Deus Pater:* ubi primo tangit unitatem in Patre; secundo in Filio, ibi, *Et unus Dominus Jesus Christus*. In prima tangit tria : scilicet essentiam, quia *unus Deus*; personam, quia *Pater*; potentiam, *ex quo omnia*; clementiam, quia *et nos in illo*. Similiter ista tangit in Filio. Dicit ergo : *Nam etsi sunt qui dicantur dii... nobis tamen unus Deus*; quasi dicat : Et vere non est nisi unus Deus : *nam etsi sunt qui dicantur dii* vere participatione divinitatis, ut sancti : Psalm. LXXXI, 6 : *Ego dixi, Dii estis* : *sive in cœlo*, ut sancti comprehensores, *sive in terra*, ut sancti viatores *siquidem sunt dii multi* vere, participatione divinitatis, ut sancti, *et multi domini*, ut Apostoli et prælati *nobis tamen unus Deus*. Alio modo legitur sic. *Nam etsi sunt qui dicantur dii* a gentibus, scilicet falsa nuncupatione, *sive in cœlo*, ut sol et luna : *sive in terra*; ut Mercurius et Diana *siquidem sunt dii multi*, sola scilicet nuncupatione, secundum gentiles : Psal. XCV, 5 : *Dii gentium dæmonia, et domini multi,* qui aliis præsunt; *nobis tamen* tantum *unus Deus* essentialiter, scilicet *Pater ex quo omnia* secundum naturam, et per paternam auctoritatem. Rom. XI, 36 : *Ex quo omnia* : *et nos in illo*, per gratiam : Act. XVII, 28 : *In ipso vivimus, movemur, et sumus. Et unus* cum Patre Deus *Dominus Jesus Christus* : Joan. X, 30 : *Ego et Pater unum sumus* : *per quem omnia*, scilicet facta sunt secundum naturam : Joan. I, 3, *Omnia per ipsum facta sunt* : *et nos per illum*, scilicet sumus in Deo per gratiam. Rom. I, 5 : *Per quem accepimus gratiam et Apostolatum*. Ergo unus est altissimus Creator omnium omnipotens. Ex his elicitur talis ratio. Non est nisi unus Deus, qui fecit omnia; sed multa sunt idola : ergo non sunt Deus, qui fecit omnia, nec creduntur aliquid : ergo nihil.

Sed non in omnibus est scientia. Habito quod majores illorum habent scientiam de idolothytis, hic ostendit quod minores hac scientia carent. Ubi primo ostendit quod in quibusdam defuit prædicta de idolothytis scientia; secundo quod propter hoc esu idolothytorum [4] polluitur eorum conscientia. Ubi primo tangit pollutæ conscientiæ rationem; secundo ipsam pollutionem, ibi, *Et conscientia ipsorum... polluitur*. Dicit ergo : *Sed non in omnibus est scientia*; quasi dicat : Hoc scimus nos, scilicet quod idolum nihil est; *sed non in omnibus*, ut in infirmis, *est scientia* hæc : et vere *non est in omnibus*; *quidam tamen* [5] *cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant*. Vel sic. *Nos* scimus, quod idolum nihil est in mundo : *quidam tamen cum conscientia idoli*, quia scilicet putant idolum aliquid divinum esse, *usque nunc*, idest post conversionem, sicut ante, *manducant idolothytum*, idest de sanctificatis idolis; et hoc non quasi cibum simpliciter, sed *quasi idolothytum*, scili-

[1] Al. : « habens. » — [2] Al. : « idolum ad nullius rei fit similitudinem. » — [3] Al. *tantum*.

[4] Al. : « esu scilicet idolothytorum » — [5] Al. *enim*.

cet ad reverentiam idoli. *Et conscientia illorum, cum sit infirma, polluitur per illos*, scilicet qui habent rectam scientiam, sed non cum caritate, per quos in hunc errorem infirmi inducuntur. Deut. xxvii, 18 : *Maledictus qui errare facit cæcum in itinere*. Hic innuit, quod non cibus, sed conscientia polluitur per peccatum, comedendo ad exemplum malorum.

Deinde cum dicit, *Esca autem non commendat nos Deo*, hic quarto ostendit quod coram eis idolothytha comedere non debent. Ubi primo ostendit quod hujusmodi comestio nihil prodest apud Deum; secundo probat quod non præstat aliquod bonum augmentum, ibi, *Neque enim si manducaverimus, deficiemus*. Dicit ergo : *Esca autem nos non commendat Deo*; quasi dicat : Illis nocet vestra comestio, vobis autem non prodest : *esca enim nos non commendat Deo*, sed recta fides in edendo. Nam nec Esau esu lenticulæ justificatus est, nec Elias esu carnium pollutus est. Rom. xiv, 17 : *Non est regnum Dei esca et potus*. Hebr. ult. 9 : *Bonum est gratia stabilire cor, non escis*.

Deinde cum dicit, *Neque enim si non manducaverimus, deficiemus*, hoc probat quod proposuit; et est sua ratio talis. Non comedere idolothytum non diminuit bonum; comedere non auget : ergo talis esca sumpta vel non sumpta nihil prodest apud Deum : et hoc est quod dicit : *Neque enim si non manducaverimus, deficiemus*; idest minus ab eo habebimus; *neque si manducaverimus, abundabimus*, in virtutibus : quia esca ventri, non menti proficit; et ita cum non sit de veritate vitæ, justitiæ et doctrinæ, dimittenda est propter scandalum.

LECTIO II.

Videte autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si quis enim viderit eum qui habet scientiam in idolio recumbentem, nonne conscientia ejus, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta ; et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.

Hæc est secunda pars hujus capituli : superius enim ostendit quod in se licita est comestio idolothytorum; hic monet abstinere ab ea propter scandalum infirmorum. Ubi primo monet ne offendant fratres sua comestione ; secundo, quod potest offendere, ibi, *Si enim quis viderit eum qui habet scientiam in idolio recumbentem* etc. ; tertio ostendit malum quod inde potest accidere, ibi, *Et peribit infirmus in tua scientia frater*; quarto præbet se in exemplum abstinentium, ibi, *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum*. Dicit ergo : Videte, quia quantum ad nos nihil prodest vel obest esca ipsa; sed tamen videte *ne forte hæc licentia vestra*, qua scitis licere vobis comedere de idolothytis, *offendiculum fiat infirmis* in fide, qui nondum sciunt idolum nihil esse. Lev. xix, 14 : *Coram cæco non pones offendiculum*. Deinde cum dicit, *Si quis viderit eum qui habet scientiam in idolis recumbentem* etc., hic ostendit quomodo possunt offendere, quia comedendo idolothytum coram infirmis : ubi implicantur tria [1] concurrentia ad scandalum. Primo major scientia [2]; secundo comestio idolothyti publica, ibi, *In idolio recumbentem;* tertio occasio scandali accepti, ibi, *Nonne conscientia ejus.... ædificabitur ad manducandum*? Dicit ergo : *Si enim quis viderit eum qui habet scientiam in idolio recumbentem* etc., quasi dicat : Et vere potest esse offendiculum : *si enim quis* infirmus *viderit eum qui habet scientiam recumbentem in idolio*, idest in præsentia idoli, *nonne conscientia ejus, cum sit infirma*, per te *ædificabitur*, idest per factum tuum, *ad manducandum idolothyta*, idest sacrificata in reverentiam idoli? quasi dicat, sic. Videns enim quis fratrem peritum, in idolio sacrificata comedere, incipit ipse edere non illa conscientia qua ille, scilicet peritiæ causa; sed id putat esse numen, in cujus reverentia hoc fiat.

Deinde cum dicit, *Et peribit infirmus*, hic ostendit malum quod inde potest accidere; et hoc duplex. Primo scandalum proximi; secundo offensam proximi, ibi, *Sic autem peccantes in fratres... in Christum peccatis*. In prima implicantur tria. Peccantis conditio, quia *infirmus*; peccandi occasio, quia *in tua conscientia* ; peccati exaggeratio, quia *propter quem Christus mortuus est*. Dicit ergo : *Et* ita *peribit infirmus,* in fide, *in tua scientia* [3]

[1] Al. : « quatuor. » — [2] Al. : « malorum scientia. » — [3] Al. : « idest in tua scientia. »

frater, idest occasione accepta a tua scientia : quia te sapientem videt comedere, putans quod sub idoli veneratione comedas : *propter quem* salvandum *Christus mortuus est* : et ita graviter peccas. Rom. XIV, 15 : *Noli cibo perdere illum pro quo mortuus est Christus. Sic autem peccantes in fratres*, peccato scandali, et *percutientes conscientiam eorum infirmam*, gladio mali exempli : Amos. IX, 1 : *Percute cardinem*, idest conscientiam, *et commovebuntur superliminaria*, id est intellectus et affectus. *In Christo peccatis*, cujus membra sunt. Non ait, In Christum, secundum *Glossam* : quia in Christum peccare, est Christum negare, idest peccare in fide ; in Christo peccare est in his quæ Christi sunt peccare, scilicet in moribus : sicut ille qui in lege est, dicitur in lege peccare ; qui autem in lege non est, dicitur peccare in legem.

Deinde cum dicit, *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum*, hic ultimo proponit se in exemplum abstinentiæ ; ubi primo implicat scandalum ; secundo ex hoc explicat abstinentiæ propositum, ibi, *Non manducabo carnem in æternum* ; tertio prævenit dubium, ibi, *Ne fratrem meum scandalizem*. Dicit ergo : *Quapropter*, ne scilicet peccem in Christum, *si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem* aliquam, non solum idolothyta ; *in æternum*. Si ergo propter scandalum fratrum abstinendum est quasi a necessariis vitæ, multo magis a superfluis : et hoc non ideo quod esca in se mala sit, sed *ne scandalizem fratrem meum*. Nam *qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei ut suspendatur in collo ejus mola asinaria, et demergatur in profundum maris* : Matth. XVIII, 6. Rom. XIV, 20 : *Omnia munda mundis ; sed malum est homini qui per offendiculum manducat.*

Hic quæritur super illud, *Scientia inflat. Glossa* : « Scientia per se inutilis est. » Contra. Scientia per se bona est : ergo et utilis. Responsio. Inutilis est ad salutem, utilis tamen ad multa alia.

Item. *Caritas ædificat.* Contra. Sicut scientia inflat, non per causam, sed per occasionem ; sic et caritas. Responsio. Non est simile ; quia scientia habenti se manifestat ; sed non sic caritas : quia nemo certus est de caritate.

Item super illud, *Idolum nihil est. Glossa* : « Naturam Deus formavit, sed stultitia hominum formam dedit. » Contra. Omne esse est a Deo : ergo omnis forma. Responsio : *Glossa* loquitur de forma putativa in natura, non de vera.

Item ibidem *Glossa* : « Forma hominis in idolo non est facta per Verbum. » Contra. Joan. I, 3 : *Omnia per ipsum facta sunt.* Responsio. Quamvis forma hominis in illo sit facta per Verbum, non tamen in idolo, idest ad colendum.

Item ibidem *Glossa* : « *Idolum nihil est*, quia nullius rei quæ sit in mundo, similitudinem habet. » Contra. Non potest artifex cogitare vel formare nisi qualia vidit. Responsio. Non habet similitudinem in toto, sed in partibus.

Item super illud, *Nullus Deus nisi unus, Glossa* : « Hoc dicit, ne putetur esse Deus in idolo. » Contra. Deus, licet sit unus, tamen est ubique. Responsio. In idolo est per potentiam, non per præsidentiam [1] vel unionem, ut putabant Gentiles.

Item ibidem *Glossa* : « Pars Trinitatis non potest esse quicumque unus in tribus. » Contra. Cujuslibet numeri pars est unitas. Responsio. Trinitas non est numerus simpliciter sed numerus personarum.

Item super illud, *Et si sunt qui dicuntur dii. Glossa*, « Participatione divinitatis. » Contra Divinitas est imparticipabilis. Responsio. Participatio hæc per causam est, non per essentiam.

Item ibidem *Glossa* : « Quæritur utrum Angeli vocandi sint dii. » Responsio. Quamvis participent divinitatem, tamen, secundum *Glossam*, non sunt dicendi dii propter periculum adorationis.

Item super illud, *Nobis tamen unus Pater, Glossa* : « Trinitas est nobis unus Pater, non tamen ille qui tertia in Trinitate persona alius. » Contra. Idem, et diversum dividunt ens. Respondeo, quod quamvis idem, et diversum dividant ens creatum, non tamen increatum : quia ibi est identitas in essentia cum diversitate in personis.

Item. *Non in omnibus est scientia.* Contra : Supra eodem, *Omnem scientiam habemus.* Responsio. Illud non intelligitur universaliter, sed de majoribus.

Item super illud, *Esca non commendat nos Deo*, dicit *Glossa*, « Sumpta, vel non

[1] Al. : « non per præsentiam. »

sumpta. » Contra. Ergo abstinentia nihil meretur. Responsio. Non virtus escæ, sed virtus abstinentiæ prodest.

Item. *Si esca scandalizat fratrem meum ; non manducabo carnem in æternum.* Contra. Ergo pro scandalo fratris, a pane et vino abstinendum est in perpetuum. Responsio. Non est simile de necessariis et superfluis. Vel loquitur hic de scandalo activo, non passivo. Vel perfectionis est hoc, non necessitatis.

Notandum est hic super illud, *Unus Deus*, quod Deus potest accipi multipliciter, scilicet falsa nuncupatione ; et sic idola dicuntur dii, Psalm. xcv, 5 : *Omnes dii gentium dæmonia.* Hierem. x, 11 : *Dii qui cœlum et terram non fecerunt pereant de terra.* Vera adoptione ; et sic sancti dicuntur dii. Psalm. LXXXI, 6 : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes ; vos autem sicut homines moriemini.* Mundana prælatione ; et sic prælati dicuntur dii. Exod. XXII, 28 : *Diis non detrahes.* Joan. x, 35 : *Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est.* Essentiæ proprietate ; et sic Trinitas dicitur Deus. Deuteron. VI, 4 : *Audi Israel : Dominus Deus tuus unus est.*

Item notandum, quod Christus unus sine pari multipliciter dicitur. Primo unus Deus propter naturam divinitatis : unde sic nullus est Deus nisi unus. Secundo unus Creator propter infinitatem potestatis. Eccli. I, 8 : *Unus est altissimus Creator omnium.* Tertio unus homo propter singularem eminentiam sanctitatis. Psalm. XIII, 1 : *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Joan. XI, 2 : *Expedit ut unus moriatur homo.* Quarto unus Dominus propter gubernationem prælationis. Ephes. IV, 5 : *Unus Dominus una fides, et unum baptisma* : et hoc modo unus Dominus Jesus Christus. Quinto unus magister propter infusionem cognitionis. Matth. XXIII, 10 : *Non vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus.* Sexto unus pater propter productionem universitatis Matth. XXIII, 9 : *Unus est enim Pater vester, qui in cœlis est.* Septimo unus pastor propter generalem refectionem populi fidelis. Joan. x, 16 : « Fiet unum ovile et unus pastor. » Octavo una hostia propter singulare pretium nostræ redemptionis. Hebr. x, 14 : *Una enim oblatione consummavit in æternum sanctificatos.*

CAPUT NONUM

LECTIO I.

Non sum liber ? Non sum Apostolus? Nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi ? Nonne opus meum vos estis in Domino? Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum : nam signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino. Mea defensio apud eos qui me interrogant, hæc est. Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi ? Numquid non habemus potestatem sororem mulierculam circumducendi, sicut et ceteri Apostoli et fratres Domini et Cephas? Aut solus ego, et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi ? Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? Numquid secundum hominem hæc dico ? An et lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi : Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo ? An propter nos utique hæc dicit ? Nam propter nos utique scripta sunt : quoniam debet in spe, qui arat, arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi.

Supra monuit cavere ab edendo idolothyta coram infirmis propter scandalum fratrum infirmorum; hic proponit se in exemplum, quia propter alios abstinet se a sibi licitis, scilicet ab acceptione sumptum : ubi primo proponit multipliciter quia licitum est sumptus accipere ; secundo quod nihilominus non vult accipere, ibi, *Ego autem nullo horum usus sum*. In prima parte, quod licitum sit sumptus accipere, probat tripliciter. Primo per auctoritatem ; secundo per rationem, ibi, *Si nos vobis*[1] *spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus*? tertio per exemplorum similitudinem, ibi, *Nescitis quod hi qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt*? In prima primo probat per auctoritatem apostolicæ dignitatis : secundo per auctoritatem humanæ consuetudinis, ibi, *Qui militat suis stipendiis umquam*? tertio per auctoritatem divinæ legis, ibi, *Numquid secundum hominem hæc dico*? In prima primo probat quod sit Apostolus generaliter; secundo quod sit Apostolus eorum specialiter, ibi, *Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum*; tertio, quod potest accipere sumptus licite, ibi, *Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi*? In prima primo quærit an habeat libertatem accipiendi sumptus; secundo an sit Apostolus, ibi, *Non sum Apostolus*? tertio probat duplici ratione quod sit liber et Apostolus, ibi, *Nonne Dominum Jesum Christum vidi*? Dicit ergo : *Non sum liber?* quasi dicat : Abstinet ab hoc licito, scilicet ab esu idolothytorum, quia ego etiam abstineo a stipendiis, cum tamen habeam libertatem accipiendi. Numquid enim *non sum Apostolus?* Immo vere sum Apostolus. Gal. II, 8 : *Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter Gentes*. Est ergo ratio sua talis. Omnis Apostolus ratione sui Apostolatus habet libertatem accipiendi sumptus ; sed ego sum Apostolus utrumque probat postea ; ergo etc.

Deinde cum dicit, *Nonne Dominum Jesum Christum vidi* ? hic probat duplici ratione quod sit Apostolus. Primo per causam ; secundo per effectum, ibi, *Nonne opus meum vos estis in Domino* ? Prima ratio sumitur ex parte Christi mittentis ; secunda ex parte Corinthiorum, quibus mittitur. Prima ratio talis est. Ego vidi Dominum, qui me misit ad prædicandum : ergo sum Apostolus : et hoc est quod dicit : *Nonne Dominum Jesum Christum vidi*? quasi dicat, Vere sum Apostolus. *Nonne Dominum Jesum Christum vidi?* Hoc dicit propter pseudoapostolos, qui dicebant ipsum non esse Apostolum, quia non fuerat in societate Domini, sicut ceteri Apostoli. Ipse autem vidit eum jam immortalem, secundum *Glossam*, vel in via Act. IX, vel in templo, Act. XXII. Unde Act. IX, 27, *Barnabas apprehensum illum duxit ad Apostolos, et narravit quomodo in via vidisset Dominum*. Infra. XV, 8 : Novissime omnium tamquam abortivo visus est et mihi. *Nonne opus meum vos estis in Domino* ?

[1] Al. : « secundo per rationem; tertio per exemplorum similitudinem, » intermediis omissis.

Ecce secunda ratio talis. Vos estis conversi ad fidem per me missum ad hoc : ergo sum Appstolus. *Nonne opus meum vos estis*, o Corinthii, sicut templum architecti? Sup. III, 10, *Ut sapiens architectus fundamentum posui*. Item ut filius opus genitoris. Sup. IV, 15. *In Christo Jesu per Evangelium vos genui. Opus*, inquam, *meum*, et hoc *in Domino*, idest Domino cooperante. Vel *in Domino*, idest ad gloriam Domini ; quasi dicat, Sic estis.

Deinde cum dicit, *Et si aliis Apostolus non sum, sed tamen vobis sum*, hic probat quod est Apostolus eorum specialiter. Ubi primo proponit quod est Apostolus eorum specialiter ; secundo probat hoc per effectum, ibi, *Nam signaculum Apostolatus mei vos estis* : tertio ostendit quod per effectum illum defendit se esse Apostolum, ibi, *Mea defensio ad eos qui me interrogant, hæc est*. Dicit ergo : *Et si aliis non sum Apostolus, vobis tamen sum* ; quasi dicat : Vere opus meum estis, quia *et si aliis*, scilicet Judæis, quorum legem evacuo, *non sum*, idest non videor esse, *Apostolus* ; *sed tamen vobis sum*, qui per me conversi estis specialiter. Rom. XI, 13 : *Quamdiu Gentium sum Apostolus, ministerium meum honorificabo*. Et vere vobis sum Apostolus : nam *vos estis signaculum Apostolatus mei*, idest forma et sigillum : quia Apostolatus meus impressus est in vobis, sicut forma sigilli in cera. *Glossa* : « In vobis apparet quod sum Apostolus dum habetis per me quod etiam per alios Apostolos[1] : » II Corinth. XII, 2 : *Signa Apostolatus mei facta*[2] *sunt super vos. Vos estis*, inquam, *in Domini* idest Domino principali auctore. Et vere ita est, quia *mea defensio ad eos qui me interrogant*, utrum scilicet sim Apostolus, *hæc est*, scilicet estis vos : per vos enim ostendo me esse Apostolum.

Deinde cum dicit, *Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi*? hic ostendit quod potest accipere sumptus licenter : ubi primo quærit an habeat hanc potestatem generaliter ; secundo quantum ad personas determinatas specialiter, ibi, *Numquid non habemus potestatem sororem mulierculam circumducendi*? tertio an ipse et Barnabas sint hac potestate privati singulariter, ibi, *An ego solus et Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi* ? Dicit ergo : *Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi*? quasi dicat : Nam cum sim Apostolus, *numquid non habemus*, ego et mei, *potestatem manducandi et bibendi* nostra, idest vivendi stipendiis nostris ? Augustinus : « Permisit Dominus, non jussit apostolis accipere necessaria a subditis. » *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem*, scilicet fide, *circumducendi* nobiscum, propter sumptus ministrandos ? Ambrosius in *Glossa* : « Mulieres desiderio doctrinæ dominicæ, et virtutum cupidæ, Apostolos sequebantur, et ministrabant eis sumptus et servitia. » Et similiter Christum secutæ sunt : Luc. VIII et XXIII. *Sicut ceteri Apostoli*, ut habetur Act. VI, *et* sicut *fratres*, idest cognati, *Domini*, qui majores sunt : Galat. II, 9 : *Jacobus et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi et Barnabæ societatis* : *et Cephas*, qui maximus est inter Apostolos : unde Cephas interpretatur caput. Ambrosius : « Non hos reprehendit Apostolus, sed eorum more sibi probat licere. » Idcirco autem ut ait Augustinus Dominus mulierds ministraturas sequi voluit, ostendens quid debetur a plebibus Evangelistis. Vel ideo etiam, ne viderentur alienæ a salute. Aut *numquid ego solus et Barnabas* : isti enim fuerunt conjuncti ad prædicandum Gentibus : Act. XIII, 2 : *Segregate mihi Barnabam et Paulum in opus ad quod assumpsi eos* : *non habemus*, secundum opinionem vestram, *potestatem hoc operandi*, scilicet mulieres circumducendi, et sumptus accipiendi? Quasi dicat : Immo habemus sicut alii ; sed omnes alii licite accipiunt : ergo et nobis licet.

Deinde cum dicit, *Quis militat suis stipendiis*? hic secundo probat quod licet accipere sumptus per auctoritatem humanæ consuetudinis : et primo in statu militis ; secundo agricolæ, ibi, *Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit*? tertio pastoris, ibi, *Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat*? Militi comparatur prælatus propter subsidium, agricolæ propter verbum, pastori propter exemplum. Debet enim subditos defendere suffragio, plantare verbo, pascere exemplo. Primum respicit extra Ecclesiam intrantes, tertium in Ecclesia commorantes. Dicit ergo : *Quis militat suis*

[1] Al. : « per me alios Apostolos. » — [2] Al. deest : « facta. »

stipendiis unquam? quasi dicat: Utique habemus potestatem accipiendi sumptus, et merito. *Quis militat suis stipendiis unquam*? quasi dicat, nullus. Dabantur enim militibus stipendia de republica: unde Joannes dicit Luc. III, 14: *Contenti estote stipendiis vestris.* Sic prædicatores et prælati accipere possunt sumptus a subditis. I Timoth. I, 18: *Ut milites in illis militiam bonam. Quis plantat vineam, et de frutu ejus non edit*? Vinea Domini est Ecclesia: Isai V, 7: *Vinea Domini sabaoth, domus Israel est.* Apostoli autem fuerunt plantatores hujus vineæ: supra III: *Ego plantavi, Apollo rigavit. Quis* etiam *pascit gregem, et de lacte ejus non manducat*? quasi dicat, nullus. Grex Domini sunt fideles: Ezech. XXXIV, 31: *Vos greges pascuæ meæ.* Hujus gregis pastores sunt prælati et prædicatores. Unde primo prælato dictum est, Joan. XXI, 17: *Pasce oves meas.* Tales possunt pasci de lacte gregis, quia possunt accipere sumptus a subditis. Si ergo defendimus, plantamus et pascimus, more boni militis, boni agricolæ, boni pastoris, licet nobis sumptus accipere. Sed hodie [1] multi sunt qui stipendia accipiunt et non militant; edunt fructum vineæ, et non plantant: lac comedunt et gregem non pascunt. Ezech. XXXIV, 3: *Lac comedebatis, gregem autem meum non pascebatis.*

Notandum super illud, *Nonne Dominum Jesum vidi*? quod multiplicem Domini legimus visionem. Unam corporalem, quæ præteriit, de qua Baruch III, 38: *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Secundam spiritualem quæ præsens est. Psalm. XLV, 2: *Vacate, et videte quoniam ego sum Deus.* Tertiam æternalem, quæ futura est, de qua Joan. XVII, 24: *Volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam.* Job XIX, 26: *In carne mea videbo Deum.* Quartam momentaneam quæ etiam futura est, de qua Lucæ XXI, 27: *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna.* Prima fuit in mundo, secunda est in animo, tertia in cælo erit, quarta erit in judicio. Prima visio dat exemplum vivendi, secunda adjutorium proficiendi, tertia desiderium perveniendi, quarta odium peccandi. Prima dat exemplum vivendi tripliciter. Quia visus est pauper et pœnosus [2], ut refrenetur cupiditas divitiarum: Psalm. LXVIII, 30: *Ego sum pauper et dolens: salus tua, Deus, suscepit me*: et ibid. 33: *Videant pauperes, et lætentur.* Sic viderunt pastores, Lucæ II. Vilis et abjectus, ut refrænetur ambitio honorum. Isa. LIII, 2: *Vidimus eum, et non erat aspectus: et desideravimus eum virum despectum.* Ideo dicitur Matth. XI, 29: *Discite a me, quia mitis et humilis sum.* Afflictus et passus, ut refrænetur concupiscentia voluptatum. Thren. I, 12: *O vos omnes qui transitis per viam, videte si est dolor sicut dolor meus.* Secunda visio dat adjutorium proficiendi tripliciter: quia dat robur pœnitentibus, culpas et pœnas ostendendo sicut sol atomos. Daniel. V, 5: *Vidit Balthassar manum scribentis.* Job XLII, 5: *Nunc oculus meus videt te: idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere.* Spem certantibus, mercedem manifestando, sicut dominus operanti. Act VII, 55: *Ecce video cœlos apertos.* Lætitiam contemplantibus prægustationes offerendo, sicut tabernarius modicum vini. Psal. XXXIII, 9: *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus.* Gen. XXXII, 30: *Vidi Dominum facie ad faciem*; sicut Paulus hic. Tertia visio æternalis dat desiderium perveniendi propter tria: videlicet propter veram jucunditatem. Isa. ult. 14: *Videbitis, et gaudebit cor vestrum... quia dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem.* Eccle. XI, 7: « Hoc significatum est. » Joan. XXII, 20: *Gavisi sunt discipuli viso Domino.* Propter jucunditatis multiplicitatem sive pluralitatem. Isa. LX, 5: *Tunc videbis et afflues, mirabitur et dilatabitur cor tuum.* Quippe quia videbimus eum sicuti est, et ipse erit omnia in omnibus: erit enim rationi plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis, memoriæ continuatio æternitatis. Propter puritatis æternitatem. Apocal. ult. 3, *Servi ejus servient illi et videbunt faciem ejus [3] et regnabunt in sæcula sæculorum.* Psal. XV, 2, *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Quarta visio dat odium sive terrorem peccandi, propter tria: videlicet propter furtum propalandum coram judice vidente. Malach. III, 2: *Ecce veniet et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum.* Propter malefactorum severam ultionem:

[1] Al.: « sed quia. » — [2] Al.: « et pannosus. »

[3] Al.: « patrem ejus. »

latro enim videns socium suum suspendi, plus timet furari. Hierem. VII, 12: *Ite ad locum meum in Silo, et videte quid fecerim ibi.* Silo, interpretatur avulsa. Apocal. I, 13: *Vidi similem filio hominis*; et infra, 16, *Ex ore ejus quasi gladius ex utraque parte acutus exibat, et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua.* Propter visam bonorum præmiationem: videns enim clericus alium præbendari, quia bonus, cavet a malo. Psal. CVI, 42: *Videbunt justi et lætabuntur, et omnis iniquitas oppilabit os suum.*

Deinde cum dicit, *Numquid secundum hominem hæc dico?* hic probat tertio quod licet sumptus accipere per auctoritatem divinæ legis; ubi primo proponit quod lex hæc dicit; secundo verbum legis ponit, ibi, *Scriptum est enim in lege Moysi* etc.; tertio qualiter intelligendum sit, ostendit, ibi, *Numquid de bobus cura est Deo?* Dicit ergo: *Numquid secundum hominem hæc dico?* quasi dicat: Probavi ratione humanæ consuetudinis, quod licet nobis sumptus accipere: sed *numquid secundum hominem*: id est secundum humanam consuetudinem, vel similitudinem tantum, *dico hæc, an non lex*, Moysi divinitus promulgata, *hoc dicit?* Quasi dicat, Immo dicit: *scriptum est enim in lege Moysi.* Deuteron. XXV, 4. Et habetur idem I Timoth. V, 18: *Non alligabis os bovi trituranti*, ut possit vivere de labore suo; idest, non prohibebis prædicatorem vivere de Evangelio. Triturare enim est separare granum a paleis: quod facit prædicator abstrahendo animas a terrenis, discernendo virtutes a vitiis, separando utilia a vanis. Hierem. XV, 19: *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Deinde cum dicit, *Num quid de bobus cura est Deo?* hic ostendit qualiter dicta auctoritas intelligenda sit: et primo quod intelligenda sit litteraliter de bobus; secundo quod non tantum litteraliter de bobus, sed spiritualiter de prædicatoribus, ibi, *An propter nos utique hæc dicit?* [1] tertio replicat, quod licet accipere sumptus, ibi, *Nam propter nos utique scripta sunt.* Dicit ergo: *Numquid de bobus cura est Deo?* quasi dicat: Hæc auctoritas de bobus spiritualibus, id est prædicatoribus, intelligitur: *numquid enim de bobus* materialibus *cura est Deo*, ut de eis lege præcipiat? *An propter nos hæc utique dicit*? quasi dicat: Hoc utique propter nos dicit: *nam propter nos scripta sunt hæc* et similia. Roman. XV, 4: *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Propter nos*, inquam idcirco *quoniam* prædicator, qui corda aperit ad fidem, *debet arare in spe* stipendiorum temporalium, non tamen propter spem hanc: debet enim primum quærere regnum Dei: *et qui triturat*, idest bonos a malis quasi grana a paleis [2] discernit, prædicando scilicet ad mores, debet hoc facere *in spe fructus percipiendi.* II Timoth, II: *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.* Eccl. IV, 19: *Is qui arat, et qui seminat accedit ad illam et sustinet bonos fructus illius.*

LECTIO II.

Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? Si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos? Sed non usi sumus hac potestate; sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt? Et qui altari deserviunt cum altari participant? ita et Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere.

Superius probavit per auctoritatem quod licet accipere sumptus; hic probat idem per rationem: et primo probat hoc ex eorum obligatione; secundo ex pseudaopostolorum accipientium ab eis comparatione [3], ibi, *Si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos?* tertio dicit quod nihilominus noluit uti hac potestate, ibi, *Sed non usi sumus hac potestate.* Prima ratio talis est. Majus est dare spiritualia quam accipere temporalia, ergo si Apostolus dat spiritualia, licet ei accipere temporalia. Primo ergo explicat beneficium impensum; secundo explicat stipendium exhibendum; ibi, *Magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Dicit ergo: *Si nos vobis spiritualia seminavimus*; quasi dicat: Vere habemus potestatem accipiendi sumptus a vobis: *si* enim *nos seminavimus vobis spiritualia*, fidem scilicet, et sacramenta spiritum alentia, a Spiritu

[1] Al. omittantur sequentia usque ad illud: « Dicit ergo. » [2] Al.: « a malis. »

[3] Al.: « operatione. »

sancto ministrata; *magnum est si nos metamus*, ad sustentationem nostram, *carnalia*, idest ad carnis sustentationem concessa? Quasi dicat: Non est magnum. Rom. xv, 27: *Si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent in carnalibus ministrare.*

Deinde cum dicit, *Si autem alii potestatis vestræ participes sunt*, ecce secunda ratio ad idem talis. Veri Apostoli licentius participant bona subditorum, quam pseudo; sed pseudoapostoli participant: ergo multo plus Apostoli participare debent. Primo ergo ponit antecedens; secundo consequens, ibi, *Quare non potius nos*? Dicit ergo: *Si autem alii*, scilicet pseudo, quos non exprimit ex nomine, ne confundantur. Vocat eos alios quasi a consortio alienos Ecclesiæ; omnes enim catholici unum sunt. Joan. xvii, 22: *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Si*, inquam, *alii potestatis vestræ participes sunt*, idest tam potenter utuntur bonis vestris, *quare non potius nos*, Apostoli, qui causa salutis vestræ laboramus? Eccl. xii, 5: *Da bono, et ne receperis peccatorem.*

Deinde cum dicit, *Sed non usi sumus hac potestate*, hic ostendit quod noluit uti hac potestate: ubi dicit primo se sumptus non accepisse, secundo dicit, se nihilominus indiguisse, ibi, *Sed omnia sustinemus*; tertio rationem utriusque assignat, ibi, *Ne quod offendiculum demus Evangelio Christi.* Dicit ergo: *Sed non usi sumus*; quasi dicat: Ecce patet quod licet nobis sumptus accipere; *sed* tamen *usi non sumus hac potestate*. Supra vi, 15: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Non sumus*, inquam, *usi*, non quia non indigeamus, *sed omnia sustinemus*: quia etsi penuriam patiamur, tamen patienter sustinemus. II Corinth. xi, 9, *Cum essem apud vos et egerem, nulli onerosus fui.* Et hoc feci ideo, *ne quod offendiculum demus Evangelio Christi*. Hoc autem posset accidere, vel quia pseudoapostolis daret exemplum accipiendi; vel quia Corinthii avari erant, et scandalizarentur, si ab eis acciperet. Vel forte putarent se emisse licentiam peccandi, et diminueretur in Apostolo auctoritas arguendi; et his modis daret offendiculum Evangelio Christi. Proverb. xv, 10, *Via justorum absque offendiculo.*

Deinde cum dicit, *Nescitis quoniam qui in sacraria operantur, quæ de sacrario sunt edunt*? probat quod licet sumptus accipere, primo per auctoritatem; secundo per rationem; tertio idem probat hic per exemplorum multitudinem. Ubi primo inducit similitudinem eorum qui templa ministrant, ibi, *Et qui altari deserviunt, cum altari participant;* tertio adaptat similitudinem his qui prædicant, ibi, *Et Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*; quasi dicat: Et vere licet mihi sumptus accipere. *Nescitis quoniam qui in sacrario*, idest in templo Judæorum vel Gentilium, *operantur*, ut artifices, *quæ de sacrario sunt edunt*? Sustentabantur enim artifices de denariis qui in gazophylacio templi offerebantur, ut patet tempore Joas, IV Reg. xii. *Et qui altari* templi Hierosolymitani, vel etiam ipsi templo, ut sacerdotes, *deserviunt*, idest devote serviunt, una enim de duodem abusionibus est irreverentia coram altari, *cum altari participant*, quia partem habent de his quæ offeruntur in altari, ut patet per totum Leviticum, et maxime vi et vii cap. Et sicut fit hic, *ita et Dominus ordinavit*, idest rationabiliter disposuit, *his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*. Hoc ordinavit, dicens Matth. x, et Luc. x, 7: *Dignus est enim operarius mercede sua.*

Notandum est hic, quod Apostolus nominibus multorum officiorem prædicatorem hic designat: quia vocat eum primo militem, propter officium Ecclesiam contra adversorios defendendi. II Corinth. x, 4: *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum.* II Timoth. ii, 3: *Labora sicut bonus miles Christi.* Secundo vinitorem, propter officium palmites superfluos idest malos, resecandi. Oseæ ii, 15: *Dabo ei vinitores ejus ex eodem loco.* Sed heu! Cant. i, 5, dicitur: *Vineam meam non custodivi.* Tertio pastorem, propter officium subditos bono exemplo pascendi. I Petr. v, 2: *Pascite qui in vobis est gregem.* Sed heu! quia hodie impletur illud Zach. xi, 17. *O pastor, et idolum, derelinquens gregem.* Quarto bovem, propter officium maturius in omnibus procedendi. Proverb. xiv, 4: *Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est.* Job. i, 14: *Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos.* Quinto aratorem, propter officium corda ad fidem et pœnitentiam aperiendi. Oseæ x, 11: *Arabit Judas, confringet sibi sulcos Jacob.* Sexto triturato

rem propter officium malos a bonis discernendi. Isa. XLI, 15 : *Ego posui te quasi plaustrum triturans novum, habens rostra ferrantia ; et triturabis montes et comminues.* Septimo seminatorem propter officium frequenter et utiliter prædicandi. Luc. VIII, 6 : *Exiit qui seminat seminare semen suum.* Psalm. CXXV, 6 : *Euntes ibant, et flebant mittentes semina sua.* Octavo templi architectum, propter officium Ecclesiam construendi et reparandi. Sup. III, 10 : *Ut sapiens architectus fundamentum posui.* Nono altaris ministrum, propter officium Deo devotum impendendum [1] : supra IV, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi.*

Quæritur hic super illud, *Non sum liber? Glossa :* « Ipse enim apostolica dignitate potestatem habet, non operari manibus, sed de Evangelio vivere. » Contra. Ergo qui prædicant, non habentes apostolicam dignitatem, non possunt sine opere manuum de Evangelio vivere. Responsio. *Glossa* loquitur de potestate qua potest invitos ad hoc cogere ; non de spontanea, qua potest a voluntarie dantibus petere et accipere.

Item ex dicta *Glossa* videtur quod prælati non teneantur manibus operari. Contra. Genes. III, 19 : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Ipsi non sunt exempti ab hac maledictione : ergo etc. Responsio. Tenentur ad laborem spiritualem non corporalem. Tamen bene facerent, si occuparent se in honestis, antequam vacarent.

Item super illud, *Nonne opus meum vos estis? Glossa* : « Perfectum. » Contra. Ipsi erant imperfecti. Responsio. Opus perfectum dicebantur quia eis Apostolus prædicaverat, vel quia eos perfecte docuerat quantum in se erat.

Item super illud, *Numquid non habemus potestatem manducandi?* Contra. Matth. X, 8 : *Gratis accepistis, gratis date.* Responsio. « Gratis, » idest sine pretio, sed non sine stipendio.

Item super illud, *Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? Glossa* : Ex Evangelio « viventes panem gratuitum manducabant. » Contra. Subditi tenebantur dare. Responsio. Gratuitus erat ex parte recipientium, quia humiliter, non potestative recipientium, licet debitus ex parte dantium.

Item. *Numquid de bobus cura est Deo?* Quasi dicat, non. Contra. Sapient. VI, 8 : *Cura est illi de omnibus.* Respondeo. Ibi loquitur de cura generali, scilicet providentiæ; hic de speciali, scilicet disciplinæ.

Item. *Debet in spe, qui arat arare.* Contra. Spes non est de visibilibus, sed æternis. Responsio. Spes accipitur æquivoce.

Item *In spe fructus percipiendi.* Contra. Non debet poni lucerna prædicationis sub modio rei temporalis. Respondeo. Prædicare in spei rei temporalis non est ponere lucernam sub modio, sed prædicare propter spem.

Item. *Si nos vobis seminavimus spiritualia, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Contra. Galat. VI, 8 : *Quæ seminaverit homo hæc et metet.* Ergo qui seminat spiritualia, debet metere spiritualia, non carnalia [2]. Respondeo. Ibi loquitur de messione mercedis [3] hic de messione stipendii.

LECTIO III.

Ego autem nullo horum usus sum. Non autem scripsi hæc, ut ita fiat in me. Bonum est enim mihi magis mori quam ut gloriam meam quis evacuet. Nam et si evangelizavero, non est mihi gloria : necessitas enim mihi incumbit : væ enim mihi est si non evangelizavero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo ; si autem invitus, dispensatio mihi credita est. Quæ est ergo merces mea ? Ut Evangelium prædicans sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio.

Superius multipliciter probavit quod sibi liceat accipere sumptus : hic ostendit quod nihilominus non vult accipere, sed abstinere, tribus rationibus. Primo propter intentionem præmii ; secundo propter dilectionem Evangelii, ibi, *Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci* ; tertio propter expeditionem cursum sui, ibi, *Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium?* In prima primo dicit quare non vult accipere scilicet ne gloria sua evacuetur ; secundo ostendit quod accipiendo evacuaretur, ibi, *Nam*

[1] Al. : « imponenda. »
[2] Al. omittitur : « non carnalia. » — [3] Al. : « Ibi loquitur de messione stipendii, » intermediis omissis.

si evangelizavero, non est mihi gloria : tertio quod non accipiendo conservabitur, ibi, *Quæ est ergo merces mea?* In prima primo ostendit quod potestate accipiendi uti noluit; secundo quod uti non intendit, ibi, *Non autem scripsi hæc ut ita fiat in me*. Dicit ergo : *Ego autem nullo horum usus sum*; quasi dicat : Tot modis constat quod licet mihi sumptus accipere; sed tamen ego nulla horum auctoritate, ratione, exemplo, ad accipiendum *usus sum*. Ipse enim vel ab aliis Ecclesiis accipiebat, ut II Corinth. XI, 8 : *Alias Ecclesias spoliavi accipiens stipendium ad ministerium vestrum*, vel manibus operabatur. Act. XX : *Non autem scripsi hæc, ut ita fiat in me*; quasi dicat, *Non sum usus*, sed nec uti volo : *non enim scripsi hæc*, scilicet quod licet mihi accipere, *ut ita fiat in me*, sicut scripsi, idest ut ego accipiam, quia non quæro datum, sed fructum.

Deinde cum dicit, *Bonum est mihi magis mori quam ut gloriam meam quis evacuet*, hic ostendit quare hoc facit, scilicet ne gloria sua evacuetur. Ubi primo multiplicat afflictionem corporalem; secundo supponit ei gloriæ diminutionem, ibi, *Quam ut gloriam meam quis evacuet*. Dicit ergo : *Bonum est mihi magis mori* etc. quasi diceret : Non accipiam : nam si acciperem, gloriam meam evacuarem, quod nullatenus facerem. *Bonum est mihi mori*, non solum sumptuum egestate affligi, *magis ut gloriam meam*, quam habeo de gratuita sinceritate prædicationis, de præmio supererogationis, abstinendo a licitis [1], *quis evacuet*, ab aliquo importune accipiendo, vel propter sumptus evangelicos. Multi tamen moderni doctores gloriam istam evacuant vel propter intentionem sumptuum, vel propter favorem humanum, dicente Job, XII, 10 : *Ducit sacerdotes inglorios, et optimates supplantat*.

Notandum est hic, quod gloria amittitur septempliciter propter septem vitia. Nam gloria gulosorum evacuatur : unde hic dicitur : *Bonum est enim mihi magis mori quamut gloriam meam quis evacuet*. Gloria luxuriosorum maculatur. Eccli. VII, 21, *Inclinasti femora tua mulieribus, dedisti maculam in gloria tua*. Gloria superborum captivatur. I Machab. II, 9 : *Vasa gloriæ ejus captiva ducta sunt*. Gloria iracundorum in terram mittitur [2]. Psalm. VII, 5 : *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis* : et post : *Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam* : et post : « Et gloriam meam in pulverem deducat. » Gloria invidorum excluditur : Rom. III, 27 : *Ubi est gloriatio tua? Gloria avarorum annihilatur*. Psal. XLVIII, 17 : « *Ne timueris cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus*. Gloria accidiosorum culpatur : I Machab. IX, 10 : *Moriamur in virtute propter fratres nostros, et non inferamus crimen gloriæ nostræ*. Eccli. XXXIII, 23 : *Præcellens esto in operibus tuis, et ne dederis maculam in gloria tua*. Ergo per gulam evacuatur gloria sobrietatis : per luxuriam maculatur gloria castitatis ; per superbiam captivatur gloria humilitatis : per iracundiam in terram mittitur gloria mansuetudinis : per invidiam excluditur gloria caritatis : per avaritiam annihilatur gloria liberalitatis : per accidiam culpatur gloria strenuitatis. De istis dicitur Oseæ IV, 7 : *Gloriam eorum in ignominiam commutabo*. De primo exemplum in Esau, Gen. XXV, in Holoferne, Judith. XIII. De secundo in Salomone, III Reg. XI. De tertio in Lucifero, Isa. XIV. De quarto in Achitophel, II Reg. XVI. De quinto in Cain, Genes. IV. De sexto in Giezi, IV Reg. V. De septimo in exploratoribus, Num. XIII et XIV.

Nam et si evangelizavero, non est mihi gloria. Hic ostendit quod accipiendo sumptus, evacuaretur gloria ejus, quia non supererogaret. Et est sua ratio talis. Gloria quæ est præmium supererogationis, non debetur operibus necessitatis, ad quæ tenemur ex præcepto. Sed evangelizare tenebatur ex præcepto : ergo ex hoc non habebat gloriam supererogationis ; sed potius ex hoc quod non accipiebat sumptus. Primo ergo tangit gloriæ evacuationem; secundo evacuationis rationem, ibi, *Necessitas enim mihi est*; tertio rationis declarationem, ibi, *Væ enim mihi est si non evangelizavero*; quarto recte evangelizantium mercedem, ibi, *Si volens hoc ago, mercedem habeo*. Dicit ergo : *Nam si evangelizavero, non est mihi gloria*; quasi diceret : Vere evacuaretur gloria mea : *nam si evangelizavero*, ita quod sumptus accipiam, *non est mihi gloria*, idest supererogationis præmium :

[1] Al. : « a vitiis. » — [2] Al. : « intermittitur, » et sic infra.

necessitas enim mihi incumbit [1]. Act. XXII, 21 : *Vade, quoniam ad nationes longe mittam te*. Et vere necessitas : *væ enim mihi est*, idest pœna transgressionis in me manet, *si non evangelizavero*. Isa. VI, 5 : *Væ mihi, quia tacui*. Aliter legitur secundum *Glossam*; et hoc dupliciter. Primo modo sic. *Nam si evangelizavero, non est mihi gloria*; quasi dicat : Utique evacuaretur gloria mea, cœlestis scilicet, si ideo prædicarem ut sumptus acciperem : *nam si evangelizavero* tantum, ita quod non ex dilectione Dei et proximi hoc faciam, nec libera voluntate, *non est mihi gloria* apud Deum : *necessitas enim* præcepti, quod non audeo omittere, *mihi incumbit*. Unde si solo timore servili prædico, *væ* [2] idest æterna damnatio, *mihi est, si non evangelizavero*, sicut mihi injunctum est. *Si autem volens hoc ago, mercedem habeo*; quasi dicat : Si necessitate hoc facio, non est mihi gloria; *si autem volens hoc ago*, idest si voluntatem adjungo necessitati, *mercedem* æternam *habeo* : ideo Psalm. LIII, 8, dicitur : *Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine*. *Si autem invitus*, idest solo præcepto coactus, evangelizo, *dispensatio mihi credita est*, sicut servo, ut scilicet dispensem ad aliorum utilitatem, non meam ; quasi dicat : Aliis proficio, non mihi. Intelligit enim hoc de dispensatione servili, non filiali, secundum *Glossam* Augustini, serm. XXXIV *Ad fratres in erem.* : « Nemo invitus bene facit, et si bonum est quod facit : » infra XIII, 1 : *Si caritatem non habuero, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens*. Secundo modo legitur sic. *Nam si evangelizavero*, pro sumptibus accipiendis, *non est mihi gloria*, de supererogatione in prædicando. Peto enim contra me. Matth. X, 8 : *Gratis accepistis, gratis date*. *Necessitas enim* vitæ sustentandæ *mihi incumbit*, quia pro necessitate vitæ prædico : *væ enim mihi est*, idest famis cruciatio [3], si non evangelizavero. *Si autem volens*, idest si non pro victus necessitate, sed pro caritate, *hoc ago, mercedem* æternam *habeo*; *si autem invitus*, idest pro necessitate coactus, *dispensatio mihi credita est*, sicut servo.

Deinde cum dicit, *Quæ est ergo merces mea?* hic ostendit quia non capiendo sumptus, gloria ejus conservatur : ubi primo quærit ; secundo solvit, ibi, *Evangelium prædicans sine sumptu, ponam Evangelium*. Dicit ergo : *Quæ est merces mea*? idest, quid faciendo mercedem accipiam, quia hoc est meritum mercedis? *Ut* scilicet ego *prædicans Evangelium sine sumptu, ponam*, idest stabiliam, *Evangelium*. Isa. XXVIII, 28 : *Ponet triticum per ordinem, et hordeum, milium et viciam in finibus suis*. Hoc autem faciebat secundum *Glossam*, ne Evangelium venale putaretur. *Sine sumptu*, inquam ; et hoc *ut non abutar potestate mea*, idest mihi commissa, *in Evangelio* prædicando ; quod esset si acciperem indistincte : quia perderem auctoritatem libere arguendi : quia Eccli. XX, 31 : *Exenia et dona excæcant oculos judicum, et quasi mutus in ore avertet correptionem*. Ecclesiastica ergo utilitas implicatur in hac solutione, scilicet confirmatio boni, quia *ut Evangelium prædicans*, et declinatio mali, quia *ne abutar potestate*.

Et notandum, quod quatuor tetigit differentias eorum qui tenentur prædicare. Quidam enim tenentur, sed non evangelizant : hi merentur pœnam. Quidam tenentur, et evangelizant, sed coacti: hi non merentur mercedem, sed vitant pœnam. Quidam tenentur et evangelizant voluntarie, sed accipiunt sumptus : et hi merentur mercedem et vitant pœnam, sed non habent supererogationis gloriam. Quidam tenentur, et evangelizant voluntarie, nec accipiunt sumptus ; et hi mercedem merentur, et vitant pœnam, et habent supererogationis gloriam. Primum statum tangit ibi, *Væ mihi est, si non evangelizavero*; secundum, ibi, *Nam si invitus, dispensatio mihi credita est*; tertium ibi, *Si autem volens hoc ago, mercedem habeo*; quartum ibi, *Quæ est ergo merces mea?*

LECTIO IV.

Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem : et factus sum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer ; his qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege, ut eos qui sub lege erant, lucrifacerem ; his qui sine lege erant, tamquam sine lege essem, cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi, ut lucrifacerem eos qui sine lege erant.

[1] Al. *præmii incumbit*. — [2] Al. : « væ enim, idest, etc. » — [3] Al. : « turbatio. »

Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Omnia autem facio propter Evangelium, ut particeps ejus efficiar.

Superius ostendit quod non vult sumptus accipere, et hoc propter intentionem [1] præmii ; hic ostendit quod idem fecit propter amorem Evangelii: ubi primo dicit, quod omnium se servum fecit ; secundo, quod omnibus se contemperare studuit, ib, *Et factus sum Judæis tamquam Judæus* ; tertio subdit causam quare non fecit, ibi, *Omnia autem facio propter Evangelium.* In prima implicat triplicem conditionem commendabilem in servitio ; quæ sunt generalitas, liberalitas, utilitas. Servit ergo gratis, sive liberaliter, ibi, *Cum essem liber ex omnibus* ; generaliter, ibi, *Omnium me servum feci* ; utiliter, ibi, *Ut plures lucrifacerem.* Dicit ergo : *Nam cum essem liber ex omnibus, omnium me servum feci* ; quasi dicat : Sine sumptu ponam Evangelium : nam et majus feci ; scilicet *cum liber essem ex omnibus*, idest nullius meritis obnoxius, *omnium me servum feci*, omnibus me contemperando per utilitatem, et quasi debitorem constituendo. II Corinth. IV, 5 : *Nos autem servos vestros per Jesum* : et hoc *ut plures lucrifacerem* ; idest, lucrum meæ prædicationis et servitutis facerem. Quærebat enim non res, sed animas. II Corinth. XII, 14 : « Non quæro vestra, sed vos. » Si enim commendabile est servire in temporalibus propter lucrum temporale, quanto plus in spiritualibus propter lucrum spirituale?

Deinde cum dicit, *Et factus sum Judæis tamquam Judæus*, hic ostendit quod omnibus se contemperare studuit : et primo dicit, quod contemperavit se nondum conversis ; secundo, quod etiam jam conversis, *Factus sum infirmis infirmus* ; tertio quod generaliter universis, ibi, *Omnibus omnia factus sum.* In prima primo dicit, quod contemperavit se Judæis ; secundo, quod Samaritanis, ibi, *Et his qui sub lege sunt, quasi sub lege essem* ; tertio quod Gentilibus, ibi, *His qui sine lege erant, tamquam sine lege essem.* In prima primo tangit contemperationem ; secundo contemperationis rationem, ibi, *Ut Judæos lucrarer.* Dicit ergo : *Et factus sum Judæis tamquam Judæus*, scilicet aliqua legalia servando, sicut in discretione ciborum, in circumcisione Timothei, Act. XVI, in purificatione legali : Act. XXI. Potest autem hoc intelligi dupliciter. Uno modo secundum Hieronymum *Ad August. epist.* XI. *Factus sum Judæis tamquam Judæus*, per simulatoriam [2] dispensationem. Simulabat enim se servare legalia aliqua, quæ tamen non servabat. Alio modo secundum Augustinum *epist.* XIX. *Factus sum Judæis tamquam Judæus.* Vere enim condescendebat eis in observatione aliquorum legalium propter piam compassionem ; et hoc fecit, ut Judæos lucraretur Christo, idest eos ad fidem Christi converteret.

Deinde cum dicit, *Et his qui sub lege sunt, quasi sub lege essem*, hic dicit, quod contemperabat se Samaritanis : ubi notantur tria de ipso. Primo ejus sagacitas in hoc quod se contemperabat ; secundo ejus libertas in hoc quod sub lege non erat ; tertio ejus utilitas in hoc quod lucrifaciebat. Dicit ergo : Sum etiam his qui sub lege Moysi sunt, idest Samaritanis, qui non sunt Judæi, sed Assyrii, qui fuerunt adducti ad inhabitandum terram Israel, IV Reg. XVII. Isti etiam erant sub lege Moysi, quia tantum quinque libros Moysi recipiebant. His ergo *factus sum quasi sub lege essem*, approbando scilicet legem, et ex ea docendo Christum ; *cum* tamen *ipse sub lege non essem*, secundum litteralem observantiam vel serviliter : quia *justo non est lex posita* : I Timoth. I, 9 : Et hoc ideo feci, *ut eos qui sub lege erant*, scilicet ipsos Samaritanos, *lucrifacerem*, eos ad fidem Christi convertendo.

Deinde cum dicit, *His qui sine lege erant, tamquam sine lege essem*, hic dicit quod contemperavit se Gentilibus : ubi primo tangit suam conformitatem ; secundo suæ fidei veritatem, ibi, *Cum tamen sine lege Dei non essem* ; tertio suæ intentionis rectitudinem. ibi, *Ut lucrifacerem eos qui sine lege erant.* Et hoc est, *Et factus sum his qui sine lege erant*, idest Gentibus : Rom. II : *Cum enim Gentes, quæ legem non habent* : *tamquam sine lege essem*, idest assentiendo rationibus eorum, et bonis positionibus philosophorum, ut patet Act. XVII ; *cum* tamen *sine lege non essem* : Rom. VII, 25 : *Mente servio legi Dei* : *sed in lege essem*, non Judaica, sed *Christi*, qui est Deus ; non autem Moyses : de qua Gal. VI, 2 : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis*

[1] Al. : « propter infectionem. »

[2] Al. : « simulationis. »

legem Christi. Et hoc ideo feci, *ut lucrifacerem eos qui sine lege erant*, Gentiles ad fidem convertendo. Gregorius : « O felix zelator ! Nullum tale sacrificium, quale zelus animarum. »

Deinde cum dicit, *Factus sum infirmis infirmus*, hic ostendit quod se contemperavit jam conversis. Ubi primo ponit modum bonum; secundo finem debitum, ibi, *Ut infirmos lucrifacerem*. Dicit ergo : *Factus sum* etiam *infirmis* in fide, *infirmus*, a licitis abstinendo. II Corinth. XI, 29 : *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* Sic facit bonus medicus qui comedit cibum infirmi, ut eum provocet ad comedendum, et sic sanet. Et hoc feci, *ut infirmos lucrifacerem*, eos in fide roborando. Et breviter *omnibus omnia factus sum*, quasi essem omnium sectarum. Ideo dicitur infra X, 33 : *Sicut et ego per omnia omnibus placeo*. Et hoc *ut omnes facerem salvos*. Sap. XVIII, 24 : *In vestimento poderis* quod habebat Aaron *totus orbis terrarum erat descriptus*. Et IV Reg. IV : *Eliseus* contraxit se ad modum pueri, et sic suscitavit illum. Et quia, secundum Boetium [1], omnis alteritas discors, similitudo vero appetenda est; ideo viri spirituales salva vitæ et religionis suæ observantia, omnibus se debent conformare. Deinde dicit [2] : *Omnia facio propter Evangelium*. Superius ostendit quod omnibus se contemperare studuit; hic subdit rationem quare hoc facit : et hanc duplicem : unam ex parte Evangelii, scilicet ut cursum liberum habeat; aliam ex parte sui, scilicet ut promissum præmium obtineat, ibi, *Ut particeps ejus efficiar*. Et hoc est quod dicit : *Omnia autem facio propter Evangelium*, sine impedimento prædicandum : *ut particeps ejus*, idest promissionum quæ in eo continentur, *efficiar*. Matth. V, 19 : *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum*.

LECTIO V.

Nescitis quoniam hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis. Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant; eos autem incorruptam. Ego igitur sic curro non quasi in incertum; sic pugno non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.

Superius ostendit quod proposuit a sumptibus abstinere, primo propter intentionem præmii; secundo propter amorem Evangelii; hic tertio propter expeditionem cursus et agonis sui. Primo quidem ostendit quod oportet in stadio expedite currere; secundo, quod similiter oportet in agone expedite certare, ibi, *Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*; tertio quod ipse facit utrumque, ibi, *Ego igitur sic curro non quasi in incertum*. In prima primo ponit exemplum expedite currentium; secundo monet eos ad similiter currendum, ibi, *Sic currite ut comprehendatis*. In prima primo tangit currendi exercitium; secundo convenientiam currentium, ibi, *Omnes quidem currunt*; tertio differentiam pervenientium, ibi, *Sed unus accipit bravium*. In primo notatur conditio viatorum; in secundo multitudo vocatorum; in tertio paucitas electorum. Matth. XX, 16 : *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Conditionem vero viatorum describit a tribus : a certitudine, cum quærit, *Nescitis*; a brevitate, cum addit, *In stadio* : a labore, cum subdit, *Currunt*. Dicit ergo, *Nescitis* : quod tripliciter continuatur. Primo modo sic, quasi dicat : Recte abstineo a sumptibus sumendis, ut particeps efficiar : nam si non abstinerem a contrariis Evangelio, non essem ejus particeps, *Nescitis* enim *quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt*; *sed unus accipit bravium!* Vel sic. *Nescitis* quod hoc facio ut particeps Evangelii efficiar, et utique possum esse particeps? Nam non sic est de Evangelii præmio ut de cursus bravio : quia hic unus accipit bravium, ibi vero omnes accipere possunt. Tertio modo sic. *Nescitis*; quasi diceret : Ideo autem sic curro, quia licet multi currentes sint, pauci tamen sunt pervenientes. *Nescitis* enim *quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt*, in labore pares sunt, *sed unus* tantum *accipit bravium*? idest præmium cursus. Stadium enim est spatium in quo pedites currunt, quod Hercules dicitur statuisse. Perficiunt autem stadium, centum viginti quinque passus. Et

[1] Al. : « secundum Homerum. » — [2] Al. : « cum dicit. »

dicitur stadium a stando; quia Hercules tot passus currebat, et postea stabat et respirabat. In fine hujus spatii ponebatur aliquid quod erat præmium cursus, ut equus, aut pannus purpureus; et hoc dicitur bravium. Et licet in hoc stadio omnes currerent, unus tamen solus accipiebat bravium, scilicet qui citius perveniebat. Sic in cursu spirituali unus tantum, scilicet perseverans, accipit bravium : quia *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* : Matth. XXIV, 13.

Deinde cum dicit, *Sic currite ut comprehendatis*, monet eos ad currendum. Ubi implicat tria : actum strenuum, *Currite*; modum debitum, *Sic*; finem optimum, *Ut comprehendatis*. Dicit ergo : *Sic currite ut comprehendatis*; quasi diceret : Quia unus accipit bravium, *sic currite*, per viam veritatis perseverantes, *ut comprehendatis* bravium vitæ æternæ. Hebr. XII, 1 : *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen*.

Deinde cum dicit, *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*, ostendit quod in agone oportet expedite certare. Ubi primo tangit agonizantium pugnam; secundo pugnandi formam firmam, ibi, *Ab omnibus se abstinet*; tertio sic pugnantium mercedem debitam, ibi, *Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant*. Primum est necessitatis, scilicet pugnare; secundum virtutis, scilicet abstinere; tertium felicitatis, scilicet coronam accipere. Dicit ergo : *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*; quasi diceret : Vere sic agendum est : quod patet exemplo, quia *omnis qui in agone contendit, ab omnibus* impedientibus *se abstinet*. Unde et nudi agonizabant in palæstra. Attende, ut Augustinus ait in *Psalm*. LI, quod de rebus non laudandis multæ trahuntur similitudines.

Deinde cum dicit, *Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant*, tangit pugnantium mercedem : et primo pugnantium materialiter; secundo pugnantium spiritualiter ; ibi, *Nos autem incorruptam*. Dicit ergo : *Et illi quidem* abstinent, *ut corruptibilem coronam accipiant*, quod modicum est; *nos autem* abstinere debemus, ut accipiamus *incorruptam*, scilicet coronam vitæ, de qua Jacob. I, 12 : *Beatus vir qui suffert tentationem : quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*.

Deinde cum dicit, *Ego igitur sic curro non quasi in incertum*, ponit exemplum utriusque, scilicet currendi et pugnandi. Ubi primo tangit cursum suum in profectu boni : secundo pugnam suam in victoria mali, ibi, *Sic pugno non quasi aerem verberans*; tertio rationem utriusque facti, ibi, *Sed castigo corpus meum*. Dicit ergo : *Ego igitur sic curro non quasi in incertum* : quasi dicat : Quia talis corona servatur, igitur *ego sic curro*, bonum operando, *non quasi in incertum*, idest ut sim incertus de præmio. In incertum enim currit qui talia facit ut de quibusdam sperare, ex aliis vero possit desperare. Omnia instruunt ad bonum : et persona apostolica, quæ notatur ibi, *Ego* : et forma implicita, quæ notatur ibi, *Sic* : et actio strenua, quæ notatur ibi, *Curro* : et merces sperata, quæ notatur ibi, *Non quasi in incertum*. Phil. II, 16 : *Non in vacuum cucurri, nec in vacuum laboravi*. *Sic pugno*, contra hostes, decertando contra malum, *non quasi aerem verberans*, idest non verbis tantum, sed factis. *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute* : supra IV, 20. Vel *non quasi aerem verberans*, idest non inaniter me fatigando, adversarium non lædendo. Sic erit perfectus homo, si sic se habeat ut sit intentus in confessione. Isa. XXXVIII, 15 : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Devotus in oratione. Matth. VI, 9 : *Sic ergo orabitis : Pater noster qui es in cælis* etc. Efficax in prædicatione. Jacob. II, 12 : *Sic loquimini et sic facite*. Hæc tria pertinent ad actum oris recti : ita tamen quod confessio dirigitur Deo et proximo; oratio soli Deo, prædicatio soli proximo. Fortis in pugnando : unde *sic pugno non quasi aerem verberans* : Apocal. III, 5 : *Qui vicerit sic, vestietur veste alba*. Patiens in sustinendo. Judith. VIII, 23 : *Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses, et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles* : Cautus in servando. Jos. II, 16 : *Ad montana conscendite, ne forte occurrant vobis revertentes; ibique latitate tribus diebus, donec redeant; et sic ibitis viam vestram*. Primum propter malum culpæ, scilicet pugna; secundum contra malum pœnæ, scilicet patientia; tertium contra malum tentationis, scilicet cautela. Benignus in condonando : Matth. XVIII, 14 : *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, ut pereat unus de pusillis istis* : inutilem se reputando. Luc. XVII, 10 : *Sic et vos cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite* :

Servi inutiles sumus. Solicitus se discutiendo; infra xi, 28 : *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.* Primum reprobat malitiam proximi; secundo probat bonitatem Dei : tertium dubietatem status proprii. Humilis in obsequendo. Matth. iii, 15 : *Sic decet nos implere omnem justitiam* : Agilis in proficiendo : unde hic, *Sic currite*, idest proficite in bono, *ut comprehendatis* : Constans in perseverando : unde hic, *Sic currite* : Phil. iv, 1 : *Sic state in Domino, carissimi* : Famosus in conversando : supra iv, 1 : *Sic vos existimet homo ut ministros Christi.* Primum respicit incipientes, secundum proficientes, tertium perseverantes, quartum perfectos.

Deinde cum dicit, *Sed castigo corpus meum*, tangit rationem prædictorum utriusque. Ubi primo tangit austeritatem vitæ; secundo commendationem doctrinæ, ibi, *Ne forte cum aliis prædicaverim;* tertio rationem concordiæ utriusque, ibi, *Ipse reprobus efficiar.* Ergo implet facto quod docet verbo, ne se damnet ore proprio : et hoc est quod dicit : *Sed castigo corpus meum*, per declinationem mali, motus carnis illicitos reprimendo. *Castigo* ergo, non occido, *corpus meum*, non tantum alienum. Rom. xii, 1 : *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum : et in servitutem redigo*, per operationem boni, corpus scilicet spiritui servire cogendo, et sensualitatem rationi subjiciendo; sicut de beato Martino legitur : « Carnem spiritui servire cogebat : » et hoc facio, *ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Augustinus, *De verb. Apost.*, serm. xxi : *Suo timore nos terruit Apostolus : quid enim faciet agnus, ubi aries timet et tremit? Ipse reprobus*, idest a Deo reprobatus, *efficiar*; quod turpe esset. Rom. ii, 21 : *Qui prædicas non furandum, furaris.* De hujusmodi posset vere dici illud Job. iv, 3 : *Ecce docuisti plurimos, et manus lassas roborasti... Nunc autem venit super te plaga, et defecisti.*

Hic quæritur ibi, *Melius est mihi mori quam ut gloriam meam quis evacuet.* Contra. Gloria non evacuatur nisi per peccatum; ergo accipere esset ei peccatum : non ergo licitum. Respondeo. Gloria essentialis per hoc non evacuaretur, sed gloria accidentalis [1] de hoc opere supererogationis.

Item. *Si evangelizavero, non est mihi gloria.* Contra. Evangelizanti et sumptus accipienti debetur et aurea et aureola. Sed *Glossa* exponit, quando evangelizatur ex necessitate timoris, vel ex cupiditate mercedis temporalis.

Item super illud, *Dispensatio mihi credita est, Glossa* : « Non debemus evangelizare ut manducemus. » Contra. Ergo prædicatores quæstuarii peccant mortaliter, quia faciunt quod non debent. Respondeo. Si propter quæstum principaliter faciunt, peccant; sed si propter fructum spiritualem inde provenientem, bene faciunt.

Item ibidem *Glossa* : « Propter regnum Dei debemus operari omnia, non solum, sed cum regno Dei mercedem temporalem meditari. » Contra. Ergo qui vadunt ad Ecclesiam pro distributionibus, peccant. Respondeo. Verum est si solum vel principaliter propter hoc vadant.

Item super hoc. *Ut non abutar potestate. Glossa :* « Quod esset si acciperet quod probavit supra eodem quod ei licet accipere. » Respondeo. Intelligendum est, si acciperetur indiscrete et inordinate, et immoderate.

Item. *Omnium servum me feci.* Contra. Supra vii, 23 : *Nolite servi effici hominum.* Respondeo. Hic loquitur de servitute caritatis, scilicet in bono; ibi de servitute iniquitatis scilicet in malo.

Item. *Factus sum Judæis Judæus. Glossa.* « In cibis accipiendis vel non accipiendis. » Contra. *Glossa.* « Injuste ergo reprehendit Petrum de discretione ciborum, » Galat. ii. Immo bene : quia Petrus discernebat cum scandalo Gentium, scilicet in locis Gentilium, Paulus autem non.

Item ibidem *Glossa* : « Propter scandalum Judæorum circumcidit Timotheum, » Act. xvi. Contra. Veritas doctrinæ, vitæ et justitiæ non debet dimitti propter scandalum. Respondeo. Usque ad divulgationem Evangelii, non erat de veritate doctrinæ, sive vitæ, ne homines circumciderentur, sed ne spem ponerent in circumcisione.

Item. *Ut omnes facerem salvos.* Contra. Sciebat non omnes salvandos. Respondeo. Volebat omnes in particulari, idest quemlibet per se, non omnes simul.

Item super illud, *Omnes quidem currunt, Glossa* : « In spirituali agone, quot-

[1] Al. additur : « est. »

quot quidem currunt, si spiritualiter currunt, accipiunt; et qui prior venerit expectat, ut coronetur cum posteriori. » Contra. Unusquisque in morte coronatur. Respondeo. Hoc intelligitur de gloria corporis, non animæ.

Item super illud, *Ne forte cum aliis prædicaverim*, *ipse reprobus efficiar*, *Glossa* : « Suo timore nos terret Apostolus. » Contra. I Joan. IV, 18 : « Perfecta caritas foras mittit timorem. » Respondeo. Verum est timorem pœnæ, sed non timorem separationis, sive offensæ.

CAPUT DECIMUM

LECTIO I.

Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt (bibebant autem de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus); sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo : nam prostrati sunt in deserto.

Superius monuit abstinere ab idolothytis : primo propter vitandum scandalum fratrum infirmorum, cap. VIII; secundo propter exemplum suum, qui abstinet propter alios ab acceptione sumptuum, cap. IX; hic tertio monet ad idem ex consideratione pœnæ [1] Judæorum in deserto idola venerantium : ubi exemplo pœnæ istorum, primo monet abstinere a perpetratione peccatorum similium; secundo specialiter a comestione idolis immolatorum : ibi, *Propter quod, carissimi, fugite ab idolorum cultura.* In prima primo ostendit quod antiquitus Judæis contigit; secundo propter quod, quia non propter se tantum, sed propter nos corrigendos ita evenit : *Hæc autem in figura facta sunt nostri*; tertio ut exemplo eorum caveant, concludit, ibi, *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat.* Ergo pœna timenda, causa memoranda [2], cautela adhibenda. In prima primo ponit beneficia gratiæ eis impensa existentibus in Ægypto; secundo præstita in deserto, ibi, *Et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt*; tertio flagella propter ingratitudinem inflicta, ibi, *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo.* In prima tangit tria beneficia. Primum in protectione nubis; secundum in transitu maris rubri, ibi, *Et omnes mare transierunt*; tertium in purgatione baptismatis, ibi, *Et omnes in Moyse baptizati sunt in nube.* Dicit ergo : *Nolo vos ignorare*, quasi dicat : Sic agendum est sicut monui. Non enim sufficiunt sacramenta Ecclesiæ suscepta, vobis postea peccantibus, sicut nec Judæis Dei beneficia, quin postea punirentur. *Nolo enim vos ignorare*, etc. Hoc dupliciter legitur. Uno modo de bonis et malis communiter; alio modo de malis specialiter. Primo modo sic. *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri*, institutores fidei nostræ, omnes, tam boni quam mali, *sub nube* protegente *fuerunt.* Exod. XIII, 21 : *Dominus præcedebat eos ad ostendendum viam, per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis.* Vel *sub nube*, idest sub figura et umbra. Hebr. X, 1 : *Umbram habens lex futurorum bonorum* : « *et omnes mare* rubrum submersis hostibus *transierunt* : non de una ripa ad ripam oppositam, sed ad eamdem : unde transierunt quemdam sinum maris : *et omnes in Moyse*, idest in ducatu Moysi, *baptizati sunt in nube et in mari*, idest per visa signa illa purgati ab ignorantia, vel a vitiis per fidem, scilicet submersis Ægyptiis. Exod. XIV, 31 : *Timuit populus Dominum et crediderunt Domino, et servo suo Moysi.* » Vel *baptizati sunt*; idest, signum baptismi receperunt. Nam baptismus constat ex aqua et Spiritu. Joan. III, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu.* Nubes autem symbolum erat Spiritus, mare vero aquæ, ut dicit Damascenus. Deinde cum dicit, *Et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt*, post beneficia exhibita Israel de Ægypto exeunti, hic tangit beneficia exhibita in deserto : et primo beneficium mannæ, secundo beneficium aquæ, ibi, *Et omnes eumdem potum spiritalem biberunt*; tertio potus originem mirabilem, ibi, *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra*; quarto originis significationem, ibi, *Petra autem erat Christus.* Dicit ergo : *Et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt*, manna scilicet de cœlo. Vocat autem eam spiritalem, cum esset corporalis, quia miraculose fuit data. De hoc habetur Sap. XVI, 20 : *Panem de cœlo præstitisti*

[1] Al. omittitur : « pœnæ. » — [2] Al. omittitur : « causa memoranda. »

eis. Et omnes eumdem potum spiritalem biberunt, idest aquam de petra. Num. XX, VIII : *Loquimini ad petram, et ipsa dabit vobis aquam.* Psal. LXXVII, 20 : *Percussit petram, et fluxerunt aquæ. Bibebant autem de petra spiritali* : quæ dicitur spiritalis propter effectum miraculosum, et propter futuri signum. *Petra consequente*, etc. Dupliciter intelligitur. *Consequente*, idest satisfaciente voluntati eorum. Psalm. LXXVII, 29 : *Desiderium eorum attulit eis.* Aquæ enim ubique sequebantur eos. Isa. XLVIII, 21 : *Aquam de petra produxit eis, et scidit petram, et fluxerunt aquæ.* Vel *Consequente eos,* idest veritatem sequentem significante. *Petra autem erat Christus*; non per substantiam, sed per significationem. Hic est lapis, quem reprobaverunt ædificantes. Alio modo legitur de bonis breviter sic. *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri*, institutores fidei nostræ, *omnes* boni, spiritualiter, unde dicitur patres nostri, non illorum, *sub nube fuerunt* sicut prius; *et omnes eamdem escam manducaverunt spiritalem*, idest corpus Christi, in signo spiritualiter intellecto. Unde *eamdem escam spiritualem manducaverunt*, idem scilicet quod nos : sed aliam escam corporalem quam nos : et hoc quantum ad majores in Christum credentes. Manducabant Christum spiritualiter, secundum illud Augustini, *Super Joan. tract.* XXV : « Crede, et manducasti. » *Et omnes eumdem potum biberunt*, scilicet Christi sanguinem in signo. Sic loquitur de signo et potu spirituali per fidem, non de corporali. *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra*; sicut prius. Appetendus cibus et potus, quia sufficiens : unde dicit, *Omnes manducaverunt*; indeficiens, quia *eumdem*, utilis, quia potus et cibus spiritualis : quod notatur in ipso nomine spiritalis.

Deinde cum dicit, *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*, post beneficia tangit flagella : et primo offensam; secundo pœnam, ibi, *Nam prostrati sunt.* Dicit ergo : *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*; quasi dicat : His omnibus beneficiis usi sunt Judæi; *sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*; in illis scilicet qui Deum offenderunt; sed tantum in duobus, scilicet Caleb et Josue, quibus solis concessum est terram promissionis obtinere, Num. XIV. Malach. I, 10 : *Non est mihi voluntas in vobis.*

LECTIO II.

Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt. Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis : quemadmodum scriptum est. Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figura contingebant illis ; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.

Superius ostendit quid antiquis Judæis contigit : hic ostendit quod non propter se tantum, sed propter nos corrigendos, ita evenit. Ubi primo ostendit quod propter nos corrigendos a peccato, prædicta facta sunt; secundo, quod propter hoc etiam scripta sunt, ibi, *Hæc autem omnia in figura contingebant illis*; *scripta sunt autem ad correctionem nostram.* In prima ostendit quod ideo facta sunt ut cohibeamur a peccato : et primo a peccato cordis; secundo a peccato operis, ibi, *Neque idololatræ efficiamini*; tertio a peccato oris, ibi, *Neque murmuraveritis, sicut quidam ex ipsis.* In prima primo deterret per pœnam; secundo ex hoc dehortatur culpam, ibi, *Ut non simus concupiscentes malorum*; tertio malos reducit ad memoriam, ibi, *Sicut et illi concupierunt.* Dicit ergo. *Hæc autem in figura facta sunt nostri*, non ficta, sed vere facta. *In figura*, inquam : ideo scilicet ut nos considerantes illorum supplicia, *non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt*, de quibus Psal. CV, 14 : *Concupierunt concupiscentiam in deserto.* Num. XI, dicitur, quod vulgus promiscuum flagravit desiderio carnium. Et notandum, quod sicut in bonis longe melius est quod figuratur quam ipsa figura, ut regnum cœlorum quam terra promissionis; ita in malis longe pejus est quod figuratur quam figura significans. Secundum autem Augustinum *In Psal.* LXXVII. Illa supplicia quæ sustinuerunt, figura gehennæ fuerunt, quæ omni pœna major est. Hæc autem pertinent ad sapientes inter Corinthios, qui desiderio carnes comedebant in idolio, et scandalizabant infirmos. Unde similes erant

Judæis, carnes desiderantibus in deserto: unde digni erant etiam simili pœna.

Deinde cum dicit, *Neque idololatræ efficiamini*, dehortatur peccatum operis. Ubi tangit tria peccata. Primo idololatriæ; secundo fornicationis, ibi, *Neque fornicemur*; tertio divinæ tentationis, ibi, *Neque tentemus Christum*. In prima primo dissuadet idololatriæ vitium: secundo deterret per exemplum, ibi, *Sicut quidam ex ipsis*; tertio explicat exemplum implicitum, ibi, *Quemadmodum scriptum est*, etc. Dicit ergo : *Neque idololatræ efficiamini*; idolothytis vescendo in venerationem idoli, vel scandalum infirmorum; *sicut quidam illorum;* supple, idololatræ fuerunt, Exod. xxxii, et Psalm. cv, 19, « Et fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile. » *Quemadmodum scriptum est*, Exod. xxxiii, 6 : *Sedit populus*, idest quidam de populo, *manducare et bibere*, coram idolo, quibus similes sunt qui comedunt idolothyta, idola venerando, *et surrexerunt ludere*; idest, ludos facere, sicut choreas et hujusmodi in venerationem idoli. Vel *surrexerunt ludere*; idest, idolum adorare; quod est simile ludo puerorum, qui faciunt imagines luteas. Deinde cum dicit, *Neque fornicemur*, tangit peccatum fornicationis. Ubi primo dissuadet tale peccatum; secundo deterret per exemplum culpæ, ibi, *Sicut quidam ex ipsis fornicati sunt*: tertio pœnæ, ibi, *Et ceciderunt una die*. Dicit ergo : *Neque fornicemur*, ut quidam ex vobis, supra, v, 1 : *Omnino auditur fornicatio inter vos : sicut quidam ex ipsis fornicati sunt*, cum Madianitis scilicet, Num. xxv, et ideo *ceciderunt una die viginti tria*, immo viginti quatuor, *millia* : sed major numerus non excludit minorem : unde non dicitur hic cum præcisione : vel forte vitium scriptorum est. Deinde cum dicit, *Neque tentemus Christum*, tangit peccatum divinæ tentationis : quod dissuadet primo, verbo ; secundo, exemplo, ibi, *Sicut quidam eorum tentaverunt*; tertio, supplicio, ibi, *Et a serpentibus perierunt*. Dicit ergo; *Neque tentemus Christum* diffidendo de ejus potentia, sicut illi qui in vobis desperant de resurrectione ; *sicut quidam eorum tentaverunt* Deum vel Christum in Moyse, dicentes Psal. lxxvii, 19 : *Nunquid poterit parare mensam in deserto? et* ideo *a serpentibus perierunt*, donec scilicet serpens æneus erectus est, ad cujus aspectum sanabantur. De hoc habetur Num. xxi, et Deut. vi, 16 : *Non tentabis Dominum Deum tuum*.

Deinde cum dicit, *Neque murmuraveritis*, post peccatum cordis et operis dehortatur peccatum oris : Ubi primo dissuadet murmurationis vitium ; secundo adducit quosdam in exemplum : et primo culpæ, ibi, *Sicut quidam murmuraverunt* ; secundo pœnæ, ibi, *Et perierunt ab exterminatore* [1]. Dicit ergo *Neque murmuraveritis*, contra me, vel minores contra majores : Sap. i, 2 : *Custodite vos a murmuratione. Sicut quidam eorum murmuraverunt* contra Moysen : Num. xvi, 41 : *Murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen, et* ideo *perierunt ab exterminatore*, ab Angelo scilicet, qui extra terminos terræ eos percussit. Baruch iii, 19 : *Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt*:

Notandum super illud, *In Moyse baptizati sunt*, quod Damascenus, lib. IV, cap. de Baptismo, distinguit novem genera baptismatum, accipiendo baptismata large. Primum est aqua diluvii, de quo habetur Gen. vi. Secundum, mare rubrum, de quo Exod. xiv. Tertium aqua expiationis, de qua Num. xix. Quartum baptismus Joannis, de quo Matth. iii. Quintum batipsmus quo Christus baptizatus fuit, de quo Luc iii. Sextum baptismus Spiritus sancti super discipulos : Act. i, 5 : *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto*. Septimum baptismus pœnitentiæ et contritionis, de quo Eccl. xxxiv, 30 : *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius*? Octavum baptismus sanguinis, de quo Luc. xii, 50 : *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur*. Nonum baptismus aquæ et Spiritus de quo Joan. iii, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Matth. ult. 19, *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*.

Deinde cum dicit, *Hæc autem omnia in figura contingebant illis*, habito quod propter nos prædicta facta sunt, hic ostendit quod propter nos etiam scripta sunt ; et primo quod in significatione ; secundo quod in correctione, ibi, *Scripta sunt autem ad correptionem nostram*. Dicit ergo : *Hæc autem omnia in figura*

[1] Al. : « a serpentibus. »

contingebant illis ; quasi dicat : Ista contigerunt illius, et hoc non tantum propter sua peccata, aut pro se [1], sed *omnia in figura*, nostri scilicet, *contingebant illis* : erat enim tunc tempus figurarum. Deinde cum dicit, *Scripta sunt autem ad correptionem nostram*, tangit quod scripta sunt ad correctionem nostram. Ubi implicantur tria incitantia ad correctionem nostram. Primo antiquorum exempla, quæ notantur in Scripturis ; secundo exemplorum causa, quæ est correctio nostra ; tertio ætas novissima, quæ est finis sæculorum. Dicit ergo : *Scripta sunt autem ad correptionem nostram* ; quia *quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*. Rom. xv, 4. Nos dico, *in quos fines sæculorum devenerunt*, idest sexta ætas quæ est ultima ætas laborantium. I Joan. II, 18 : *Filioli mei, novissima hora est.* Quia ergo in ultima sæculi sumus, tot exemplis priorum corrigi debemus. Vel *in quos fines sæculorum devenerunt* ; idest, in quibus per fidem et amorem Christi finita est sæcularitas, quia Ph. III, 20, dicitur : *Conversatio nostra in cœlis est.* Unde temporalia non pomittuntur tempore gratiæ sicut tempore legis : unde nec in pactum deducuntur, sed adjiciuntur. Matth. VI, 33 : *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* Sed antiquitus erant in pactum : Isa. I, 19 : *Si volueritis et audieritis me et bona tarræ comedetis.* Ecce ergo exempla certa, quia *scripta sunt* ; utilia, quia *ad correptionem nostram* ; durabilia, quia *in quos fines sæculorum devenerunt.*

LECTIO III.

Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis : sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.

Habita primo Judæorum punitione, secundo punitionis ratione, hic tertio concludit quod exemplo eorum debent a malo cavere : ubi primo monet ut caveant casum ; secundo cavendi docet modum, ibi, *Tentatio vos non apprehendat* etc. ; tertio promittit firmum adjutorium, ibi, *Fidelis autem Deus est* etc. In primo implicat quatuor solicitantia sapientem ; scilicet multitudinem cadentium, cum dicit *Itaque* ; incertitudinem stantium, cum subdit, *Qui se existimat stare* ; necessitatem cautelæ, cum addit *Videat* ; facilitatem ruinæ, cum dicit, *Ne cadat.* Dicit ergo : *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat* ; quasi dicat : Illi, etsi beneficiis Dei usi sunt nihilominus propter peccata perierunt. *Itaque*, ex eorum consideratione, *qui existimat*, aliqua conjecturatione, *se stare*, idest quod sit in gratia et caritate, *videat*, diligenti attentione, *ne cadat*, peccando, vel alios faciendo peccare. Isa. XIV, 12 : *Quomodo cecidisti Lucifer?* Psalm. XC, 7 : *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis.* Ideo Ephes. V, 15 : *Videte quomodo caute ambuletis.*

Deinde cum dicit, *Tentatio vos non apprehendat*, docet modum cavendi casum [2] scilicet cavendo tentationem : ubi primo docet aliquam tentationem fugiendam ; secundo aliquam sustinendam : ibi, *Nisi humana.* Primo notificat quia pulsat ut introeat : unde dicitur, *Tentatio* ; secundo quia impugnat ut prævaleat : unde subditur : *Non vos apprehendat.* Dicit ergo : *Tentatio vos non apprehendat* ; quasi diceret : Ne cadatis ; *tentatio*, scilicet peccati, *non vos apprehendat*, trahendo in consensum peccati, *Nisi humana.* Hoc dupliciter exponitur. Uno modo de tentatione interiori mala ; et tunc est permissio ; quasi dicat : Nulla peccati dilectio vos apprehendat, nisi forte de malis, sine qua vita humana non ducitur [3]. Non enim est homo qui semper faciat bonum et non peccet : III Reg. VIII, 2 : Paralip, VI. Alio modo exponitur de tentatione exteriori boni ; et tunc est exhortatio, sic. *Tentatio vos non apprehendat nisi humana*, scilicet tribulationum præsentium propter Christum tolerantia. Augustinus *In Quæst. nov. et vet. testam... quæst.* XCIX : « Propter Christum pati, humana tentatio est. » Tob. XII, 13 : *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.*

Deinde cum dicit, *Fidelis Deus*, osten-

[1] Al. : « non autem pro se. »
[2] Al. : « causam. »
[3] Al. : « nisi forte humana, sine qua vita de malis non ducitur. »

dit paratum adjutorium in tentatione. Ubi commendat Deum adjutorem, qui dat nobis resistendi potentiam : quod notatur ibi, *Sed faciet cum tentatione proventum* : perseverantiam : quod notatur ibi, *Ut possitis sustinere*. Vere fidelis Deus, qui dat potentiam ne vincamur, gratiam ut mereamur, constantiam ut vincamus. Dicit ergo : *Fidelis Deus* : quasi diceret : Vos ad hoc hortor et moneo quod potestis. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis*. Psal. CLI, 13. *Qui non patietur vos tentari supra id quod potestis* : quod utique posset diabolus, si permitteretur : *quia non est potestas super terram quæ ei comparetur* : Job XLI, 24 ; et Isa. XLI, 29 : *Dat lasso virtutem*. Ideo Jacob. I, 2 : *Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis*. Augustinus *In Psalm*. LXI, cir. fin. « Qui dat diabolo tentandi licentiam, ipse dat tentatis misericordiam. » *Proventum*, inquam, ita *ut possitis sustinere*, ne deficiatis in lucta, sed vincatis : quod fit per humilitatem, ut dicit Augustinus. Illi enim non crepant in fornace, qui non habent ventum superbiæ.

Notandum est super illud, *Qui se existimat stare, videat ne cadat*, quod ad casum impellunt nos primo debilitas virium, sicut cadunt pueri, decrepiti, infirmi : Isa. XL, 30 : *In infirmitate cadent* ; quod contingit per tepiditatem bene operandi, et instabilitatem. Secundo onus peccatorum, sicut cadunt asini sub onere nimio : Psalm. XXXV, 13 : *Ceciderunt qui operantur iniquitatem* : quod contingit per negligentiam pœnitendi : quia peccatum quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit. Tertio multitudo trahentium, sicut arbor vel domus multis trahentibus deorsum cadit : supra eodem : *Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt* ; quod contingit per impulsum hostium. Quarto lubricitas viarum, sicut incauti cadunt in lubrico : Eccl. XXVIII, 30 : *Attende ne forte labaris in lingua, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi* : quod contingit per incautam custodiam sensuum. Quinto varietas offendiculorum, sicut avis cap'a in medio laqueorum : Psal. XIX, 8 : *Hi in curribus, et hi in equis*. Prov. XXIV, 16 : *Septies in die cadit justus* : quod contingit per corruptionem creaturarum. Sexto ignorantia agendorum, sicut cæci cadunt de facili, Matth. XV, 14 : *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt* : quod contingit per negligentiam addiscendi necessaria. Septimo exempla cadentium, sicut angeli ad exemplum Luciferi : Ps XC, 7 : *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis*. Prov. XXV, 26 : *Fons turbatus pede et vena corrupta justus cadens coram impio* : quod contingit per imitationem malorum. Octavo ponderositas corporum : corpus enim, quod corrumpitur aggravat animam, sicut lapis in collo natantis ; Job XIV, 18 : *Mons cadens destruit* : quod contingit per carnis fomentum superfluum.

LECTIO IV.

Propter quod, carissimi mei, fugite ab idolorum cultura. Ut prudentibus loquor : vos ipsi judicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus nonne communicatio sanguinis Christi est ? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est ? Quoniam unus panis et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane et de uno calice participamus.

Superius ex consideratione Judæorum pœnæ monuit abstinere a perpetratione peccatorum similium hic specialiter monet cavere a comestione idolis immolatorum. Ubi primo ponit commonitionem cavendi ab idolothytis ; secundo subdit causam commonitionis, ibi, *Quid ergo ? Dico quod idolis immolatum sit aliquid* ? tertio docet modum cavendi a dictis, ibi, *Omne quod in macello venit manducate*. In prima cavere ab idolothytorum comestione monet primo ex timore pœnæ consimilis : secundo ex communione sancti altaris, ibi, *Ut prudentibus loquor ;* tertio ex similitudine sacrificii legalis, ibi, *Videte Israel secundum carnem*. In prima, ut ejus obediant dictis,primo arguit inferendo cum dicit, *Propter quod* : secundo allicit blanblandiendo, cum subdit, *Carissimi mei* : tertio instruit exhortando, cum addit, *Fugite ab idolorum cultura*- Dicit ergo : *Propter quod, carissimi mei, fugite ab idolorum cultura ;* quasi diceret : Quia sacramenta sola non salvant : et qui cadit punitur, et auxilium Dei non deest : *propter quod, carissimi mei, fugite ab idolorum cultura*, idest ab omni idoli veneratione. *Glossa* : Ideo hos Apostolus

hortatur fugere ab idololatriæ superstitione, vel ne sapientes comedant idolothyta cum offendiculo infirmorum, quibus idolatrare viderentur: vel ne ipsi infirmi idolatræ sint, edendo in idoli venerationem. *Fugite* ergo *ab idolorum cultura*, vel putativa quo ad esum sapientium, vel vera quo ad esum infirmorum.

Deinde cum dicit. *Ut prudentibus loquor*, monet cavere ab idolothytorum comestione ex communione sacramenti altaris. Ubi primo quod dicturus est supponit eorum judicio ; secundo ostendit quid est illud, scilicet quod per communionem eucharistiæ efficimur unum cum Christo ibi, *Calix benedictionis cui benedicimus*, *nonne communicatio sanguinis Christi est*? etc. ; tertio probat quod ita est quod omnes sumus unum, in corpore ejus mystico, ibi, *Quoniam unus panis et unum corpus multi sumus*. Dicit ergo, *Ut prudentibus loquor* : quasi dicat: Ut fugiatis, *loquor* vobis *ut prudentibus*. Vel sic. *Loquor* vobis altum quid, scilicet quod sequitur, *ut prudentibus*. Vel sic. Loquor infirmis, scilicet qui sunt inter vos, ut supra locutus sum prudentibus. Et ideo *vos ipsi*, majores, *judicate quod dico*. Job XXXI, 13 : *Si contempsi subire judicium cum servo meo*. *Judicate*, inquam hoc quod sequitur, *Calix benedictionis*, idest potus calicis, per quem participantes benedicuntur. Luc. XXII, 20 : *Similiter et calicem postquam cœnavit*, *dicens* : *Hic calix est novum testamentum in sanguine meo*, *qui pro vobis fundetur*. *Cui benedicimus*, idest quod nos fideles exaltamus credendo et gratias agendo ; vel *cui benedicimus*, idest quem nos sacerdotes consecramus : *nonne communicatio sanguinis Christi est*? faciens nos unum cum ipso, secundum illud Augustini : « Nec tu me mutabis in te [1] sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Est ergo sua ratio talis. Sicut participans calicem Domini fit unum cum eo, sic participans calicem dæmoniorum fit unum cum eis. Sed dæmonum unitas est maxime fugienda : ergo et participatio idolothytorum in eorum venerationem. Et ideo fugite ab idolorum cultura. *Et panis quem frangimus*, idest sumptio panis fracti in altari *nonne participatio corporis Domini est*? faciens nos unum cum Christo : quia sub specie panis sumitur corpus Christi.

Deinde cum dicit, *Quoniam unus panis et unum corpus multi sumus*, ostendit quod omnes sumus unum in corpore ejus mystico. Ubi proponit primo unitatem; secundo subdit unitatis rationem, ibi, *Omnes qui de uno pane et de uno calice participamus*. In prima tangit duplicem unitatem. Primam incorporationis, qua in Christum transformamur, cum dicit, *Unus panis*; aliam vitæ et sensus, quam a Christo capite accipimus, cum addit, *Et unum corpus multi sumus*. Dicit ergo : *Quoniam unus panis et unum corpus multi sumus;* quasi dicat : Per hoc patet quod unum sumus cum Christo; quoniam *unus panis*, unione fidei, spei et caritatis, *et unum corpus multi sumus*, per subministrationem operum caritatis: corpus scilicet illius capitis qui est Christus. *Multi*, dico, scilicet *omnes qui de uno pane*, idest corpore Christi, *et de uno calice*, idest sanguine, *participamus* digna participatione, scilicet spirituali, non tantum sacramentali. Augustinus *Super Joan*, *tr*. XXV : « Accipite, quia unus panis et unum corpus Ecclesia Christi dicitur, pro eo quod sicut unus panis ex multis granis, et unum corpus ex multis membris componitur, sic Ecclesia Christi ex multis fidelibus caritate [2] copulatis connectitur. » De ista unitate, infra XII, dicitur.

Hic quæritur super illo, *Omnes in Moyse baptizati*. *Glossa*. « Per visa illa legalia purgati. » Contra. Legalia non justificabant. Respondeo. Justificabant dispositive a remotis, non causative [3] : quia per modum signi, non causæ.

Item super illud, *Petra autem erat Christus*, *Glossa* : « Non petra dedit aquas, sed Christus. » Contra. Num. XX, 8 : *Loquimini ad petram*, *et ipsa dabit vobis aquas*. Respondeo. Petra dabat originaliter, non effective.

Item super illud, *Omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt*, *Glossa* : « Si quis manducaverit ex hoc pane, non morietur in æternum, Joan. VI, 52 ; scilicet, qui manducat corde, non qui premit ore. » Contra. Ergo non oportet sacramentaliter manducare. Respondeo. Non qui premit ore ; solum scilicet.

Item super illud, *Eumdem potum spiritalem biberunt*. *Glossa* : « Idem est effectus in illis sacramentis, sed non tantum quantum in nostris. » Contra. Sacramenta

[1] Al. omittuntur sequentia Augustini verba. — [2] Al. : « capite. » — [3] Al. : « non copulative. »

vetera non efficiebant quod figurabant. Respondeo. Idem est effectus, sed aliter; nam illorum per modum signi, nostrorum per modum causæ.

Item super illud, *Hæc autem in figura facta sunt. Glossa.* « Omnes pœnæ minores sunt gehenna. » Contra. Carentia visionis Dei major est quam gehenna, secundum Chrysostomum. Respondeo. Loquitur de pœnis temporalibus.

Item super illud, *Qui stat, videat ne cadat, Glossa :* « Non quod sit aliquis sine casu. » Contra. Multi sunt sine mortali. Respondeo. Duplex est casus : unus a Domino per mortale, alter in Domino per veniale.

Item super illud, *Fidelis Deus. Glossa :* « Qui dat tentandi diabolo licentiam, dat tentatis misericordiam. » Contra. Quod fit de licentia, licite fit : ergo licet diabolo tentare. Respondeo. Licentia accipitur hic pro permissione, non pro concessione.

Item. *Vos ipsi judicate.* Contra. Non est inferiorum judicare de factis superiorum. Respondeo. Non debent judicare judicio superordinationis; sed licet judicio discretionis.

Item super illud, *Benedicimus, Glossa :* « Nos sacerdotes. » Contra. Quod minus est, a majori benedicitur. Respondeo. In sacramento altaris, benedictio sacerdotis fertur super terminum a qua, idest super panem; non super ad quem, idest corpus Christi.

Item. *Panis quem frangimus.* Contra. Jam tunc non est ibi panis. Respondeo. Ponitur significatum pro signo, idest panis pro specie panis.

Item super illud, *Nonne participatio corporis Domini est? Glossa :* « Per partes manducantur in sacramento, et manet integer in cœlo. » Contra. Christus sub sacramento est impartibilis. Respondeo. Manducatur per partes sacramenti, non sui.

Item ibidem *Glossa* : « In illo sacramento corpus suum et sanguinem commendavit : quod est, fecit nos ipsos. » Contra. Non [1]fecit nos corpus Christi verum. Respondeo. Quod, idest cujus significatum : unde relatio est simplex.

LECTIO V.

Videte Israel secundum carnem. Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? Dico, quod idolis immolatum sit aliquid, aut quod idolum sit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum; non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. An æmulamur Dominum? Numquid fortiores illo sumus? Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt : omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius.

Superius monuit abstinere a comestione idolothytorum : primo ex timore pœnæ consimilis; secundo ex communione altaris : hic tertio monet ad idem ex similitudine sacrificii legalis : ubi primo excitat attentionem; secundo ostendit propositum, ibi, *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Dicit ergo, *Videte.* Hoc dupliciter legitur. Uno modo de sacrificies Judæorum, alio modo de ritu Gentilium. Primo modo hoc quod dico *Israel*, est accusativi cacus; alio modo vocativi. Primo modo sic : quasi dicat : *Multi unum corpus sumus, qui de uno pane et de uno calice participiamus :* et hoc patet per hanc similitudinem. *Videte Israel secundum carnem;* supple, ambulantem; idest carnalibus sacrificiis deservientem. Hoc dicit ad differentiam Israel secundum spiritum. De utroque Rom. II, 28, *Non enim qui in manifesto Judæus est. Nonne qui edunt hostias* legales, *participes sunt altaris* legalis? sicut qui edunt carnem Christi et sanguinem, participes sunt corporis ejus. Secundo modo legitur sic : *Videte* o *Israel*, o vos qui estis Israel spiritualis, videns scilicet Deum : *videte*, inquam; ea quæ sunt *secundum carnem*, idest in idololatriæ ritu carnali. *Nonne qui edunt hostias*, idolis scilicet immolatas, *participes sunt altaris* dæmonum, et idolorum? Quasi dicat, sic. Est ergo sua ratio talis. *Qui edunt hostias* oblatas altari, *participes sunt altaris* : a simili, qui edunt hostias immolatas idolis, participes sunt idolorum, sive dæmoniorum.

Deinde cum dicit, *Quid ergo?* etc. superius posuit monitionem cavendi ad idolothytorum comestione, hic ponit causam admonitions. Ponit autem quatuor causas quare debent ab idolothytis abstinere. Primo propter vitandam dæmonis

[1] Al. omittitur : « non. »

societatem; secundo propter vitandan sacræ communionis exclusionem, ibi, *Quia non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum*; tertio propter vitandam Dei indignationem, ibi, *An æmulamur Dominum?* quarto propter fratrum læsionem, ibi, *Omnia mihi licent* etc. In prima primo ostendit per hoc, quod non dicit hoc eo quod alicjus virtutis reputet idolum vel idolothytum; secundo quod potius ideo quia dæmonibus est immolatum, ibi, *Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant*: tertio quod non vult eos esse socios dæmonum: ibi, *Nolo autem vos socios esse dæmonum.* Dicit ergo: *Quid ergo?* Quasi dicat. Moneo cavere ab idolothytis. *Quid ergo dico?* idest, quid dicere videor hoc monendo? Numquid hoc, supple quod illud *quod idolis est immolatum sit aliquid*, vel alicujus virtutis ut noceat; *aut quod idolum sit aliquid* veneratione dignum? Quasi dicat, non. Psalm. cxxxiv, 17: *Neque enim est spiritus in ore ipsorum. Sed* hoc potius dico, quod *quæ immolant Gentes* idolo, *dæmoniis immolant, et non Deo.* Psalm xcv, 5: *Omnes dii gentium dæmonia.* Deut xxxii, 17; *Immolaverunt dæmonibus, et non Deo.*

Deinde cum dicit, *Nolo autem vos fieri socios dæmoniorum*, ostendit quod non vult eos fieri socios dæmonum; quod fieret si communicarent mensæ idolorum; et hoc est quod dicit: *Nolo autem vos*, qui fideles estis, *socios fieri dæmonum*, edendo scilicet de his quæ idolis immolantur. II Corinth. vi, 14: *Quæ societas lucis ad tenebras, aut quæ conventio Christi ad Belial?*

Deinde cum dicit, *Non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum*, ecce secunda ratio quare abstinendum est ab idolotythis; quæ est talis: Omne quod excludit a communione corporis et sanguinis Christi, vitandum est; comestio idolothytorum est hujusmodi: ergo vitanda est. Primo ergo ostendit quod hujusmodi comestio excludit a communione sanguinis Christi; secundo quod et a communione corporis Christi, ibi, *Non potestis mensæ Domini participes esse et mensæ dæmoniorum.* Dicit ergo: *Non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum*; quasi dicat: *Nolo vos fieri socios dæmoniorum*: hoc autem ideo dico, quia *non potestis calicem Domini bibere*, potu spirituali, non sacramentali tantum: Psalm. cxv, 23: *Calicem salutaris accipiam*: *et calicem dæmoniorum* simul, et hoc quo ad sacramentum sanguinis: *non potestis mensæ Domini participes esse*, quo ad sacramentum corporis, *et mensæ dæmoniorum.* Matth. vi, 14: *Nemo potest duobus dominis servire.* Ecce ergo calix fructuosus, quia ad bibendum; spiritaliter pretiosus, quia Domini; specialiter purus et mundus, quia non datur immundis utiliter. Similiter potest dici de mensa.

Deinde cum dicit, *An æmulamur Dominum?* ecce tertia ratio talis. Omne illud quod provocat iram Dei, vitandum est: comestio idolothyrorum est hujusmodi: ergo vitanda est. Primo ergo ostendit quod Deus provocatur ex tali comestione; secundo, quod stultum est eum provocare, ibi, *Numquid fortiores illo sumus*? Dicit ergo: *An æmulamur*, idest ad iram provocare volumus, *Dominum*, comedendo idolothyta? Vel sic. *An æmulamur Dominum*; idest invidemus ei, ut quasi in contemptum ejus hoc faciamus? Deut. xxxii, 16: *Provocaverunt eum in diis. Numquid?* quasi dicat: Non debemus eum provocare: *numquid illo fortiores sumus?* quasi dicat, non. Job ix, 19: *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.* Fatuum est enim provocare fortiorem se.

Notandum super illud, *Nolo autem vos socios fieri*, quod est societas bona et mala, et utraque quadruplex. Est ergo societas bona, prima personarum divinarum, de qua I Joan. i, 3: *Ut societatem habemus cum Deo, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo.* Et hoc exigit summa jucunditas, quia nullius rei sine socio jucunda est possessio. Secunda Angelorum sanctorum, de qua Tobiæ v, 27: *Credo enim quod Angelus Dei bonus comitetur ei.* Et hoc exigit hominis dignitas. Hieronymus: « Magna est dignitas animarum. » Tertia virorum justorum, de qua Galat. ii, 9: *Jacobus et Joannes dexteras dederunt mihi et Barnabæ societatis.* Et hoc exigit nostra utilitas: Eccle. iv, 9: *Melius est duos esse simul; habent enim emolumentum societatis suæ.* Quarta beatorum, de qua Apocal. i, 9: *Ego Joannes socius vester et frater in tribulatione et regno et hanc exigit communis felicitas*: quia *si socii sumus passionis, erimus et consolationis*: II Corinth. i, 7. Societas mala similiter quadruplex. Prima a parte malorum, de qua Isa. i, 23: *Principes tui in-*

fideles, socii furum. Hæc est societas Herodis et Pilati in crucifixione Christi. Secunda hypocritarum, de qua Job xxx, 29 : *Frater fui draconum, et socius struthionum,* quæ alas habere videtur, et volare non potest. Hæc est societas vulpis et lupi. Tertia dæmonum, de qua Job xviii, 15 : *Habitent in tabernaculo ejus socii ejus qui non est.* Hæc est societas catti et muris, carnificis et bovis. Quarta damnatorum, de qua II Corinth. vi, 14 : *Quæ societas luci ad tenebras?* Hæc est societas incarceratorum in igne.

Deinde cum dicit, *Omnia mihi licent* etc., ponitur quarta ratio talis : Omne illud quod lædit proximorum salutem, vitandum est : sed comestio idolothytorum est hujusmodi : ergo vitanda est. Primo ostendit quod talis comestio comedenti non proficit ; secundo quod alterum lædit, ibi, *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Dicit ergo : *Omnia mihi licent* ; quasi dicat : Si illos peccare dicam qui comedunt idolothyta, non tamen dico cibos in se illicitos : quia *omnia* quæ ad escam pertinent, *mihi licent.* Vel et si *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt* ; idest, adjuvant me in cursu meo. Simile supra vi, *Omnia mihi licent,* idest et si omnia mihi licerent, *sed non omnia ædificant* proximos, sed ea quæ caritatis sunt. Supra viii, 1 : *Scientia inflat, caritas ædificat.* Et quia non omnia ædificant, *nemo quod suum est quærat* tantum : *caritas* enim *non quæ sua sunt quærit* : infra xiv, 5 : *sed quod alterius,* idest quod alteri proficit. Sed heu ! Philipp. ii, 21, dicitur : *Omnes quæ sunt sua quærunt.* Audiendus est ergo Apostolus, qui et docet verum, et monet bonum. Docet verum duplex, scilicet expedientiæ sibi, quia *omnia licent, sed non expediunt* ; et ædificationis aliis, quia *omnia licent, sed non omnia ædificant.* Monet bonum duplex ; scilicet expedientiæ sibi, *Nemo quod suum est quærat* ; et ædificationis aliis, *sed quod alterius.*

LECTIO VI.

Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini est terra, et plenitudo ejus. Si quis vocat vos infidelium ad cœnam, et vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit, Hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum qui judicavit, et propter conscientiam ; conscientiam autem, dico, non tuam, sed alterius. Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia ? Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quod gratias ago ?

Superius monuit cavere ab idolothytis : et posuit rationem quadruplicem suæ monitionis ; hic tertio docet modum cavendi a prædictis, ostendendo quomodo liceat edere, et quomodo non. Primo ergo ostendit an liceat edere ; secundo quando non licet, ibi, *Si quis autem dixerit, Hoc immolatum est idolis, nolite manducare;* tertio quid in utrisque debent attendere, ibi, *Sive ergo manducatis sive bibitis.... omnia in gloriam Dei facite.* In prima primo ponit duos casus in quibus licet idolothyta comedere. Primus quando comedit per se ; secundus quando cum aliis, ibi, *Si quis autem infidelium vocat vos ad cœnam, et vultis ire* ; *omne quod vobis apponitur manducate.* Vel primus quando nescit idolis immolatum ; secundus quando non in proximi scandalum. In primo casu primo tangit comedendi licentiam ; secundo comedendi præstat cautelam, ibi, *Nihil interrogantes.* Dicit ergo : *Omne quod in macello venit,* idest venditur, *manducate,* quasi dicat : Quia licet edere, sed non expedit aliquando, ideo sic edite. *Omne quod in macello venit,* idest venditur, *manducate,* si vultis, « Omnis enim creatura Dei bona, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur : » I Timoth. iv, 4. Vos, dico, *nihil interrogantes,* scilicet an sit idolis immolatum vel non ; et hoc *propter conscientiam,* adstantis infirmi, *Domini est terra et plenitudo ejus* : quasi dicat : quia *Domini est terra et plenitudo ejus,* idest omnia quibus terra impletur. Psalm. xlix, 10 : *Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum.* Ambrosius hoc in loco : « Non potest esse immundum quod Domini est : » sed omnes carnes sunt Domini : ergo de se mundæ sunt, et licitæ.

Deinde cum dicit, *Si quis autem vocat vos infidelium ad cœnam,* ostendit quando licet comedere idolothyta cum aliis : quando scilicet dantur in convivio, et ignoratur ab infirmis, quod sint idolis immolata. Ubi implicantur quatuor expedientia cuilibet convivæ : scilicet ne sit impudens se ingerendo, quod notatur ibi, *Si quis vocat vos* ; quod non sit

offendens in respuendo, quod notatur ibi, *Et vultis ire*; quod non sit onerosus in petendo [1], quod notatur ibi, *Omne quod vobis apponitur manducate;* quod non sit indiscretus in loquendo, ibi, *Nihil interrogantes.* Dicit ergo : *Si quis infidelium*, idest Gentilium : nam cum Judæis comedere prohibitum est XXVII quæst. I cap. Omnes, ubi sic dicitur : « Omnes deinceps sive clerici sive laici, Judæorum convivia vitent, nec eos ad convivium quisquam recipiat : quia cum Judæi apud Christianos cibis communibus non utantur, indignum atque sacrilegum est, eorum cibos a Christianis sumi. » *Si quis ergo infidelium*, idest Gentilium, *vocat vos ad cœnam, et vultis ire*, idest placet vobis invitatio, *omne* comestibile, *quod vobis apponitur, manducate.* Concessio est, non jussio. Luc. X, 8 : *Manducate quæ vobis apponuntur.* Vos, dico, *nihil interrogantes* an sit immolatum idolis vel non : et hoc *propter conscientiam* infirmorum.

Deinde cum dicit, *Si quis autem dixerit, Hoc immolatum est idolis, nolite manducare*, ostendit quando non licet comedere. Ubi assignat triplicem causam quare non licet comedere. Primo propter alterius conscientiam; secundo propter damnationem propriam, ibi, *Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia?* tertio propter imperitorum blasphemiam ibi, *Si cum gratia participo, quid blasphemor?* Prima ratio talis est. Nihil faciendum est scienter quod lædat conscientiam ejus qui facit; sed comestio idolothyti est hujusmodi : ergo nihil tale est faciendum. Primo ergo proponit idolothyti cognitionem ; secundo dissuadet ejus comestionem, ibi, *Nolite manducare*; tertio subdit hujus rationem, ibi, *Propter illum qui judicavit.* Dicit ergo : *Si quis autem dixerit*, etiam non interrogatus, *Hoc est immolatum idolis, nolite manducare* : et hoc *propter illum qui judicavit* hoc esse immolatum idolis, ne scilicet credat te manducare sub veneratione idoli; non quod cibus de se sit immundus. Rom. XIV, 14 : *Scio et confido in Domino quod nihil commune est per ipsum, nisi illi qui existimat aliquid commune esse.* Sed etiam *propter conscientiam* aliorum infirmorum. *Conscientiam autem, non tuam*, quæ firma est, *sed alterius*, scilicet infirmi. II Corinth. VI, 3 : *Nemini dantes ullam offensionem.* Deinde cum dicit, *Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia?* ecce jam secunda ratio, quæ est talis. Quod facit ad judicium damnationis propriæ, vitandum est ; sed comestio idolothyti cum scandalo proximi est hujusmodi : ergo talis comestio vitanda est : et hoc est quod dicit, *Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia?* quasi dicat : Nolite manducare propter conscientiam infirmi : *ut quid enim libertas mea*, idest quod liberum mihi est, *judicatur ab aliena conscientia?* idest, mihi fit damnabile propter conscientiam alienam [2] ratione scandali; quasi dicat : Si comedo cum alterius scandalo, sic ago ut reddam me damnabilem. Matth. XVIII, 6 : « Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. » Ut quid ergo sic ago? quasi dicat, Male ago. Deinde cum dicit, *Si ego cum gratia participo, quid blasphemor?* ecce ratio tertia talis. Cavendus est casus in blasphemiam et vituperium aliorum; sed comedendo idolothytum cum scandalo, comedo sic : ergo etc. Ubi primo tangit modum edendi debitum; secundo nihilominus blasphemiam insipientium, ibi, *Quia blasphemor?* Dicit ergo : *Si ego cum gratia*, idest cum gratiarum actione, *participo*, idest comedo : sic enim semper sumendus est cibus : Joan. VI, 2 : « Gratias agens benedixit et fregit : » *quid blasphemor* ab imperitis dicentibus idolatrare? Blasphemor, inquam, *pro eo quod gratias ago*, idest quod gratias agendo participo. Rom. XIV, 16 : « Non ergo blasphemetur bonum nomen vestrum. »

LECTIO VII.

Sive ergo manducatis sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Sine offensione estote Judæis et Gentibus et Ecclesiæ Dei, sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.

Habito quando licet de idolothytis comedere, et quando non; hic ostendit quid in utroque debent intendere : et primo respectu Dei, quia debent quærere ejus

[1] Al. : « impediendo. »

[2] Al. : « alienam. »

gloriam; secundo quid respectu proximi, quia debent cavere ejus offensam, ibi, *Sine offensione estote*. In prima primo inducit actum multiplicem; secundo persuadet actuum intentionem debitam, ibi, *Omnia in gloriam Dei facite*. Dicit ergo: *Sive ergo manducatis, sive bibitis... omnia in gloriam Dei facite*; quasi dicat: Quia hæc mala contingunt: *ergo sive manducatis sive bibitis*, quæ sunt opera necessitatis, *vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, et cum invocatione Creatoris, ea intentione ut Deus laudetur et glorificemur. Matth. v, 16: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*. Coloss. iii, 17: *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in gloriam Dei facite*. Augustinus in *Psalm*. xxxiv, concione ii, in fine: « Hæc si recte fiunt, laudes Dei sunt. Non ergo solum vox tua sonet laudes Dei, sed etiam opera tua concordent cum voce tua. Cum enim Deus laudatur de bono opere, Deum laudas; et cum blasphematur Deus de malo opere tuo, Deum blasphemas. »

Deinde cum dicit *Sine offensione estote*, monet ut caveant ab offensa aliorum: et persuadet hoc primo, verbo; secundo, exemplo, ibi, *Sicut et ego per omnia omnibus placeo*. Ubi ponit se in exemplum primo pacificæ conversationis; secundo fructuosæ operationis: ibi *Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis*; tertio rectæ intentionis, ibi, *Ut salvi fiant*. Felix cujus conversatio amabilis, operatio utilis, intentio salubris. Dicit ergo: *Sine offensione estote*, quasi dicat: Ut omnia in gloriam Dei fiant, *sine offensione estote Judæis*, qui non adorant idola, et ideo in tali comestione scandalizantur, *et Gentibus*, qui adorant idola, et ideo per hujusmodi comestionem in errore confirmantur; *et Ecclesiæ Dei*, quantum ad infirmos in fide, qui inde offenduntur. Judæi sunt sub lege, sed non sunt sub fide; Gentes nec sub lege nec in fide: Ecclesia Dei et sub lege et in fide. Roman. xii, 18: *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Sicut et ego per omnia omnibus placeo*, tamquam conversans [1] sine scandalo. *Ego*, inquam, *non quærens quod mihi utile est* tantum, *sed quod multis*. Ecce optimus modus placendi omnibus, si omnium utilitas, non privatum commodum procuretur. Caritas inquam non quærit quæ sua sunt. Quod est utile, inquam, multis et non hoc ad aliquod commodum temporale, *sed* ad hoc *ut salvi fiant*. Philip. ult. xvii: *Non quæro datum sed fructum*.

Notandum, quod multa sunt quæ merito placere faciunt hominibus. Primum prudentia in consiliis, sicut advocatus clienti, dispensator principi placet. Genes. xli, 37: *Placuit Pharaoni consilium et omnibus servis ejus*. Eccli. xx, 29: *Vir prudens placebit magnatis*. Secundum munditia in factis; sicut conjux conjugi, instrumentum utenti placet. I Reg. ii, 26: *Puer autem Samuel crescebat et proficiebat, placens tam Deo quam hominibus*. Non sic filii Heli. Tertium pietas in suffragiis; sicut medicus infirmanti, baculus seni placet. Unde de sepultura Abner dicitur II Reg. iii, 36: *Placuerunt eis omnia quæ fecit David in conspectu totius populi*. Quartum sapientia in verbis; sicut lumen viatori, viror visui placet. Josue xxii, 33: *Placuit sermo cunctis audientibus*. Eccli. xx, 29: *Sapiens in verbis producet seipsum, et homo prudens placebit magnatis*. Quintum clementia in responsis; sicut sapor gustui, melodia auri placet. II Paralip. x, 7: *Si placueris populo huic et lenieris eos verbis clementibus, servient tibi omni tempore*. Sextum fortitudo in bellis; sicut pugil conductori, miles principi placet. I Reg. xviii, 22: *Dixerunt servi Saul ad David*: *Ecce places regi, et omnes servi ejus diligunt te*. Septimum largitas in beneficiis; sicut pluvia terræ arenti, sicut fons sitienti placet. I Machab. xiv, 4, de Simone: *Quæsivit bona gentis suæ, et placuit illis potestas ejus*.

Hic quæritur super illud, *Nolo vos esse socios dæmoniorum*. *Glossa*: « Ad hoc genus pertinent quæ fiunt in quibusdam rebus suspendendis vel alligandis. » Contra. Ergo suspensio herbarum ad collum, vel chartularum, quæ fieri solet, ad idolatriam pertinet. Responsio. Aut herbæ habent a natura vim naturalem ad effectum illum, aut non. In primo casu non pertinet ad idolatriam, sed in secundo. Similiter schedulæ aut continent solum verba sacra, et ex hoc creduntur habere vim, aut non. In primo casu non pertinet ad idololatriam, sed in secundo.

Item super illud, *Omnia mihi licent*,

[1] Al. deest: « conversans. »

Glossa : « Potestate liberi arbitrii, et doctrina legis naturalis. » Contra. Secundum legem naturalem multa sunt illicita. Respondeo. Hic loquitur de cibis specialiter.

Item ibidem *Glossa* : « Præcepto Domini illa prohibentur. » Respondeo. Illa præcepta ad tempus fuerunt, et revocata sunt.

Item, *Nihil interrogantes*. Contra. Tob. I, 21 : *Videte ne forte furtivus sit*. Respondeo. Non est simile : quia cibum furtivum non est licitum in se comedere ; sed idolo immolatum licet edere, nisi propter scandalum alterius.

Item, *Omnia in gloriam Dei facite*. Contra. Ergo nullus actus est indifferens. Respondeo. Relatio hæc in gloriam Dei intelligitur vel in actu vel in aptitudine referendi, quæ non est solum in bonis, sed etiam in indifferentibus.

Item, *Domini est terra, et plenitudo ejus*. Contra. Eadem ratio fuit sub lege : ergo si omnia sunt modo munda, quia Domini sunt, et tunc fuerunt. Respondeo. Reputatione legis immunda dicta sunt, sed non sui natura.

Item, *Sicut ego per omnia omnibus placeo*. Contra. Galat. I, 10 : *Si hominibus placerem, Christi servus non essem*. Item quomodo placebat persecutoribus suis ? Respondeo ad primum. Placere volebat hominibus propter Deum, non propter se. Ad argumentum secundum, intelligitur hoc non de omnibus generaliter, sed de ecclesiasticis viris, secundum *Glossam*.

CAPUT UNDECIMUM

LECTIO I.

Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Volo autem vos scire quod omnis viri caput Christus est; caput autem mulieris vir; caput vero Christi Deus.

Supra Apostolus removit a fidelibus id quod est contrarium eucharistiæ sacramento, scilicet participationem mensæ idolorum ; nunc autem instruit fideles de ipso eucharistiæ sacramento ; et primo præmittit quamdam admonitionem generalem ; secundo accedit ad propositum, ibi, *Volo autem vos scire.* Circa primum duo facit. Primo proponit admonitionem ; secundo significat quomodo Corinthii ad prædictam admonitionem se habebant, ibi, *Laudo autem vos fratres.* Circa primum considerandum est, quod ita se habet naturalis ordo rerum, quod ea quæ sunt inferiora in entibus imitantur ea quæ sunt superiora secundum suum posse : unde etiam naturale agens tamquam superius, assimilat sibi patiens. Primordiale autem principium totius processionis rerum est Filius Dei, secundum illud Joan. I, 3 : *Omnia per ipsum facta sunt.* Et ideo ipse est primordiale exemplar quod omnes creaturæ imitantur tamquam veram et perfectam imaginem Patris : unde dicitur Coloss. I, 15 : *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso condita sunt universa.* Speciali tamen quodam modo exemplar est spiritualium gratiarum, quibus spirituales creaturæ illustrantur, secundum illud quod in Psal. CIX, 3, dicitur ad Filium : *In splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te* : quia scilicet genitus est ante omnem creaturam per gratiam lucentem, habens exemplariter in se splendores omnium sanctorum. Hoc autem exemplar Dei prius erat a nobis valde remotum, secundum illud Eccle. II, 12 : *Quid est homo ut sequi possit regem factorem suum?* Et ideo homo fieri voluit, ut hominibus humanum exemplar præberet : unde Augustinus dicit in libro *De agone christiano* cap. XI : « Qua perversitate non careat qui dicta et facta illius hominis intueri diligit et sectatur, in quo se nobis ad exemplum vitæ præbuit Filius Dei? » Et sicut divinitatis ejus exemplar primo quidem imitantur Angeli, secundario vero reliquæ creaturæ, ut Dionysius dicit X cap. *Angelicæ Hierarchiæ* ; ita humanitatis exemplar principaliter quidem imitandum proponitur prælatis Ecclesiæ tamquam superioribus : unde et Dominus Apostolis dicit Joan. XIII, 15 : *Exemplum enim dedi vobis ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* Secundario vero ipsi prælati informati exemplo Christi, proponuntur exemplar vitæ subditis, secundum illud I Petr. ult. 3 : *Forma facti gregis ex animo* : et II Thessal. III, 9 : *Ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.* Et ideo Apostolus signanter dicit : Dixi ut sine offensione omnibus sitis ; et hoc quidem facere poteritis si hoc quod dico servetis : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi*, scilicet sum imitator. Imitabatur enim eum primo quidem in mentis devotione. Gal. II, 20 : *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.* Secundo in subditorum sollicitudine : unde dicebat Philip. II, 17 : *Si immolor supra sacrificium et obsequium fidei vestræ ; gaudeo et congratulor omnibus vobis... sicut et Christus obtulit semetipsum pro nobis*, ut dicitur Ephes. V, 2. Tertio quantum ad passionis tolerantiam : II Corinth. IV, 10 : *Semper mortificationem Jesu in corpore circumferentes* : et Galat. ult. 17 : *Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Est autem notandum, quod non simpliciter dicit, *Imitatores mei estote* ; sed addit, *sicut et ego Christi* ; quia scilicet subditi prælatos suos imitari non debent in omnibus, sed in quibus illi Christum imitantur, qui est indeficiens sanctitatis exemplar.

Deinde cum dicit, *Laudo autem vos, fratres*, ostendit qualiter Corinthii se habebant ad admonitionem prædictam. Circa quod considerandum est, quod subditi suos prælatos sequuntur dupliciter : scilicet quantum ad facta, et dicta. Quantum quidem ad facta, dum subditi prælatorum exempla imitantur : unde dicitur Jacob. v, 10 : *Exemplum accipite, fratres mei, Prophetarum, qui locuti sunt in nomine Domini.* Quantum vero ad dicta, dum eorum præceptis obediunt. Proverb. III, 21 : *Custodi præcepta mea, et vives.* In his autem Corinthii deficiebant, et maxime quantum ad majorem multitudinem : et ideo Apostolus alloquens eos, dicit : *Laudo autem vos, fratres*; quasi dicat : Super hoc laudandos vos præbere debetis, sed non facitis, *quod per omnia memores estis*, quasi ad imitandum mea exempla : non enim possumus illorum exempla imitari quorum memoriam non habemus : unde dicitur Hebr. XIII, 7 : *Mementote præpositorum vestrorum..... quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* Quantum vero ad dicta subdit : *Et sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis*; quasi dicat : Eodem tenore observatis quo ego tradidi : hoc enim dicit, quia ab observantia præceptorum ejus recesserant. Joan. XV, 20 : *Si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt.*

Sed videtur hic modus loquendi non esse conveniens veritati sacræ Scripturæ, quæ nihil patitur falsitatis, secundum illud Proverb. VIII, 8 : *Justi sunt omnes sermones mei, et non est in eis pravum quid, neque perversum.*

Sed dicendum, quod ironica locutio est una de locutionibus figurativis, in quibus veritas non attenditur secundum sensum quem verba faciunt, sed secundum id quod loquens exprimere intendit per simile, vel contrarium, vel quocumque alio modo. Et ideo in ironica locutione veritas attenditur secundum contrarium ejus quod verba sonant, sicut in metaphorica secundum simile.

Deinde cum dicit, *Volo autem vos scire, fratres*, accedit ad propositum, instruens scilicet fideles de eucharistiæ sacramento, et circa hoc tria facit. Primo redarguit eorum errores circa ritum hujus sacramenti; secundo ostendit hujus sacramenti dignitatem, ibi, *Ego enim accepi a Domino;* tertio docet convenientem ritum, ibi, *Itaque fratres mei.* Circa primum tria facit. Primo redarguit errorem, quo scilicet errabant in habitu, quia scilicet mulieres ad sacra mysteria conveniebant capite non velato; secundo arguit errorem in conventu, quia scilicet dum convenirent ad sacra mysteria, contentionibus vacabant, ibi, *Hæc autem præcipio non laudans*; tertio quantum ad certum cibum, quia scilicet pransi ad sacra mysteria sumenda accedebant, ibi, *Convenientibus autem vobis* etc. Circa primum duo facit. Primo præmittit quoddam documentum, ex quo sumitur ratio subsequentis monitionis; secundo ponit monitionem, ibi, *Omnis autem vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum.* Circa primum ponit triplicem comparationem : quarum prima est Dei ad hominem, dicens : Dixi, quod præcepta mea tenetis per contrarium ; sed ut appareat vos irrationabiliter agere, *volo vos scire*, tamquam rem necessariam, secundum illud Isa. v, 13 : *Captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, quod omnis viri caput Christus est* : quod quidem dicitur secundum similitudinem capitis naturalis, in quo quatuor considerantur. Primo quidem perfectio : quia cum cetera membra unum solum sensum habeant, scilicet tactum, in capite vigent omnes sensus : et similiter in aliis viris inveniuntur singulæ gratiæ, secundum illud quod dicitur infra XII, 8 : *Alii datur Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ* etc. : sed in homine Christo est plenitudo omnium gratiarum : non enim ad mensuram dat ei Deus spiritum, ut dicitur Joan. III. Secundo in capite invenitur sublimitas : quia ut scilicet in homine est superius membris, ita etiam Christus supereminet non solum omnibus hominibus, sed etiam omnibus Angelis, secundum illud Ephes. I, 20 : *Constituens illum ad dexteram suam in cœlestibus super omnem Principatum et Potestatem* : et infra, hoc cap. : *Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Tertio in capite invenitur influentia, quia scilicet quodam modo influit ceteris membris sensum et motum, ita a capite Christo in cetera membra Ecclesiæ motus et sensus spiritualis derivatur; secundum illud Coloss. II, 19 : *Non tenens caput ex quo totum corpus per nexum et conjunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei.* Quarto in capite invenitur conformitas naturæ ad cetera membra, et similiter in Christo ad alios homines,

secundum illud Phil. VII : *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Secundam comparationem ponit hominis ad hominem, cum dicit : *Caput autem mulieris vir* : quod etiam secundum prædicta quatuor verificatur. Nam primo quidem vir est perfectior muliere, non solum quantum ad corpus, quia, ut Philosophus dicit in libro *De generatione animalium*, lib. I *Phys.*, text. LXXI, femina est masculus occasionatus : sed etiam quantum ad animæ vigorem, secundum illud Eccle. VII, 29 : *Virum ex mille reperi unum, mulierem ex omnibus non inveni.* Secundo, quia vir naturaliter supereminet feminæ, secundum illud Ephes. V, 22 : *Mulieres viris suis subjectæ sint sicut Domino* : *quoniam vir caput est mulieris.* Tertio, quia vir influit gubernando mulierem, secundum illud Gen. III, 16 : *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.* Quarto vir et femina conformes sunt in natura, secundum illud Gen. II, 18 : *Faciamus ei adjutorium simile sibi.* Tertiam comparationem ponit Dei ad Dominum, cum dicit, *Caput vero Christi Deus.* Est autem considerandum, quod hoc nomen *Christus* significat personam prædictam ratione humanæ naturæ; et sic hoc nomen *Deus* non supponit solum personam Patris, sed totam Trinitatem, a qua in humanitatem Christi, sicut a perfectiori omnia bona derivantur, et cui humanitas Christi subjicitur. Alio modo potest intelligi, secundum quod hoc nomen *Christi* supponit dictam personam ratione divinæ naturæ : et sic hoc nomen *Deus* supponit solum personam Patris; quæ dicitur caput Filii non quidem secundum majorem perfectionem, vel secundum aliquam suppositionem, sed secundum originem [1] et secundum conformitatem naturæ, sicut in Psalm. II, 7, dicitur : *Dominus dixit ad me* : *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Possunt tamen hæc mystice accipi, prout in anima est quoddam spirituale conjugium. Nam sensualitas comparatur feminæ, ratio vero viro per quem sensualitas regi debet : unde et caput ejus dicitur. Vel potius ratio inferior, quæ inhæret temporalibus disponendis, mulieri comparatur; viro autem ratio superior, quæ vacat contemplationi æternorum : quæ caput inferioris dicitur, quia secundum rationes æternas sunt temporalia disponenda, secundum illud Exod. XXV, 40 : *Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Dicitur autem caput viri Christus; quia sola ratio secundum superiorem sui partem Deo inhæret.

LECTIO II.

Omnis autem vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum ; omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum : unum est enim ac si decalvetur. Nam et si non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe est mulieri tondari aut decalvari, velet caput suum. Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago et gloria Dei est ; mulier autem gloria viri est.

Præmisso documento, subjungit admonitionem, cujus ratio sumitur ex documento prædicto : et circa hoc duo facit. Primo ponit admonitionem ex parte viri, secundo ex parte mulieris, ibi, *Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum.* Dicit ergo primo : Dictum est, quod caput mulieris est vir; *omnis autem vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum.* Circa quod considerandum est, quod quilibet homo judici assistens, suam conditionem vel dignitatem debet profiteri; et præcipue assistens Deo, qui est omnium judex; et ideo qui Deo assistunt, ordinatissime et convenientissime se gerere debent, secundum illud Eccle. IV, 17, *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei.* Dupliciter autem homo Deo assistit. Uno modo humana ad Deum referens : quod quidem fit orando, secundum illud Eccli. XXXIX, 6 : *In conspectu Altissimi deprecabitur, aperiet os suum in oratione et pro delictis suis deprecabitur.* Alio modo divina ad homines deferens : quod quidem fit prophetando, secundum illud Joel. II, 28 : *Effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri.* Unde signanter Apostolus dicit, *Vir orans aut prophetans* : his enim duobus modis vir Deo tamquam judici vel domino assistit. Dicitur autem prophetans dupliciter. Uno modo inquantum homo aliis annuntiat quæ ei divinitus revelantur, secundum illud Luc. I, 67 :

[1] Al. : « sed solum originem. »

Zacharias pater ejus impletus est Spiritu sancto, et prophetavit, dicens : Benedictus Dominus Deus Israel etc. Alio modo dicitur homo prophetans, inquantum profert : ea quæ sunt aliis revelata : unde illi qui in Ecclesia dicunt prophetias, vel alias sacras Scripturas legunt, dicuntur prophetantes : et sic accipitur infra XIV, 4 : *Qui prophetat, et Ecclesiam ædificat* : et ita etiam hic accipitur. Pertinet autem ad dignitatem viri ut infra patebit, carere velamine capitis : et ideo dicit, quod *omnis vir arans aut prophetans velato capite deturpat caput suum*, idest, rem inconvenientem sibi agit. Sicut enim in corpore pulchritudo dicitur ex debita proportione membrorum in convenienti claritate vel colore ; ita in actibus humanis dicitur pulchritudo ox debita proportione verborum vel factorum, in quibus lumen rationis resplendet. Unde et per oppositum turpitudo intelligitur, quando contra rationem aliquid agitur, et non observatur debita proportio in verbis et factis : unde supra VII, 36, dictum est : *Si quis turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta.*

Sed contra hoc objicitur : nam multi velato capite in Ecclesia orant absque omni turpitudine secretius orare volentes.

Dicendum est autem, quod duplex est oratio : una privata, quam scilicet quis Deo offert in propria persona : alia publica, quam quis offert Deo in persona totius Ecclesiæ, ut patet in orationibus quæ in Ecclesia per sacerdotes dicuntur : et de talibus orationibus Apostolus hic intelligit.

Item objicitur de hoc quod dicit *Glossa*, quod prophetans dicitur Scripturas reserans ; et secundum hoc ille qui prædicat, prophetat. Episcopi autem prædicant capite tecto mitra.

Sed dicendum est, quod ille qui prædicat vel docet in scholis, ex propria persona loquitur : unde et Apostolus Rom. II, nominat Evangelium suum, scilicet propter industriam qua utebatur in prædicatione Evangelii : sed ille qui sacram Scripturam in Ecclesia recitat, puta legendo lectionem vel epistolam vel Evangelium, ex persona totius Ecclesiæ loquitur : et de tali prophetante intelligitur quod hic Apostolus dicit.

Sed tunc remanet objectio de his qui cantant Psalmos in choro capite tecto. Sed dicendum quod Psalmi non cantantur quasi ab uno singulariter se Deo præsentante, sed quasi a tota multitudine.

Deinde cum dicit, *Omnis autem mulier* etc. ponit admonitionem quantum ad mulieres, dicens : *Omnis autem mulier orans aut prophetans*, ut supra, *non velato capite*, quod repugnat propter conditionem ejus, *deturpat caput suum*, idest rem inconvenientem facit circa sui capitis dilectionem.

Sed contra hoc objicitur, quia Apostolus dicit I Tim. II, 12 : *Docere in Ecclesia mulieri non permitto.* Quomodo ergo competit mulieri ut oret aut prophetet publica oratione aut doctrina?

Sed dicendum est hoc intelligendum esse de orationibus ac lectionibus quas mulieres in suis collegiis proferunt.

Deinde cum dicit, *Unum est enim ac si decalvetur*, probat admonitionem prædictam : et primo inducit probationem ; secundo probationis judicium auditoribus committit, ibi *Vos ipsi judicate.* Circa primum duo facit. Primo inducit probationem ; secundo excludit objectionem, ibi, *Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino.* Circa primum ponit triplicem probationem : quarum prima sumitur per comparationem ad humanam naturam, secunda per comparationem ad Deum, ibi, *Vir quidem non debet velare caput suum* ; tertia per comparationem ad Angelos, cum dicit, *Et propter Angelos.* Circa primum considerandum est quod natura quæ ceteris animalibus providit auxilia sufficientia vitæ, hominibus præbuit ea imperfecta, ut per rationem arte, usu, manu sibi ea perficerent : sicut tauris dedit cornua ad defensionem, homines autem arma defensionis sibi præparant manuali artificio rationis ; et inde est quod ars imitatur naturam, et perficit ea quæ natura facere non potest. Sic igitur ad tegumentum capitis natura homini dedit capillos ; sed quia hoc tegumentum sufficiens non est, per artem præparat homo sibi aliud velamen. Eadem igitur ratio est de velamine naturali capillorum, et de velamine artificiali. Naturale autem est mulieri quod comam nutriat : habet enim ad hoc dispositionem naturalem, et ulterius inclinatio quædam inest mulieribus ad comam nutriendam. In pluribus enim hoc accidit quod mulieres magis student ad nutriendam comam quam viri.

Videtur ergo conditioni mulierum conveniens esse quod magis utantur artificiali [1] velamine capitis quam viri. Circa hoc ergo tria facit. Primo ponit convenientiam velaminis naturalis et artificialis, dicens: Dictum est : *Mulier non velans caput, deturpat caput suum* : *unum est enim*, scilicet unius rationis, privari scilicet velamine artificiali, *ac si decalvetur*; idest, ac si privetur naturali velamine capillorum, quod in pœnam quibusdam prædicitur Isa. III, 17 : *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et crinem earum nudabit.* Secundo ducit ad inconveniens, dicens : *Nam et si non velatur mulier tondeatur*; quasi dicat : Si abjicit velamen artificiale abjiciat pari ratione etiam naturale ; quod est inconveniens.

Sed contra hoc videtur esse quod sanctimoniales tondentur. Ad quod dupliciter potest responderi. Primo quidem quia ex hoc ipso quod votum viduitatis vel virginitatis assumunt, Christo desponsante, promoventur in dignitatem virilem, utpote liberatæ a subjectione virorum, et immediate Christi conjunctæ. Secundo, quia assumunt pœnitentiæ lamentum religionem intrantes. Est autem consuetudo viris quod tempore luctus comam nutriant, quasi hoc sit suæ conditioni conveniens ; mulieres autem e contrario tempore luctus comam deponunt : unde dicitur Hierem. VII, 29 : *Capillum tuum tonde et projice, et sume in directum planctum.* Tertio concludit propositum, dicens : *Si vero turpe*, idest indecens, *est mulieri tonderi aut decalvari*, idest privari naturali velamine arte vel natura, *vel et caput suum*, utens scilicet velamine artificiali.

Deinde cum dicit, *Vir quidem non debet velare caput suum*, ponit secundam probationem, quæ accipitur per comparationem ad Deum : et primo inducit [2] probationem; secundo probat quod supposuerat, ibi, *Non enim est vir ex muliere, sed mulier ex viro* [3]. Circa primum duo facit. Primo ponit rationem ejus quod est ex parte viri; secundo illud quod est ex parte mulieris, ibi, *Mulier autem gloria viri est.* Dicit ergo primo : Dictum est quod *turpe est mulieri tonderi*, sicut et non velari : viro autem non est turpe : cujus ratio est hæc : *Vir quidem non debet velare caput suum, quia est imago et gloria Dei.*

Per hoc autem quod dicit, *Est imago Dei*, excluditur quorumdam error dicentium, quod homo solum est ad imaginem Dei, non autem est imago; cujus contrarium hic Apostolus dicit. Dicebant autem, quod solus Filius est imago, secundum illud Coloss. I, 15 : *Qui est imago invisibilis Dei.* Est ergo dicendum, quod homo imago Dei dicitur, et ad imaginem : est enim imago imperfecta : Filius autem dicitur imago non ad imaginem, quia est imago perfecta.

Ad cujus evidentiam considerandum est, quod de ratione imaginis in communi duo sunt. Primo quidem similitudo, non in quibuscumque, sed vel in [4] ipsa specie rei, sicut homo filius assimilatur patri suo ; vel in aliquo quod sit signum speciei, sicut figura in rebus corporalibus. Unde qui figuram equi describunt, dicuntur imaginem ejus depingere. Et hoc est quod dicit Hilarius in lib. *De synodis*, quod imago est species indifferens. Secundo requiritur origo. Non enim duorum hominum, qui sunt similes specie, unus imago alterius dicitur, nisi ex eo oriatur, sicut filius a patre : nam imago dicitur ab exemplari. Tertio ad rationem perfectæ imaginis requiritur æqualitas. Quia igitur homo similatur Deo secundum memoriam, intelligentiam et voluntatem mentis, quod pertinet ad speciem intellectualis naturæ, et hoc habet a Deo, dicitur esse Dei imago : quia tamen deest æqualitas, est Dei imago imperfecta : et ideo dicitur ad imaginem, secundum illud Gen. I, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Sed Filius, qui est æqualis Patri, est imago perfecta, non autem ad imaginem.

Considerandum est etiam, quod gloria Dei dupliciter dicitur. Uno modo qua Deus in se gloriosus est; et sic homo non gloria Dei, sed potius Deus est gloria hominis, secundum illud Psal. III, 4 : *Tu, Domine, susceptor meus es et gloria mea.* Alio modo dicitur gloria Dei, claritas ejus ab eo derivata, secundum illud Exod. ult. XXXII : *Gloria Domini implevit illud.* Et hoc modo hic dicitur quod vir est gloria Dei, inquantum claritas Dei immediate super virum refulget, secundum illud Psalm. IV : 7 : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.*

[1] Al. deest : « artificiali. »

[2] Al. : « ad probationem. » — [3] Al. omittuntur sequentia usque ad illud : « Dicit ergo primo. » — [4] Al. deest præpositio : « in. »

Deinde cum dicit, *Mulier autem* etc., ponit id quod est ex parte mulieris, dicens : *Mulier autem est gloria viri;* quia claritas mulieris derivatur a viro, secundum illud Genes. II, 23 : *Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.*

Sed contra hoc objicitur, quia imago Dei attenditur in homine secundum spiritum, in quo non est differentia maris et feminæ, ut Coloss. III : non ergo magis debet dici quod vir dicitur imago Dei quam mulier.

Dicendum est autem, quod vir dicitur hic specialiter imago Dei secundum quædam exteriora, scilicet quia vir est principium totius sui generis, sicut Deus est principium totius universi ; et quia de latere Christi dormientis in cruce, fluxerunt sacramenta sanguinis et aquæ, a quibus fabricata est Ecclesia. Potest etiam quantum ad interiora dici, quod vir specialius dicitur imago Dei secundum mentem, inquantum in eo ratio magis viget. Sed melius dicendum est quod Apostolus signanter loquitur : nam de viro dixit, quod vir imago et gloria Dei est ; de muliere autem non dixit quod esset imago et gloria viri, sed solum quod est gloria viri : ut detur intelligi quod esse imaginem Dei, commune est viro et mulieri ; esse autem gloriam Dei, immediate proprium est viri.

Restat autem considerandum, propter quid vir non debeat velare caput, sed mulier. Quod quidem dupliciter accipi potest. Primo quidem quia velamen quod capiti superponitur, designat potestatem alterius super caput existentis ordine naturæ ; et ideo vir sub Deo existens, non debet velamen habere super caput, ut ostendat se immediate Deo subesse ; mulier autem debet velamen habere, ut ostendat se præter Deum alteri naturaliter subesse. Unde cessat objectio de servo et subdito, quia hæc subjectio non est naturalis. Secundo ad ostendendum quod gloria Dei non est occultanda, sed revelanda ; gloria autem hominis est occultanda : unde Psal. CXIII, 1, dicitur : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

LECTIO III.

Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro : etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum ; ideo debet mulier velamen habere super caput suum et propter Angelos. Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino. Nam sicut mulier de viro, ita et vir per mulierem ; omnia eorum ex Deo. Vos ipsi judicate. Decet mulierem non velatam orare Deum ? Nec ipsa natura docet vos. Quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi : mulier vero si comam nutriat, gloria est illi ; quoniam capilli pro velamine ei data sunt. Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.

Præmiserat Apostolus quod mulier est gloria viri, quod hic probare intendit : et circa hoc tria facit. Primo ponit probationem ; secundo assignat rationem ejus quod dixerat, ibi, *Etenim non est creatus vir propter mulierem* ; tertio infert conclusionem intentam, ibi, *Ideo debet mulier velamen habere super caput suum.* Circa primum considerandum est, quod, sicut supra dictum est, mulier dicitur gloria viri per quamdam derivationem : et ideo ad hoc probandum subdit : *Non enim*, prima scilicet rerum conditione, *vir est ex muliere*, scilicet formatus, *sed mulier ex viro* : dicitur enim Gen. II, 22, quod *ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem* : de viro autem dicitur ibid. 7 : *Formavit Deus hominem de limo terræ.*

Deinde cum dicit, *Etenim non est creatus vir propter mulierem*, assignat rationem ejus quod dixerat. Ad cujus evidentiam considerandus est talis ordo perfecti et imperfecti, quod imperfectum in uno et eodem subjecto prius est tempore quam perfectum : prius enim aliquis homo est puer quam vir : simpliciter tamen perfectum est prius imperfecto, tempore [1] et natura : nam puer producitur ex viro. Hæc igitur est ratio quare mulier producta est ex viro, quia perfectior est muliere : quod ex hoc probat Apostolus, quia finis est perfectior eo quod est ad finem ; vir autem est finis mulieris : et hoc est quod dicit : *Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum*, in adjutorium scilicet generationis ; sicut patiens est propter agens, et materia propter for-

[1] Al. : « est prius imperfecto etiam tempore, » omisso : « et natura. »

mam. Unde dicitur Gen. II, 17 : *Non est bonum hominem esse solum : faciamus ei adjutorium simile sibi.*

Deinde cum dicit, *Ideo debet mulier velamen habere*, infert conclusionem intentam dicens : *Ideo*, scilicet quia vir est imago et gloria Dei, mulier autem est gloria viri, *mulier debet habere velamen super caput suum*, quando scilicet Deo assistit orando vel prophetando : ut per hoc ostendatur quod non immediate subest Deo, sed subjicitur etiam viro sub Deo : hoc enim significat velamen quod capiti superponitur : unde alia littera habet, quod *mulier debet habere potestatem super caput suum* : et idem est sensus : nam velamen est signum potestatis, secundum quod in Psalm. LXV, 11, dicitur : *Imposuisti homines super capita nostra.*

Deinde cum dicit, *Et propter Angelos*, assignat tertiam rationem, quæ sumitur ex parte Angelorum, dicens : *Et* etiam *mulier debet habere velamen super caput suum propter Angelos*; quod quidem dupliciter intelligi potest. Uno modo de ipsis Angelis cœlestibus, qui conventus fidelium visitare creduntur, præcipue quando sacra mysteria celebrantur. Et ideo tunc tam mulieres quam viri ad reverentiam eorum honeste et ordinate se debent habere, secundum illud Psalm. CXXXVII, 2 : *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Alio modo potest intelligi, secundum quod Angeli dicuntur sacerdotes inquantum divina populo annuntiant, secundum illud Malach. II, 7 : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Debet ergo mulier velamen habere semper in Ecclesia *propter Angelos*, idest propter sacerdotes, duplici ratione. Primo quidem propter eorum reverentiam, ad quam pertinet quod mulieres coram eis honeste se habeant : unde dicitur Eccl. VII, 33 : *Honora Deum ex tota anima tua, et sacerdotes illius.* Secundo propter eorum cautelam; ne scilicet ex conspectu mulierum non velatarum ad concupiscentiam provocentur : unde dicitur Eccli. IX, 5 : *Virginem ne aspicias, ne forte scandalizaveris in decore illius.*

Augustinus autem lib. XII, *De Trinit.*, cap. VII, aliter exponit prædicta : ostendit enim quod tam mulier quam vir est ad imaginem, per hoc quod dicitur Ephes. IV, 23 : *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit eum, ubi non est masculus et femina.* Et sic patet quod imago Dei attenditur in homine secundum spiritum, in quo non est differentia masculi et feminæ; et ideo mulier est imago Dei sicut et vir. Expresse enim dicitur Genes. I, quod creavit Deus hominem ad imaginem suam, masculum et feminam creavit eos. Et ideo Augustinus dicit hoc esse intelligendum in spirituali conjugio, quod est in anima nostra, in qua, sicut supra dictum est, sensualitas, vel etiam inferior ratio se habet per modum mulieris; ratio autem superior per modum viri, in qua attenditur imago Dei : et secundum hoc mulier est ex viro et propter virum, quia administratio rerum temporalium vel sensibilium cui intendit [1] inferior ratio vel etiam sensualitas, debet deduci ex contemplatione æternorum, quæ pertinent ad superiorem rationem, et ad eam ordinari. Et ideo mulier dicitur habere velamen, vel potestatem super caput suum, ad significandum quod circa temporalia dispensanda debet homo cohibitionem quamdam et refrenationem habere, ne ultra modum homo progrediatur in eis diligendis : quæ quidem cohibitio circa amorem Dei adhiberi non debet, cum præceptum sit Deut. VI, 5 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Nam circa desiderium finis non apponitur mensura, quam necesse est apponi circa ea quæ sunt ad finem. Medicus enim sanitatem inducit quanto perfectiorem potest ; non tamen dat medicinam quanto majorem potest, sed secundum determinatam mensuram. Sic vir non debet habere velamen super caput; et hoc debet propter Angelos sanctos; quia sicut in *Glossa* dicitur, est sanctis Angelis sacrata et pia significatio. Unde et Augustinus dicit, *De civitate Dei* lib. XXI, cap. VI, quod dæmones alliciuntur quisbusdam sensibilibus rebus, non sicut animalia cibis, sed sicut spiritus signis.

Deinde cum dicit, *Verumtamen neque vir sine, muliere* etc., excludit dubitationem quæ posset ex dictis oriri. Quia enim dixerat quod vir est gloria Dei, mulier autem est gloria viri : posset aliquis credere vel quod mulier non esset

[1] Al. : « cui tendit. »

ex Deo, vel quod non haberet potestatem in gratia. Unde primo hoc excludit dicens : Licet mulier sit gloria viri qui est gloria Dei, *verumtamen neque vir est in Domino*, id est a Domino productus, *sine muliere, neque mulier sine viro* : utrumque enim Deus fecit, secundum illud Gen. I, 27 : *Masculum et feminam creavit eos.* Vel aliter. *Neque vir est sine muliere in Domino*, scilicet in gratia Domini nostri Jesu Christi, *neque mulier sine viro* : quia uterque per gratiam Dei salvatur, secundum illud Galat. III, 27 : *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis:* et postea subdit : *Non est masculus, neque femina*, scilicet differens in gratia Christi. Secundo assignat rationem dicens : *Nam sicut* in prima rerum institutione *mulier est de viro* formata, ita et in subsequentibus generationibus *vir per mulierem* productus est, secundum illud, Job XIV, 1 : *Homo natus de muliere.* Nam prima productio hominis fuit sine viro et muliere, quando Deus formavit hominem de limo terræ, ut dicitur Genes. II. Secunda autem fuit de viro sine muliere, quando formavit Evam de costa viri, ut ibidem legitur. Tertia autem est ex viro et muliere, sicut Abel natus est ex Adam et Eva, ut legitur Genes. IV. Quarta autem est ex muliere sine viro, ut Christus ex virgine; secundum illud Galat. IV, 4 : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Tertio ostendit rationem esse convenientem, dicens : *Omnia autem ex Deo* : quia scilicet et hoc ipsum quod mulier primo fuit ex viro, et hoc quod postmodum vir est ex muliere, est ex operatione divina : unde ad Deum pertinet tam vir quam mulier. Unde dicitur Rom. XI, 36 : *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia.*

Deinde cum dicit, *Vos ipsi judicate*, committit judicium ejus quod dixerat, auditoribus : et circa hoc duo facit. Primo committit judicium rationalibus auditoribus; secundo comprimit protervos auditores, ibi, *Si quis autem videtur contentiosus esse; nos talem consuetudinem non habemus.* Circa primum quatuor facit. Primo committit auditoribus judicium ejus quod dixerat, more ejus qui confidit se sufficienter probasse, dicens : *Vos ipsi judicate.* Pertinet ad bonum auditorem judicare de auditis : unde dicitur Job VI, 29 : *Loquentes id quod justum est judicate.* et XII, 11 : *Nonne auris verba dijudicat?* Secundo proponit sub quæstione id de quo debet esse judicium, dicens : *Decet mulierem non velatam orare Deum?* Hoc prohibetur I Petr. III, 3, ubi dicitur : *Quarum sit non exterius capillatura.* Tertio ostendit unde debeant sumere suum judicium, quia ab ipsa natura ; et hoc est quod dicit : *Nec ipsa natura docet vos.* Et vocat hic naturam, ipsam inclinationem naturalem quæ inest mulieribus ad nutriendum comam, quæ est naturale velamen, non autem viris. Quæ quidem inclinatio naturalis esse ostenditur, quia in pluribus invenitur. Oportet autem ab ipsa natura doceri, quia est Dei opus : sicut in pictura instruitur aliquis artificio pictoris : et ideo contra quosdam dicitur Isa. XXIV, 6 : *Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum*, idest jus naturale. Quarto autem a natura sumit rationem : et primo ponit id quod est ex parte viri, dicens : *Quod vir quidem si comam nutriat*, more mulieris, *ignominia est illi;* idest, ad ignominiam ei reputatur apud plures homines, quia per hoc videtur muliebris esse. Et ideo [1] Ezech. XLIV, 20, dicitur : *Sacerdotes comam non nutriant.* Nec est instantia de quibusdam qui in veteri lege comam nutriebant [2] : quia hoc erat signum [3] quod tunc erat positum in lectione veteris testamenti : ut dicitur II Corinth. III. Secundo ponit id quod est ex parte mulieris, dicens : *Mulier et si comam nutriat gloria est illi;* quia videtur ad ornatum ejus pertinere : unde dicitur Cantic. VII, 8 : *Comæ capitis ejus sicut purpura Regis.* Et assignat consequenter rationem, cum dicit : *Quoniam capilli dati sunt ei*, scilicet mulieri, *pro velamine*; et ideo eadem ratio est de capillis nutriendis, et de velamine artificiali apponendo. Cantic. IV, 1 : *Capilli tui sicut grex caprarum.*

Deinde cum dicit, *Si quis autem videtur contentiosus esse*, etc., comprimit protervos auditores, dicens : *Si quis autem videtur contentiosus esse*, ut scilicet rationibus prædictis non acquiescat, sed confidentia clamoris veritatem impugnet, quod pertinet ad conventionem, ut Ambrosius dicit, contra id quod dicitur Job VI, 29 : *Respondete, obsecro, absque contentione.* et Prov. XX, 3 : *Honor est ei qui separat se a contentionibus* : hoc sufficiat

[1] Al. deest : « ideo. » — [2] Al. : « nutrierunt. » — [3] Supple : « velaminis. »

ad comprimendum talem, quod *nos* Judæi in Christum credentes, *talem consuetudinem non habemus*, scilicet quod mulieres orent non velato capite, *neque* etiam tota *Ecclesia Dei*, per Gentes diffusa. Unde si nulla esset ratio, hoc solum deberet sufficere, ne aliquis ageret contra communem Ecclesiæ consuetudinem. Dicitur enim in Psal. LXVII, 7 : *Qui habitare facit unius moris in domo.* Unde Augustinus dicit in *Epistola ad Casulanum*, quod in omnibus in quibus nihil certi definit sacra Scriptura, mos populi Dei atque instituta majorum pro lege habenda sunt.

LECTIO IV.

Hoc autem præcipio non laudans quod non in melius, sed in deterius convenitis. Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, et ex parte credo. Nam oportet et hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est dominicam cœnam manducare. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum; et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? An Ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo.

Postquam Apostolus redarguit Corinthios de eorum errore in habitu, quia scilicet mulieres ad sacra mysteria conveniebant capite non velato, consequenter arguit eorum errorem de scissuris in conventu, quia scilicet dum convenirent ad sacra mysteria, contentionibus vacabant : et primo tangit eorum defectum in generali : secundo in speciali, ibi, *Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos.* Dicit ergo primo : *Hoc autem* quod dictum est supra, quod mulieres velatæ sint in Ecclesiis, *præcipio :* ut sic tripliciter eos induceret ad hujusmodi observantiam : primo quidem ratione ; secundo consuetudine, tertio præcepto : quod solum sine aliis necessitatem induceret : Proverb. III, 21 : *Custodi præcepta mea, et vives.* et Eccle. IV, 22, dicitur : *Funiculus triplex difficile rumpitur. Non laudans*, sed magis vituperans, *quod* convenitis in Ecclesiam, *non in melius*, sicut deberet esse, *sed in deterius*, ex culpa vestra. Omnia enim animalia gregalia, puta columbæ, grues, oves, naturali instinctu in unum conveniunt, ut sit eis corporaliter melius : unde et homo, cum sit animal gregale vel sociale, ut Philosophus probat I lib. *Politic.*, secundum rationem agere debet, ut multa in unum conveniant propter aliquod melius ; sicut in rebus sæcularibus multi in unitatem civitatis conveniunt, ut sit eis melius sæculariter, scilicet propter securitatem et sufficientiam vitæ. Et ideo fideles in unum convenire debent propter aliquod melius spirituale, secundum illud Psal. CI, 23 : *In conveniendo populos in unum, et reges ut serviant Domino :* et alibi Psal. CX, 1 : *In consilio justorum et congregatione, magna opera Domini.* Sed isti in deterius conveniebant propter culpas quas committebant dum convenirent. Isa. I, 12 : *Iniqui sunt cœtus vestri.* Eccl. XXI, 11 : *Stupa collecta synagoga peccantium.*

Deinde cum dicit, *Primum quidem* etc., ponit in speciali quomodo in deterius convenirent : et primo ponit indicium culpæ, dicens : *Primum quidem*, inter cetera scilicet quod in deterius convenitis, *convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos*, scilicet per contentiones quas exercebant : quod quidem Ecclesiæ non convenit, quæ in unitate constituitur, secundum illud Ephes. IV, 4 : *Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.* Hoc tamen prædicitur Isa XXII, 9 : *Scissuras civitatis David videbitis, quæ multiplicatæ sunt.* Dicit autem *Glossa*, quod dicendo, *Primum*, ostendit quod primum malum est dissensio, unde cetera oriuntur : ubi enim est dissensio, nihil rectum est.

Sed contra videtur esse quod dicitur Eccli. X, 15 : *Initium omnis peccati superbia* : et Timoth. ult. 10 : *Radix omnium malorum cupiditas.*

Dicendum est autem, quod hæ auctoritates loquuntur quantum ad peccata personalia singularium hominum : quorum primum est superbia ex parte aversionis, et cupiditas ex parte conversionis. Sed *Glossa* hic loquitur de peccatis multitudinis, inter quæ primum est dissensio, per quam solvitur rigor disciplinæ. Unde dicitur Jacob. III, 16 : *Ubi est zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum.*

Secundo ponit credulitatem auditorum,

cum dicit : *Et ex parte credo*, idest quantum ad aliquos vestrum, qui erant ad contentionem proni, secundum illud quod dixerat supra I, 12 : *Contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit, Ego quidem sum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephæ.* Alii vero non erant contentiosi, ex quorum persona ibi subditur : *Ego autem Christi.* Unde et Cant. II, 2, dicitur : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, idest boni inter malos.

Tertio assignat rationem suæ credulitatis, dicens : *Non oportet*, non solum quascumque scissuras, sed etiam *hæreses esse.* Ubi duo consideranda sunt. Primo quid sit hæresis; secundo quomodo oporteat hæreses esse. Circa primum sciendum, quod, sicut Hieronymus dicit *Super Epistolam ad Galatas*, hæresis græce ab electione dicitur, quia scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam quam putat esse meliorem : ex quo duo accipi possunt. Primo quidem quod de ratione hæresis est quod aliquis privatam disciplinam sequatur, quasi per electionem propriam, non autem disciplinam publicam, quæ divinitus traditur; secundo quod huic disciplinæ aliquis pertinaciter inhæreat : nam electio firmam importat inhæsionem ; et ideo hæreticus dicitur qui spernens disciplinam fidei, quæ divinitus traditur, pertinaciter proprium errorem sectatur. Pertinet autem aliquid ad disciplinam fidei dupliciter. Uno modo directe, sicut articuli fidei, qui per se credendi proponuntur : unde error circa eos secundum se facit hæreticum, si pertinacia adsit. Non possunt autem a tali errore propter simplicitatem aliquam excusari, præcipue quantum ad ea de quibus Ecclesia solemnizat, et quæ communiter versantur in ore fidelium, sicut mysterium Trinitatis, nativitatis Christi, et alia hujusmodi. Quædam vero indirecte pertinent ad fidei disciplinam, inquantum scilicet ipsa non proponuntur ut propter se credenda, sed ex negatione eorum sequitur aliquid contrarium fidei ; sicut si negetur Isaac fuisse filius Abrahæ, sequitur aliquid contrarium fidei, scilicet sacram Scripturam continere aliquid falsi. Ex talibus autem non judicatur aliquis hæreticus, nisi adeo pertinaciter perseveret quod ab errore non recedat, etiam viso quid ex hoc sequatur. Sic igitur pertinacia qua aliquis contemnit in his quæ sunt fidei directe vel indirecte, subire judicium Ecclesiæ, facit hominem hæreticum. Talis autem pertinacia procedit ex radice superbiæ; qua aliquis præfert sensum suum toti Ecclesiæ. Unde Apostolus dicit, I ad Tim. VI, 3 : *Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones et pugnas verborum.*

Secundo considerandum est, quomodo oporteat hæreses esse. Si enim opportunum est hæreticos esse, videtur quod sint commendabiles, et non sint extirpandi. Sed dicendum est, quod dupliciter de aliquo dicitur quod oporteat illud esse Uno modo ex intentione illius qui hoc agit; puta si dicamus, quod oportet judicia esse, quia scilicet judices judicia exercentes intendunt justitiam et pacem in rebus humanis constituere. Alio modo ex intentione Dei, qui etiam mala ordinat in bonum, sicut persecutionem tyrannorum ordinavit in gloriam martyrum, Unde Augustinus dicit in *Enchyridion* cap. II, quod « Deus est adeo bonus quod nullo modo permitteret fieri aliquod malum, nisi esset adeo potens quod de quolibet malo posset elicere bonum : » et secundum hoc dicitur Matth. XVIII, 7 : *Necesse est ut veniant scandala; verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit* : et secundum hoc hic dicit Apostolus, quod *oportet hæreses esse*, ex eo quod Deus malitiam hæreticorum ordinavit in bonum fidelium. Et hoc dicit primo quidem ad majorem delectationem veritatis: unde dicit Augustinus, *De civ. Dei* lib. XVI, in *Glossa :* « Ab adversario mota quæstio, discendi existit occasio. Multa quippe ad fidem catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine excogitatur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelligamur clarius, et prædicantur instantius. » Unde et Prov. XXVII, 17 : *Ferrum ferro acuitur, et homo exacuit faciem amici sui.* Secundo ad manifestandam infirmitatem fidei in his qui recte credunt ; et hoc est quod hic subdit Apostolus : *Ut qui probati*, idest approbati sunt a Deo, *manifesti fiant in vobis*, idest inter vos. Sap. III, 6 : *Tanquam aurum in fornace probavit illos.*

Deinde cum dicit, *Convenientibus ergo vobis* etc., redarguit eos de tertio delicto, quia scilicet peccabant in modo et ordine

sumendi corpus Christi. Et potest totum quod sequitur, dupliciter exponi. Secundum autem primam expositionem redarguuntur de hoc quod corpus Christi pransi accipiebant. Circa hoc ergo quatuor facit. Primo ponit detrimentum quod incurrebant; secundo ponit culpam, ibi, *Unusquisque enim suam cœnam præsumit;* tertio inquirit de causa culpæ, ibi, *Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum?* quarto concludit eorum vituperationem, ibi, *Quid dicam vobis?* Dicit ergo primo ita. *Convenientibus vobis* scissuræ sunt inter vos. Ergo *convenientibus vobis in unum*, corpore, non animo, *jam* ad hoc advenistis quod *non est*, idest non licet, vel non competit vobis, *dominicam cœnam manducare*, idest sumere eucharistiæ sacramentum, quod Dominus in cœna discipulis dedit. Hoc enim sacramentum, ut Augustinus dicit *Super Joan. tract.* XXVI, est sacramentum unitatis et caritatis; et ideo non competit dissentientibus. Cant. V, 1 : *Comedite amici, et bibite et inebriamini carissimi.* Vel melius potest referri ad ea quæ sequuntur, ut sit sensus. Non solum *convenientibus vobis* scissuræ sunt inter vos, *vobis convenientibus; jam*, idest in præsenti, hoc determinatum habetis, quod *non est*; idest non licet vobis, *dominicam cœnam manducare*, ad quam pransi acceditis. Quia enim Dominus discipulis suis post cœnam hoc sacramentum tradidit, ut legitur Matth. XXVIII, volebant etiam Corinthii post communem cœnam sumere corpus Christi. Sed Dominus hoc rationabiliter fecit propter tria. Primo quidem quia ordine congruo figura præcedit veritatem. Agnus autem paschalis erat figura sive umbra hujus sacramenti; et ideo post cœnam agni paschalis Christus hoc sacramentum dedit. Dicitur enim Coloss. II, 17, de omnibus legalibus, quod *sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Secundo ut ex hoc sacramento statim ad passionem transiret, cujus hoc sacramentum est memoriale; et ideo dixit discipulis, Joan. XIV, 31 : *Surgite, eamus hinc*, scilicet ad passionem. Tertio ut arctius imprimeretur hoc sacramentum cordibus discipulorum, quibus ipsum tradidit in ultimo suo recessu. Sed in reverentiam tanti sacramenti, postmodum Ecclesia instituit, quod non nisi a jejunis sumatur; a quo excipiuntur infirmi, qui in necessitate, quæ legem non habet, possunt non jejuni sumere corpus Christi. Quia vero aqua non solvit jejunium, existimaverunt quidam quod post potum aquæ, posset aliquis sumere hoc sacramentum, præsertim quia, ut dicunt, aqua non nutrit, sicut nec aliquod aliud simplex elementum. Quamvis autem aqua secundum se non nutriat, et ob hoc non solvat jejunium Ecclesiæ, secundum quod dicuntur aliqui jejunantes, nutrit tamen aliis admixta, et ideo solvit jejunium naturæ; et secundum hoc dicuntur aliqui jejuni qui scilicet eidem die nihil sumpserunt nec cibi nec potus. Et quia reliquiæ cibi quæ in ore remanent, sumuntur per modum salivæ, hoc non impedit aliquos esse jejunos; similiter et non impedit aliquos esse jejunos, si tota nocte nihil dormierint, vel si etiam non sint plene digesti, dummodo eadem die omnino cibi vel potus nihil sumpserint. Unde, quia principium diei est sumendum secundum usum Ecclesiæ a media nocte, ideo quicumque post mediam noctem aliquid sumpserit, quantumcumque modicum, cibi vel potus, non potest eadem die sumere hoc sacramentum.

Deinde cum dicit, *Unusquisque enim suam cœnam præsumit*, ponit culpam : et primo secundum quod peccabant in Deum; secundo prout peccabant in proximum, ibi, *Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Dicit ergo primo : Ideo dico, quod non licet vobis dominicam cœnam manducare, quia *unusquisque* vestrum *præsumit*, idest ante sumit, *suam cœnam*, scilicet ciborum communium, *ad manducandum.* Quilibet enim eorum portabat ad Ecclesiam fercula præparata, et comedebat quilibet seorsum, antequam sumeret sacra mysteria. Oseæ IV, 18 : *Separatum est convivium eorum*; *nunc interibunt.* Eccli. XI, 19, dicitur in persona parci : *Inveni requiem mihi, et comedebam de bonis meis solus.*

Deinde cum dicit, *Et alius quidem esurit*, arguit culpam eorum inquantum erat contra proximum. Divites enim laute comedebant in Ecclesia, et bibebant usque ad ebrietatem; pauperibus autem nihil dabant, ita quod remanebant esurientes : et hoc est quod dicitur : *Et alius quidem esurit*, scilicet pauper [1], qui non habebat unde sibi præpararet, *alius autem ebrius*

[1] Al. : « qui non habuit. »

est, scilicet dives, qui superflue comedebat et bibebat, contra id quod dicitur Nehem. VIII, 10 : *Comedite pinguia et bibite multum, et mittite partes eis qui non præparaverunt sibi.* Job XXXI, 17 : *Si comedi bucellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea.*

Deinde cum dicit, *Numquid domos non habetis?* Inquirit de causa hujus culpæ : et primo excludit causam per quam poterant excusari : non enim est licitum domum Dei, quæ est deputata sacris usibus, communibus usibus applicare : unde et Dominus ejiciens ementes et vendentes de templo dixit, Matth. XXI, 13 : *Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam domum negotiationis.* Et Augustinus dicit in *Regula* : « In oratorio nemo aliquid faciat nisi ad quod factum est ; unde et nomen accepit. » Tamen propter necessitatem, quando scilicet aliquis aliam domum non inveniret, licite posset Ecclesia uti ad manducandum, vel ad alios hujusmodi licitos usus. Hanc ergo excusationem excludit Apostolus, dicens : *Numquid non habetis domos*, scilicet proprias, *ad manducandum et bibendum?* ut propter hoc excusemini, si in Ecclesia convivia celebretis, quæ debetis in propriis domibus facere. Unde et Luc. V, dicitur, quod Levi fecit Christo convivium magnum in domo sua. Secundo cum dicit, *Aut Ecclesiam Dei contemnitis?* affert causam quæ eos inexcusabiles reddit : quarum prima est contemptus Ecclesiæ Dei : et hanc ponit dicens : *Aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Et ideo in Ecclesia præsumitis cœnam vestram ad manducandum. Et potest hic sumi Ecclesia tam pro congregatione fidelium quam pro domo sacra, quæ non est contemnenda, secundum illud Psalm. XCII, 5 : *Domum tuam decet sanctitudo* : et Hierem. VII, 2 : *Numquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris?* Isti autem utrumque contemnebant, dum præsente conventu fidelium, in loco sacro convivia celebrabant. Secundo ponit contemptum proximorum in hoc quod subditur : *Et confunditis eos qui non habent?* In hoc enim pauperes erubescebant, quod ipsi esuriebant in conspectu totius multitudinis, aliis laute comedentibus et bibentibus. Dicitur autem Prov. XVII, 5 : *Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus*; et Eccl. XIV, 2 : *Animam esurientem ne despexeris.*

Deinde cum dicit, *Quid dicam vobis?* concludit eorum vituperationem, dicens : *Quid dicam vobis?* ex consideratione prædictorum. Numquid *laudo vos?* Et respondet : Et si in aliis factis laudo vos, *in hoc* tamen facto *non laudo.* Et est advertendum, quod supra,hoc cap.,dum de habitu mulierum loqueretur, saltem ironice laudavit eos, dicens : *Laudo vos, quod per omnia mei memores estis.* Hic vero nec ironice vult eos laudare : quia in gravioribus delictis nullo modo sunt peccatores palpandi : unde et in Psalm. IX, 24, dicitur : *quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur, exacerbavit Dominum peccator*; et Isa. III, 12 : *Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt.*

Secundum aliam vero expositionem, arguuntur de alia culpa. In primitiva enim Ecclesia fideles panem et vinum offerebant, quæ consecrabantur in sanguinem et corpus Christi, quibus jam consecratis, divites, qui multa obtulerant, eadem sibi repetebant ; et sic ipsi abundanter sumebant, pauperibus nihil sumentibus, qui nihil obtulerant. De hac ergo culpa Apostolus eos hic reprehendit dicens, *Convenientibus enim vobis in unum, jam non est*, idest non contingit inter vos, *dominicam cœnam manducare.* Cœna enim Domini est communis toti familiæ. Unusquisque autem vestrum sumit eam, non quasi communem, sed quasi propriam, dum sibi vult vindicare quod Deo obtulit : et hoc est quod subdit : *Unusquisque præsumit*, idest præsumptuose attentat, *ad manducandum cœnam*, scilicet Domini, idest panem et vinum consecratum, quasi *suam*, idest quasi propriam, vindicans scilicet ea quæ consecrata sunt Domino, in suos usus : et ita sequitur quod *alius*, scilicet pauper, qui nihil obtulit, *esurit*, nihil scilicet sumens de consecratis : *alius autem*, scilicet dives, qui multa obtulit, *ebrius est*, ad litteram, propter hoc quod nimium sumpsit de vino consecrato, quod scilicet quasi proprium repoposcit.

Sed videtur hoc esse impossibile, quod de vino consecrato aliquis inebrietur, vel etiam nutriatur de pane : quoniam post consecrationem sub speciebus panis et vini nihil remanet nisi substantia corporis Christi et sanguinis, quæ non possunt converti in corpus hominis ad hoc quod ex eis nutriatur aut inebrietur.

Dicunt ergo quidam, quod hoc non fit

per aliquam conversionem, sed per solam immutationem sensuum hominis ab accidentibus panis et vini, quæ remanent post consecrationem. Consueverunt enim homines ex solo ciborum odore confortari, et ex multo odore vini stupefieri, et quasi inebriari. Sed confortatio vel stupefactio quæ provenit ex sola immutatione sensuum, parvo tempore durat; cum tamen post consecrationem panis aut vini, si vinum in magna quantitate sumeretur, aut panis, diu sustentaretur homo propter panem, aut stupefieret propter vinum. Et præterea manifestum est quod panis consecratus in aliam substantiam converti potest, ex hoc quod per putrefactionem resolvitur in pulveres, aut per combustionem in cineres. Unde nulla ratio est quare negetur posse nutrire, cum ad nutriendum nihil aliud requiratur quam quod cibus convertatur in substantiam nutriti. Quidam ergo posuerunt, quod panis aut vinum consecratum possunt converti in aliud, et sic nutrire, quia remanet ibi substantia panis aut vini cum substantia corporis Christi et sanguinis. Sed hoc repugnat verbis Scripturæ : non enim verum esset quod Dominus dicit Matth. xxvi, 26 *: Hoc est enim corpus meum :* quia hoc demonstratum, est panis; sed potius esset dicendum : Hic, idest in hoc loco,est corpus meum. Et præterea corpus Christi non incipit esse in hoc sacramento per loci mutationem, quia jam desineret esse in cœlo. Unde relinquitur quod ibi incipiat esse per conversionem alterius, scilicet panis in ipsum : unde non potest esse quod remaneat substantia panis. Et ideo alii dixerunt, quod remanet ibi forma substantialis panis, ad quam pertinet operatio rei : et ideo nutrit, sicut et panis nutriret. Sed hoc non potest esse; quia nutrire est converti in substantiam nutriti : quod non competit nutrimento ratione formæ, cujus est agere, sed magis ratione materiæ, cujus est pati. Unde, si esset ibi forma substantialis, panis nutrire non posset. Alii vero dixerunt, quod aer circumstans, convertitur vel in substantiam nutriti, vel in quodcumque aliud hujusmodi. Sed hoc non posset fieri absque multa condensatione aeris, quæ sensui latere non posset. Et ideo alii dixerunt, quod divina virtute ad hoc quod sacramentum non deprehendatur in hujusmodi conversionibus, redit substantia panis et vini. Sed hoc videtur esse impossibile : quia cum substantia panis conversa sit in corpus Christi, non videtur quod possit substantia panis redire, nisi e converso corpus Christi converteretur in panem. Et præterea, si substantia panis redit; aut hoc est manentibus accidentibus panis; et sic simul erit ibi substantia panis et substantia corporis Christi; quod supra improbatum est : nam tamdiu est ibi substantia corporis Christi, quamdiu species remanent : aut redit speciebus non manentibus; quod etiam est impossibile, quia sic esset substantia panis absque propriis accidentibus : nisi forte intelligatur quod Deus in termino conversionis causaret ibi quamdam materiam, quæ sit subjectum hujus conversionis.

Sed melius est ut dicatur, quod sicut virtute consecrationis miraculose confertur speciebus panis et vini ut subsistant sine subjecto ad modum substantiæ; ita etiam eis miraculose confertur ex consequenti, quod agant et patiantur quidquid agere aut pati posset substantia panis aut vini, si adesset. Et hac ratione species illæ panis et vini possunt nutrire et inebriare, sicut si esset ibi substantia panis et vini. Cetera non mutantur a prima expositione.

LECTIO V.

Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis : quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit : Accipite et manducate : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem.

Postquam Apostolus redarguit Corinthiorum inordinationes, quas committebant conveniendo ad eucharistiæ sacramentum sumendum, hic agit de ipso sacramento : et primo agit de dignitate hujus sacramenti; secundo inducit fideles ad reverenter sumendum, ibi, *Itaque quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Circa primum duo facit. Primo commendat auctoritatem doctrinæ quam daturus est; secundo ponit doctrinam de dignitate hujus sacramenti, ibi, *Quoniam Dominus noster... accepit panem* etc. Circa primum

duo facit. Primo commendat auctoritatem doctrinæ ex parte auctoris, qui est Christus, dicens : Dixi quod jam non est vobis dominicam cœnam manducare, sacramentum eucharistiæ dominicam cœnam vocans : *ego enim accepi a Domino*, scilicet Christo, qui est auctor hujus doctrinæ, non ab aliquo puro homine; Galat. I, 1 : *Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum.* Heb. III, 3 : *Quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est.* Secundo commendat auctoritatem doctrinæ ex parte ministri, qui est ipse Paulus, cum subdit, *Quod et tradidi vobis*, Isa. XXI, 10 : *Quæ audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis.* Sap. VII, 13 : *Quam sine fictione didici, et sine invidia communico.*

Deinde cum dicit, *Quoniam Dominus Jesus*, commendat dignitatem hujus sacramenti, tradens institutionem ipsius : et primo ponit institutionem; secundo tempus institutionis, cum dicit, *In qua nocte tradebatur*; tertio modum instituendi, ibi, *Accepit panem, et gratias agens fregit* etc. Institutor autem sacramenti est ipse Christus : unde dicit : *Quoniam Dominus* noster *Jesus* Christus etc. Dictum est enim supra, cum de baptismo ageretur, quod Christus in sacramentis habet excellentiæ potestatem ad quam quatuor pertinent : primo quidem quod virtus et meritum ejus operetur in sacramentis, secundo quod in nomine ejus sanctificetur sacramentum; tertio quod effectum sacramenti sine sacramento præbere potest; quarto institutio novi sacramenti. Specialiter tamen congruebat ut hoc sacramentum ipse in sua persona institueret, in quo corpus et sanguis ejus communicatur : unde et ipse dicit Joan. VI, 52 : *Panis quem ego dabo vobis, caro mea est pro mundi vita.*

Deinde cum dicit, *In qua nocte tradebatur*, describit tempus institutionis hujus sacramenti : quod quidem congruum fuit. Primo quidem quantum ad qualitatem temporis : fut enim in nocte : per virtutem enim hujus sacramenti anima illuminatur : unde I Reg. XIV, dicitur, quod Jonathas intinxit virgam in favum mellis, et convertit manum suam ad os, suum, et illuminati sunt oculi ejus : propter quod et in Psal. CXXXVIII, 2, dicitur : *Nox illuminatio mea in deliciis meis.* Secundo quantum ad negotium quod in illo tempore gerebatur : quia scilicet quando tradebatur ad passionem, per quam transivit ad Patrem, hoc sacramentum, quod est memoriale passionis, instituit. Unde dicitur Eccl. XXIX, 33 : *Transi hospes, et orna mensam, et quæ in manu habes, ciba ceteros.*

Deinde cum dicit *Accepit panem* etc., ostendit modum institutionis : et primo ponit ea quæ fecit et dixit Christus instituendo hoc sacramentum ; secundo exponit ibi, *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Circa primum duo facit. Primo agit de institutione sacramenti hujus quantum ad corpus Christi ; secundo quantum ad ejus sanguinem ibi, *Similiter et calicem* etc.

Circa primum, ante expositionem litteræ, oportet primo considerare necessitatem institutionis hujus sacramenti. Est autem sciendum, quod sacramenta instituta sunt propter necessitatem vitæ spiritualis. Et quia corporalia sunt quædam similitudines spiritualium, oportet sacramenta proportionari eis quæ sunt necessaria ad vitam corporalem : in qua primo invenitur generatio cui proportionatur baptismus, per quem regeneratur aliquis in vitam spiritualem. Secundo ad vitam corporalem requiritur augmentum, per quod aliquis perducitur ad quantitatem et virtutem perfectam, et huic proportionatur sacramentum confirmationis, in quo Spiritus sanctus datur ad robur. Tertio ad vitam corporalem requiritur alimentum, per quod corpus hominis sustentatur ; et similiter vita spiritualis per sacramentum eucharistiæ reficitur, secundum illud Psal. XXII, 2, *In loco pascuæ ibi me collocavit :super aquam refectionis educavit me.* Est autem notandum, quod generans non conjungitur genito secundum substantiam, sed solum secundum virtutem ; sed cibus conjungitur nutrito secundum substantiam : unde in sacramento baptismi, quo Christus regenerat ad salutem, non est ipse Christus secundum suam substantiam, sed solum secundum suam virtutem. Sed in sacramento eucharistiæ, quod est spirituale alimentum, Christus est secundum suam substantiam. Continetur autem sub alia specie propter tria. Primo quidem ne esset horribilo fidelibus sumentibus hoc sacramentum, si in propria specie carnem hominis ederent et sanguinem biberent : secundo ne hoc ipsum esset de-

risibile infidelibus; tertio ut cresceret meritum fidei, quæ consistit in hoc quod creduntur ea quæ non videntur. Traditur autem hoc sacramentum sub duplici specie propter tria. Primo quidem propter ejus perfectionem : quia, cum sit spiritualis refectio, debet habere spiritualem cibum et spiritualem potum : nam et corporalis refectio non perficitur sine potu et cibo : unde et supra x, 3, dictum est, quod *omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt*. Secundo propter ejus significationem : est enim memoriale dominicæ passionis, per quam sanguis Christi fuit separatus a corpore ; et ideo in hoc sacramento seorsum offertur sanguis a corpore. Tertio propter hujus sacramenti effectum salutarem : valet enim ad salutem corporis, et ideo offertur corpus : et valet ad salutem animæ ; et ideo offertur sanguis : nam anima in sanguine est, ut dicitur Genes. IX. Offertur autem specialiter hoc sacramentum sub specie panis et vini. Primo quidem quia pane et vino communius utuntur homines ad suam refectionem ; et ideo assumuntur in sacramento hæc, sicut aqua ad ablutionem in baptismo, et oleum ad unctionem. Secundo propter virtutsm hujus sacramenti : nam panis confirmat cor hominis ; vinum vero lætificat. Tertio quia panis, qui ex multis granis fit, et vinum ex multis uvis, significant Ecclesiæ unitatem, quæ constituitur ex multis fidelibus. Est autem hæc eucharistia specialiter sacramentum unitatis et caritatis, ut dicit Augustinus *Super Joan.* tract. XXVI.

His autem visis, circa litteræ expositionem primo considerandum est quid Christus fecerit ; secundo quid dixerit, ibi, *Et dixit : Accipite et manducate : hoc est corpus meum.* Tria autem fecit. Primum quidem designatur cum dicit, *Accepit panem* : per quod duo significari possunt. Primo quidem quod ipse voluntarie passionem accepit, cujus hoc sacramentum est memoriale, secundum illud Isa. LIII, 7 : *Oblatus est quia ipse voluit.* Secundo potest significari quod ipse accepit a Patre potestatem perficiendi hoc sacramentum, secundum illud Matth. XI, 27 : *Omnia tradita sunt mihi a Patre meo.* Secundum tangit cum dicit, *Et gratias agens* : in quo datur nobis exemplum gratias agendi de omnibus quæ nobis divinitus dantur, secundum illud I Thess. ult. 18 : *In omnibus gratias agite.* Tertium tangit cum dicit, *Fregit.* LVIII, 7 : *Frange esurienti panem tuum.*

Sed videtur hoc esse contrarium usui Ecclesiæ, secundum quam prius consecratur corpus Christi, et postea frangitur : hic autem dicitur quod prius fregit, postea protulit verba consecrationis.

Et ideo quidam dixerunt, quod Christus consecravit prius verbis aliis et postea protulit verba quibus nos consecramus. Sed hoc non potest esse : quia sacerdos dum consecrat, non profert ista verba quasi ex persona sua, sed quasi ex persona Christi consecrantis : unde manifestum est quod eisdem verbis quibus nos consecramus, et Christus consecravit. Et ideo dicendum est,quod hoc quod hic dicitur, *Et dixit*, non est sumendum consequenter quasi Christus acceperit panem et gratias agens fregerit, et postea dixerit verba quæ sequuntur ; sed concomitanter, quod dum accepit per se panem, gratias agens fregit et dixit. Et ideo cum Matth. XXVI, dicatur, quod Jesus accepit panem et benedixit, ac fregit, Apostolus non curavit hic de benedictione facere mentionem, intelligens nihil aliud esse illam benedictionem quam hoc quod Dominus dixit : *Hoc est corpus meum.*

Deinde cum dicit, *Et dixit*, ostendit quid Christus dixerit instituendo hoc sacramentum. In verbis autem primo quidem injunxit sacramenti usum ; secundo expressit sacramenti veritatem : tertio docuit mysterium. Usum quidem sacramenti injunxit dicens. *Accipite* : quasi diceret : Non ex potestate, vel merito humano competit vobis usus hujus sacramenti, sed ex eminenti Dei beneficio. Sap. XVI, 20 : *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, Domine.* Supra IV, 17 : *Quid habes quod non accepisti ?* Et determinat speciem usus, cum dicit, *Et manducate* Joan. VI, 54 : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis.* Job XXXI, 31 : *Si non dixerunt viri tabernaculi mei : Quis det de carnibus ejus, ut saturemur?* Sciendum est tamen, quod hæc verba non sunt de forma consecrationis. Est enim hæc differentia inter hæc et alia sacramenta, quod alia sacramenta perficiuntur, non quidem in consecratione materiæ, sed in usu materiæ consecratæ ; sicut in ablutione aquæ, aut in unctione olei seu chrismatis : et hoc ideo, quia in materiis aliorum sacramentorum non est aliqua natura rationalis, quæ sit gratiæ sanctificantis susceptiva : et ideo in for-

ma aliorum sacramentorum fit mentio de usu sacramenti : sicui cum dicitur : « Ego te baptizo, » vel « Confirmo te chrismate salutis etc. » Sed hoc sacramentum perficitur in ipsa consecratione materiæ, in qua continetur ipse Christus, qui est finis totius gratiæ sanctificantis : et ideo verba quæ pertinent ad usum sacramenti non sunt de substantia formæ, sed solum illa quæ continent veritatem et continentiam sacramenti, quæ consequenter ponit, subdens : *Hoc est corpus meum* : circa quæ verba, tria oportet considerare. Primo quidem de re significato per hæs verba, quod scilicet sit ibi corpus Christi ; secundo de veritate hujus locutionis ; tertio utrum hæc sit conveniens forma hujus sacramenti.

Circa primum considerandum est quod quidam dixerunt, corpus Christi non esse in hoc sacramento secundum veritatem, sed solum sicut in signo ; sic exponentes quod hic dicitur, *Hoc est corpus meum* ; idest, hoc est signum et figura corporis mei ; sicut et supra x, 4, dictum est : *Petra autem erat Christus*, idest figura Christi. Sed hoc est hæreticum : cum expresse Dominus dicat, Joan. vi, 56 : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*. Unde alii dixerunt, quod est ibi vere corpus Christi, sed simul cum substantia panis : quod est impossibile ut supra ostensum est. Unde alii dixerunt quod est ibi, solum corpus Christi, substantia panis non remanente, quæ annihilatur, vel in præjacentem materiam resolvitur. Sed hoc non potest esse ; quia, sicut Augustinus dicit in lib. LXXXIII *Quæst.* cap. xxi, Deus non est auctor tendendi in non esse. Secundo, quia etiam per hanc positionem tollitur hoc quod substantia panis convertatur in corpus Christi ; et sic, cum corpus Christi non incipiat esse in hoc sacramento per conversionem alterius in ipsum, relinquitur quod incipiat ibi esse per motum localem : quod est impossibile, ut supra dictum est.

Oportet igitur dicere, quod corpus Christi vere sit in hoc sacramento per conversionem panis in ipsum. Considerandum tamen, quod hæc conversio differt ab omnibus conversionibus quæ sunt in natura. Actio enim naturæ præsupponit materiam ; et ideo ejus actio non se extendit nisi ad immutandum aliquid, secundum formam vel substantialem vel accidentalem : unde omnis conversio naturalis dicitur esse formalis. Sed Deus qui facit hanc conversionem, est auctor materiæ et formæ : et ideo tota substantia panis materia non remanente, potest converti in totam substantiam corporis Christi. Et quia materia est individuationis principium, totum hoc individuum signatum quod est substantia particularis, convertitur in aliam substantiam particularem : propter quod dicitur ista conversio substantialis, seu transubstantiatio. Contingit igitur in hac conversione contrarium ejus quod accidit in conversionibus naturalibus, in quibus manente subjecto fit transmutatio interdum circa accidentia : hic autem, transmutata substantia, manent accidentia sine subjecto virtute divina, quæ sicut causa prima sustentat ea sine causa materiali, quæ est substantia causata, ad hoc quod corpus Christi et sanguis sumatur in specie aliena rationibus supradictis. Et quia ordine quodam accidentia referuntur ad substantiam, ideo dimensiones sine subjecto remanent, et alia accidentia remanent in ipsis dimensionibus, sicut in subjecto.

Si autem sub illis dimensionibus nulla substantia remaneat nisi corpus Christi, dubium potest esse de fractionibus hostiæ consecratæ, cum corpus Christi glorificatum sit, et per consequens infrangibile : unde non potest huic fractioni substare. Sed nec etiam aliud potest fingi quod subsistat ; quia sacramentum veritatis non decet aliqua fictio : unde nihil sensu percipitur in hoc sacramento quod non sit ibi secundum veritatem. Sensibilia enim per se sunt qualitates, quæ quidem remanent sicut prius fuerant in hoc sacramento, ut dictum est. Et ideo alii dixerunt, quod est quædam ibi vere fractio sine subjecto, unde nihil ibi frangitur. Sed nec hoc dici potest : quia cum fractio sit in genere passionis, quæ habet debilius esse quam qualitas, non potest esse in hoc sacramento sine subjecto, sicut nec qualitas. Unde restat dicendum, quod illa fundatur sicut in subjecto in dimensionibus panis et vini remanentibus : corpus autem Christi non attingitur ab hujusmodi fractione, quia totum remanet sub qualibet parte dimensionum dimissarum. Quod quidem hoc modo considerari potest : Nam corpus Christi est in hoc sacramento ex conversione substantiæ panis in ipsum. Non autem fit conversio ratione dimensionum

nam dimensiones panis remanent, sed solum ratione substantiæ. Unde et corpus Christi est ibi ratione suæ substantiæ, non autem ratione suarum dimensionum : licet dimensiones ejus sint ibi ex consequenti, inquantum non separantur a substantia ipsius. Quantum autem ad naturam substantiæ pertinet, tota est sub qualibet parte dimensionum. Unde, sicut ante consecrationem tota veritas substantiæ et natura panis erat sub qualibet parte dimensionum ; ita post consecrationem, totum corpus Christi est sub qualibetparte panis divisi. Significat autem hostiæ consecratæ divisio primo quidem passionem Christi per quam corpus ejus fuit vulneribus fractum, secundum illud Psalm. XXI. 18 : *Foderunt manus meas et pedes meos*. Secundo distributionem donorum Christi ex ipso progredientium, secundum illud infra XII. 4 : *Divisiones gratiarum sunt*. Tertio diversas partes Ecclesiæ ; nam eorum qui sunt membra Christi quidam adhuc in hoc mundo peregrinantur : quidam vivunt in gloria cum Christo, et quantum ad animam et quantum ad corpus : quidam expectant finalem resurrectionem in fine mundi : et hoc significat divisio hostiæ in tres partes.

Secundum considerandum est de veritate hujus locutionis : videtur enim hæc locutio esse falsa, *Hoc est corpus meum* : conversio enim panis in corpus Christi fit in termino prolationis horum verborum : tunc enim completur significatio hujus locutionis. Formæ enim sacramentorum significando efficiunt. Et ideo sequitur quod in principio locutionis, quando dicitur, hoc, non sit ibi corpus Christi, sed sola substantia panis, quæ demonstratur per hoc pronomen *hoc*, quod est demonstrativum substantiæ. Idem est ergo *hoc*, cum dicitur, *Hoc est corpus meum*, ac si diceret : Substantia panis est corpus meum : quod manifeste falsum est.

Dixerunt ergo quidam, quod sacerdos hæc verba materialiter et recitative profert ex persona Christi ; et ideo demonstratio hujus pronominis non refertur ad præsentem materiam, ut ex hoc locutio falsa reddatur, secundum quod objectio procedebat. Sed hoc non potest stare. Primo quidem quia si hæc locutio non applicetur ad præsentem materiam, nihil faciet circa eam : quod est falsum. Dicit enim Augustinus *Super Joan. tract.* LXXX, « Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. » Unde necesse est dicere, quod verba ista formaliter accipiantur, referendo ea ad præsentem materiam. Profert autem ea sacerdos ex persona Christi a quo virtutem sumpserunt, ad ostendendum quod eamdem efficaciam nunc habent sicut quando Christus ea protulit. Non enim virtus his verbis collata evanescit neque temporis diversitate, neque ministrorum varietate. Secundo, quia eadem difficultas remanet de prima prolatione qua Christus ea protulit. Ideo alii dicunt, quod sensus hujus est, *Hoc est corpus meum* ; idest, hic panis designat corpus meum, ut ly *hoc* designet id quod est in principio locutionis. Sed hoc etiam esse non potest : quia cum sacramenta efficiant quod figurant, hæc verba nihil efficiunt nisi quod significant. Secundo, quia ex hoc sequeretur quod per hæc verba nihil efficeretur quam quod corpus Christi esset ibi sicut sub signo ; quod supra improbatum est. Et ideo alii dicunt quod ly *hoc* facit demonstrationem ad intellectum, et demonstrat id quod erit in fine locutionis, scilicet corpus Christi. Sed nec hoc videtur convenienter dici : quia secundum hoc sensus esset, Corpus meum est corpus meum ; quod non fit per hæc verba, cum hoc ante verba consecrationis fuerit verum.

Et ideo aliter dicendum est : quod formæ sacramentorum non solum sunt significativæ, sed etiam factivæ : significando [1] enim efficiunt. In omni autem factione oportet subjici aliquid commune tamquam principium. Commune autem in hac conversione, non est aliqua substantia, sed accidentia, quæ et prius fuerunt, et postea manent : et ideo ex parte subjecti in hac locutione non ponitur nomen quod significat certam speciem substantiæ, sed ponitur pronomen, quod significat substantiam sine determinata specie. Est ergo sensus : *Hoc*, idest contentum sub his accidentibus, *est corpus meum*, et hoc est quod fit per verba consecrationis : nam ante consecrationem id quod erat contentum sub his accidentibus, non erat corpus Christi : quod tamen fit corpus Christi per consecrationem.

[1] Al. : « faciendo. »

Tertio autem oportet considerare quomodo est hæc conveniens forma hujus sacramenti. Nam hoc sacramentum, ut dictum est, non consistit in usu materiæ, sed in consecratione ipsius. Consecratio autem non fit per hoc quod materia consecrata solum suscipiat aliquam virtutem spiritualem, sed per hoc quod transubstantiatur secundum esse in corpus Christi ; et ideo nullo alio verbo utendum fuit nisi verbo substantivo, ut dicatur : *Hoc est corpus meum* : per hoc enim significatur id quod est finis quod significando efficitur.

Deinde cum dicit, *Quod pro vobis tradetur*, tangit mysterium hujus sacramenti ; est enim hoc [1] sacramentum repræsentativum divinæ passionis, per quam corpus suum tradidit in mortem pro nobis, secundum illud Isa. L, 6 : *Corpus meum dedi percutientibus.* et Ephes. V, 2 : *Tradidit semetipsum pro nobis.* Et ut ostendat rationem frequentandi hoc mysterium, subjungit : *Hoc facite in meam commemorationem*, hoc recolendo, scilicet tam magnum beneficium, quo pro vobis me tradidi in mortem. Unde et Thren. III, 19, dicitur : *Recordare paupertatis meæ, absinthii et fellis.* et in Psal. CX, 4 : *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.*

LECTIO VI.

Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine : hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.

Postquam Apostolus posuit institutionem hujus sacramenti quantum ad consecrationem corporis, hic ponit institutionem ejus quantum ad sanguinis consecrationem : et primo ponit ordinem institutionis : secundo verba, cum dicit: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* Ordo autem attenditur quantum ad duo. Primo quantum ad concomitantiam utriusque speciei, cum dicit, *Similiter et calicem* : utrumque enim est de perfectione hujus sacramenti, tum propter perfectionem refectionis, tum propter repræsentationem passionis, tum propter efficientiam salutis animæ et corporis, ut supra dictum est.

Sed si prius consecratur in hoc sacramento corpus Christi et postea sanguis, videtur sequi quod ante consecrationem sanguinis, corpus Christi in hoc sacramento sit exangue : quod quidam inconveniens reputantes, dixerunt, quod duæ formæ se expectant in efficiendo, ita scilicet quod primo forma consecrationis corporis non consequitur suum effectum antequam perficiatur forma consecrationis sanguinis ; sicut etiam dictum est, quod verba quæ proferuntur in consecratione corporis, non consequuntur suum effectum usque ad finem prolationis verborum. Sed hoc non est simile. Nam significatio verborum quibus consecratur corpus Christi, non completur nisi in termino prolationis eorum. Et quia verba sacramentalia significando efficiunt, ideo non possunt habere effectum ante terminum prolationis. Tunc autem [2] habent plenam significationem etiam antequam proferantur verba consecrationis sanguinis : et ideo necesse est quod etiam tunc habeant suum effectum : alioquin sacerdos peccaret statim post verba consecrationis, proponens hostiam non consecratam populo adorandam, nisi jam esset corpus Christi quia induceret populum ad idololatriam.

Est ergo dicendum, quod ante consecrationem sanguinis, est in hoc sacramento corpus Christi non sine sanguine. Sciendum est enim, quod in hoc sacramento dupliciter aliquid est. Uno modo ex vi consecrationis, illud scilicet in quod terminatur conversio panis et vini, sicut per formam consecrationis significatur ; et sic sub specie panis est corpus Christi. Alio modo est aliquid in hoc sacramento ex reali concomitantia, sicut divinitas Verbi est in hoc sacramento propter indissolubilem unionem ipsius ad corpus Christi, licet nullo modo substantia panis in divinitatem convertatur. Et similiter est ibi anima, quæ conjuncta est realiter ipsi corpori. Si vero in triduo mortis Christi fuisset corpus Christi ab aliquo Apostolorum consecratum, non fuisset ibi anima, quæ tunc realiter erat corpore separata. Et idem dicendum est de san-

[1] Al. deest : « hoc. » — [2] Al. : « etiam. »

guine : nam sub speciebus panis ex vi consecrationis est corpus Christi in quod substantia panis convertitur; sanguis autem est ibi ex reali concomitantia, quia nunc [1] realiter sanguis Christi non est ab ejus corpore separatus : et eadem ratione sub specie vini est sanguis Christi ex vi consecrationis : corpus autem ex reali concomitantia : ita quod sub utraque specie est totus Christus. Si vero tempore passionis, quando sanguis Christi erat ex corpore effusus, fuisset hoc sacramentum ab aliquo Apostolorum perfectum, sub panis specie fuisset solum corpus Christi exangue ; sub speciebus autem vini fuisset solus sanguis Christi.

Secundo attenditur ordo per comparationem ad cibos materiales, qui [2] præcesserant : ubi subdit, *Postquam cœnavit*, quod videtur signanter addidisse, nam Christus corpus suum tradidit inter cœnam : unde Matth. XXVI, dicitur, quod *cœnantibus illis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis.* Sed sanguinem dedit expresse post cœnam : unde et Luc. XXII, 20, dicitur. *Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic est calix novum testamentum in sanguine meo qui pro vobis fundetur.* Cujus ratio est, quia corpus Christi repræsentat mysterium incarnationis, quæ facta est adhuc legalibus observantiis statum habentibus, inter quas præcipua erat cœna agni paschalis : sed sanguis Christi in sacramento, directe repræsentat passionem, per quam est effusus, et per quam sunt terminata omnia legalia. Unde Hebr. IX, 12, dicitur : quod *per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.*

Deinde ponit verba, dicens : *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine* : et primo demonstrat veritatem hujus sacramenti ; secundo injungit usum, ibi, *Hoc facite in meam commemorationem.* Quantum ergo ad primum dicit : *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine :* quod quidem dupliciter sumi potest. Uno modo metonymice, ut scilicet ponatur continens pro contento ; quasi dicat, Contentum in hoc calice ; quod convenientius ponitur in consecratione vini, quod ratione suæ humiditatis indiget aliis terminis contineri, quam in consecratione panis, qui ratione suæ siccitatis propriis terminis continetur. Alio modo potest accipi metaphorice, ut sit sensus : Sicut calix inebriat et perturbat, ita et passio. Unde Matth. XX, 22, dicit : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum ?* Et ibid. XXVI, 39 : *Transeat a me calix iste.* Est ergo sensus, *Hic calix*, idest contentum in hoc calice, vel hæc mea passio, *est novum testamentum in meo sanguine.* Unde considerandum est, quod testamentum dupliciter sumitur in Scripturis. Uno modo communiter pro quolibet pacto quod quidem testibus confirmatur; et sic considerandum est, quod Deus dupliciter pactum iniit cum humano genere. Uno modo promittendo bona temporalia, et a malis temporalibus liberando; et hoc vocatur vetus testamentum vel pactum. Alio modo promittendo bona spiritualia, et a malis oppositis liberando ; et hoc vocatur testamentum novum. Unde dicitur Hierem. XXXI, 31 : *Feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris, ut educerem eos de terra Ægypti : sed hoc erit pactum : dabo legem meam in visceribus eorum, et ero eis in Deum.* Est autem considerandum, quod apud antiquos erat consuetudo ut alicujus victimæ sanguinem funderent ad confirmationem pacti : unde Gen. XXXI, legitur, quod postquam inierent fœdus Laban et Jacob, immolatis victimis in monte, vocavit fratres suos. Unde et Exod. XXIV, legitur, quod Moyses sumptum sanguinem respersit in populum, et ait vers. X : *Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum.* Sicut ergo vetus testamentum seu pactum confirmatum est sanguine figurali taurorum, ita novum testamentum seu pactum confirmatum est in sanguine Christi, qui per passionem est effusus. Et in hoc calice sacramentum taliter continetur. Alio modo testamentum accipitur magis stricte pro dispositione hereditatis percipiendæ, quam necesse est secundum leges certo numero testium confirmare. Non autem testamentum sic acceptum confirmatur nisi per mortem : quia, ut Apostolus dicit Heb. X, 17, *Testamentum in mortuis confirmatum est; alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est.* Deus autem primo quidem dispositionem fecerat de æterna hereditate percipienda, sed sub figura temporalium bonorum, quod pertinet ad vetus testamentum : sed post-

[1] Al. : « tunc » item al. : « realis » pro : « realiter. » — [2] Al. : « quoniam. »

modum fecit novum testamentum, expresse promittens hereditatem æternam, quod quidem confirmatum est per sanguinem mortis Christi. Et ideo Dominus de hoc dicit : *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine ;* quasi dicat : Per id quod in hoc calice continetur, commemoratur novum testamentum per Christi sanguinem confirmatum.

Est autem advertendum quod eadem verba quæ hic Apostolus ponit, habentur Lucæ xxii, 21, nisi quod ibi additur, *Qui pro vobis effundetur*. Lucas enim discipulus fuit Pauli, et eum in conscriptione Evangelii est secutus. Sed Matth, xxvi, 28, dicitur : *Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Eadem verba ponuntur in Marc. xiv. Dicunt ergo quidam, quod quæcumque formæ horum verborum proferantur, quæ sunt scripta in canone, sufficiunt ad consecrationem. Probabilius autem dici videtur, quod illis solis verbis perficitur consecratio quibus Ecclesia utitur ex traditione Apostolorum structa. Evangelistæ enim verba Domini recitare intenderunt quantum pertinet ad rationem historiæ, non autem secundum quod ordinantur ad consecrationem sacramentorum, quæ in occulto habebant in primitiva Ecclesia propter infideles. Unde Dionysius dicit in ult. cap. *ecclesiasticæ Hierarchiæ* : « Perfectivas invocationes non est fas in Scripturis exponere, neque mysticum ipsarum, ante factas in ipsis ex Deo virtutes ex occulto in communi adducere. »

Sed circa ista verba quibus Ecclesia utitur in consecratione sanguinis, quidam opinantur, quod non omnia sint de necessitate formæ, sed solum quod dicitur, « Hic est calix sanguinis mei ; » non autem residuum quod sequitur, « Novi et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. » Sed hoc non videtur convenienter dici : nam totum illud quod sequitur est quædam determinatio prædicati : unde et ad ejusdem locutionis sententiam seu significationem pertinet. Et quia, ut sæpe dictum est, formæ sacramentorum significando efficiunt, totum pertinet ad vim effectivam formæ. Nec obstat ratio quam inducunt, quia in consecratione corporis sufficit quod dicit, « Hoc est corpus meum : » quia sanguis seorsum consecratus, specialiter repræsentat passionem Christi, per quam ejus sanguis separatus est a corpore ; et ideo in consecratione sanguinis oportuit exprimere Christi passionis virtutem : quæ attenditur primo quidem respectu nostræ culpæ, quam Christi passio abolet, secundum illud Apoc. i, 5 : *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo* : et quantum ad hoc dicit : *Qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum* : effusus est siquidem sanguis in remissionem peccatorum, non solum pro multis, sed etiam pro omnibus, secundum illud I Joan. ii, 2 : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris ; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Sed quia quidam se reddunt indignos ad recipiendum talem efficaciam, dicitur esse effusus pro multis, in quibus habet effectum passio Christi. Dicit autem signanter, « Pro vobis et pro multis : » quia hoc sacramentum valet in remissionem peccatorum sumentibus per modum sacramenti : quod notatur signanter, cum dicit, « Pro vobis, » quibus dixerat, *Accipite.* Valet etiam per modum sacrificii multis non sumentibus, pro quibus offertur : quod significatur, cum dicitur, « Et pro multis. » Secundo virtus ejus consideratur per comparationem ad vitam justitiæ, quam facit per fidem, secundum illud Rom. iii, 24 : *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit*[1] *propitiationem per fidem in sanguine ipsius* : et quantum ad hoc dicit, Mysterium, idest occultum, fidei : quia scilicet fides passionis Christi erat occulta in omnibus sacrificiis veteris testamenti, sicut veritas in signo. Hoc autem Ecclesia habet ex traditione Apostolorum, cum in canone Scripturæ non inveniatur. Tertio virtus ejus attenditur quantum ad vitam gloriæ, in quam per passionem Christi introducitur, secundum illud Hebr, x, 19 : *Habentes fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi* : et quantum ad hoc dicit. « Novi et æterni testamenti. » Æterni siquidem, quia est dispositio de hereditate æterna ; novi autem ad differentiam veteris, qui temporalia promittebat. Unde Hebr. ix, 15, dicitur : *Ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente... repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis.*

Deinde cum dicit, *Hoc facite*, injungit

[1] Al. : « propitiatorem. »

usum hujus sacramenti, dicens : *Hoc facite, quotiescumque sumitis, in meam commemorationem*, scilicet in memoriam meæ passionis. Unde et Thren. III, 20, dicit Propheta : *Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea* : et Isa. LXIII, 7 : *Miserationum Domini recordabor.*

Est autem notandum, quod in calice principaliter quidem debet poni vinum rationibus supradictis; debet autem apponi et aqua. Probabile enim est quod Christus in cœna vinum mixtum discipulis dederit propter consuetudinem terræ illius, in qua ut temperetur fortitudo vini, ab omnibus vinum bibitur aqua mixtum. Unde et Prov. IX, 5, Sapientia dicit : *Bibite vinum quod miscui vobis.* Nihilominus tamen aqua vino mixta significat populum Christianum Christo per passionum conjunctum secundum illud Apoc. XVII, 15 : *Aquæ populi sunt, et gentes* : et participatio sanguis Christi a fidelibus pertinet ad usum sacramenti, qui non est de necessitate hujus sacramenti. Sed potest vinum consecrari absque aqua ; licet peccet qui sic consecrat, non servans ritum Ecclesiæ. Et ideo, si sacerdos ante consecrationem vini advertat quod aqua non fuerit apposita calici, debet apponere ; si vero post consecrationem advertat, non debet apponere, sed debet perficere sacramentum. Nihil enim post consecrationem est sanguini Christi miscendum, quia talis permixtio non posset esse sine qualicumque corruptione vini consecrati, quod pertinet ad crimen sacrilegii.

Dicunt autem quidam, quod cum de latere Christi pendentis in cruce fluxerit sanguis et aqua, ut legitur Joann. XIX, sicut vinum convertitur in sanguinem, ita aqua in aquam.

Sed hoc non competit ; quia in illa aqua figuratur ablutio quæ est per baptismum. Et ideo alii dicunt, quod facta conversione vini in sanguinem aqua remanet in sua substantia, et circumtegitur accidentibus vini. Sed neque hoc competit [1] ; quia aqua admiscetur vino ante consecrationem, quando non differt ab alio vino ; unde non seorsum manet, sed permiscetur.

Et ideo dicendum est, quod aqua convertitur in vinum, et sic totum convertitur in sanguinem Christi. Propter quod mos est modicum de aqua apponere, et præcipue si sit vinum debile, quod non potest nisi modicum aquæ in seipsum convertere.

Deinde cum dicit. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc* etc., exponit verba Domini quæ dixerat, *Hoc facite in meam commemorationem*, dicens : *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc.* Et dicit *Panem*, propter species remanentes : dicit autem, *Hunc* propter idem numero corpus significatum et contentum. *Et calicem*, scilicet hunc, *bibetis*, *mortem Domini annuntiabitis*, repræsentando scilicet eam per hoc sacramentum ; et hoc *donec veniat*, idest usque ad ultimum ejus adventum : in quo datur intelligi quod hic ritus Ecclesiæ non cessabit usque ad finem mundi, secundum illud Matth. ult. 20 : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* ; et Luc. XXI, 23 : *Non præteribit generatio hæc* scilicet Ecclesiæ *donec omnia fiant.*

LECTIO VII.

Itaque quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo : et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles et dormiunt, multi. Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Itaque, fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem expectate. Si quis esurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis. Cetera autem, cum venero, disponam.

Postquam Apostolus ostendit dignitatem hujus sacramenti, hic excitat fideles ad sumendum illud reverenter : et primo ponit periculum quod imminet indigne sumentibus ; secundo adhibet salutare remedium ibi, *Probet autem seipsum homo.* Dicit ergo primo : *Itaque*, ex quo hoc quod sacramentaliter manducatur, est corpus Christi, et quod bibitur est sanguis Christi, *quicumque manducaverit hunc panem vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* In quibus verbis primo consi-

[1] Al. : « sed hoc non competit. »

derandum est qualiter aliquis indigne manducat et bibit : quod quidem secundum *Glossam* contingit tripliciter. Primo quidem quantum ad celebrationem hujus sacramenti, quia scilicet aliquis celebrat sacramentum eucharistiæ aliter quam a Christo traditum est ; puta si offerat in hoc sacramento alium panem quam triticeum, vel alium liquorem quam vinum de vite. Unde Levit. x, dicitur, quod Nadab et Abiu, filii Aaron, obtulerunt coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat ; egressusque ignis a Domino, devoravit eos. Secundo ex hoc quod aliquis non devota mente accedit ad eucharistiam : quæ quidem indevotio quandoque est veniale ; puta cum aliquis distracta mente ad sæcularia negotia, accedit ad hoc sacramentum, habitualiter retinens debitam reverentiam ad ipsum : et talis indevotio licet impediat fructum hujus sacramenti, qui est spiritualis refectio, non tamen fecit reum corporis et sanguinis Domini sicut hic Apostolus loquitur. Quædam vero indevotio est peccatum mortale quæ scilicet est cum contemptu hujus sacramenti : prout dicitur Malach. I, 12 : *Vos polluistis nomen meum in eo quod dicitis : Mensa Domini contaminata est, et quod superponitur contemptibile.* Et de tali indevotione loquitur *Glossa.* Tertio modo dicitur aliquis indignus ex eo quod cum voluntate peccandi mortaliter, accedit ad eucharistiam. Dicitur enim Levit. XXI, 23 : *Non accedat ad altare qui maculam habet.* Intelligitur aliquis maculam peccati habere quamdiu est in voluntate peccandi, quæ tamen tollitur per pœnitentiam. Per contritionem quidam quæ tollit voluntatem peccandi, cum proposito confitendi et satisfaciendi, quantum ad remissionem culpæ et pœnæ æternæ ; per confessionem autem et satisfactionem quantum ad totalem remissionem pœnæ, et reconciliationem ad membra Ecclesiæ. Et ideo in necessitate quidem, puta quando aliquis copiam confessionis [1] habere non potest, sufficit contritio ad sumptionem hujus sacramenti. Regulariter autem debet confessio præcedere cum aliqua satisfactione. Unde in lib. *De eccl. dogmatibus*, cap. LIII, dicitur : « Communicaturus satisfaciat lacrymis et orationibus, et confidens de Domino, mundus [2] accedat ad eucharistiam intrepidus et securus. Sed hoc de illo dico quem capitalia peccata et mortalia non gravant. Namque quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, et ita sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari, si non vult ad condemnationem eucharistiam percipere. »

Sed videtur quod peccatores non indigne accedant ad hoc sacramentum : nam in hoc sacramento sumitur Christus, qui est spiritualis medicus, qui de se dicit Matth. IX, 12 : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.*

Sed dicendum, quod hoc sacramentum est spirituale nutrimentum, sicut baptismus est spiritualis nativitas. Nascitur autem aliquis ad hoc ut vivat, sed non nutritur nisi jam vivus : et ideo hoc sacramentum non competit peccatoribus qui nondum vivunt per gratiam ; competit eis tamen baptismus. Et præterea eucharistia est sacramentum caritatis et ecclesiasticæ unitatis, ut dicit Augustinus *Super Joan.* tract. XXVI. Cum igitur peccator careat caritate, et sit separatus merito ab Ecclesiæ unitate, si accedat ad hoc sacramentum, falsitatem committit, dum significat se habere caritatem quam non habet. Quia tamen peccator quandoque habet fidem hujus sacramenti, licitum est ei hoc sacramentum inspicere, quod omnino infidelibus denegatur, ut Dionysius dicit III cap. *ecclesiasticæ Hierarchiæ.*

Secundo considerandum est quomodo ille qui indigne sumit hoc sacramentum, sit reus corporis et sanguinis Domini ; quod quidem in *Glossa* tripliciter exponitur. Uno modo materialiter. Incurrit enim reatum ex peccato commisso circa corpus et sanguinem Domini, prout in hoc sacramento continentur, quod indigne sumit, et ex hoc ejus culpa aggravatur : tanto enim culpa [3] gravior, quanto major est contra quem peccatur : Hebr. X, 29 : *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia eum qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit ?* Secundo exponitur per similitudinem, ut sit sensus : *Reus erit corporis et sanguinis Domini*, et mortis Domini pœnas dabit : hoc est, ac si Christum occiderit punietur, secundum

[1] Al. : « confessoris. » — [2] Al. : « de Domino mundi » — [3] Al : « ejus culpa »

illud Heb. vi, 9 : *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes.*

Sed secundum hoc videtur gravissimum esse peccatum eorum qui indigne sumunt corpus Christi.

Sed dicendum, quod peccatum aliquod habet gravitatem dupliciter. Uno modo ex ipsa specie peccati, quæ sumitur ex objecto : et secundum hoc gravius est peccatum quod contra divinitatem committitur, puta infidelitas, blasphemia vel aliquid hujusmodi, quam quod committitur contra humanitatem Christi : unde et ipse Dominus Matth. xii, dicit, quod qui dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei. Et iterum gravius est peccatum quod committitur contra humanitatem in propria specie quam sub specie sacramenti. Alio modo gravitas peccati attenditur ex parte peccantis. Magis autem peccat qui ex odio aut invidia vel ex quacumque malitia peccat, sicut peccaverunt illi qui Christum crucifixerunt, quam qui peccat ex infirmitate, sicut interdum peccant illi qui indigne sumunt hoc sacramentum. Non ergo per hoc intelligitur quod peccatum indigne sumentium hoc sacramentum comparetur peccato occidentium Christum secundum æqualitatem, sed secundum similitudinem speciei, quia utrumque est circa eumdem Christum.

Tertio modo exponitur : *Reus erit corporis et sanguinis Domini;* idest corpus et sanguis Domini facient eum reum : ita enim bonum male sumptum nocet, sicut prodest malum quo quis bene utitur, sicut stimulus satanæ Paulo.

Per hæc autem verba excluditur error quorumdam dicentium, quod quam statim hoc sacramentum tangitur a labiis peccatoris, desinit sub eo esse corpus Christi : contra quod est quod Apostolus dicit : *Quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne.* Secundum enim prædictam opinionem nullus indignus manducaret vel biberet. Contrariatur autem prædicta opinio veritati hujusmodi sacramenti, secundum quam tamdiu corpus et sanguis Christi manent in Sacramento, quamdiu remanent species, in quocumque loco existant.

Deinde cum dicit, *Probet autem seipsum homo*, adhibet remedium contra prædictum periculum : et primo ponit remedium; secundo assignat rationem, ibi, *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit;* tertio rationem manifestat per signum, ibi, *Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi.* Dicit ergo primo : Quia tantum reatum incurrit qui indigne sumit hoc sacramentum, ideo necesse est ut primo homo seipsum probet, idest diligenter examinet suam conscientiam, ne sit in eo voluntas peccandi mortaliter, vel aliquod peccatum præteritum, de quo non sufficienter pœnituerit : *et sic*, post diligentem examinationem securus[1] *de pane illo edat et de calice bibat :* quia digne sumentibus non est venenum, sed medicina. Galat. ult. 4, *Opus autem suum probet unusquisque.* II Corinth. xiii, 5 : *Si estis in fide Christi, vos probate.*

Deinde cum dicit, *Quicumque enim manducaverit panem hunc*, etc., assignat rationem prædicti medii, dicens : Ideo probatio præexigitur : *qui enim indigne manducat et bibit judicium*, idest condemnationem, *sibi manducat et bibit;* sicut dicitur Joan. v, 29 : *Resurgent qui male egerunt in resurrectionem judicii : non dijudicans corpus Domini;* idest ex eo quod non discernit corpus Domini ab aliis, indifferenter ipsum assumens sicut alios cibos. Levit. xxiii, 3 : *Omnis homo qui accesserit ad ea quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino.*

Sed contra videtur esse quod dicit Joan. vi, 58 : *Qui manducat me, vivit propter me.*

Sed dicendum est, quod duplex est modus manducandi hoc sacramentum : scilicet spiritualis et sacramentalis. Quidam ergo manducant sacramentaliter et spiritualiter, qui scilicet ita sumunt hoc sacramentum quod etiam rem sacramenti participant, scilicet caritatem, per quam est ecclesiastica unitas; et de talibus intelligitur verbum Domini inductum : *Qui manducat me, vivit propter me.* Quidam vero manducant sacramentaliter tantum, qui scilicet ita hoc sacramentum percipiunt quod rem sacramenti, idest caritatem, non habent : et de talibus intelligitur quod hic dicitur : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit.* Est autem præter duos modos qui-

[1] Al. deest : « securus. »

bus sumitur sacramentum hoc, tertius modus sumendi, quo manducatur per accidens, dum scilicet sumitur non ut sacramentum : quod quidem contingit tripliciter. Uno modo sicut quando aliquis fidelis sumit hostiam consecratam, quam non credit esse consecratam : talis enim habet habitum utendi hoc sacramento, sed non utitur eo actu ut sacramento [1]. Alio modo, sicut quando hostiam consecratam sumit aliquis infidelis, qui nullam fidem habet hujus sacramenti : talis enim non habet habitum utendi hoc sacramento, sed solum potentiam. Tertio modo, sicut quando hostiam sacratam comedit mus, vel quodlibet animal brutum, quod etiam non habet potentiam utendi hoc sacramento. Ex hoc igitur quod spiritualiter sumentes hoc sacramentum acquirunt vitam, alliciuntur quidam ad hoc quod frequenter hoc sacramentum assumant : ex hoc autem quod indigne sumentes acquirunt sibi judicium, plures deterrentur, ut rarius sumant; et utrumque commendandum videtur. Legimus enim Luc. XIX, quod Zachæus recepit Christum gaudens in domum suam : in quo ejus caritas commendatur : legitur etiam ibidem VII, 6, quod Centurio dixit Christo : *Non sum dignus ut intres sub tectum meum*, in quo commendatur honor et reverentia ejus ad Christum. Quia tamen amor præfertur timori; per se loquendo commendabilius esse videtur quod aliquis frequentius sumat quam quod rarius. Quia tamen quod est in se eligibilius, potest esse minus eligibile quantum ad hunc vel illum; considerare quilibet in seipso debet quem effectum in se habeat frequens susceptio hujus sacramenti. Nam si aliquis sentiat se proficere in fervore dilectionis ad Christum, et in fortitudine resistendi peccatis, quæ plurimum consequuntur homines, debet frequenter sumere; si vero ex frequenti sumptione sentiat aliquis in se minus reverentiam hujus sacramenti, monendus est ut rarius sumat. Unde et in lib. *De ecclesiastici dogmatibus* dicitur : « Quotidie eucharistiam sumere nec laudo nec vitupero. »

Deinde cum dicit, *Ideo inter vos multi infirmi*, etc., manifestat prædictam rationem per signum : et primo ponit signum; secundo assignat causam illius signi, ibi, *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*. Circa primum considerandum est, quod sicut Augustinus dicit in I *De civ. Dei*, cap. VIII, si omne peccatum nunc manifeste Deus plecteret pœna, nihil ultimo judicio reservari putaretur. Rursus si nullum peccatum nunc puniret, nulla esse divina providentia crederetur. In signum ergo futuri judicii, Deus etiam in hoc mundo pro peccato quosdam temporaliter punit; quod maxime observatum videtur in principio legislationis tam novæ quam veteris. Legimus enim Exod. XXXII, propter peccatum vituli aurei adorati, multa millia hominum perempta. Rursum legitur Act. V, propter peccatum mendacii et furti, Ananiam et Saphiram interiisse. Unde et propter peccatum hujus sacramenti indigne sumpti, aliqui in primitiva Ecclesia puniebantur a Deo infirmitate corporali, vel etiam morte : unde dicit : *Ideo*, scilicet in signum futuri judicii, *inter vos multi* indigne sumentes corpus Christi, sunt *infirmi* corporaliter. Psalm. XV, 2 : *Multiplicatæ sunt infirmitates, et imbecilles*, idest longa invaletudine laborantes : *et dormiunt multi*, scilicet morte corporali, secundum quod sumitur dormitio I ad Thess. IV, 12 : *Nolumus vos ignorare de dormientibus*.

Deinde cum dicit, *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*, assignat duplicem rationem prædicti signi : quarum prima sumitur ex parte nostri; secunda ex parte Dei, ibi, *Cum judicamur autem a Domino corripimur*. Ex parte autem nostra, causa divinæ punitionis est a negligentia, quia in nobis ipsis peccata commissa punire negligimus. Unde dicit : *Quod si nosmetipsos dijudicaremus*, redarguendo et puniendo peccata nostra, *non utique judicaremur*; idest, non puniremur a Domino neque postmodum in futuro, neque etiam in præsenti.

Sed contra est quod supra IV, 3, dictum est : *Sed neque meipsum judico :* et Rom. XIV, 22, dicitur : *Beatus qui non judicat semetipsum*.

Sed dicendum est, quod aliquis potest seipsum judicare tripliciter. Uno modo, discutiendo; et sic aliquis debet judicare seipsum et quantum ad opera præterita, et quantum ad futura, secundum illud Galat. ult. 4 : *Opus suum probet unusquisque*. Alio modo sententialiter, seip-

[1] Al. omittuntur illa verba : « sed non utitur eo actu ut sacramento. »

sum absolvendo, quasi judicando se innocentem quantum ad præterita : et secundum hoc nullus debet judicare seipsum, ut scilicet se innocentem judicet; secundum illud Job. IX, 20 : *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me; si innocentem me ostendero, pravum me comprobabit.* Tertio modo reprehendendo, ut scilicet faciat aliquid quod ipse judicat esse malum; et hoc modo intelligitur quod inductum est : *Beatus est qui non judicat semetipsum in eo quod probat.* Sed quantum ad ea quæ jam fecit, debet quilibet seipsum judicare, reprehendendo, et puniendo pro maleficiis. Unde dicitur Job XIII, 15 : *Vias meas in conspectu ejus arguam;* et XXIII, 4 : *Ponam coram eo judicium, et os meum replebo increpationibus :* et de hoc judicio Augustinus dicit in lib. *De Pœnitentia*, et inducitur hoc in *Glossa :* « Versetur ante oculos nostros imago futuri judicii, et ascendat homo adversum se ante faciem suam : atque constituto in corde judicio, adsit accusans cogitatio, et testis conscientia, et carnifex cor. Inde quidem sanguis animi confitentis per lacrymas profluat : postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participem corporis et sanguinis Domini. »

Deinde cum dicit, *Cum judicamur autem*, ponit causam quæ est ex parte Dei, dicens : *Cum judicamur autem a Domino*, idest in hoc mundo punimur, *corripimur;* idest, hoc fit ad correctionem nostram, ut scilicet quilibet propter pœnam quam sustinuit, a peccato recedat. Unde et Job V, 17, dicitur : *Beatus vir qui corripitur a Domino;* et Proverb. III, 12 : *Quem diligit Dominus, corripit.* Vel etiam dum per pœnam unius alius peccare desistit. Proverb. XIX, 25 : *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Et hoc ideo *ut non damnemur*, æterna damnatione in futuro, *cum hoc mundo*, idest cum hominibus mundanis.

Deinde cum dicit, *Itaque fratres mei*, etc., reducit eos ad debitam observantiam : et primo ponitur id quod nunc ordinat; secundo ponitur promissio de ordinatione futura, ibi, *Cetera autem, cum venero disponam.* Circa primum tria facit. Primo ponit ordinationem suam, dicens : *Itaque fratres mei,* ne unusquisque cœnam suam præsumat ad manducandum, *cum convenitis*, scilicet in Ecclesiam, *ad manducandum*, scilicet corpus Christi, *invicem expectare*, ut scilicet simul omnes sumatis. Unde Exod. XII, 6 : *Immolabit hædum multitudo filiorum Israel.* Secundo excludit excusationem dicens : *Si quis autem esurit*, et non potest tantum expectare, *domi manducet*, scilicet communes cibos, postmodum eucharistiam non sumpturus. Eccl. XXXVI, 20 : *Omnem escam manducabit venter.* Tertio rationem assignat, dicens : *Ut non conveniatis,* scilicet ad sumendum corpus Christi *in judicium*, idest in vestram condemnationem. Deinde ponitur promissio cum dicit, *Cetera*, scilicet quæ non sunt tanti periculi, *cum venero*, præsentialiter *disponam*, qualiter scilicet ea conservare debeatis. Ex quo patet quod Ecclesia multa habet ex dispositione Apostolorum quæ in sacra Scriptura non continentur. Eccl. X, 3 : *Civitates inhabitabuntur*, idest Ecclesiæ disponentur, *per sensum prudentium*, scilicet Apostolorum.

CAPUT DUODECIMUM

LECTIO I.

De spiritualibus autem nolo vos ignorare, fratres. Scitis autem quoniam cum Gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini, euntes. Ideo notum vobis facio quod nemo in Spiritu Dei loquens dicit, Anathema Jesu. Et nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.

Postquam Apostolus prosecutus est de tribus sacramentis, scilicet baptismo, matrimonio et eucharistia; hic incipit determinare de his quæ pertinent ad rem sacramentorum. Est autem duplex res sacramenti : una significata et contenta, scilicet gratia, quæ statim cum sacramento confertur; alia significata et non contenta, scilicet gloria resurrectionis, quæ in fine expectatur. Primo ergo agit de donis gratiarum; secundo de gloria resurrectionis, XV cap. ibi, *Notum autem vobis facio.* Circa primum primo [1] agit de gratiis gratis datis ; secundo præfert omnibus his caritatem, quæ pertinet ad gratiam gratum facientem, XV, cap. ibi, *Si linguis hominumloquar et Angelorum*; tertio comparat gratias datas ad invicem, XIV cap. ibi, *Sectamini caritatem.* Circa primum duo facit. Primo proœmialiter [2] exponit quid intendat dicens : Dixi, quod cetera quæ pertinent ad usum sacramentorum, cum venero, disponam; sed quædam statim vobis tradere oportet; et hoc est quod dicit : *De spiritualibus autem*, idest de donis gratiarum, quæ sunt a Spiritu sancto, o *fratres*, *nolo vos ignorare.* Est enim maximum genus ingratitudinis ignorare beneficia accepta, ut Seneca dicit in lib. *De beneficiis;* et ideo, ut homo non sit Deo ingratus, non debet spirituales gratias ignorare. Supra II, 12 : *Spiritum accepimus qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* Isa. V, 13 : *Præterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scentiam*, scilicet spiritualium. Secundo, ibi, *Scitis quoniam cum Gentes essetis* etc. prosequitur suam intentionem : et primo ostendit spiritualium gratiarum necessitatem : secundo ponit gratiarum distributionem, ibi, *Divisiones vero gratiarum sunt.* Necessitas autem alicujus rei maxime cognoscitur ex defectu ipsius. Unde circa primum duo facit. Primo ponit defectum quem patiebantur ante susceptam gratiam; secundo concludit gratiæ necessitatem, ibi, *Ideo notum vobis facio*, Dicit ergo primo : *Scitis*, quasi experti, *quoniam cum Gentes essetis*, idest gentiliter viventes, nondum suscepta gratia per baptismum : Galat. XI, 15 : *Nos enim natura Judæi, non ex Gentibus peccatores*: Eph. IV, 17 : *Gentes ambulant in vanitate sensus sui* : eratis *euntes*, quasi prompta mente et assidua, secundum illud Hierem. VIII, 6 : *Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens in prælium.* Prov. I, 16 : *Pedes eorum ad malum currunt*; *ad simulacra muta*, scilicet adoranda et colenda, secundum illud Psalm. CXIII, 5 : *Os habent, et non loquentur.* Et ponit specialiter in eis defectum locutionis, quia locutio est proprius effectus cognitionis; unde ostenditur non intelligere simulacra, et per consequens nihil divinitatis habere si sunt muta. Et hoc *prout ducebamini*, idest sine aliqua resistentia. Ducebantur autem vel allecti ex pulchritudine simulacrorum : unde dicitur in *Epistola* Hieremiæ [3] : *Videbitis in Babylonia deos aureos et argenteos... Videte ne metus vos capiat in ipsis.* Aut etiam ex imperio alicujus principis: sicut legitur Dan. III quod Nabuchodonosor cogebat homines adorare statuam auream : et II Machab. VI, dicitur de quibusdam, quod ducebantur cum amara necessitate in die natalis regis ad sacrificia. Vel etiam instinctu dæmonum, qui ad hoc præcipue anhe-

[1] Al. omittitur : « primo. » — [2] Al. : « principaliter. » — [3] Nempe Baruch. VI, 3.

lant ut divinus cultus eis exhibeatur, secundum illud Matth. IV, 9 : *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Ibant ergo ad idola colenda prout ducebantur, idest sine aliqua resistentia, sicut de juvene etiam vecorde dicitur Proverb. VII, 22 : *Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam.* Per hoc ergo apparet quod homo ante susceptam gratiam prompte currit in peccatum sine resistentia. Specialiter autem facit mentionem de peccato idolatriæ propter tria. Primo quidem, quia hoc est peccatum gravissimum, introducere alium Deum; sicut gravissime peccaret contra regem qui alium regem in regnum ejus introduceret. Unde dicitur Job XXXI, 26 : *Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare, et osculatus sum manum meam*, scilicet quasi cultor solis et lunæ : *quæ est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum.* Secundo, quia a peccato idololatriæ omnia alia peccata oriebantur, secundum illud Sap. XIV, 27 : *Nefandorum idolorum cultura, omnis mali causa est.* Tertio, quia hoc peccatum apud Gentiles commune erat, et non reputabatur. Unde in Psalm. XCV, 5, dicitur : *Omnes dii gentium dæmonia.*

Est autem considerandum, quod quidam dixerunt hominem in peccato mortali existentem, sine gratia quidem [1] non posse a peccato cui subjacet, liberari : quia remissio peccatorum non fit nisi per gratiam, secundum illud Rom. III, 24 : *Justificati per gratiam ejus.* Posse autem se præservare a peccato mortali sine gratia per liberum arbitrium. Sed hæc positio non videtur vera. Primo quidem, quia non potest aliquis se a peccato mortali præservare nisi omnia legis præcepta servando : cum nullus mortaliter peccet nisi transgrediendo aliquod legis præceptum ; et ita posset aliquis observare omnia legis præcepta sine gratia, quod est hæresis Pelagiana. Secundo, quia caritatem, per quam Deus diligitur super omnia, nullus potest habere sine gratia, secundum illud Rom. V, 5 : *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Non potest autem esse quod homo omnia peccata declinet, nisi Deum super omnia diligat ; sicut illud magis contemnitur quod minus diligitur. Poterit ergo esse per aliquod tempus quod ille qui caret gratia a peccato abstinebit quousque occurrat illud propter quod Dei præceptum contemnet a quo ducitur ad peccandum. Signanter autem Apostolus dicit, *Prout ducebamini.*

Deinde cum dicit, *Ideo notum vobis facio* etc., concludit duos effectus gratiæ, quorum primus est quod facit abstinere a peccato : secundus est quod facit operari bonum : et hoc ponit ibi, *Et nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.* Dicit ergo primo : Ex quo quando sine gratia eratis, prompte ad peccandum currebatis, *ideo notum vobis facio*, quod si gratiam habuissetis, hoc vobis non contigisset; *nemo enim in Spiritu Dei*, idest per Spiritum Dei, *loquens dicit, Anathema Jesu*, idest blasphemiam contra Jesum, secundum illud I Joan. IV, 3 : *Omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est.* Notandum quod supra posuit gravissimum peccatum, quod est blasphemia, quod per gratiam declinatur, ut de aliis minoribus peccatis intelligatur. Potest autem per hoc quod dicitur, *Anathema Jesu*, intelligi quodlibet peccatum mortale. Anathema enim separationem significat : dicitur enim ab ana, quod est sursum, et thesis, quod positio, quasi sursum positum : quia olim res quæ ab usu hominum separabantur suspendebantur in templis, vel in locis publicis. Omne autem peccatum mortale separat a Jesu, secundum illud Isa. LIX, 2 : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum.* Quicumque ergo mortaliter peccat, dicit corde vel ore, *Anathema*, idest separationem a Jesu. *Nemo* ergo *in Spiritu Dei loquens dicit, Anathema Jesu* : quia nullus per Spiritum Dei peccat mortaliter; quia, ut dicitur Sap. I, 5 : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.*

Sed secundum hoc videtur quod quicumque habet Spiritum sanctum, non possit peccare mortaliter : quia etiam dicitur I Joan. III, 9 : *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.*

Sed dicendum est, quod quantum est ex Spiritu Dei, homo non facit peccatum, sed magis a peccato retrahitur : potest tamen peccatum facere ex defectu voluntatis humanæ, quæ Spiritui sancto resistit, secundum illud Act. VII, 51 : *Vos autem semper Spiritui sancto* * *restitis.* *Resistitis

[1] Al. : « quadam. »

tis. Non enim per Spiritum sanctum inhabitantem tollitur facultas peccandi a libero arbitrio totaliter in vita præsenti : et ideo signanter Apostolus non dixit, Nemo Spiritum Dei habens, sed, *Nemo in Spiritu Dei loquens.*

Deinde cum dicit. *Et nemo potest dicere*, *Dominus Jesus* etc., ponit secundum effectum gratiæ, scilicet quod sine ea homo non potest bonum operari. Dicit ergo : *Et nemo potest dicere* quod *Jesus* est *Dominus*, *nisi in Spiritu sancto.*

Contra quod videtur esse, quia per Spiritum sanctum homo introducitur in regnum cœlorum, secundum illud Psalm. CXLII, 10 : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Dominus autem dicit Matth. VII, 21 : *Non omnis qui dicit Domine*, *Domine*, *intrabit in regnum cœlorum.* Non omnis ergo qui dicit Dominum Jesum, dicit in Spiritu sancto.

Dicendum est autem quod dicere aliquid in Spiritu sancto potest intelligi dupliciter. Uno modo in Spiritu sancto movente, sed non habito. Movet enim Spiritus sanctus corda [1] aliquorum ad loquendum quos non inhabitat; sicut legitur Joan. XI, quod Caiphas hoc quod de utilitate mortis Christi prædixerat, a semetipso non dixit, sed per spiritum prophetiæ. Balaam etiam multa vera prædixit motus a Spiritu sancto, ut legitur Num. XXIII, et XXIV, licet eum non haberet. Secundum hoc ergo intelligendum est quod nullus potest dicere quodcumque verum nisi a Spiritu sancto motus, qui est Spiritus veritatis, de quo dicitur, Joan. XVI, 13 : *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis*, *docebit vos omnem veritatem* Unde et in *Glossa* Ambrosius hoc in loco dicit : « Omne verum a quocumque dicatur, a Spiritu sancto est. » Et specialiter in illis quæ sunt fidei, quæ per specialem revelationem Spiritus sancti sunt habita, inter quæ est quod Jesus sit omnium Dominus : unde Act. II, 36, dicitur : *Certissime sciat omnis domus Israel*, *quia Deus fecit hunc Dominum Jesum*, *quem vos crucifixistis.* Alio modo loquitur aliquis in Spiritu sancto movente et habito ; et secundum hoc etiam potest verificari quod hic dicitur, ita tamen quod *dicere* accipiatur non solum ore, sed etiam corde et opere. Dicitur enim aliquid corde, secundum illud Psalm. XIII, 1 : *Dixit insipiens in corde suo* : *Non est Deus.* Dicitur etiam aliquid opere, inquantum exteriori opere aliquis suum conceptum manifestat. *Nemo* ergo nisi habendo Spiritum sanctum *potest dicere Jesum Dominum*, ita scilicet quod non solum hoc ore confiteatur, sed etiam corde revereatur ipsum ut Dominum, et opere obediat ipsi quasi Domino. Sic igitur ex verbis præmissis tria circa gratiam considerare possumus. Primo quod sine ea peccatum homo vitare non potest, secundum illud Psalm. XCIII, 17 : *Nisi quia Dominus adjuvit me*, *paulo minus in inferno habitasset anima mea.* Secundo quod per eam vitatur peccatum, secundum illud I Joan. III, 9 : *Qui natus est ex Deo, non peccat.* Tertio quod sine ea non potest homo bonum facere, secundum illud Joan. XVI, 5 : *Sine me nihil potestis facere.*

Deinde cum dicit, *Divisiones vero gratiarum sunt*, incipit distinguere gratias gratis datas : et primo distinguit eas in generali, secundo manifestat in speciali, ibi, *Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.* In his autem quæ per gratiam Spiritus sancti conferentur, tria oportet considerare. Primo quidem facultatem hominum ad operandum ; secundo auctoritatem; tertio executionem utriusque. Facultas quidem habetur per donum gratiæ, puta per prophetiam, vel potestatem faciendi miracula, aut per aliquid hujusmodi. Auctoritas autem habetur per aliquod ministerium, puta per Apostolatum, vel aliquid hujusmodi. Executio autem pertinet ad operationem. Primo ergo distinguit gratias : secundo ministeria, tertio operationes. Quantum ergo ad primum, ostendit necessitatem gratiæ, quæ tamen non totaliter advenit omnibus, nisi Christo cui datus est Spiritus non ad mensuram, ut dicitur Joan. III; sed quantum ad alios sunt divisiones gratiarum : quia quidam abundant in una, quidam in alia. Sicut enim in corpore naturali caput habet omnes sensus, non autem alia membra ; ita in Ecclesia solus Christus habet omnes gratias quæ in aliis membris dividuntur : quod significatur Gen. II, ubi dicitur, quod fluvius, scilicet gratiarum, egrediebatur ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita : et Matth. XXV dicitur, quod uni dedit quinque talenta, alii duo, alii unum. Et quamvis dona gratiarum

[1] Al. : « corpora. »

sint diversa, quæ a diversis habentur; non tamen procedunt a diversis auctoribus, sicut ponebant Gentiles, qui sapientiam attribuebant Minervæ, locutionem Mercurio et sic de aliis. Ad quod excludendum subdit : *idem autem Spiritus*, scilicet sanctus, qui est auctor omnium gratiarum. Ephes. IV, 4 : *Unum corpus et unus Spiritus* : et Sapient. VII, 22 : *Est spiritus unus et multiplex* : unus in substantia, multiplex in gratiis. Deinde ponit distinctiones ministrationum, dicens : *Et divisiones ministrationum sunt;* idest, diversa ministeria et officia requiruntur ad gubernationem Ecclesiæ. Prælati enim Ecclesiæ ministri dicuntur : sup. IV, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi.* Pertinet autem ad decorem et perfectionem Ecclesiæ ut in ea diversa ministeria sint, quæ significantur per ordines ministrantium : quod mirabatur regina Saba in domo Salomonis, ut legitur III Reg. X. Omnes tamen uni Domino serviunt : unde subditur : *Idem autem Dominus.* Supra VIII, 6 : *Nobis unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia.* Deinde ponit distinctionem operationum, dicens : *Et divisiones operationum sunt*, quibus aliquis in se ipso bonum operatur, sicut per ministrationes ad proximum. Psalm. CIII, 23 : *Exibit homo ad opus suum*, scilicet sibi proprium. Eccli. XXXIII, 11 : *Immutavit*, idest distinxit *vias*, idest operationes *eorum* : quæ tamen omnes procedunt ab uno principio : unde subdit, *Idem vero Deus, qui operatur omnia*, sicut prima causa creans omnes operationes. Ne tamen aliæ causæ videantur esse superfluæ, subdit, *In omnibus*, quia in causis secundariis prima causa operatur. Isai. XXVI, 12 : *Omnia opera nostra operatus es in nobis.* Et notandum, quod Apostolus valde congrue gratias attribuit Spiritui, qui est amor, quia ex amore procedit quod aliquid gratis detur ministris [1] a Domino cui ministratur; operationes Deo sicut primæ causæ moventi. Et quod dicit, *Spiritus*, potest referri ad personam Spiritus sancti : quod dicit, *Dominus*, ad personam Filii; quod dicit, *Deus*, ad personam Patris. Vel hæc tria possunt attribui Spiritui sancto, qui est Dominus Deus.

LECTIO II.

Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ, secundum eumdem Spiritum; alteri vero fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum in uno Spiritu; alii operatio virtutum; alii prophetia; alii discretio spirituum; alii genera linguarum : alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.

Posita in generali distinctione gratiarum et ministrationum, et operationum, hic manifestat ea quæ dixerat, in speciali : et primo quantum ad divisionem gratiarum; secundo quantum ad divisionem, ibi, *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas* etc. Circa primum duo facit. Primo ponit distinctionem gratiarum in speciali : secundo adhibet similitudinem, ibi, *Sicut enim corpus unum est, et multa habet membra.* Circa primum tria facit. Primo ponit conditionem gratiarum gratis datarum; secundo ponit earum distinctionem, ibi, *Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ* etc.; tertio describit earum auctorem [2], ibi, *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus.* Dicit ergo primo : Dictum est, quod sunt divisiones gratiarum, *Unicuique autem datur*, in quo designatur earum subjectum : sicut enim nullum membrum est in corpore quod non participet aliquo modo sensum vel motum a capite : ita nullus est in Ecclesia qui non aliquid de gratiis Spiritus sancti participet, secundum illud Matth. XXV, 15 : *Dedit unicuique secundum propriam virtutem :* et Ephes. IV, 7 : *Unicuique nostrum data est gratia* : *manifestatio Spiritus*, in quo designantur officium gratiæ gratis datæ. Pertinet autem ad gratiam gratum facientem, quod per eam Spiritus sanctus inhabitet : quod quidem non pertinet ad gratiam gratis datam, sed solum ut per eam Spiritus sanctus manifestetur, sicut interior motus cordis per vocem. Unde Joan. III, 8, dicitur : *Vocem ejus audis* et in Psalm. XCVII, 2, dicitur : *Notum fecit Dominus salutare suum.* Manifestatur autem per hujusmodi gratias Spiritus sanctus dupliciter. Uno modo ut inhabitans Ecclesiam, et docens, et sanctificans eam;

[1] Al. : « ministerii. »

[2] Al. : « actionem. »

puta, cum aliquis peccator, quem non inhabitat Spiritus sanctus, faciat miracula ad ostendendum quod fides Ecclesiæ, quam ipse prædicat, sit vera : unde dicitur Hebr. II, 4 : *Contestante Deo signis et prodigiis et variis Spiritus sancti distributionibus.* Alio modo manifestatur per hujusmodi gratias Spiritus sanctus ut inhabitans eum cui tales gratiæ conceduntur; unde dicitur Act. VI, quod Stephanus plenus gratia faciebat prodigia et signa multa, quem Spiritu sancto plenum elegerunt. Sic autem non conceduntur hujusmodi gratiæ nisi sanctis. Et ne hujusmodi manifestatio vana videatur, subdit, *Ad utilitatem;* scilicet communem : in quo designatur finis harum : et hoc vel dum probatur vera doctrina Ecclesiæ, et sic fideles confirmantur, et infideles convertuntur; vel dum sanctitas alicujus proponitur aliis in exemplum : unde et infra XIV, 12 : *Ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut abundetis :* et supra X, 33. Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.

Deinde cum dicit, *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ;* ponit distinctionem gratiarum; quæ quidem, ut dictum est, dantur ad utilitatem communem. Et ideo oportet earum distinctionem accipere, secundum quod per unum potest aliorum salus procurari. Quod quidem homo non potest facere interius operando, hoc enim solius Dei est, sed solum exterius persuadendo. Ad quod quidem tria requiruntur. Primo quidem facultas persuadendi; secundo facultas persuasionem confirmandi; tertio persuasionem intelligibiliter proponendi. Ad facultatem autem persuadendi requiritur quod homo habeat peritiam conclusionum et certitudinem principiorum circa ea in quibus debemus persuadere. Conclusiones autem in his quæ pertinent ad salutem, quædam sunt principales, scilicet res divinæ; et ad hoc pertinet sapientia, quæ est cognitio divinarum rerum, ut Augustinus dicit lib. XIII *De Trin.* cap. I : et quantum ad hoc dicitur : *Alii quidem per Spiritum,* scilicet sanctum, *datur sermo sapientiæ,* ut possit persuadere ea quæ ad cognitionem divinorum pertinent. Luc. XXI, 15 : *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contra dicere omnes adversarii vestri.* Supra II, 6 : *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Secundariæ conclusiones sunt quæ pertinent ad notitiam creaturarum, quarum cognitio dicitur scientia, secundum Augustinum ibidem : et quantum ad hoc subdit : *Alii autem,* scilicet datur, *sermo scientiæ, secundum eumdem Spiritum;* ut scilicet per creaturas ea quæ sunt Dei manifestare possit. Huic enim scientiæ attribuitur illud quo pia fides defenditur et roboratur; non autem quidquid curiositatis in humanis scientiis invenitur, ut Augustinus ibidem dicit. Sap. X, 10 : « Dedit illi scientiam sanctorum. » Isai. XXXIII, 6 : *Divitiæ salutis, sapientia et scientia.* Est tamen notandum, quod sapientia et scientia inter septem dona Spiritus sancti computantur, sicut habetur Isa. XI; unde Apostolus signanter inter gratias gratis datas non ponit sapientiam et scientiam, sed sermonem sapientiæ et scientiæ, quæ pertinent ad hoc ut homo aliis persuadere valeat per sermonem ea quæ sunt sapientiæ et scientiæ. Principia autem doctrinæ salutis sunt articuli fidei : et ideo ad hoc subditur *: Alteri,* scilicet datur, *fides in eodem Spiritu.* Non autem hic accipitur pro fidei virtute, quia hoc commune est omnibus membris Christi, secundum illud Hebr. XI, 6 : *Sine fide impossibile est placere Deo* : sed accipitur pro sermone fidei, prout scilicet homo potest recte proponere ea quæ fidei sunt; vel pro certitudine fidei, quam aliquis habet excellenter, secundum illud Matth. XVII, 28 : *Mulier, magna est fides tua.* Ea vero quæ pertinent ad salutarem doctrinam, non possunt confirmari seu probari ratione, quia rationem humanam excedunt, secundum illud Eccli. III, 25 : *Plurima supra sensum hominis ostensa sunt tibi* : confirmantur autem seu probantur signo divino : unde et Moyses mittendus ad populum Israel, signum accepit a Deo, per quod confirmaret ea quæ ex parte Dei dicebat, ut patet Exod. IV; sicut et signo regio confirmatur quod aliquid fit de mandato regis. Signum autem Dei sumitur uno quidem modo ab eo quod solus Deus facere potest; sicut sunt miracula, quæ Apostolus hic in duo distinguit : nam primo dicit : *Alii,* scilicet datur, *gratia sanitatum,* idest per quam alicujus possit sanare infirmitatem, *in uno,* scilicet et eodem, *Spiritu.* Hier. XVII, 14 : *Sana me Domine, et sanabor.* Ex his enim persuadetur aliquis, non solum propter magnitudinem facti, sed etiam propter beneficium. Secundo autem dicit : *Alii* datur *operatio virtutum,* ex quibus aliquis persuadetur solum propter

magnitudinem facti; puta, cum mare dividitur, ut legitur Exod. xiv, vel quod sol et luna stetit in cœlo, sicut legitur Josue x. Gal. iii, 4 : *Qui tribuit nobis spiritum, et operatur virtutes in nobis?* Alio autem modo accipitur signum divinum ab eo quod solus Deus cognoscere potest. Hoc autem est vel futurum contingens, secundum illud Isa. xli, 23 : *Annuntiate quæ ventura sunt, et sciemus quia dii estis vos*; et quantum ad hoc dicit : *Alii*, scilicet datur, *prophetia* quæ est divina revelatio rerum eventus [1] immobili veritate denuntians. Joel. ii, 28 : *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri.* Aliud autem est cognitio humani cordis, secundum illud Hierem. xvii, 9 : *Pravum est cor hominis, et inscrutabile* : *quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda, et probans renes* : et quantum ad hoc subdit : *Alii discretio spirituum;* ut scilicet homo discernere possit quo spiritu aliquis moveatur ad loquendum vel operandum; puta, utrum spiritu caritatis, vel spiritu invidiæ. I Joan. iv : *Nolite credere omni spiritui; sed probate spiritus si ex Deo sunt.* Facultas autem persuasionem pronuntiandi consistit in hoc quod homo possit loqui intelligibiliter aliis : quod quidem impeditur dupliciter. Uno modo per diversitatem idiomatum; contra quod remedium adhibetur per hoc quod dicit, *Alii*, scilicet dantur *genera* [2] *linguarum*, ut scilicet possit loqui diversis linguis, ut intelligatur ab omnibus, sicut de Apostolis legitur Act. ii, quod loquebantur variis linguis. Alio modo per obscuritatem Scripturæ inducendæ; contra quod remedium datur per id quod subditur : *Alii interpretatio sermonum*, idest difficilium Scripturarum. Dan. v, 16 : *Audivi de te quod possis obscura interpretari.* Gen. xl, 8 : *Numquid non Dei est interpretatio?*

Deinde cum dicit, *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus*, determinat auctorem prædictarum gratiarum : circa quod tres errores excludit. Primo quidem Gentilium attribuentium diversa dona diversis diis : contra quod dicit : *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus.* Eph. iv, 4 : *Unum corpus, et unus spiritus.* Secundo errorem eorum qui Deo attribuebant solum universalem providentiam rerum, ponentes quod distinctiones particularium fiunt solum per causas secundas; contra quod subditur : *Dividens singulis prout vult.* Eccli. xxxiii, 2 : *In multitudine disciplinæ Dominus* [3] *separavit eos.* Tertio excludit errorem eorum qui diversitatem gratiarum attribuebant vel fato, vel humano merito, et non solum voluntati divinæ, sicut Macedoniani, qui dicebant Spiritum sanctum esse ministrum Patris et Filii : et hoc excludit per hoc quod subdit, *Prout vult.* Joan. iii, 8 : *Spiritus ubi vult spirat.*

LECTIO III.

Sicut enim unum corpus est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt : ita et Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi sive Gentiles, sive servi sive liberi; et omnes in uno Spiritu potati sumus. Nam et corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes : quoniam non sum manus, non sum de corpore; non ideo non est de corpore. Et si dixerit auris : quoniam non sum oculus, non sum de corpore; non ideo non est de corpore. Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore, sicut voluit. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. Non potest autem oculus dicere manui : Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus : Non estis mihi necessarii. Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt; et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus : et quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. Honesta autem nostra nullius egent. Sed Deus temperavit corpus ei cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, ut non sit schisma in corpore, sed in idipsum pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra : sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores? Numquid omnes virtutes? Numquid omnes gratiam habent curationum? Numquid omnes linguis loquuntur? Numquid omnes interpretantur? Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.

Posita distinctione gratiarum, hic manifestat eam per similitudinem corporis naturalis : et primo ponit similitudinem in generali; secundo explicat eam in

[1] Al. : « inter eventus. » — [2] Al. : « datur gratia, » linguarum. — [3] Al. : « Domino. »

speciali, ibi, *Nam et corpus non est unum membrum, sed multa.* Circa primum duo facit. Primo ponitur similitudo; secundo similitudinis adaptatio, ibi, *Ita et Christus.* Circa primum considerandum est, quod sicut dicitur in V *Metaphys.*, tripliciter dicitur aliquid unum per se. Uno modo indivisibilitate, ut unitas et punctum; secundum quem modum unitas excludit totaliter multitudinem, non solum actualem, sed etiam potentialem. Alio modo dicitur unum continuitate, ut linea et superficies; quæ quidem unitas excludit multitudinem actualem, sed non potentialem. Tertio modo integritate; quæ non excludit multitudinem neque potentialem neque actualem; sicut domus est una quæ constituitur ex diversis lapidibus et lignis; et eodem modo corpus hominis aut cujuslibet animalis est unum, quia ejus perfectio integratur ex diversis membris, sicut ex diversis animæ instrumentis : unde et anima dicitur esse actus corporis organici, idest ex diversis organis constituti. Proponit ergo primo Apostolus quod unitas corporis, membrorum multitudinem non excludit, dicens, quod *sicut corpus unum est, et multa membra habet* : unde et Rom. XII, 4, dicitur : *In uno corpore multa membra habemus.* Item proponit quod multitudo membrorum non tollit corporis unitatem : unde subdit : *Omnia autem membra corporis cum sint multa*, nihilominus *unum corpus sunt*, quod ex omnibus perficitur. Unde et Job x, 11, dicitur : *Pelle et carne vestisti me, ossibus et nervis compegisti me.*

Deinde cum dicit, *Ita et Christus*, ponitur adaptatio similitudinis : et primo adaptat similitudinem, dicens : *Ita et Christus*, scilicet est unus : secundum illud supra VIII, 6 : *Unus Dominus noster Jesus, per quem omnia* : et tamen multa et diversa habet membra, scilicet omnes fideles, secundum illud Rom. XII, 5 : *Multi unum corpus sumus in Christo.* Secundo ponitur ratio adaptationis : ubi ponitur duplex ratio distinctionis. Una quidem ratio unitatis est Spiritus sanctus, secundum illud Ephes. IV, 4 : *Unum corpus et unus spiritus.* Sed per virtutem Spiritus sancti duplex beneficium consequimur. Primo quidem quia per ipsum regeneramur, secundum illud Joan. III, 5 : *Nisi qui renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto.* Unde dicit : *Etenim in uno Spiritu*, scilicet per virtutem unius Spiritus sancti, *omnes nos*, qui sumus membra Christi, *sumus baptizati in unum corpus*, idest in unitatem Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, secundum illud Ephes. I, 22 : *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus.* Gal. III, 27 : *Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Secundo per Spiritum sanctum reficimur ad salutem : unde subdit : *Et omnes potati sumus in uno Spiritu,* idest per virtutem unius Spiritus sancti. Potest autem hic potus intelligi dupliciter. Uno modo de interno refrigerio, quod Spiritus sanctus cordi humano præbet, extinguendo sitim carnalium desideriorum et concupiscentiarum : unde Eccli. XV, 3 : *Aqua salutari sapientiæ potavit eum.* Joan. VII, 38 : *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Alio modo potest intelligi de potu sacramenti, qui per Spiritum sacratur. Supra X, 4 : *Omnes eumdem potum spiritalem biberunt.* Interponitur autem duplex ratio diversitatis. Una ex parte ritus, cum dicit : *Sive Judæi sive Gentiles* : alia ex parte conditionis, cum dicit : *Sive servi sive liberi.* Nulla enim hujusmodi diversitas impedit unitatem corporis Christi. Unde Galat. III, 28 : dicitur : *Non est Judæus neque Græcus; non est servus neque liber : unum enim erit* [1] *in Christo Jesu.*

Deinde cum dicit, *Nam et corpus non est unum membrum, sed multa*, explicat similitudinem in speciali : et primo describit conditionem corporis naturalis et membrorum ipsius; secundo adaptat ad corpus mysticum Christi, ibi, *Vos autem estis corpus Christi.* Circa primum duo facit. Primo describit integritatem corporis naturalis: secundo habitudinem membrorum ad invicem, ibi, *Non potest autem oculus dicere manui, Opera tua non indigeo.* Circa primum tria facit. Primo proponit quod intendit; secundo manifestat exemplificando, ibi, *Si dixerit pes quoniam non sum manus, non sum de corpore, non ideo non est de corpore*; tertio probat ducendo ad inconveniens, ibi, *Si totum corpus oculus, ubi auditus?* Dicit ergo primo : Dictum est quod omnes nos in unum corpus mysticum baptizati sumus, quod repræsentat similitudo corporis naturalis : *nam corpus* naturale hominis, *non est unum membrum, sed multa* :

[1] Al. : « estis. »

quia scilicet ejus perfectio non salvatur in uno membro, sed integratur ex multis, quæ necesse habent deservire diversis potentiis et actibus animæ. Unde et Rom. xii, 4, dicitur : *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra corporis non eumdem actum habent : ita multi unum corpus sumus in Christo.*

Deinde cum dicit, *Si dixerit pes* etc., manifestat quod dixerat, exemplificando in membris quibusdam : et primo membris deservientibus motui ; et ponit duo membra: pedem tamquam ignobilius membrum, quod calcat terram, et portat totius corporis pondus ; manum autem tamquam membrum nobilius, eo quod ipsa est organum organorum : et hoc est quod dicit : *Si dixerit pes, Non sum de corpore,* quoniam non sum manus, *non ideo non est de corpore;* quasi dicat : Perfectio corporis non tota consistit in uno membro, quamvis nobiliori; sed ad ejus perfectionem requiruntur etiam ignobiliora. Per membra autem deservientia motui, designantur in Ecclesia homines dediti vitæ activæ : ita quod pedes sunt subditi, de quibus dicitur Ezech. i, 7 : *Pedes eorum pedes recti* : per manus autem figurantur prælati, per quos alii disponuntur : unde et Cant. v, 14, dicitur : *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* Sunt autem in Ecclesia necessariæ non solum manus, idest prælati, sed etiam pedes, idest subditi : unde Prov. xiv, 28 : dicitur : *In multitudine populi dignitas regis.* Secundo exemplificat de membris servientibus virtuti apprehensivæ ; et ponit oculum, qui deservit visui, et aurem, quæ deservit auditui : nam isti duo sensus præcipue deserviunt humanæ sapientiæ : visus quidem quantum ad inventionem, eo quod plures rerum differentias ostendit ; auditus autem quantum ad disciplinam, quæ fit per sermonem. Horum tamen sensuum dignior est visus quam auditus : quia et spiritualior est, et plura demonstrat, ac per hoc oculus est dignior aure. Dicit ergo : *Et si dixerit auris,* quæ est ignobilius membrum, *Non sum de corpore, quia non sum oculus,* qui est membrum nobilius, *non ideo non est de corpore.* Per membra ergo deservientia virtuti apprehensivæ designantur in Ecclesia illi qui student vitæ contemplativæ : inter quos sunt sicut oculi, doctores, qui per seipsos veritatem inspiciunt : unde dicitur Cant. v, 22 : *Oculi ejus sicut columbæ super rivos aquarum, quæ resident juxta fluenta plenissima.* Per aures autem significantur discipuli, qui a magistris veritatem audiendo recipiunt : unde et Dominus [1] Matth. xii, 9, dicit : *Qui habet aures audiendi, audiat.* Sunt enim in Ecclesia necessarii non solum doctores, sed etiam discipuli : unde et Job xxix, 11, dicitur : *Auris audiens beatificavit me.*

Deinde cum dicit, *Si totum corpus oculus, ubi auditus?* probat ducendo ad inconveniens duplex : quorum primum est substractio necessariorum a corpore ; secundum est remotio integritatis corporis, ibi, *Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus?* Circa primum duo facit. Primo ponit inconveniens quod sequitur, dicens : *Si totum corpus* esset *oculus,* quod est membrum nobilius, *ubi esset auditus?* idest instrumentum audiendi ; quasi dicat, Si in Ecclesia essent omnes magistri. Unde dicitur Jac. iii, 1 : *Nolite plures magistri fieri, fratres mei.* Et iterum *si totum corpus esset auditus,* idest instrumentum audiendi, *ubi* esset *odoratus?* per quem possunt in Ecclesia intelligi illi qui etsi non sint capaces verborum sapientiæ, percipiunt tamen quædam ejus indicia a remotis, quasi odorem : unde et Cant. i, 3, dicitur : *In odorem unguentorum tuorum currimus.* Secundo asserit contrariam veritatem, scilicet quod nec visus nec auditus corpori debent deesse, dicens : *Nunc autem Deus posuit,* idest ordinate disposuit, *membra diversa.* Nam etsi membrorum distinctio sit opus naturæ, hoc tamen agit natura ut instrumentum divinæ providentiæ. Et ideo primam causam dispositionis membrorum assignans, subdit : *Unumquodque eorum in corpore* ; quasi dicat : Non sic posuit membra diversa ut unumquodque eorum secundum se separatim existeret ; sed ut omnia convenirent in uno corpore ; et *sicut voluit.* Nam prima causa institutionis rerum est voluntas divina, secundum illud Psalm. cxiii, 3 : *Omnia quæcumque voluit fecit.* Sic autem et in Ecclesia disposuit diversa officia et diversos status, secundum suam voluntatem : unde et Ephes. i, 11, dicitur : *Prædestinati secundum propositum ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.*

[1] Al. omittitur : « Dominus. »

Deinde cum dicit, *Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus?* ducit ad aliud inconveniens quod est defectus integritatis corporis. Unde primo ponit hoc inconveniens, dicens : *Quod si essent omnia unum membrum, ubi esset corpus?* idest, ubi esset integritas corporalis? quasi dicat, non esset. Ita si omnes in Ecclesia unius conditionis et gradus essent, tolleretur perfectio et decor Ecclesiæ, quæ in Ps. XLIV, 14, describitur circumamicta varietate. Secundo asserit veritatem contrariam, dicens : *Nunc autem multa quidem sunt membra, sed unum corpus*, quod ex omnibus integratur. Sic Ecclesia ex diversis ordinibus constituitur : unde et Cant. VI, 3, describitur : *terribilis ut castrorum acies ordinata.*

Deinde cum dicit, *Non potest autem oculus dicere manui, Opera tua non indigeo*, ponit comparationem membrorum ad invicem : et primo quantum ad necessitatem : secundo quantum ad cultum membris adhibitum, ibi, *Et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus*; tertio quantum ad mutuam solicitudinem, ibi, *Sed in idipsum pro invicem solicita sint membra.* Circa primum duo facit. Primo proponit omnia membra corporis esse necessaria, quamvis quædam sint ignobilia; secundo ponit necessitatis comparationem, ibi, *Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt.* Ostendit autem primo rationem necessitatis membrorum, secundum duplicem differentiam. Primo quidem secundum differentiam membrorum deservientium motui : unde dicit : *Non potest autem oculus*, qui deservit cognitioni, et significat contemplativos, *dicere manui*, quæ deservit motui, et significat activos : *Opera tua non indigeo* : indigent enim contemplativi per opera activorum sustentari : unde et Luc. x, dicitur, quod cum Maria secus pedes Domini sederet audiens verba ejus, Martha satagebat circa frequens ministerium. Secundo ostendit idem secundum differentiam prælatorum, qui significantur per caput, et subditorum, qui significantur per pedes : et hoc est quod subdit : *Aut iterum caput*, idest prælatus, secundum illud I Reg. XV, 17 : *Caput in tribubus Israel factus es* : non potest dicere *pedibus*, idest subditis : *Non estis mihi necessarii* : quia, ut dicitur Prov. XIV, 18, *In multitudine populi dignitas regis.*

Deinde cum dicit, *Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria, sunt*, comparat diversa membra ad invicem quo ad necessitatem eorum, dicens, quod *membra corporis quæ videntur esse infirmiora, sunt magis necessaria*, sicut intestina. Ita etiam in Ecclesia sine officio aliquarum abjectarum personarum, puta agricultorum et aliorum hujusmodi, præsens vita transiri non posset ; quæ tamen posset duci sine aliquibus excellentioribus personis contemplationi et sapientiæ deputatis, quæ Ecclesiæ deserviunt,ad hoc quod sit ornatior, et melius se habens. Ex hoc enim aliquid dicitur necessarium quod est utile ad finem. Illa vero quæ sunt nobilissima, non se habent in ratione utilium, sed sunt per se ipsa appetenda ut fines : et ideo dicitur Job XXXI. 39 : *Si fructus terræ comedi absque pecunia, et animam agricolarum ejus afflixi.*

Deinde cum dicit, *Et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his abundantiorem honorem circumdamus*, comparat membra quantum ad exteriorem cultum : et primo ponit diversitatem quæ diversis membris assignat, ibi , *Deus temperavit corpus ei cui deerat.* Cultus autem exterior membris adhibitus ad duo pertinet : scilicet ad honorem, sicut ea quæ apponuntur ad ornatum, ut monilia et inaures ; et ad honestatem, sicut quæ apponuntur ad tegumentum, ut brachæ, et alia hujusmodi. Quantum ergo ad primum cultum, dicit primo, *Et quæ putamus esse ignobiliora membra corporis, his circumdamus abundantiorem honorem*, idest majorem ornatum ; sicut auribus alicubi suspenduntur inaures, oculis autem nihil apponitur ; et pedibus apponuntur calceamenta depicta et gemmata, secundum illud Cant. VII, 2 : *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis.* Manus autem nudæ habentur. Et similiter in Ecclesia imperfectioribus sunt magis consolationes adhibendæ, quibus perfectiores non egent. Unde dicitur Isa. XL, 11 : *In brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fetas ipse portabit* : et I Petr. III, 7, dicitur : *Viri quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem.* Secundo prosequitur quantum ad cultum honestatis, dicens : *Et quæ inhonesta sunt,*

abundantiorem honestatem habent, idest per studium humanum. Dicuntur autem membra aliqua inhonesta in sanctis non propter aliquam peccati turpitudinem, sed propter inobedientiam membrorum genitalium subsecutam ex peccato originali : vel etiam quia sunt ignobili usui deputata, sicut omnia membra quæ deserviunt emissioni superfluitatum, quibus abundantior honestas adhibetur dum studiosius teguntur, quo non indigent membra nobilibus usibus deputata : unde subdit : *Honesta autem nostra nullius egent*, scilicet exterioris honestatis : unde nec faciei velamen apponitur. Et similiter in Ecclesia illi qui sunt in aliquo culpabiles, sunt admonendi et custodiendi, secundum illud Eccli. XLII, 11 : *Super filiam luxuriosam confirma custodiam* : et Gal. VI, 1, dicitur : *Si præoccupatus quis fuerit in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Illi autem qui sunt absque culpa his non egent.

Et est notandum, quod triplicem defectum circa membra notavit : scilicet inhonestatis, ignobilitatis et infirmitatis : quorum primum, in membris Ecclesiæ pertinent ad culpam ; secundum ad conditionem servilem ; tertium ad statum imperfectionis.

Deinde cum dicit, *Sed Deus* [1] *temperavit corpus ei cui deerat*, ponit causam prædicti cultus : et primo assignat causam efficientem primam : licet enim homines taliter se habeant ad cultum membrorum, hoc tamen procedit ex ordinatione divina : unde dicit : *Sed Deus temperavit corpus, abundantiorem honorem tribuendo ei* membro *cui deerat* : nam homines hoc faciunt ex quodam divino intellectu [2], secundum illud Job XXXIII, 16 : *Aperit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina.* Secundo ponit causam finalem dicens : *Ut non sit schisma in corpore* : quod quidem sequeretur, si defectui membrorum non subveniretur. Hoc autem schisma quantum ad membra corporis mystici, manifeste vitatur, dum pax Ecclesiæ custoditur per hoc quod singulis ea quæ sunt necessaria attribuuntur : unde et supra dictum est cap. I, 10 : *Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.* Sed quantum ad membra corporis naturalis, schisma esset in corpore, si debita proportio membrorum tolleretur.

Deinde cum dicit, *Sed in idipsum pro invicem solicita sint membra*, ponit comparationem membrorum ad invicem quantum ad mutuam solicitudinem : et primo proponit eam, dicens : Non solum prædicta membra operantur ad invicem, *sed* etiam *pro se invicem sunt solicita in idipsum*, idest in unitatem corporis conservandi. Et hoc quidem manifeste in corpore naturali apparet : nam quodlibet membrum naturalem quamdam inclinationem habet ad juvamentum aliorum membrorum : unde et naturaliter homo opponit manum ad protegendum alia membra ab ictibus. Et similiter fideles, qui sunt membra corporis mystici, pro se invicem solicitudinem gerunt, secundum illud Eccli. XVI, 12 : *Unicuique mandavit Deus de proximo suo* : et Galat. VI, 2 : *Alter alterius onera portate.* Secundo specificat hanc solicitudinem : et primo in malis, in quibus magis est manifestum : unde dicit : *Et si quid*, scilicet malis, *patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Quod quid manifestum est in corpore naturali : nam uno membro languente, totum corpus quasi languescit, et ad locum languoris confluunt spiritus et humores quasi ad subveniendum. Et similiter debet esse in fidelibus Christi, ut unus malo alterius compatiatur, secundum illud Job XXX, 25 : *Flebam quondam super eo qui afflictus erat et anima mea compatiebatur.* Secundo in bonis : unde subdit : *Sive gloriatur*, idest quocumque modo vigoratur, *unum membrum, congaudent omnia membra.* Quod etiam manifestum est in corpore naturali ; in quo vigor unius membri, in juvamentum cedit aliis membris [3]. Sic debet etiam esse in membris Ecclesiæ ut unusquisque bonis alterius congaudeat. Phil. II, 17 : *Gaudeo et congratulor omnibus vobis.* Rom. XII, 15 : *Gaudere cum gaudentibus, et flere* [4] *cum flentibus.*

Deinde cum dicit, *Vos autem estis corpus Christi*, adaptat similitudinem ad propositum : et primo quantum ad corporis unitatem, dicens : *Vos autem*, scilicet qui estis in unitate fidei congregati, *estis corpus Christi*, secundum illud Ephes. I, 22 : *Ipsum dedit caput super*

[1] Al. *et Deus*. — [2] Al. : « instinctu. » — [3] Al. : « aliorum membrorum. » — [4] Al. : « gaudete, et flete. »

omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus. Secundo quantum ad membrorum distinctionem, cum subdit : *Et estis membra de membro* : quod potest intelligi tripliciter. Uno modo sic, *Estis membra* dependentia *de* Christo *membro* ; qui quidem dicitur membrum secundum humanitatem, secundum quam præcipue dicitur Ecclesiæ caput : nam secundum divinitatem non habet rationem membri aut partis, cum sit commune bonum totius universi. Alio modo sic. *Vos estis membra* dependentia *de membro*, inquantum per me, Christo acquisiti estis, secundum illud supra IV, 15 : *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* Tertio modo posset exponi ut designaretur distinctio et series membrorum, ut sit sensus : *Vos estis membra de membro* ; idest, ita distinguimini et ordinamini ad invicem, sicut unum membrum ad aliud.

Deinde cum dicit, *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia*, prosequitur de distinctione ministrationum : circa quod tria facit. Primo assignat ordinem ministrationum ; secundo manifestat earum distinctionem, ibi, *Numquid omnes Apostoli ?* tertio ordinat eorum affectionem circa diversas administrationes et gratias, ibi, *Æmulamini autem charismata meliora.* Circa primum duo facit. Primo ponit majores seu principales administrationes ; secundo ministrationes secundarias, ibi, *Opitulationes* etc. Majores autem ministri in ecclesia sunt Apostoli, ad quorum officium tria pertinent : quorum primum est auctoritas gubernandi fidelem populum, quæ proprie pertinet ad officium Apostolatus ; secundo facultas docendi ; tertio potestas miracula faciendi ad confirmationem doctrinæ : et de his tribus habetur Luc. IX, 1, ubi dicitur : *Convocatis Jesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia et ut languores curarent* ; *et misit illos prædicare regnum Dei.* In omnibus autem potestatibus seu virtutibus ordinatis, illud quod est principale, reservatur supremæ potestati : alia vero etiam inferioribus communicantur. Potestas autem faciendi miracula ordinatur ad doctrinam sicut ad finem, secundum illud Marc. ult. 20 : *Sermonem confirmante sequentibus signis.* Doctrina autem ordinatur ad gubernationem populi sicut finem, secundum illud Hierem. III, 15 : *Dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos scientia et doctrina.* Et ideo primus gradus inter ecclesiastica ministeria est Apostolorum, quibus, specialiter competit Ecclesiæ regimen : et propter hoc dicit : *Et Deus posuit*, idest ordinate collocavit in Ecclesia, *quosdam*, scilicet in determinatis ministeriis, secundum illud Joan. XV, 16 : *Posui vos ut eatis, primum quidem Apostolos*, quorum regimini commisit Ecclesiam, secundum illud Luc. XXII, 29 : *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum.* Unde et Apoc. XXI, super duodecim fundamenta civitatis describuntur duodecim Apostolorum nomina : propter quod et ipsi inter ceteros fideles primatum in spiritualibus gratiis obtinuerunt, secundum illud Rom. VIII, 23 : *Nos ipsi primitias Spiritus habentes.* Et quamvis ad Apostolos præcipue pertineat doctrinæ officium, quibus dictum est Matth. ult. 19 : *Euntes docete omnes gentes* ; tamen alii in communionem hujus officii assumuntur : quorum quidam per seipsos revelationes a Deo accipiunt, qui dicuntur Prophetæ ; quidam vero de his quæ sunt aliis revelata, populum instruunt, qui dicuntur Doctores, unde subdit, *secundo Prophetas*, qui etiam in novo testamento fuerunt : quod enim dicitur Matth. XI, 13 : *Lex et Prophetæ usque ad Joannem*, intelligitur de Prophetis qui futurum Christi adventum prænuntiaverunt : *tertio Doctores* : unde Act. XIII, 1, dicitur : *Erant in Ecclesia quæ erat Antiochiæ, Prophetæ et Doctores.* Similiter etiam et gratia miraculorum fuit alis communicata, quæ primitus a Christo data fuit Apostolis : unde subdit, *Deinde virtutes*, qui scilicet miracula faciunt circa ipsa elementa mundi. Galat. III, 5 : *Operatur virtutes in nobis.* Quantum autem ad miracula quæ fiunt in corporibus humanis, subdit : *Exinde gratias curationum* : secundum illud Luc. IX, 1 : *Ut languores curarent.*

Deinde cum dicit, *Opitulationes* etc., ponit minores sive secundarias administrationes : quarum quædam ordinantur ad regimen Ecclesiæ, quod ad Apostolatus dignitatem pertinere diximus ; quædam vero ad doctrinam. Ad regimen Ecclesiæ pertinent in generali quædam *opitulationes*, idest illi qui opem ferunt majoribus prælatis in universali regimine, sicut archidiaconi Episcopis, secundum illud Philip. IV, 3 : *Adjuva illas quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, et ceteris adjutoribus meis.* In spe-

ciali autem ponit *gubernationes*, sicut sunt parochiales sacerdotes, quibus committitur gubernatio aliquarum particularium plebium. Prov. xi, 14 : *Ubi non est gubernator, corruet populus.* Ad doctrinam autem pertinet secundario quod subdit, *Linguarum genera*, quantum ad illos qui variis linguis loquuntur magnalia, ut dicitur Act. xi, ne scilicet propter varietatem idiomatum evangelica doctrina impediatur. Quantum vero ad amovendum impedimentum doctrinæ, quod posset provenire ex obscuritate sermonum, subdit, *interpretationes sermonum.* Infra xxi, 13 : *Qui loquitur lingua, oret ut interpretetur.*

Deinde cum dicit, *Numquid omnes Apostoli?* manifestat distinctionem prædictarum ministrationum, dicens : *Numquid omnes* in Ecclesia sunt *Apostoli*? quasi dicat, non. *Numquid omnes Prophetæ?* etc. Ex quo patet diversitas harum administrationem. Eccli. xxxiii, 11 : *In multitudine disciplinæ Dominus separavit eos* : et xxxvii, 31 : *Non omnia omnibus expediunt.*

Deinde cum dicit, *Æmulamini autem charismata meliora*, ordinat eorum affectum circa prædicta spiritualia dona, dicens : Cum multa sint dona Spiritus sancti, ut dictum est, *æmulamini*, idest desiderate, *charismata meliora*, idest gratias potiores, ut scilicet magis desideretis ea quæ sunt meliora, puta prophetias quam donum linguarum. ut infra xv, dicetur I ad Thess. ult. 21 : *Omnia probate : quod bonum est tenete.* Et ne in præmissis donis eorum affectus quiesceret, subdit : *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*, scilicet caritatem, qua directius in Deum itur. Psalm. cxviii, 32 : *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Isa. xxxvi, 32 : *Hæc est via, ambulate in ea.*

FINIS VOLUMINIS VIGESIMI.

INDEX

VOLUMINIS VIGESIMI.

COMMENTARIUM SUPER JOANNEM.

CAPUT XVII.

CAPUT XVIII.

CAPUT XIX.

CAPUT XX.

CAPUT XXI.

EXPOSITIO

IN OMNES SANCTI PAULI EPISTOLAS.

IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

CAPUT X.

CAPUT XI.

CAPUT XII.

FINIS

INDICIS VOLUMINIS VIGESIMI.

IMPRIMERIE GÉNÉRALE DE CHATILLON-SUR-SEINE. — JEANNE ROBERT.